
Digitized by Google



Digitized by Google

B
10
.R3

Digitized by Google

N. G. S. POYNTZ,
DORCHESTER, OXON.

Digitized by Google

LITURGIARUM
ORIENTALIUM
COLLECTIO,
DUOBUS TOMIS COMPREHENSA.

Digitized by Google

Digitized by Google

LITURGIARUM ORIENTALIUM COLLECTIO,

IN QUA CONTINENTUR

LITURGIÆ COPTITARUM TRES, BASILII, GREGORII Theologi, & Cyrilli Alexandrini, Latinè conversæ secundùm exemplar Copticum.

Adjunctæ sunt Rubricæ rituales ex variis codicibus MSS. collectæ, & suis locis appositæ.

Earumdem Liturgiarum contextus Græcus, ex codice Græco-Arabico Bibliothecæ Regiæ: priorum duarum nunquam editus: tertiæ pridem editus sub titulo Liturgiæ sancti Marci, cum versione Latina & notis necessariis.

Commentarius in Liturgiam Copticam sancti Basilii, in quo ritus, & omnia ad disciplinam Eucharisticam pertinentia explicantur, præcipuè ex Autoribus Orientalibus.

Notæ breviores in reliquas Liturgias.

Liturgiæ generalis Æthiopum nova versio, cum notis necessariis.

ACCEDUNT DISSERTATIONES QUATUOR.

I. De Liturgiarum Orientalium origine & autoritate.
II. De Liturgiis Alexandrinis.
III. De Lingua Coptica.
IV. De Patriarcha Alexandrino, cum Officio ordinationis ejusdem.

Operâ & studio EUSEBII RENAUDOTII *Parisini.*

1646–1720.

TOMUS PRIMUS.



PARISIIS,
Apud JOANNEM BAPTISTAM COIGNARD, Regis Architypographum, viâ San-Jacobæâ, ad insigne Bibliorum aureorum.

MDCCXVI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google



Digitized by Google

LITURGIARUM ORIENTALIUM COLLECTIO,

IN QUA CONTINENTUR

LITURGIÆ COPTITARUM TRES, BASILII, GREGORII Theologi, & Cyrilli Alexandrini, Latinè converſæ ſecundùm exemplar Copticum; quæ priùs ex Arabica earumdem verſione Latinè tranſlatæ fuerant à Victorio Scialach Maronita, & Auguſtæ-Vindelicorum editæ anno MDCIV.

Adjunctæ ſunt Rubricæ rituales ex variis codicibus MSS. collectæ, & ſuis locis appoſitæ.

Earumdem Liturgiarum contextus Græcus ex Codice Græco-Arabico Bibliothecæ Regiæ: priorum duarum nunquam antea editus: tertiæ pridem editus ſub titulo Liturgiæ ſancti Marci, cum verſione Latina & notis neceſſariis.

Commentarius in Liturgiam Copticam ſancti Baſilii, in quo ritus, & omnia ad diſciplinam Euchariſticam pertinentia explicantur, præcipuè ex Autoribus Orientalibus.

Notæ breviores in reliquas Liturgias.

PRÆMITTUNTUR DISSERTATIONES TRES.

I. De Liturgiarum Orientalium origine & autoritate.
II. De Liturgiis Alexandrinis.
III. De Lingua Coptica.

TOMUS PRIMUS.



PARISIIS,
Apud JOANNEM BAPTISTAM COIGNARD, Regis Architypographum, viâ San-Jacobæâ, ad inſigne Bibliorum aurcorum.

MDCCXV.
CUM PRIVILEGIO SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS.

Digitized by Google



PRÆFATIO.

QUæ rem Liturgicam generatim ſpectant, atque adeo non Orientali modo Eccleſiæ, ſed Occidentali etiam communia ſunt, cum viri doctiſſimi fuſe expoſuerint, in hoc opere tractare non aggrediemur, verum ea ſola quæ ad Orientales proprie pertinent, quod ut plurimum, intacta ſint, ſumme tamen neceſſaria ad intelligendam veteris Eccleſiæ cum nova, Occidentaliſque cum Orientali, non interruptam ab Apoſtolicis temporibus in fide, diſciplinaque Euchariſtiæ celebrandæ concordiam. Itaque ad ea intelligenda, quæ Orientalem ſacrificii Evangelici formam conſtituunt, priùs ea didiciſſe neceſſe eſt, quæ totam illius œconomiam continent, quæ ſunt & fuerunt ſemper, omnibus Eccleſiis communia. Operis conſilium.

Eggregiam ſane in ea ſacræ doctrinæ parte explicanda contulit operam, vir non tam dignitate, quam doctrina, morumque ſanctitate conſpicuus Cardinalis Joannes Bona, editis duobus Rerum Liturgicarum libris, eruditis & laborioſis, in quibus omnia prope quæ hoc in genere optima ſunt, accurate collegit, adeo ut illius diligentiam vix quidquam effugerit. Qui antea, ut Jacobus Pamelius, idem argumentum tractaverant, etſi multa collegere, quæ maximam antiquitatibus Liturgicis lucem afferunt, longe tamen abfuerunt à certa illa veri cognitione, ſine qua fruſtra in illis explicandis laboratur: maxime verò quia plerique Græcæ Eccleſiæ diſciplinam, pro cognita habuerunt, Quinam res Liturgicas explicaverint.

405678

Digitized by Google

cum ipsis incognita planè foret, Syrorum, Ægyptiorum, aliorumque Orientalium non multo minùs. Pamelius enim Græcè parum sciebat: Genebrardus etsi linguarum Orientalium, Hebraicæ in primis peritus, Officia sacra Orientalium nulla viderat: reliqui ne nominari quidem merentur.

Multos retardavit Critices defectus.

Magno etiam, ne quid alicujus utilitatis hac in tractatione præstarent, illis impedimento fuit, Critices accuratioris defectus: cum illi duo, dum Liturgiam Apostolicam designare satagunt, falsis veterum Pontificiarum Epistolarum, Dionysii, Clementis, aliorumque similium autorum testimoniis, omnia sua scripta oneraverint: certiora aut ignoraverint, aut neglexerint. Sed neque is qui primus Græcis ritibus explicandis laudabilem præ reliquis impendit operam, Jacobus Goarius ex Dominicana familia, eo errore caruit: qui quidem si cum Græcis negotium sit, innoxius est, nam scriptorum illorum autoritas apud eos viget. Verùm adversus Protestantes, non inutiliter modo, sed etiam periculosè talibus subsidiis pugnatum est: ea enim argumenta facile refellebant, cum veteres Liturgias, quasi non aliunde stabiliri posset illarum dignitas & autoritas, inter suppositicia scripta rejici deberet contenderent.

Ut etiam disciplinæ veteris ignoratio.

Accessit etiam, quod cum plerique veterem disciplinam non ex communi sæculorum omnium traditione, & continuatis Ecclesiarum exemplis, metiri vellent, sed ex sui temporis moribus & institutis, temere nimium quidquid à Latinæ Ecclesiæ consuetudine vel minimum recedebat, damnare non veriti sint, qua ratione factum, ut traditionis perpetua successio abrupta videretur, neque ullum adversùs communes hostes

Digitized by Google

ſupereſſet in æterna illius autoritate præſidium. Hinc natæ ſunt tot adversùs Græcos accuſationes, dum vix quidquam in illorum ſacris cæremoniis à cenſura inofficioſiſſima intactum reliquerunt, etiam illi qui concordiæ conciliandæ causâ in Orientem mittebantur: quibus exacerbati animi, in odium inexpiabile, quod luctuoſo tandem ſchiſmati occaſionem dedit, eruperunt.

Nimia facilitas in damnanda Orientali diſciplina.

Prodierunt deinde ex eorumdem hominum qui veterem diſciplinam ignorabant, judiciis, ratæ quædam ſententiæ, ſecundùm quas Officia Sacramentalia omnia, quæ Orientales Chriſtiani à majoribus tradita conſervabant, damnata impietatis, reformata, aut abolita ſunt: quæ cenſura, non Orientales ſolum Eccleſias quæ ſuperſunt, ſed antiquas communis traditionis teſtes, ſimul involvit.

Difficilis & invidioſa fuit rerum Liturgicarum tractatio.

Difficilis ſane erat accurata rerum Liturgicarum tractatio, cum à reſtitutis in Europa humanioribus literis, haud mediocre tempus effluxerit, antequam linguæ Græcæ cognitio, & reliqua ex vetuſtis monumentis Eccleſiaſticis ſubſidia, ad illuſtrandam Theologiam adhiberentur. Græcas & Hebraicas literas multi contemnebant, & ſi qui eas impenſius colerent, à novitatis ſuſpicione non erant immunes: unde Reuchlinus & Eraſmus perpetuâ apud ejuſmodi homines invidiâ flagraverunt, neque Romanorum ipſorum Pontificum ampliſſima teſtimonia, præſertim erga Eraſmum jam ſenem & Proteſtantium conviciis laceratum, à calumnia eum vindicare potuerunt. Is porrò cum Chryſoſtomi Liturgiam, qualis extabat in Codice qui illi ad manus fuit, Latinè eſſet interpretatus, optime de Chriſtiana Republica meruerat, cum ſola tunc extaret

Ambroſii Pelargi verſio, inconcinna prorſus & barbara. Tanta erat nihilominus ea ætate rerum Eccleſiaſticarum, maxime Liturgicarum obſcuritas, ut pauciſſimi inde profecerint. Imò cum ex aliquot diſputationibus quæ Florentiæ cum Græcis habitæ fuerant, & ex Beſſarionis opuſculo, non modo lux nulla Græcis Ritibus affulſiſſet, ſed inductæ majores tenebræ: quod ad Orthodoxæ fidei de Euchariſtia confirmationem erat opportuniſſimum, non inutile modo, ſed pernicioſum judicatum eſt. Solus quantùm adipiſci legendo potuimus, plus vidit reliquis Georgius Caſſander, qui in brevi, ſed erudito ſcripto, quod Liturgica appellavit, ea ſolidioris doctrinæ ſemina inſperſit, ex quibus fructus longe maximi colligi potuiſſent, ſi imitatores habuiſſet.

Liturgiæ quando primum editæ.

Nihil tunc quod ad res Liturgicas ſpectaret editum fuerat, niſi Græcorum Eccleſiaſtici libri complures, Venetiis plerumque, ut uſui forent in quotidianis Officiis, quique omnes ferme in Græciam aſportabantur, vixque noſtris Theologis noti erant, cum inter eos pauciſſimi Græcè ſcirent, & quidem mediocriter, adeo ut ſtyli illius ſacris ritibus proprii, ſententiam non facilè aſſequerentur: multo minùs rubricarum & ſcriptorum qui cæremonias expoſuerant. Orientalium Liturgiarum nulla, præter Æthiopicam generalem, & duas alias edita fuerat, cum verſione ſatis inconcinna, & aliquot locis interpolata, ex qua de ritibus Æthiopum vix poterat pronunciari. Poſt annos aliquot Typis Regiis Lutetiæ editæ ſunt Græcè & Latinè, Liturgiæ S. Jacobi, S. Baſilii, S. Joannis Chryſoſtomi, cum Miſſa Præſanctificatorum, anno MDLX. qua editione nihil elegantius. Acceſſerunt opuſcula ſanctorum Pa-

Digitized by Google

trum, aut recentiorum Græcorum varia, quæ ad fidem Euchariſtiæ confirmandam, & illuſtrandam, magnam autoritatem habebant. Verùm etſi non contemnendam operam in Præfationibus & notis impendiſſet Claudius Sanctesius inſignis illa ætate Theologus, ritibus nullam aut exiguam lucem attulit: quæſtiones illas quarum origo ex quorumdam hominum adverſus Græcos criminationibus, non aliunde quærenda eſt, tractare Sanctesius, & qui eum ſecuti ſunt videntur formidaſſe. Cabaſilæ & Marci Epheſii ſcripta ediderunt, circa agitatam in Concilio Florentino de verborum Chriſti ad conſecrationem poteſtate quæſtionem: ſed eam ipſi attingere veriti, Beſſarionis opus de Euchariſtia conjunxerunt, quaſi antidotum adverſus Græcorum hæreſin, neque ultra progreſſi ſunt. Qui Pariſienſem editionem eodem anno Antuerpiæ minori forma, & Latinè tantùm renovaverunt, nihil addiderunt novi.

Editioni Pariſienſi operam contulerat Joannes à S. Andrea inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus: is poſt annos viginti tres, Liturgiam Marci Græcam edidit, ex apographo Guillelmi Sirleti Cardinalis doctiſſimi: nihil quoque præter Latinam verſionem adjunxit: notas nullas quæ aut ritus, aut doctrinam explicarent, ſed excerpta tantummodo ex Clementinarum Conſtitutionum libro 8. Joannes à Sancto Andrea Liturgias aliquot edidit.

Idem anno MDXCV. aliam Liturgiam edidit hoc titulo. *Miſſa Apoſtolica ſeu divinum ſacrificium S. Apoſtoli Petri*, nec indicavit unde illam habuiſſet: ſubjunxit aliquot Willelmi Lindani notas, non jejunas modo & eruditionis vacuas, ſed prorſus inutiles. Quid enim referebat Miſſam talem, cum noſtra conciliandi labo-

Digitized by Google

rem perdere, cum alteram istam opus esse privati alicujus esse constaret, qui ex Græca & Latina illam arbitrio suo composuerat.

Masius edidit Liturgiam Basilii Syriacam.

Eodem prope tempore Andreas Masius vir Syriacè doctissimus ediderat cujusdam Liturgiæ Syriacæ Basilio adscriptæ Latinam versionem, cui præfationem addidit, in qua de illa sua, & Græca ejusdem nominis conjecturas inseruit; quæ multis fraudi fuerunt, ut alibi explicavimus, neque enim de Syriacis Liturgiis judicare recte poterat, qui unicam illam viderat.

Syriacæ Liturgiæ, &c.

Tandem sub finem sæculi decimi sexti editæ sunt Liturgiæ Syriacæ, titulo Missalis Chaldaici, Romæ ad usum Maronitarum, sed valde interpolatæ, neque Latinè conversæ: ut Armenorum vulgaris, sed cum versione. Paulo post Conimbricæ Latinè prodiit Missa Christianorum apud Indos, sed reformata multis in locis, autoritate Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi, quæ est communis Nestorianorum Liturgia: tandem Augustæ-Vindelicorum versio trium Copticarum.

Plures Liturgiæ translatæ in Bibl. Patrum.

Omnes illæ de quibus huc usque dictum est, Armenicâ exceptâ, in Bibliothecam Patrum translatæ sunt. Verùm in illa collectione ita versatus est Margarinus Bigneus, ut in Græcis Jacobi, Basilii, Chrysostomi & Marci, edita jam exemplaria typis describi curaverit: absque ulla cum Græcis codicibus comparatione, notis nullis, nulla multorum errorum quæ in textum vel in versiones irrepserant, emendatione. Nec aliter in eo opere versatus est, quam fecisset diligens typographus, nisi quod de suo pluribus locis lectores admonuit, ut caute legerent, ea ipsa verba quæ sanctissimi Ecclesiæ Doctores ad altaria pronunciaverant, nullo florentissimarum Ecclesiarum scandalo.

Qui

Digitized by Google

Qui circa Liturgias illas Criticen exercuerunt ſuam duplicis ordinis fuerunt. Nam Catholici complures, quaſi periret illarum autoritas, ſi Apoſtolicis, aut aliis viris ſanctitate conſpicuis abjudicarentur, titulos qualeſcumque forent, vindicandos ſuſceperunt: & tamen in ipſis Liturgiis ſuſpecta habuerunt non pauca, quaſi à recentioribus inducta eſſent: aut ita ſunt interpretati, ut vix ipſi ſibi, tanta eſt inter eos diverſitas, ſatisfacerent, multò minùs Eccleſiæ Catholicæ adverſariis, quorum maxime intererat, ut ſuppoſititiæ & falſæ haberentur: cum illos nimium premat illarum autoritas. Ita omnes Græcas, editores primi, Baronius, Bellarminus & plures alii defendere aggreſſi ſunt, prorſus infeliciter, plerumque ex Pſeudepigraphis, aut conjecturis incertiſſimis. Inde accidit ut inter ipſos Catholicos, viri non ineruditi, Liturgias illas omnes, aut ſuppoſitas eſſe, aut valde interpolatas, aut ab hæreticis corruptas, aut tandem multis ſæculis recentiores eſſe, quàm vulgo creditum fuerat, Proteſtantibus conceſſerint. Reliquas multo magis aſpernati ſunt: turpiſſimum exiſtimantes, agnoſcere Baſilii, ut exemplo utamur, Liturgiam Copticam, qui Græcam, ut noviter compoſitam rejicerent. Imo cum nonnullis diverſitas Liturgiarum Baſilii, Græcæ, Copticæ & Syriacæ argumentum certiſſimum videretur, quo nullam illarum à Baſilio ſcriptam eſſe conſtaret, omnes prope terrimam de illis ſententiam tulerunt, ut inutiles plane ad confirmandam ex Orientalium Eccleſiarum concordia Catholicam fidem efficerentur.

De illis variæ Criticorum ſententiæ.

In tot vero Græcarum Liturgiarum editionibus, ut etiam verſionum illarum quæ Orientalibus propriæ erant, nihil omnino annorum plusquam centum de-

In ritibus explicandis vix quidquam olim præſtitum.

Digitized by Google

curſu, à quoquam præſtitum fuit, quo ritus ſacri exponerentur. Nam quæ Claudius Sanctesius collegerat ex Chryſoſtomo, partes quaſdam illuſtrabant, ſed eas ſolas quæ toti Eccleſiæ communes, non magis ad Orientales quam ad Occidentales pertinebant. Rituum & totius diſciplinæ Euchariſticæ talis erat obſcuritas, ut verba ipſa non intelligerentur, quod ex primis verſionibus manifeſtum eſt. Neque magno adjumento fuit, Gloſſarium Meurſii Græco-Barbarum ad explicanda vocabula uſus Eccleſiaſtici.

Primus eos feliciter explicavit Goarius.

Tandem prodiit anno 1647. opus inſigne Jacobi Goarii ex Ordine Dominicano viri doctiſſimi, quo Græcorum Euchologium illuſtravit, & Latinè verſum eggregio commentario explicavit, in quo Baſilii, Chryſoſtomique Liturgias, omniaque ad ritus Euchariſticos ſpectantia, quæ obſcuriſſima erant, in magna luce collocavit, nihil adeo ut hoc in genere ætas noſtra viderit præſtantius. Nam vulgares quæ in manibus Græcorum erant, tum veteres editiones, multoſque antiquiſſimos codices inter ſe comparavit, quibus textus emacularetur: cumque non modo in antiquitate Eccleſiaſtica verſatiſſimus foret, ſed hodiernæ etiam diſciplinæ, cum in Græcia Miſſionibus operam dediſſet, notitiam haberet non mediocrem, omnes qui aliquid hac in parte tentaverant longo intervallo ſuperavit. Ante annos quatuor Iſaacus Habertus Pontificale Græcorum ediderat plenum eruditionis reconditæ, liberæque à ſpinoſæ Theologiæ ſalebris, inter quas vix agnoſci poteſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ traditio: atque illo in opere multa Liturgiis illuſtrandis utilia inſperſerat. Sed ulterius progreſſa eſt Goarii diligentia, adeo ut tot annorum decurſu, nemo quidquam illius labori-

Digitized by Google

bus addiderit: omnes ex illis se profeciſſe agnoverint.

Atque hæc circa Liturgias Græcas præſtita ſunt à viris eruditis, præter quæ nihil prope in literas miſſum eſt, quod novarum rerum delectu, judiciove poſſit commendari. Nam Proteſtantes omnes Rivetum ſecuti ſunt, infelicem ſi quis unquam fuit veterum ſcriptorum Criticum: & quod mirari ſatis nemo poſſit, multis Catholicis ejus cenſura non diſplicuit. Allatius de Jacobi Liturgia commentarium publicavit, quem probare nemo, niſi Rerum Liturgicarum imperitiſſimus queat, amplamque præbet Proteſtantibus illam & reliquas impugnandi materiam. Reliqui ubi de Græcis Liturgiis locuti ſunt, aut aliena potius judicia quam ſua perſcripſerunt, aut conjecturis indulſerunt, quarum nulla certis fundamentis nititur, pleræque ne veriſimilitudine quidem ſuſtentantur; ut illa de Liturgia Chryſoſtomi, quod is non ſit illius autor, ſed Joannes alter ducentis annis poſterior.

Plerique alii non eodem ſucceſſu de illis ſcripſerunt.

Orientalium porro Liturgiarum, longe major neglectus fuit: compactæ ſunt enim, ut diximus cum aliis in Bibliotheca Patrum, vix lectæ à Theologis, aut adductæ in teſtimonium ad fidem Euchariſtiæ adverſus Proteſtantes vindicandam; nævos multiplices quibus verſiones obſcurabantur, nemo animadvertit, & in ultima tandem ampliſſima Lugdunenſi editione, quales ab initio prodierant, recuſæ ſunt. Neque ſane manum ſalutarem illis admovere facilè erat: cum & rara forent exemplaria ad quas recenſeri illas oportebat, obſtaretque peregrinarum linguarum difficultas, eò gravior, quod ſtylus Eccleſiaſticus vocibus & verbis multiplicibus abundat, quæ fruſtra in Lexicis quære-

Circa Liturgias Orientales nihil ſcriptum.

Digitized by Google

rentur, exiguumque foret in advenis Orientalibus ſubſidium.

Proteſtantes pauci de illis ſcripſerunt.

Cum tamen adverſus Catholicam de Euchariſtia fidem declamare Claudius Carentonienſis cœpit, inquiſitum eſt diligentius in Orientales Liturgias, de quibus, ex quo editæ fuerant, Theologi noſtri verbum non fecerant: multò minùs Proteſtantes, qui quam parum opinionibus ſuis faverent, ex ſolis verſionibus ſatis perſpiciebant. Duo tamen ex illorum numero inſignes in literis viri, Joſephus Scaliger & Claudius Salmaſius, illarum cum laude meminerant, & antiquitatem commendaverant. Primus Codicem ſuum quo tres Ægyptiacæ continebantur, ad Marcum Velſerum miſerat, is Romam ad Victorium Scialach Maronitam, qui eas Latinè vertit. Eam verſionem emendaverat locis in multis Scaliger, ſed ita ut minutiora tantùm peccata obſervaverit: quæ majoris momenti erant prætermiſerit, veteri ſtylo Eccleſiaſtico Græco ſe illas interpretaturum pollicitus, quod nunquam præſtitit. Neque ille interpretandi labor, viro doctiſſimo tam facilis, quam exiſtimabat fuiſſet: ſubactum enim in vetuſtis Eccleſiaſticis officiis eſſe oportebat illum, qui id in ſe ſuſciperet, quorum levem omnino notitiam, etiam doctiſſimi Proteſtantes habere deprehenduntur. Inutilis quoque labor ille futurus fuiſſet, cum extarent Græcè illæ Liturgiæ, quales à nobis tandem repertæ ſunt in Codice Regio. Quòd ſi rerum Eccleſiaſticarum, æque ac humaniorum literarum peritus fuiſſet Scaliger, agnoviſſet, eam quæ Marci nomine edita fuerat Liturgiam, annis uno & viginti, antequam ad Marcum Velſerum ſcriberet, ex tribus, quas Codex ſuus continebat, unam eſſe.

Digitized by Google

Judicium Salmasii.

Multis deinde annis elapsis Claudius Salmasius cum in exemplar aliud earumdem incidisset, mirifico commentario ex eadem, Catholicam de Transubsta tiatione doctrinam impugnare aggressus est, qua de re dicetur in notis ad illam Liturgiam. Versione quoque mendosissima sua, quæ textui Coptico & Arabico æque contraria erat, abusus est in Tractatu de Transubstantiatione. Albertinus locum unum citavit ex Æthiopica Liturgia, quo insulsissime triumphat, quasi totius Christiani orbis consensus, cum Calviniistis eo demonstraretur.

In eas amplius inquisitum occasione quæstionis de Perpetuo consensu.

Cum igitur Claudius illum Christianorum Orientalium consensum cum Ecclesia Catholica circa fidem Transubstantiationis, & realis præsentiæ confidentissime negasset, nec alia quam ex sordidis autoribus argumenta protulisset; de Liturgiis siluisset, in illis quærendam Orientalium sententiam de Eucharistia, visum est potius, quam ex incertis atque secum sæpe pugnantibus, viatorum, aut scriptorum aliud agentium testimoniis.

Quam temere Claudius de illis pronunciaverit.

Prodierat tunc primum volumen, quo brevis Tractatus de Perpetuo fidei consensu circa Eucharistiam vindicabatur adversùs Claudium, qui primo operi, quod tribus majoribus voluminibus, & Responso generali occasionem dedit, opposuerat Refutationem priorem suam. Habebat ille colorem quemdam scribendi proprium, simplicem ut videbatur, & inaffectatum, quo tantum effecit, ut non modò insignis apud suos Theologi laudem tulerit, sed sordere statim cœperint laboriosa Albertini & aliorum ejus symmystarum volumina, imo & multis Catholicis fucum fecerit. Vix enim existimare quisquam potuisset hominem

Digitized by Google

qui de Orientalium fide aſſeveranter affirmabat, ignoratam illis huc uſque fuiſſe realis præſentiæ, multo magis Tranſubſtantiationis doctrinam : Euchariſtiæ adorationem, omniaque fidei quàm tenemus conſectanea : qui miſerebatur adverſariorum ignorantiæ, temeritatemque eorum & malam fidem modeſte deplorabat, ne primam quidem illarum Eccleſiarum, de quibus loquebatur, notitiam habuiſſe. At id certo agnoſci poterat, ex ſola quàm dabat ſectarum enumeratione, in qua plures ex una faciebat, nominabat alias, quæ dudum perierunt, imperitiam denique ſummam ſuam illis in rebus perſpicue demonſtrabat.

Multos tamen fefellit.

Verùm ea tunc fuit Theologiæ ratio, ut pauci admodum, hominis proterviam agnoſcere, multò minùs confutare poſſent. Quæ vernacule ſcripta ſunt, leguntur ab omnibus, & quamvis judicare de illis operibus ad religionem ſpectantibus non omnes facile queant, vix tamen ullus quin de illis recte judicare poſſit, dubitat. Inde factum, ut omnes prope qui in Calviniſtica ſecta vivebant, Claudio non minùs crediderint de Coptitis, Syris, Æthiopibus, Armenis falſiſſima quæque affirmanti, quàm de aliis omnibus, quo in genere quanto quiſque imperitior, aut illiteratior erat, tanto fuit ad omnia approbanda facilior. Imo quòd ſæpe nimium experti ſumus, non defuere inter Catholicos, qui fruſtra laborari in concilianda Orientalium doctrina, cum noſtra, temere exiſtimarent : reliquos movebat non mediocriter adverſarii confidentia.

Ex multorum codicum collatione examen Liturgiarum inſtitutum eſt.

Ea demum occaſione cœpi ante multos annos Liturgiis cognoſcendis incumbere, cumque cura viri ampliſſimi Joannis Baptiſtæ Colberti magnus Codicum Orientalium numerus in Bibliothecam Regiam dela-

Digitized by Google

tus esset, multos quoque ipse in suam ex Oriente contulisset, tunc de Orientalium fide & disciplina, cognoscenda sperari cœptum est. Neque sane spes fefellit, cum ex sequentibus voluminibus, quæ ad hanc de Perpetuitate fidei controversiam agitandam scripta sunt à nostris Theologis, illa de Orientalium consensu quæstio tam perspicue explicata sit, non modò ex illorum qui præcipuis Ecclesiis præsidebant, Episcopis & Sacerdotibus cujuscumque sectæ, sed etiam ex Liturgiis, aliisque publicæ autoritatis libris, ut confutatus Claudius nihil quòd reponeret, habuerit.

Orientalium præsertim editarum & manuscriptarum.

Cum librorum jam copia satis ampla suppeteret, quæcumque ad Liturgias spectabant accuratiùs inspicere necesse fuit, quia cum gravissimam merito judicemus esse illarum autoritatem, nihil speciosius opponere Protestantes poterant, quam illorum hominum judicia, qui de illis minùs commode senserant, quæ à multis eruditis inter Catholicos viris, non modò rejecta non forent, sed approbata sæpius & novis rationibus confirmata. Sed statim atque Liturgias attentius expendere cœpimus, observavimus eos qui illas non nisi in versionibus legerant, de illis nullatenus debuisse judicare. De Græcis non loquimur, sed de Ægyptiacis, quarum summa antiquitas est, ususque à mille & centum annis in Ecclesia Alexandrina perpetuus. Æthiopicam quoque ex illis expressam expendere necesse fuit: tum alias Syriacas, quæ ab Orthodoxis sive Melchitis, Nestorianis & Jacobitis usurparentur. Romæ editas in Missali Chaldaico, ex prima inspectione, reformatas multis in locis esse constabat: Malabaricam multo magis. Cum porrò Nestorianæ Missæ Codices & Jacobitarum complures inspexisse-

Digitized by Google

mus, tum demum intelligere licuit, quàm gravi testimonio tot Ecclesiarum à multis sæculis separatarum privata huc usque fuisset Ecclesia Catholica, quæ in diversis illis Officiis omnium gentium linguis, unam veterem frustraque à Reformatoribus novitatis accusatam Eucharistiæ fidem perspicue loqueretur.

Earum nova interpretatio necessaria.

Exinde consilium cœpimus Liturgias Orientales, quæcumque haberi poterant interpretandi, quo in labore difficultates maximas superare necesse fuit. In Syriacis minus molestiæ devorandum videbatur: non mediocris tamen illa fuit, cum plures longè quàm in Missali Chaldaico editæ fuerant, Liturgiæ reperirentur in Manuscriptis Codicibus: neque editis convenirent nomina quæ in aliis occurrebant, quibus accedebat constans & perpetua interpolationis nota. In quærenda vocum multarum usus Ecclesiastici significatione, nihil ex amplissimis lexicis etiam ineditis, subsidii erat, ut neque in advenis Orientalibus, quos studiosè, sed sine fructu consulebamus. Rubricæ in Codicibus raræ, aut nullæ; virorum qui has literas Orientales excoluerunt etiam indigenarum, ut Abrahami Echellensis & Fausti Naironi, observationes incertæ aut falsæ. Verùm tamen hæc omnia superata cum arbitraremur, ad novas versiones adjecimus animum.

Præsertim Copticarum.

Erat adhuc magis laborandum in Copticis Liturgiis, quarum dignitas & antiquitas, etiam ab ipsis eruditis Protestantibus commendata fuerat. Nam Victorius Scialach Maronita, quo interprete illas Marcus Velserus Latinè publicaverat, nulla Coptici textus habita ratione, solam versionem Arabicam expresserat, sæpe parum fæliciter. Novam ex Coptico exemplari qui promiserat Athanasius Kircherus, nunquam dedit.

Itaque

Digitized by Google

Itaque de nova alia cogitandum fuit, præsertim quod voces Ecclesiastici usus, quæ in Scala Ægyptiaca explicatæ sunt, cum multis aliis ejusdem linguæ, nullius ad ritus intelligendos utilitatis esse possent. Ut enim ab ætate majoribus audivimus, sæpius Abrahamus Echellensis, qui interpretando adhibitus fuerat, unicum, eumque satis mendosum codicem secutus cùm esset, Arabicis solis intentus, sententiam pervertit, male legit & pejus interpretatus est.

Cur propriis linguis edere illas non potuimus.

Itaque cum novam versionem aggressus fuissem, eamque commentario explicassem, viris eruditissimis, atque inter cæteros præcipuo, nec satis unquam laudato Jacobo Benigno Bossueto Episcopo Meldensi, visum est, illarum Ægyptiacarum & reliquarum editionem procurari: quod etiam Illustrissimi Joannis Baptistæ Colberti judicium fuit. Is autem suâ quamque linguâ edi volebat, duobusque circiter antequàm letaliter decumberet mensibus, typos Syriacos, Arabicos & alios parari jusserat: sed summi illius viri interitu, quo Musæ omnes collacrumarunt, concidit operis perficiendi spes, & consilium editionis Liturgiarum Orientalium, suis linguis, abjiciendum fuit. Quia tamen viris doctissimis, maximè verò Illustrissimo Meldensi Episcopo qui varias observationes & ipsas Liturgias viderat, judicatum est, illas absque textibus, ut vulgo dicunt, Originalibus debere publicari, tandem ne periret labor Ecclesiæ, ut sperabant, futurus utilis, judicium illorum secuti, editioni incubuimus.

Accuratæ versionis difficultas.

Rari sunt, ut satis notum est, qui literis Orientalibus operam dederint, & quamvis multos illarum peritissimos homines avorum, aut nostra ætas tulerit, plerique tamen Ecclesiasticos libros Arabicè scriptos neglexe-

Digitized by Google

runt: unde præter opuscula pauca Abrahami Echellensis & Fausti Naironi, in quibus multa desiderantur, nihil extat unde fides & disciplina Orientalium cognosci queat: Syriaci libri rariores sunt, pauciſque visi. Ægyptiaca lingua, sive ut vulgo vocatur Coptica, ab eruditis aliquot commendata est, tanquam ad vetera Ægypti monumenta, characteresque saxis & obeliscis insculptos plurimum lucis afferre posset, cum illa tantùm utilitas ex ea capiatur, quòd antiquas voces nonnullas à Scriptoribus Græcis conservatas, ad veram suam originem referat. Lexica hujus linguæ, & imperfectissima sunt, & ex Ecclesiasticis libris contexta: ipsa lingua per se difficilis, cultores huc usque pauciſſimos habuit. Itaque textuum Copticorum editio, quamvis optanda fuisset, ut veneranda illa Ecclesiarum monumenta essent in omnium manibus, & acui inde posset eruditorum diligentia, tamen ad paucos spectabat: sincera verò Liturgiarum versio, Orientalis disciplinæ ex ipsis autoribus indigenis expositio, & alia quæ hoc in opere necessaria sunt, ad omnes pertinent. De interpretatione judicare pauci admodum possunt: reliquos existimare oportet, interpretem officio suo functum fuisse, donec hallucinationis, aut malæ fidei reus demonstretur: nec facilè suspicari, eò quemquam stultitiæ deveniſſe, ut fraudem in longo opere lectoribus facere interpretando possit, quæ ipse non intelligat. Hallucinari, etiam eruditissimi possunt, ut sane hallucinatus est multis in locis Maronita Ægyptiacarum Liturgiarum interpres, sed ea ratio fuit, quòd Arabicis, quæ præ oculis habebat, solis incumbens, Ægyptiacam antiquissimam lectionem non consuluerit: multò minùs Græcas Liturgias, quæ obscuris

vocibus, aut ſententiis lucem afferunt, eamque non dubiam.

In iſta, adhibita eſt cura, ut ſincera foret.

Quamvis igitur non ea ſit noſtra temeritas, ut in Arabica aut Syriaca, aliiſve linguis doctiſſimos noſtræ ſuperioriſque ætatis viros ſuperaſſe, exiſtimemus, id unum vere affirmare poſſumus, plus nos laboris & diligentiæ adhibuiſſe, eo ſucceſſu, ut neque de vera interpretatione dubium alicujus momenti reliquum ſit, neque bonam noſtram fidem vocari in ſuſpicionem vereamur. Codices conſuluimus plures & meliores, quam quiſquam alius: Coptico exemplari adhæſimus: & in locis aliquot obſcuris, juvit nos maxime Codex Græco-Arabicus, tum variæ lectiones Arabicæ verſionis duplicis, illius ſcilicet quæ Græco textui adjuncta erat, & alterius quæ Coptico.

Criticas ad textum notas characterum Orientalium defectus omittere coegit.

Poteramus ſi characteres Coptici, Arabici, aut Syriaci non defuiſſent ſatis utilibus notis verſiones illuſtrare, quæ quidem ad textus criticam ſpectaviſſent, ut fecere prope omnes qui linguarum Orientalium aliquam facultatem habuerunt: ſed hæc omittere typorum defectu, neceſſe fuit. Multa tamen non ad eruditionis frivolam oſtentationem, ſed ad ipſarum Liturgiarum ſententias accuratius perſpiciendas, hoc in genere præſtari poſſunt, ad cognoſcendam penitius ſtili Eccleſiaſtici, tam Græci recentioris, quam Coptici & Arabici naturam, & conſuetudinem, ex cujus ignoratione viri doctiſſimi in graviſſimos ſæpe errores lapſi ſunt, & alios fefellerunt. Illius quippe ſtili ea ratio eſt, ut fruſtra alibi quam in Chriſtianorum libris quæratur, quos ampliſſimorum Lexicorum autores vix noviſſe manifeſtum eſt, adeo ut plerumque vocabula, ut etiam πχικὰ omnia, non aliunde intelligi

Digitized by Google

quam ex multiplici lectione ſoleant. At quantas ſæpe unius vocis ignoratio, errandi cauſas dederit, dici non poteſt: exempla aliquot afferemus.

Viri doctiſſimi ſtilum Eccleſiaſticum ignoravere. Pocockius. *Tom. 6.*

Eduardus Pocockius vir Arabicè in primis doctus, in Præfatione ad varias lectiones verſionis Arabicæ ſacræ Scripturæ, quæ in Londinenſibus Polyglottis edita eſt, locum adduxit ex Abulfaragii Hiſtoria Dynaſtiarum, quam poſtea Arabicè & Latinè edidit. Cum is duplicem apud Syros extare verſionem ſcripſiſſet, ſimplicem unam, factam tempore Hirami Tyrii, alteram ex Græcis exemplaribus: Pocockius vocem obviam, quæ *Tyrium* ſignificat ad aliam periodi partem retulit; & ad originem illius attendens, *figuratam*, vertit, atque ita appellavit verſionem Syriacam ex Græco factam, de qua diſtinctione nec Abulfaragio, nec aliis autoribus in mentem venerat. Ex illa tamen diſtinctione Waltonus, & alii innumeri duas illas verſiones ſimplicem & figuratam excogitavere, quarum nulla apud Syros notitia eſt.

Idem cum Abulfaragii hiſtoriam edidit, & de autore in Præfatione diſſereret, conjecturas de eo varias ex diverſis autoribus propoſuit, ex quibus tamen ſciri quidquam aliud vix poteſt, niſi quòd Malatiâ ſive Melitena oriundus fuiſſet, medicinam cum laude exercuiſſet, libriſque editis illuſtraſſet. In una voce hæſit, quam ita vertit, ut honoris cauſa tributa Abulfaragio fuiſſe videretur, nempe quòd fuiſſet *lumen Orientis*, in qua ſane nec interpres, nec lector quidpiam aliud intelligat, quàm laudis plenum titulum. At ſignificabat illa dignitatem Catholici, ſeu ut alii dicunt Papæ Orientis, nempe illius qui in Eccleſia Syra Jacobitica ſecundum ſub Patriarcha Antiocheno locum tenebat,

Digitized by Google

ut Abulfaragius. Illo titulo ſemel conſtituto apparebat, quam ridicule à quodam contemtiſſimo autore Muhamedano, quem tamen Pocockius citavit, ſcriptum fuiſſet, illum à Chriſtiana Religione ad Muhamedanam impietatem defeciſſe.

In Erpenii verſione Latina hiſtoriæ Saracenicæ, cum multa autor de Chriſtianorum rebus intermiſceat, omnia prope intelligi non poſſunt, ob ſtili Eccleſiaſtici ignorantiam. Quis enim divinare queat hæc verba, *accepit Sartoniam*, aut *abolevit Sartoniam*, ſignificare hunc vel illum Patriarcham Simoniam exercuiſſe vel ſuſtuliſſe? *Matraninum* quemdam Antiochiæ occiſum: cum ea vox duos Metropolitas ſignificet? *Diaconum* loco *Preſbyteri*: *Sacrificum* pro *Sacerdote*, & alia ejuſmodi multa? quibus non leviora ſunt peccata longe plurima in hiſtoria politica, quorum præcipua obſervavimus in ea quam nuper edidimus, Patriarcharum Alexandrinorum. Erpenius in rebus Chriſtianorum ubique malus interpres.

Inter alia eloquentiæ Arabicæ ſpecimina vir Arabicè doctiſſimus Jacobus Golius, Homiliam edidit de Nativitate Chriſti ſcriptam ab Elia, qui in titulo Codicis manuſcripti, Catholicus appellatur. Eum ille Antiochenum Patriarcham fuiſſe dixit, qui error levis foret, niſi traheret ſecum multos alios ſpiſſiores. Nam Eliam iſtum, aliunde Neſtorianum fuiſſe conſtat: inde igitur nonnulli, Antiochenum ex ea hæreſi Patriarcham ſomniaverunt, qui nunquam fuit. At ſi quid vox illa peregrina ſignificabat in ſtilo Eccleſiaſtico Golius intellexiſſet, Neſtorianæ ſectæ ſupremum Antiſtitem agnoviſſet. Eodem errore Kircherus Hananiechua, qui titulo Catholici Patriarchæ ornatur in inſcriptione Syriaca lapidis Sinici, anno MDCXXV. in Provincia Golius.

Xenſi reperti, Alexandriæ aut Antiochiæ quæri juſſit, cum eſſet Neſtorianæ ſectæ Patriarcha.

Errores multiplices Boderiani in verſionibus ex Syriaco.

Magna fuit & jure merito, laus Guidonis Fabricii Boderiani in literis Syriacis, quarum ſtudia mirificè promovit, editis Grammatica & Lexico, tum emendatione & verſione Novi Teſtamenti Syriaci. Is tamen in exiguo libello Rituum Baptiſmalium Severi Antiocheni, quem abſque ulla ratione, aut codicum autoritate Alexandrinum appellavit, toties lapſus eſt, ut verſio ejus nihil ſæpe minùs quàm Syriacam orationem repræſentet, præſertim in illis quæ cæremonialia ſunt. Nam *Pirma* hoſtiam vertit, cum ſit *incenſum*: תליתא ſeu *elevatio vocis*, quæ in modum rubricæ præmittitur, aut inſeritur orationibus, vertit *Trinitas*, & ut ſententiam efficiat, eam vocem vocandi caſu vult intelligi, quo nihil alienius. Ita etiam in Novi Teſtamenti Syriaci editione quam procuravit Joannes Albertus Widmanſtadius; tabulæ lectionum ex Evangeliis, Actis & Epiſtolis adjunctæ ſunt, Latinè converſæ, ex quibus ratio feſtorum cognoſci poteſt. Mirum quomodo interpres quicumque ſit, illas reddiderit. *Oblatio*, pro *Miſſa* ſive Liturgia. *Electio Epiſcopi*, pro Ordinatione: *Surrectio* pro Statione. *Die quinta ſecretorum*, pro Feria V. myſteriorum ſive in Cœna Domini. *Lotio ſecreta*, pro lavatione pedum myſtica, quam Rituales noſtri vocant *Mandatum*, ut alia ſimilia.

Mirum igitur eſſe nemini debet jacuiſſe tamdiu iſtam Eccleſiaſticarum literarum partem, cui, quantùm in nobis fuit juvandæ, tot annos impendimus, cum ſumma difficultas ſtudioſorum conatus retardaret. Habebunt autem in noſtris verſionibus, non intricatas &

Digitized by Google

obſcuras Liturgiarum Copticarum, & aliarum expoſitiones, ſed ſinceras & certas, ſecundùm optimos Codices, quorum multi antiqui ſunt, recentiores aliqui, ſed publica autoritate muniti, quales illi qui recenſiti ſunt ad Ritualem Patriarchæ Gabrielis. Voces omnes præſertim rituales explicantur, ita ut obſcuritas vix ulla, ſive in vocibus, ſive in ritibus lectorem poſſit remorari.

De commentariis & notis.

Commentarios & notas ita digeſſimus, ut quæ alibi tractata ſunt præteriremus, qualia ſunt ea, quæ communes Græcis & Orientalibus Eccleſiis ritus ſpectant, qui erudite & diligenter à viro Clariſſimo Jacobo Goario expoſiti ſunt, ut etiam quæcumque generatim ad Euchariſtiæ celebrandæ Officium pertinent. Verùm dedimus operam, ut quam plurima ad Liturgias Orientales ſpectantia, ex autoribus Orientalibus conquirerentur, ex eorumque autoritate lux cæremoniis & orationibus fieret, quòd à nemine præſtitum videbamus. Ad Coptitarum quidem ſacra Officia explicanda maximo adjumento fuere Codices manuſcripti varii, præſertim unus ex Bibliotheca Regia elegantèr ſcriptus, adjunctis cæremoniis; tum Ritualis liber Gabrielis Patriarchæ, & alii non pauci Theologi, aut Rituum expoſitores.

Quas Liturgias hæc Collectio contineat.

His præſidiis adjuti, cum nihil deeſſe quod ad Liturgias Latinè ſaltem publicandas neceſſarium foret, videretur, operi manum admovimus: quid verò præſtare conati ſumus, aperiemus. Liturgias primùm tres Eccleſiæ Jacobiticæ Alexandrinæ, ſcilicet Baſilii, Gregorii Theologi, & Cyrilli nominibus inſignitas, damus, quia uno volumine quidquid ad illam Eccleſiam ſpectabat Officiorum Euchariſticorum, complecti vi-

Digitized by Google

ſum eſt operæ pretium. Verſionem Victorii Scialach Maronitæ, Auguſtæ Vindelicorum editam emendare ad primitivum exemplar propoſitum noſtrum fuerat. Verùm tot & tanta mutanda occurrebant, ut nova interpretatione opus eſſe ſtatim agnoverimus. Illa verò non ad Arabicum exemplar facta eſt, ut illa Maronitæ, ſed ad Copticum ipſum, multorum codicum comparatione emaculatum, & ad ſinceram lectionem exactum. Arabicam quoque verſionem obſervavimus, ſi quando aliqua occurreret in exemplaribus diverſitas, & eam quæ Græco textui adjungitur in Codice Regio, multis locis non ſine fructu conſuluimus. Varias lectiones, cum characteribus Orientalibus careremus, adjungere non licuit, earum tamen quando alicujus momenti viſæ ſunt, mentionem fecimus.

Liturgiæ Alexandrinæ duæ novæ nunc primum editæ.

Cum verò huc uſque Græcus illarum Liturgiarum Codex omnino ignotus foret, imò ne conjectando quidem, extare illum, aut ſimilem aliquando extitiſſe, exiſtimari cum aliqua veriſimilitudine poſſet, nacti illum ex Bibliotheca Regia, duas quæ in eo ſolæ erant Liturgias damus Græcâ linguâ, nam Arabicam verſionem omittere coëgit typorum Orientalium inopia. Latinam illis verſionem adjunximus ſimplici & Eccleſiaſtico ſtilo. Deerat tertia Liturgia quàm Coptitæ Cyrillo adſcribunt: cumque animadvertiſſemus, exceptis illis quæ præparatoria ſunt, eamdem eſſe quæ olim Lutetiæ nomine D. Marci edita fuerat, illam duabus aliis adjunximus: emendata ubi neceſſe fuit, Latina verſione. Cum porrò Codicem Regium ſatis manifeſtè agnoſcamus, manu alicujus deſcriptum eſſe, qui mediocriter Græcè ſciret, unde non paucis erratis deformatus eſt, quæ emendare plerumque facilè fuit:

nihil

Digitized by Google

nihil tamen in textu mutandum existimavimus, asteriscos apposuisse contenti: sententiamque similibus in locis expressimus secundùm versionem Arabicam.

Copticis Græcisque Liturgiis, notas adjunximus in quibus explicantur ea quæ in commentario ad primam exposita non fuerant, aut quæ singularem aliquam observationem merebantur, & quantum licuit brevitati studuimus. Atque hæc sunt, quæ prima hujus Collectionis parte continebuntur. Notæ.

Quia verò de Liturgiarum vetustate, dignitate & autoritate talia huc usque fuerunt Criticorum judicia, ut neque inter se facilè conciliari possint, neque nisi longa rerum non vulgarium observatione constitui, quæ sequi, quæ repudiare oporteat; idcirco toti operi Dissertationem adjunximus, in qua quid de sacris illis monumentis, maximè verum videretur, exposuimus. Singularem adjecimus de Alexandrinis Liturgiis Dissertationem, in qua multa proponentur plane nova, & tamen ad Eucharisticam disciplinam illustrandam summe utilia, quæ ex Codice Regio solo, primùm cognita sunt, sine quo vix ulla extaret Alexandrinæ Liturgiæ memoria, quòd eam Constantinopolitani Patriarchæ prorsus suppresserint: ex Marci quæ supererat sola, certi nihil, conjecturæ tantum duci possent. De Adoratione Eucharistiæ multa probabilia à nostris hominibus dicta sunt adversus Protestantes, qui ignorari illam ab Orientalibus, tam confidenter affirmaverunt, ut multos in suam sententiam traxerint, eo facilius, quod præceptum de religioso Eucharistiæ cultu nullum in Missalibus libris apparebat. Quantum verò Critici illi hallucinati fuerint, demonstrat accurata cæremoniarum omnium descriptio à Gabriele Patriarcha, Dissertationes præviæ de Liturgiis.

Digitized by Google

quam diverſorum exemplarium, & autorum qui Ritus explicaverunt, teſtimonia confirmant. Multo tamen ſuperior eſt autoritas Græci codicis, qui eam perſpicue præſcribit.

Notæ unde excerptæ.

Commentarium & Notas ex libris Orientalibus collegimus, neque temere ullum citavimus aliena fide, imo quoſdam negleximus, quod eorum autoritas non ſatis certa eſſe videretur. Tales ſunt aliqui quorum teſtimoniis uſus eſt Abrahamus Echellenſis, in Notis ad Hebed Jeſu, Eutychioque vindicato, & alibi: Fauſtus Naironus, & fortaſſe alii. Joannem illi ſuum Maronem citant, præſertim ex Commentario ad Jacobi Syriacam Liturgiam, cujus autoris, & operis præter Maronitas nullus meminit: & quæ ab illis referuntur, reperimus in eo quem compoſuit Dionyſius Barſalibi Jacobita. Conſtitutiones Eccleſiæ Maroniticæ allegant, quas nemo vidit; verùm ſimiles quaſdam quæ ad Eccleſiam Jacobiticam pertinent: autores alios plane ignotos, quique in numeroſiſſimis Bibliothecis non occurrunt. Cum igitur nullis niſi certis autoritatibus, Liturgicam diſciplinam, & fidem Euchariſtiæ ſtabilire conſilium ſit, ſuſpectas omittemus: ſatis enim magna eſt teſtium omni exceptione majorum copia, ut dubiis libenter careamus. Neque tamen accuſamus Echellenſis aut Naironi fidem, ſed amor patriæ, communiſque apud ſuos traditio, fecit ut quos autores, tanquam ſuæ Eccleſiæ proprios laudari ſemper audierant, de illis non amplius inquirerent, ſecuri præterea de noſtrorum hominum judiciis, quorum vix ullus, novum aliquid ad res Liturgicas illuſtrandas, ex libris ineditis produxit.

De lucubrationibus Richardi Simonis.

Unus ſtatim eximendus videbitur Richardus Simon,

qui Gabrielis Philadelphienſis, Græcè & Latinè editis opuſculis Notas uberiores adjecit, in quibus ex Coptitarum Liturgiis, & Neſtorianis teſtimonia protulit, nec pauca circa Liturgias Orientales obſervavit erudite, quæ nemo antea obſervaverat. In notis deinde ad Itinerarium Montis Libani, ab Hieronymo Dandino Societatis Jeſu, ſuſceptum & Italicè ſcriptum, quod vernacule interpretatus eſt, multa de Liturgiis inſeruit, Syriacis præcipue ineditis, quarum excerpta Fauſtus Naironus tranſmiſerat. Cum tamen integras non vidiſſet, analyſinque totius Officii Euchariſtici dare aggreſſus eſſet, non ita feliciter in ea diſquiſitione verſatus eſt, ut nec in multis aliis quæ ſectas Orientales attinent, conjecturiſque nimio plus indulſit. Autores porro Syros aut Arabes nullos habuit, quorum teſtimoniis uti poſſet: Joannis ſolum Maronis & aliorum ea quæ in Abrahami Echellenſis lucubrationibus, aut ejus ſchedis Morino communicatis reperit, quos libros non viderat. Itaque fruſtra jactatur, ut ab aliquot Proteſtantibus factum eſt ejus autoritas, quæ major eſſe non debet, quam ſit illa autorum quos allegat: nullos autem viderat, neque talem Arabicæ linguæ facultatem habebat, ut Arabicis libris uti poſſet.

De rebus Liturgicis & diſciplina Sacramentali pauca Proteſtantes ſciverunt.

Minimum ſane moleſtiæ Proteſtantes hac in materia Catholicis dederunt, cum ne ullus quidem de Orientalium Chriſtianorum religione tolerabiliter ſcripſerit. Remittunt tamen nos ſæpe ad Hottingeri Topographias Eccleſiaſticas, aliaque ejus ſcripta, quæ non niſi excerpta ſunt ex Ordinationum à Viro Clariſſimo Joanne Morino Syriacè & Latinè editis ritualibus, quos ſæpe alter non intellexit, miras ex aliquot obſcuris locis conjecturas elicere contentus. At autores

Digitized by Google

Orientales Christianos nullos viderat, præter Eutychium Alexandrinum, & Isa filii Zaraa, quem Ibn-Sora appellavit, Dissertationes quasdam, ad rem Sacramentariam non attinentes; sed magnum feciſſe sibi visus est, quod Muhamedanum quemdam Ebn-Edris verboſe sæpe describit, ut Christianarum rerum præcipua capita nos doceat. Omnes porrò Exercitationes illæ Historico-Theologicæ, quarum in Academiis Septemtrionalibus plures olim prodierunt, & maximè commendatæ fuerunt ob argumenti raritatem, solidæ eruditionis minimum habent, cum nihil aliud sint quàm indigesta ex variis autoribus collectanea, & eorum præcipui semper sunt Præsidens, aut affinis aliquis honorandus, quorum laudes sæpe utramque paginam faciunt. Hottingerus in cœlum fertur; tum Catholicis fortissimè maledicitur, testimonia ex Orientalibus nulla: quod si quis tres quatuorve lineolas Arabicas aut Syriacas, tanquam emblema vermiculatum inseruerit, translatas ex Elmacino, Eutychio, Abulfaragio aut similibus, huic ab omnibus applauditur. Ita inter illos unus de Ecclesia Coptica Dissertationem instituit, in qua Brerewoodum sus deque versat, autoresque ab eo citatos reponit, Thomæ Biatiensis, & aliorum collectitias observationes, laudat, damnat, interpretatur, sæpe parum feliciter: alicujus Theologi Ægyptii, Canonistæ vel Rituum expositoris, Codicis Liturgici, aut alterius cujuspiam libri Ecclesiastici, ne nomen quidem reperias.

Dissertatio de Æthiopica Ecclesia.

Alius de Æthiopica Ecclesia verbosam Diatribam dedit, quam qui memoria complectetur, nihil de Æthiopum religione magis sciet, quam quisque imperitissimus. Neque id mirum, quando vir laboriosiſſi-

Digitized by Google

mus, Europæorumque Æthiopicè doctissimus Jobus Ludolfus, cum majorem vitæ partem in Æthiopicarum rerum studio consumsisset, unde justum commentarium texeret vix habuit, antequam Baltazaris Tellesii Historia Lusitanicè scripta in manus ejus perveniisset. Mox volumina duo edidit, quibus etsi quidquid apud contemtissimos scriptores de Æthiopia reperitur, collegerit, novi tamen nihil quod ad historiam civilem aut Ecclesiasticam conferret, produxit. Nam religionem iis coloribus depinxit, ut qui de ea ex ejus commentariis judicaverit, ne obscura quidem illius lineamenta possit agnoscere. Vindicat illos ab Eutychianismi accusatione, & recte quidem: sed unius naturæ in Christo professionem, anathemata adversus Concilium Calchedonense, Leonemque Romanum Pontificem, tolerari posse judicat. Judaicas superstitiones, polygamiam, sacrorum Ordinum profanationem, & multa similia, quæ ipsi Patriarchæ Jacobitarum Alexandrini sæpe damnaverunt, tolerabilia Ludolfus existimavit, & excusare aggressus est. In materia Sacramentorum nihil non molitur ut Lutheranos illos esse suadeat: duoque tantùm illis attribuit, cum ex illorum libris eadem habere illos constet, quæ Ecclesia Alexandrina: hoc est totidem quot in Græca & Orientalibus Ecclesiis, non minùs quàm in Latina agnoscuntur. At Ludolfus id negat: quia, inquit, interrogatus à me Petrus Æthiops, an agnoscerent septem sigilla fidei, negavit. Nempe homo barbarus definitionem Sacramenti natam in Reformatione intellexisset, quam ipsi ejus artifices vix intelligunt. Ita negavit Transubstantiationem credi apud Æthiopes, quod idem Petrus de ea edoctus ab ipso Ludolfo, parum ut non temerè

Digitized by Google

arbitramur fideliter, reſpondit, hoc myſterium eſſe: & Catholicus nemo non idem agnoſcat. Verùm ſi ignorantia aliquando excuſare poteſt, etſi eo nomine excuſari nemo debet, qui quæ ipſe neſciat, cogente nullo, alios docere aggreditur, at inexcuſabilis omnino eſt mala fides, quam ubique in Ludolfo deprehendimus. Quid non de Liturgiis commentus eſt, quarum originem, formam & diſpoſitionem prorſus ignoravit, dum illas Homilias eſſe dixit, diverſiſque nominibus appellavit, ne Liturgiam aut Miſſam dicere cogeretur: ſed Orationem Euchariſticam. Cumque veritate victus negare non poſſet agnoſci ab Æthiopibus realem præſentiam, at ex illius Æthiopis teſtimonio, qui tamen ut ex ejus verbis agnoſcitur, nihil ſimile dixerat, audacter affirmavit, illos Tranſubſtantiationem non agnoſcere.

In Liturgiis illorum multa extant, quæ aliter explicari non poſſunt quam ſecundum Catholicam de Euchariſtia doctrinam: Invocatio ſcilicet Spiritus ſancti, quam omnes repræſentant: ſed præcipue eximia illa ante communionem Confeſſio, quam ab Alexandrina Eccleſia acceperunt. De ea ne verbum quidem fecit Ludolfus: & ejus tamen opus in varias linguas tranſlatum, arma Proteſtantibus adverſus nos ſubminiſtrat, ſed quæ ut glacies futilis, una & ſimplici Rituum Alexandrinorum comparatione diſſiliunt. Verùm de his plura dicentur in notis ad Æthiopicam Liturgiam, ut etiam in Diſſertatione de Eccleſia Æthiopica, quæ dudum ad editionem parata eſt.

Andreæ Mulleri Diſſertatio.

Edidit vir eruditus Andreas Mullerus an. MDCLXXII. Commentarium de Monumento Syro-Sinico quod anno MDCXXV. in Xenſi Sinarum Provincia effoſſum

Digitized by Google

fuit, insigne prorsus, quantum ad Ecclesiam Orientalem pertinet, monumentum. De eo & Mulleri commentariis, cum dicendi hic locus non sit, illudque explicaverimus accuratiùs, in Dissertationibus de Ecclesiæ Nestorianæ propagatione, nihil dicemus, nisi quod ultima parte de Religione eorum, quos in Sinas Evangelii annunciandi causâ profectos, lapis testatur, Mullerus differere aggressus est. Nihil porrò habet ex Autoribus Orientalibus præter duo vel tria testimonia ex Kirchero mutuata, quæ ipse ex Abrahami Echellensis notis ad Hebedjesu, in Chinam suam illustratam transtulerat: à se nihil profert, nisi denunciationem, qua se ex professo & mandato superiorum de fide Orientalium circa Eucharistiam acturum esse significat, monens interea nullam extare in Scriptura Sinica, quæ maximam lapidis partem occupat, Transubstantiationis mentionem, qua conjectura nihil absurdius. An Mullerus Programma illud suum unquam ediderit, scire huc usque non potuimus: at si ex illius observationibus, circa Geographiam & historiam, de ejus eruditione judicium fieri potest, in rebus Theologicis Orientalium, illam longe infra mediocritatem constitisse certissimum est. Quid enim ab eo homine exspectes qui omnes etiam absurdissimas conjecturas de illis qui in Monumento nominantur, suas fecerit, & impense laudaverit: quique ad paradoxa futilissima admirabundus, insciti am ipse suam prodiderit: aut quomodo tandem fidem nobis Christianorum illorum exponet, de quibus an Orthodoxi fuerint, an Jacobitæ, an Nestoriani, nihil se statuere posse non dissimulat.

Atque illi ferme sunt inter Protestantes qui de

Digitized by Google

Orientalium fide aliquid ſcripſere, cum oſtentatione eruditionis illius peregrinæ, qua ſane caruerunt. Nam Jacobus Golius & Eduardus Pocockius qui Arabicis literis merito inclaruerunt, & in illis utilem operam navaverunt, Chriſtianas res non attigerunt. Ita Eduardus Pocockius cùm Dionyſii Barſalibi commentarios in Scripturam ſacram haberet, neque ex illis quidquam protulit, neque quis eſſet autor intellexit, aut eum notiorem habuit, quam Abulfaragium. Alios cum magnis illis viris vix comparandos nominare neceſſe non eſt, cum nemo ex Proteſtantium eruditorum numero, de Orientalium fide & diſciplina Euchariſtica, etiam aliud agendo quidquam alicujus pretii ſcripſerit.

Hæc erant quæ de hoc opere præfari oportebat: reliqua ad Liturgiarum antiquitatem, & autoritatem ſingularemque Alexandrinarum notitiam ſpectantia, ſequentibus Diſſertationibus explicabuntur.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

DISSERTATIONUM ET LITURGIARUM quæ hoc Volumine continentur.

PRÆFATIO.

DISSERTATIO *De Liturgiarum Orientalium, origine & autoritate.* j

CAP. I. *In quo probatur, nullam antiquitus fuisse Eucharistiæ consecrandæ formam, quæ Græcis Latinisque Liturgiis foret dissimilis.* ibid.

II. *Liturgias omnes, ex quo scriptæ sunt, nihil continere quod veteri & Apostolicæ Eucharistiam celebrandi formæ non accuratè respondeat.* viij

III. *Ostenditur veteres Liturgias Græcas & Orientales cum Latinis convenire, & utraſque Apostolicæ celebrandorum mysteriorum formæ in præcipuis capitibus respondere.* xvj

IV. *Quid judicandum sit de antiquis Græcis Jacobi, Marci, Basilii & Chrysostomi Liturgiis.* xxiij

V. *Quid verisimilius statui possit de tempore, quo scriptæ sunt Orientales Liturgiæ.* xxxj.

VI. *De Linguis, quibus Liturgiæ ab initio, & ad hæc usque tempora celebrari solitæ sunt.* xl

VII. *De Liturgiarum autoritate.* xlix

VIII. *De Disciplinæ Liturgicæ, quæ Rubricis aut Ritualibus libris continetur autoritate.* lxvj

DISSERTATIO *de Coptitarum Alexandrinorum Liturgiis.* lxxx

DISSERTATIO *De Lingua Coptica.* cxiij

LITURGIÆ *Coptitarum ex Coptico conversæ.* 1

Liturgia sancti Basilii. ibid.

Liturgia sancti Gregorii. 26

Liturgia sancti Cyrilli. 38

Orationes & Benedictiones ad consecrationem omnium Altaris instrumentorum. 53

Liturgiæ Græcæ Alexandrinæ. 57.

Liturgia S. Basilii Alexandrina ex Codice Græco-Arabico. Ibid.

Liturgia sancti Patris Gregorii. 90

In Liturgiam Marci græcam Præfatio. 127

Digitized by Google

Divina Liturgia, ſeu Miſſa, ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ Marci, Diſcipuli ſancti Petri. 131
Guilelmi Sirleti Cardinalis Epiſtola ad Joannem à S. Andrea inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Canonicum. 166
Epiſtola J. à S. Andrea ad Guillelmum Sirletum Cardinalem. 167
Commentarius ad Liturgiam Copticam ſancti Baſilii. 169
In Liturgiam Copticam ſancti Gregorii Notæ. 301
In Liturgiam Copticam ſancti Cyrilli Notæ. 315
Ad Benedictiones Vaſorum ſacrorum Notæ. 323
In Liturgiam Græcam S. Baſilii Alexandrinam Notæ. 333
In Liturgiam Græcam ſancti Gregorii Alexandrinam Notæ. 347
In Liturgiam Græcam ſancti Marci, ſive ſancti Cyrilli Notæ. 353
Appendix ad Liturgias Alexandrinas. 368
De Patriarcha Alexandrino. 363.
Ritus ordinationis Alexandrini Jacobitarum Patriarchæ. 467
Ad officium ordinationis Patriarchæ Alexandrini Obſervationes. 491
In Liturgiam Æthiopicam Præfatio. 496
Liturgia Communis, ſive Canon univerſalis Æthiopum. 499
In Canonem generalem ſive Liturgiam Æthiopicam Obſervationes. 523

DISSERTATIO

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
LITURGIARUM ORIENTALIUM
ORIGINE ET AUTORITATE.

CAPUT PRIMUM.

In quo probatur nullam antiquitus fuisse Eucharistiæ consecrandæ formam, quæ Græcis Latinisque Liturgiis foret dissimilis.

CUm Liturgiæ Orientales, quibus nova versione & Commentario illustrandis operam damus, maximâ præ cæteris antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis dignitate commendentur, ad eas intelligendas multa præfari oportebat. Nam Ægyptiacæ, quæ primùm hac in Collectione locum obtinent, postquam Latinè editæ sunt, parum fideliter interpretatæ, ut Æthiopica quæ ante multos annos prodierat: Basilii Syra ex Versione Masii: Græca demum Marco attributa, in Bibliothecam Patrum conjectæ sunt, absque notis aut commentariis, unde quæ illarum origo, quæ antiquitas, quis usus, quæ autoritas foret, explicaretur. Theologi nostri illarum testimoniis rarissimè usi sunt: vexaverunt illas aliquando Protestantes, tanquam suppositicias, &, quod dolendum est, ad eorum sæpe sententiam accesserunt Catholici. Nempe cùm Græcas Jacobi, Basilii, Chrysostomique Liturgias, novitatis interpolationisque suspicione Critici aspersissent, ex inanissimis conjecturis, tamen quod essent pauci in Græca antiquitate satis versati, iisdem adquiescere, quàm veritatem diligentiùs pervestigare maluerunt. Unde cùm ex Græcis, Orientales Liturgias manasse certissimè constaret, illas eâdem censurâ, quâ Græcas, involverunt, nullus ut jam supereſſe locus ad earum stabiliendam antiquitatem & autoritatem videretur.

Dissertationis scopus.

Digitized by Google

Itaque de primis illis, quæ fontem & originem Orientalium omnium continent, præmittenda quædam sunt, quamvis multa in eam rem à viris doctissimis scripta sint: sed præcipua tantùm & necessaria tractabimus.

Censura Criticorum circa Liturgias parum æqua.

Ac primò quidem observandum est, omnia prope Criticorum tam intra, quàm extra Ecclesiam judicia, id habere vitii, quòd Liturgias veteres Græcas, Sanctorum nominibus designatas, non aliter examinandas arbitrati sunt, quàm reliqua scripta veterum, in quibus expendendis regula certa est, non posse illa iis autoribus tribui, quorum nomina præ se ferunt, si quid occurat, ætati illorum non conveniens: quæ regula si erga Liturgias veteres adhibeatur, falsissima est: cùm id solummodo efficiat, opus, quod uni perperam tribuitur, ad alium autorem referri oportere. Liturgiæ verò, quemcumque titulum præferant, non opus alicujus autoris esse censendæ sunt, sed sacræ preces, conceptisque verbis expositæ Sacramenti celebrandi formæ, in quibus non quæri oportet nomen autoris aut dignitatem, quantacumque sit, sed quæ ex usu Ecclesiarum & consensu cum aliis ejusmodi formulis comparatur, autoritatem. Itaque eam Liturgiam, quam totius Ecclesiæ Græcæ Orthodoxæ communi disciplinâ usurpatam esse constabit, veluti sacrorum legem, publicæ autoritatis monumentum, vocem denique & testimonium illius Ecclesiæ haberi oportet, sive sit Basilii, sive Chrysostomi, seu cujuscumque alterius: qua ratione, non eam modò, quam ex sancti Doctoris nomine haberet, privatam scilicet autoritatem, sed publicam Ecclesiæ in qua usurpatur, habet. Id verò Criticis, præsertim Protestantibus, nunquam in mentem venit, cùm tamen eo in articulo totius quæstionis status versetur, reliqua vix ad rem pertineant, ut breviter demonstrare conabimur, expositâ Liturgiarum omnium origine.

Forma Eucharistiæ celebrandæ, traditione non scripto transmissa.

Institutum esse Eucharistiæ Sacramentum in ultima cœna à Christo Domino, cùm Evangelistæ tres Paulusque testentur, nemo non agnoscit. Verba illius ad Apostolos, *hoc facite in meam commemorationem*, præceptum celebrandæ ex instituto Christi Eucharistiæ continent: formam quâ celebrari deberet, non exprimunt. Nemo tamen Christianus dubitavit, quin eamdem edocti fuerint à Domino Apostoli, ut alia omnia quæ ad Religionem Christianam constituendam pertinebant. Ab Apostolis acceperunt illam eorum discipuli, inter quos tamen

Digitized by Google

nullus eam ſcripto tradidit. Id ſcilicet fatentur ultro Proteſtantes, formam Evangelicam & Apoſtolicam Euchariſtiæ celebrandæ in ſcriptura non explicari, ſed haberi illud tantùm, quòd fideles in unum convenirent, afferreturque panis & vinum, ſuper quæ gratiæ agerentur, & poſtea præſentibus diſtribuerentur. Et tamen in ore habere non deſinunt, primævum illud exemplar Cœnæ Evangelicæ, ad quod ſuas expreſſas eſſe fruſtra gloriantur. Verùm cùm tot diverſas propoſuerint Cœnæ illius ſuæ formas, quæ inter ſe conciliari non poſſunt, illas ad purum verbum Dei, quod tamen ex illorum ſententia perſpicuum omnibus eſt, expreſſas, temerè omnino jactant. Fatentur quippe, non ſatis conſtare quo pane Chriſtus uſus fuerit, azymo an fermentato, atque adeo in quibuſdam locis, ut Genevæ, azymus ad Cœnam diu adhibitus eſt: an aqua vino admiſta fuerit, neſcire ſe pariter agnoſcunt: multo magis quibus verbis ad benedictionem, ſeu conſecrationem, Apoſtoli uſi fuerint: unde Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, plerique retinenda judicaverunt, alii non item: de quibus tamen Euchariſticæ diſciplinæ capitibus vetus Eccleſia nunquam dubitavit. *Magdeb. Cent. 2.*

Certam illa nempe & conſtantem habuit Euchariſtiæ conſecrandæ formam, ſtatim ab initio, cùm ubique Chriſtiani congregati eam celebrarent quotidie, quamvis ſcripto conſignata non eſſet: unde primis Eccleſiæ ſæculis, ſacros illos ritus ſola traditione viguiſſe, extra controverſiam eſſe debet. Hieroſolymis Apoſtoli, quod in ſui memoriam Chriſtus fieri præceperat, faciebant; & inde per totum orbem diſperſi, ut eadem ſacra celebrarentur, inſtituerunt, eorumque formam præſcripſerunt, quæ in omnibus Eccleſiis conſervata eſt. Igitur ex ſola traditione Apoſtolica, non ex ſcripta autoritate, forma illa apud omnes Eccleſias recepta eſt, cùm una & eadem ubique fuerit: neque enim, ut de ritibus quibuſdam Judaïcis, de diſciplina Euchariſtiæ celebrandæ controverſia, primis illis, aut ſequentibus ſæculis ulla inter Chriſtianos fuit. Quam igitur Apoſtolorum traditio in Eccleſiis ſervata commendabat, eadem Apoſtolica & Evangelica celebrandorum myſteriorum forma eſſe exiſtimabatur. Jam quæ illa forma fuerit quærendum eſt: num illa ſcilicet, quam Eccleſiæ Reformatores excogitaverunt poſt annos mille quingentos, an illa quæ ubique obſervata fuit, dudum ante quàm perſcripta fuiſſet, in Occidente vel in

Certa tamen illa forma apud veteres Chriſtianos fuit.

Digitized by Google

Oriente, orationum & cæremoniarum ordinata disposítio, quæ Liturgia dicitur.

Formæ à Protestantibus Cœnam Apostolicam & Evangelicam non repræsentant.

Splendida sanè illa appellatio Apostolicæ & Evangelicæ Cœnæ, in eam formam quæ à Protestantibus usurpatur, cadere nequaquam potest, vel ea sola ratione, quòd communis inter eos nulla huc usque fuerit; verùm omnes ita dissimiles, ut nullâ quantumvis commoda interpretatione possint inter se conciliari. Lutherana, Helvetica, Genevensis, Anglicana, Scotica, ut alias prætereamus, etsi multoties refictæ, omnino differunt, non modò in orationibus, aut cæremoniis quæ integrâ fide & disciplinâ aliter se habere possunt, sed in præcipuis partibus. Notæ sunt controversiæ quæ hoc in argumento illos exercuerunt. Anglicana sub Eduardo VI. instituta & non leviter mutata, ineptias Calvino continere, sed tolerabiles judicata est: sub Elizabetha & Jacobo I. emendata, Scotis Papistica visa est, & seditiosè rejecta; tum à parricidis Parlamentariis suppressa, novam restituto Carolo II. formam accepit. Et sanè communis Liturgiæ lex inter eos esse nulla potest, qui de materia, de forma, de ritibus Apostolicæ Liturgiæ non consentiunt, fassi nescire se quo pane Christus usus fuerit, quo vino: quibus verbis Apostoli utrumque benedixerint: an verba Christi necessaria sint: quæ varietas, sacri ritus formam funditus evertit.

In Liturgiis antiquis Orientalibus & Occidentalibus nulla est insignis diversitas.

Neque objicere nobis possunt discrimen illud quod inter Orientalem & Occidentalem ritum, aut singularem aliquarum insignium Ecclesiarum, animadvertitur, cujus diversa prorsus ratio est: quippe orationes & cæremoniæ præparatoriæ, aliter disponi possunt, absque ullo periculo: osculum ante præfationem in Oriente: in Occidente ante Communionem præscribitur; ita Symboli, & Orationis Dominicæ recitatio: hæc sunt indifferentia. Verùm nulla unquam vetus Liturgia visa est, in qua adhortatio, quam Præfationem vocamus, non occurreret; tum preces Sacerdotum variis verbis expositæ, sed quæ eamdem sententiam efficerent. Continent nempe laudes Dei & gratiarum actiones pro beneficiis ejus in humanum genus, quorum præcipuum, salus nostra fuit, per Incarnationem, mortemque unigeniti filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Sequitur commemoratio ultimæ Cœnæ, institutionisque Sacramenti: verborumque Christi repetitio: invocatio ad postulandum adventum sancti Spiritus in dona proposita, sive

Digitized by Google

ante, sive paulo post pronunciata verba Dominica: orationes de omnibus & pro omnibus: vivorum & mortuorum commemoratio. Hæc omnia, præter Præfationem & verba Christi, quæ in Lutheranorum & Anglorum officiis servata sunt; reclamantibus aliis Protestantium sodalitiis, tanquam superstitiosa, sublata sunt. At omnes veteres Liturgiæ inter se consentiunt, quæ præcipua est antiquitatis & sinceritatis nota: cùm Cœnæ celebrandæ forma nulla, aut cum aliis in Reformatione natis, aut cum antiquissimis Græcis, Latinisve conveniat. Quòd verò Liturgiæ Orientales & Occidentales cum antiquissima & primæva forma celebrandæ Eucharistiæ consentiant, jam est probandum: non quidem ut Pamelius & nonnulli alii fecerunt, autorum quorumcumque testimoniis, neque ex Isidori collectaneis, sed rationibus, & autoritatibus adversùs quas exceptio esse nulla possit.

Forma illarum antiquitus una fuit, absque ulla de ritibus controversia.

Formam itaque agendi juxta Christi præceptum commemorationem mortis ejus, per Eucharistiæ celebrationem, ab Apostolis præscriptam, fatentur omnes. Unam illam fuisse quæ ubique observaretur, æque certum est, cùm ne levi quidem conjecturâ ex monumentis Ecclesiasticis agnosci possit, extitisse ullam inter Christianos, tribus primis Ecclesiæ sæculis de aliqua rituum varietate controversiam, ut seriùs aliquando fuit de Azymo aut fermentato, inter Græcos & Latinos: de aqua admiscenda adversùs Armenos, & si quæ sunt ejusmodi. Formæ illius designationem per partes habemus; integram ejus explicationem, non item. Si quid porrò antiquius est scriptis, quæ Apostolorum nomina præferunt, Liturgiis, id habetur in Clementis Constitutionibus, quæ quamvis interpolatæ sint, at ex virorum doctissimorum judicio ætatem Concilii Nicæni, antecedunt, vel saltem contingunt. Ab illa Epocha nihil circa Liturgiarum celebrandarum disciplinam noviter institutum legitur. Sancti Patres in Homiliis ad populum partes aliquas officii illius sacri perspicuè designant, ut fidelibus notissimas. Tandem illa omnia leguntur in antiquissimis Liturgiis.

Testimonium Justini Martyris, Plinio confirmatum. *L.* *. 10. *Ep.* 97.

De primo quidem dubium nullum esse potest, cùm non ex Christianorum modò, sed ex Ethnicorum etiam libris certum sit Christianos statis, ut Plinius loquitur, diebus convenire soli-tos fuisse: hymnos Christo tanquam Deo cecinisse, sacramentoque se obstrinxisse, non in scelus aliquod, sed ne scelera ulla committerent: tum convenisse ad capiendum cibum, sed inno-

Digitized by Google

xium. In obscuris illis verbis viri superstitione sua obcæcati, agnosci potest rudis & infuscata calumniis imago antiquarum Synaxeωn. Eas veris coloribus, sed leviter tamen, & quasi ductâ primâ lineâ, descripsit Justinus Martyr, & vix quidquam vetustius occurrit illius testimonio, quo Eucharistici officii forma simplicissima designetur. *Ei*, inquit, *qui præest ex fratribus offertur panis, & poculum aquæ & vini; quibus ille acceptis, laudem & gloriam universorum Patri per nomen Filii & Spiritus sancti emittit, & gratiarum actionem, pro eo quòd nos hisce dignatus sit, prolixè exequitur: atque ubi perfecit preces & gratiarum actionem, populus qui adest omnis, acclamat, dicens* Amen... *Postquam verò præsidens, gratias egit & populus acclamavit, qui apud nos Diaconi vocantur, distribuunt cuique præsentium panem & vinum, & aquam; & ad absentes perferunt, & hoc alimentum à nobis appellatur Eucharistia.* Quid autem per hanc vocem Christiani veteres intelligerent, licet ad Infideles scriberet, non ignorare nos sivit Martyr sanctissimus. *Quemadmodum enim*, inquit, *per Verbum Dei, caro factus Jesus Christus Salvator noster, & corpus & sanguinem pro salute nostra habuit; ita & eum qui per orationem Verbi quod ab eo est, Eucharistia facta est, cibum, ex quo carnes nostræ, & sanguis per mutationem aluntur, ipsius incarnati Jesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.*

Ejus verba formam veterem Liturgiarum designant.

Hæc Justini pauca verba, Liturgiæ veteris formam omnem continent; quamvis obscuriuscule. Nam in Synaxibus omnia sub oculis & autoritate gerebantur τοῦ προεστῶτος Præsidentis, Episcopi videlicet aut Presbyteri, sine quibus nullæ fiebant: neque enim quisquam existimabit, quemcumque Christianum his sacris cœtibus præfuisse. Qui, ut nonnulli conati sunt, Paradoxum istud probare satageret, facilè refelleretur.

Scripturarum lectio.

Cùm Sacramenti celebratio scripturarum Novi Testamenti publicationeantiquior sit, legi illæ non potuerunt, primis post Christi mortem temporibus: nisi fortè quædam particulæ ex veteri Testamento. Verùm postea, quotidianâ disciplinâ introductum est, ut scripturæ legerentur. Interea Episcopi ex illis quæ lecta erant capitulis, occasione sumta, ad fideles verba faciebant, & quod aureo illo sæculo Apostolico non infrequens erat, qui divinitus inspirati erant, audiebantur à reliquis.

Psalmi & hymni.

Psalmi & hymni ad Deum recitabantur vel canebantur, & ad

Digitized by Google

Christum tanquam Deum, quod Plinius ipse testatur. Illa autem appellatione cùm possint intelligi Psalmi & Cantica veteris Testamenti quæ ex antiquissima traditione in Ecclesiis recitantur, de aliis quoque interpretari licet, de quibus Eusebius loquitur *à fidelibus olim compositos, in quibus Verbum Dei Christum Theologicè laudabant.* Unde eorum autoritate utitur ad confutandam Artemonis, qui Christum purum hominem esse dicebat, hæresin. Nihil porrò cogit, ut per Hymnos illos intelligantur Cantica diverso genere metrorum composita, quæ vir doctissimus Henricus Valesius alligat Antoninorum temporibus proximis, *cùm*, inquit, *viri docti se se ad religionem nostram applicuissent.* Nam tales viros priùs habuit Ecclesia, qui pangendis aliquot carminibus suffecissent, præsertim cùm puritatis & elegantiæ, minor quàm pietatis & simplicitatis cura foret, & illi quorum meminit Eusebius ἀπ' ἀρχῆς hoc est *ab initio Christianæ religionis*, compositi fuisse dicantur. Neque facilè occurrit in vetustis monumentis, Poësis illius Christianæ vel leve vestigium, cùm in Liturgiis cujuscumque linguæ summa semper observetur simplicitas, metrici hymni nulli reperiantur, qui diu postea introducti in precibus publicis & privatis, vix inter sacra mysteria locum habuerunt. Itaque per tales hymnos, intelligi possunt variæ preces à primis Christianis compositæ, quales multæ occurrunt in Sacramentalibus officiis, ad earum formam, & iisdem fortasse verbis expositæ.

Hist. Eccl. l. 5. c. 28. Ψαλμοὶ δ' ὅσοι, καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες.

Sequitur oblatio panis & calicis vino & aquâ misti, quam ut simplicissimam initio fuisse verisimile omnino est, ita decenter & cum reverentia factam fuisse, non est dubitandum. Sed dum Justinus, *Præsidentem*, ait, *gratiarum actionem & laudem Deo prolixiùs agere*, prima forma agnoscitur orationis illius quam Præfationem vocamus, quæ in nulla Liturgia omittitur. Preces etiam, & gratiarum actiones, quibus populus acclamabat *Amen*, diversas illas orationes designant, quæ postea pro locorum & temporum diversitate, varias formas acceperunt.

Oblatio pani & vini.

Cùm verò non omnia, sed præcipua tantùm, & quæ Ethnicis significari poterant, Justinus attigerit, de reliquis non minùs certa & perspicua sunt veterum testimonia: ut de osculo pacis, de recitata oratione Dominica, de communionis distributione his verbis, *Corpus Christi. Amen*; & de multis aliis, quorum passim sancti Patres meminere. Atque ea sunt ex quibus ve-

De reliquis partibus extant certa testimonia.

Digitized by Google

teres omnes Liturgiæ conſtant, adeo ut nihil contineant, quod antiquitùs inter ſacra officia obſervatum non fuerit. Omnis igitur eorum diſciplina commendatricem habet veterem & Apoſtolicis temporibus proximam Eccleſiam, cujus diſciplina per manus tradita non minùs valet quàm ſi ſcripta fuiſſet, quod primis illis ſæculis non videtur factum, de ſacris myſteriis, non magis quàm de Symbolo.

CAPUT II.

Liturgias omnes veteres ex quo ſcriptæ ſunt, nihil continere quod veteri & Apoſtolicæ Euchariſtiam celebrandi formæ non accuratè reſpondeat.

Varia etiam in Occidente fuit Miſſarum diverſitas.

QUando ſacra officia ſcripto conſignari cœperint, ardua & maximis tenebris involuta quæſtio eſt, quæ licet ſeria admodum videatur, ad Liturgiarum tamen Orientalium & Occidentalium autoritatem tuendam non tantùm pertinet, quantùm multis autoribus Catholicis, aut Proteſtantibus exiſtimatum eſt. In Latina Eccleſia, præcipuum locum obtinet Canon Romanus, qui, quòd à Gelaſio Papa primùm, deinde à Gregorio magno, in eam quam nunc habet formam reductus eſt, Gregorianus vulgò appellatur. Quamvis Eccleſia Romana reliquarum prima, ab Apoſtolorum principe fundata, ſummam habeat dignitatem & autoritatem, jus etiam ſingulare in Eccleſias Occidentis ſemper habuerit, nunquam tamen primis ſæculis Canonis Euchariſtiæ celebrandæ ſui, formam aliis Eccleſiis ita præſcripſit, ut multis antiqua ſua conſuetudo, ſuique ritus non conſervarentur. Itaque ut à viro nunquam ſatis laudato Joanne Mabillonio obſervatum eſt, & variorum Miſſalium librorum comparatione demonſtratum, vigebant præterea Ritus Ambroſianus in Eccleſia Mediolanenſi, Gallicanus in Gallia, Gothicus in Hiſpania & in Gallia Narbonenſi, inter quos etiam erat aliqua orationum diverſitas. Nulla inter Occidentales Eccleſia, Liturgiam ſuam ad Apoſtolos aut eorum diſcipulos tanquam autores retulit: ſatisque intellexiſſe videntur ſanctiſſimi Antiſtites, commendari, quantùm opus erat, preces ſacras ex uſu conſtanti Eccleſiarum, nec vanis titulis opus habere, quæ totius Eccleſiæ voces & verba erant. Neque objicienda nobis

nobis est Petri, quæ dicitur, Græca Liturgia, de qua nugati æquè sunt Catholici nonnulli, & Critici Protestantes. Hujus exemplar duplex est; unum versio Romani Canonis, à Georgio Codino facta: alterum opus ignoti cujuspiam Græculi qui ex Romana, & Chrysostomi Missa novam, cujus nulla in antiquitate memoria est, nullus unquam usus in Oriente fuit, pessimo exemplo consarcinavit. Reliquæ Occidentalium Liturgiæ si Ambrosianam excipimus, autorum nominibus non designantur: neque illa, quamvis ab Ambrosio ordinata esse potuerit, tamen ab eo primùm composita est, magis quàm Romana à Gelasio aut Gregorio.

Orientales eamdem disciplinam habentes quæ reliquis Christianis communis erat, illam similiter in Oriente propagaverunt & posteris transmiserunt: neque tamen statim illam perscripsisse videntur. Ut ita statuamus, facit insigne præ cæteris Basilii Magni testimonium, qui multa quæ ad nos sola traditione pervenerunt enumerans; adjungit. *Verba sacræ Invocationis in consecratione panis & calicis, quis sanctorum nobis scripto tradidit?* Ita enim Græca vertenda sunt, non ut à multis factum est, qui ἀνάδειξιν *ostensionem* seu *elevationem* Eucharistiæ interpretantur, sed contra autoris mentem. *Invocationem* vocat Basilius, Canonem Missæ: quia multis ἐπικλήσεσι, seu Invocationibus constat, inter quas præcipua est celebris illa, & quam omnes Orientales Liturgiæ repræsentant, Invocatio Spiritus sancti in dona proposita, cujus meminerunt Irenæus, Epiphanius & multi alii, ut suo loco dicetur. Unde si non certò, saltem verisimiliter omnino concluditur, ante Basilii tempora, Liturgias Græcas literis non fuisse consignatas. Suadet id etiam Ecclesiasticæ disciplinæ ratio, quæ mysteria tanto silentio tegi jubebat, ut non nisi initiatis, & breviter quidem, imo obscuriuscule explicarentur, quod multis veterum testimoniis manifestum est, præsertim in Sermonibus ad populum, ubi frequens est illa ἀποστρόφους formula, *Norunt initiati*, ut illa Epiphanii *accipiens τὸ δὲ τὸ δὲ hoc & hoc.* At si quæ ad hujus mysterii fidem pertinebant, non aliter quàm viva voce, ut Symbolum, tradebantur initiandis, quanto minùs scribi poterant aut debebant, arcana sacrorum verba, quæ ad solos Episcopos & Sacerdotes spectabant. Occurrit in primorum sæculorum historiis frequentissima traditionis sacrorum voluminum memoria, de qua tamdiu cum Donatistis certatum

Orientales quamvis eamdem disciplinam haberent Liturgias serò videntur scripsisse.

Basil. de Spiritu sancto c. 27.

Digitized by Google

fuit ab Africanis Patribus. Erant illi sacræ scripturæ codices, & nullus memoriæ prodidit, inter illos Sacramentalem ullum traditum infidelibus fuisse, quibus hæc Ecclesiarum spolia cariora longè futura fuissent, quàm exemplaria scripturæ sacræ, cujus qualemcumque cognitionem habebant. Qui enim per tormenta à Christianis tanto studio scisciabantur, quid in Synaxibus ageretur, omnia ex libris Sacramentalibus scire potuissent, quorum in Actis Martyrum, aut in Gestis contra Donatistas nullum extat vestigium.

Constitutiones Apostolicæ idquod antiquitus primò scriptum est repræsentant.

In Græca Ecclesia nihil, ut videtur, antiquius scriptum est, quod quidem ad sacros Eucharistiæ ritus precesque referatur, quàm ea forma quæ ultimo Constitutionum Apostolicarum libro inserta est, & quam idcirco recentiores nonnulli seorsim editam, Liturgiam sancti Clementis appellaverunt. Verùm duo maximi momenti circa illam observanda sunt. Primum est, quòd etsi viris doctissimis meritò judicatum sit, Constitutiones illas ante Concilium Nicænum fuisse collectas, non negant tamen, interpolatas illas multis in locis fuisse, nec ab hæreticis modò, quod à veterum Patrum nonnullis observatum est, sed etiam à Librariis. Illud porrò judicium, si in ullam collectionis partem cadere potest, in istam sanè, quâ Liturgiæ ordo continetur, tam perspicuè & minutatim expositus, ut ex posteriori disciplina, quæ Ecclesiæ pacem agenti, non persecutionibus agitatæ conveniat, addita esse multa manifestum sit. Confirmat hanc conjecturam antiquissima Constitutionum Syriaca versio, ex Codicibus qui Græcos, ut videtur antiquitate & sinceritate superant; & ante mille annos facta est, cùm in ea, tota illa Liturgiæ forma non compareat. Alterum est quòd etiamsi Græci, præsertim in rebus Ecclesiasticis Criticen nullam habeant, partem hanc nunquam inter veteres Liturgias retulerunt, eâ procul dubio ratione ducti, quòd licet formam legitimam quamdam sacri officii Eucharistici, juxta Græcam disciplinam repræsentet, in nulla Orientis Ecclesia usurpata fuisse reperiatur. Atque inde certissimum argumentum deducitur, de aliarum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi Liturgiarum auctoritate, quas passim Græci laudaverunt & receperunt, quia scilicet publico usu Ecclesiarum commendabantur, quod Clementinæ deerat.

Mss. Medic.

Omnes Liturgiæ partes in antiquissimis Patrum

Post Nicænum Concilium, quo jam tempore confirmata longo annorum decursu Eucharistiæ celebrandæ forma fue-

Digitized by Google

rat, agnoscimus in sanctorum Patrum scriptis, multas illius officii partes non obscurè designatas. De orationibus præparatoriis dicere supervacaneum est, cùm illæ ad actionem sacram propriè non pertineant. Verùm quædam maximè vetustatis notas habent, ut quæ in Jacobi Liturgia occurrunt, quæque in alias diversarum linguarum aut in ipsas Græcas translatæ sunt: quarum forma una non fuit, cùm Sacerdotis potiùs, quàm Ecclesiæ preces forent. Illatio panis & calicis simplex olim fuit, quamvis piè & cum religione fieret, quòd elementa mox in corpus & sanguinem Domini transmutanda, sanctitatis quamdam speciem habere viderentur. At in Ecclesiarum pace, addita esse multa quæ ad decorem domus Dei augendum spectarent, ut negari non potest, ita superstitiosè factum id fuisse, nemo nisi per summam temeritatem calumniabitur. Lectio sacrarum scripturarum ex utroque Testamento fieri solebat antiquitùs & in omnibus officiis præscribitur & eam sequebatur vulgò Homilia ad populum, quales sunt Chrysostomi & Augustini permultæ: tum diversæ orationes recitabantur à Sacerdote, populo respondente, Amen. Reliqua usque ad Præfationem, secundùm varios ritus, alio atque alio modo se habebant, nullo fidei, aut violatæ disciplinæ detrimento. *scriptis reperiuntur.*

Præfationi secundùm Græcos & Orientales omnes, osculum pacis præmitti solet, quod in Occidente, ut plurimùm, dari solebat paulo ante Communionem. Illius ritus quem ipse Paulus multis Epistolis suis præcipit, meminerunt veteres propè omnes Græci & Latini, Tertullianus, Justinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus & multi alii. Adhortatio, quæ initium Præfationis est, *Sursum corda*, & quæ sequuntur, eorumdem frequentibus testimoniis confirmantur. Hymnus Cherubicus *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quo terminatur, eosdem testes habet, vetustissimaque omnium Ecclesiarum consensione ita confirmatur, ut nulla novitatis suspicione aspergi queat. *Tert. de Orat. c. 14. Ad Uxor. c. 4. Just. Ap. 1. Cyr. Hier. Cat. 5. &c.*

Oratum esse inter sacra mysteria, pro omnibus, commemorationem sanctorum, tum vivorum & mortuorum factam, singulares pro pace & omnibus necessitatibus orationes factas fuisse, non minùs certum est ex antiqua traditione: quo ordine disponi debeant, non interest.

Ad sacram Actionem perventur, enarratis Dei erga huma-

num genus beneficiis, factâ commemoratione ſummi redemtionis noſtræ myſterii, & inſtitutionis Euchariſtiæ per Jeſum Chriſtum, cujus verba recitantur, ea præſertim *quibus*, ut Tridentina Synodus loquitur, *corpus ſuum & ſanguinem tradere ſe diſcipulis non obſcurè teſtatus eſt*, ſine quibus conſecrari Euchariſtiam nemo inter Chriſtianos veteres unquam exiſtimavit. Unde in omnibus cujuſcumque ritus & linguæ, eadem religiosè pronuncianda præſcribuntur, & in multis, populus *Amen*, ad fidei ſuæ teſtimonium adjungere jubetur.

In Orientalibus Liturgiis ſequitur ſtatim, ut plurimum, Invocatio Spiritus ſancti, ad poſtulandum ejus illapſum in dona propoſita, quam orationem licet non habeant Occidentales Liturgiæ, multas tamen orationes continent, quæ ad eam referri poſſunt, cùm fiant ſuper dona jam conſecrata. Illius Invocationis Græci Patres frequentiſſimè mentionem faciunt, adeo ut ipſa verba à nonnullis referantur, ut à Cyrillo Hieroſolymitano, & antiquiſſimo Irenæo.

Orationem dominicam recitari, vetuſtiſſima quoque diſciplina eſt, ubique obſervata.

De adoratione Euchariſtiæ, cùm expreſſiſſima ſint ſanctorum Patrum teſtimonia, dubitari non poteſt, etiamſi ritus ſingulares, ſecundùm quos fiebat, non habeamus. Nam quòd elevatam ſtatim fuiſſe Euchariſtiam, poſt pronuntiata Chriſti verba, ut apud nos fieri à multis ſæculis ſolet, quidam ex Baſilii verbis ſupra relatis probari contendunt, nullius momenti eſt. Elevant Orientales ſacra myſteria, ſed paulo ante Communionem, cùm dicitur *Sancta Sanctis*, non antea: verùm tunc illam adorant, neque quidquam faciunt in quo vetus Eccleſia non præiverit.

Denunciatio autem illa celebris *Sancta ſanctis*, tam antiqua eſt & tot monumentis Eccleſiaſticis conſignata, ut de illius vetuſtate & autoritate dubium eſſe nullum poſſit.

Communionis diſtributionem deſcripſit, & propè oculis ſubjecit Cyrillus Hieroſolymitanus, nempe ita ut corpus Chriſti manibus fidelium ſuſciperetur, calix à Diacono præberetur, quæ diſciplina ab aliis antiquiſſimis autoribus teſtimonium habet. Acceſſiſſe ad primævam ſimpliciratem nonnulla, quæ ad imprimendam Chriſtianorum animis majorem illorum venerationem ſpectare videbantur, mirum eſſe non debet, cùm ex fide quam de Euchariſtia habebant, cultus ille religio-

ſus ſtatim naſceretur. Quòd verò infantibus, quòd infirmis præberetur Euchariſtia; etſi Liturgiæ non præcipiunt, ut nec multa alia quæ antiquitùs obſervata fuiſſe certiſſimum eſt, tot exemplis & teſtimoniis probatur, ut extra controverſiam eſſe debeat.

Ex iis quæ huc uſque dicta ſunt, colligi veriſimiliter poſſe videtur, quarto ſæculo ineunte, aut ſcriptas non fuiſſe Euchariſtiæ celebrandæ formas, aut, ſi ſcriptæ fuerint, non integras, ut ſunt Jacobi, Baſilii & Chryſoſtomi cum omnibus precibus & ceremoniis, ſed ſummatim tantùm, fuiſſe deſcriptas, ita ut partes illas tantùm quæ præcipuæ ſunt, continerent. Verùm probabilius omnino videtur, ſecundùm Baſilii teſtimonium, à nemine ſanctorum ſcripto traditas. Sed cùm hæc diſquiſitio prolixioris operæ ſit, eam in dubio relinquemus, dabimuſque, ſi lubet Proteſtantibus, id quod aliis argumentis probare aggreſſi ſunt, ſed parum fœliciter, eas quas habemus Liturgias ab illis ſcriptas non eſſe, quorum titulos præferunt: non erunt idcirco inter ſpuria & nullius autoritatis ſcripta rejicienda.

Nempe fateri coguntur quicumque leviſſimum antiquitatis Eccleſiaſticæ guſtum habent, Liturgias Jacobi, multo magis Baſilii & Chryſoſtomi, ſi præcipuas & neceſſarias partes expendimus, nihil quod à primitiva illa forma quam deſignavimus abeat, continere, in qua, ſi Apoſtolicum & Evangelicum Cœnæ dominicæ exemplar non agnoſcunt, ut ſanè non poſſunt, quin formas omnes ſuas condemnent: deſignent illud tandem, quod huc uſque nemo illorum præſtitit. Neque ſanè præſtare id illos poſſe ſatis confirmat maxima officiorum Cœnæ diverſitas, quamvis nulla propè pluries reficta non fuerit. Fatentur ultro, non conſtare ex ſacra ſcriptura, quo pane Chriſtus uſus fuerit, quo vino: quibus verbis gratias egerit, benedixerit, aut conſecraverit: multo minùs, quibus in celebratione myſteriorum uſi fuerint Apoſtoli. Verba Chriſti omittunt Calviniſtæ, neque aliter recitant quàm reliquas ex Epiſtolæ ad Corinthios lectione partes: contra alii, ut Eccleſia Anglicana, ea jubent recitari: atque vel eo ſolo argumento neceſſitas illorum agnoſcitur, quod in ea rubrica præcipitur ut ſi panis non ſufficiat communicantium multitudini, novus afferatur, repetatque Sacerdos verba Canonis ab eo loco. *Qui pridie quàm pateretur.* Illud porrò planè abſurdum foret, ſi

Omnes Liturgiæ veteres, primitivæ Apoſtolicæ formam ſervant.

Off. Commun. Anglicanum.

Digitized by Google

ipsa Christi verba nihil efficere judicarentur.

Omnes circa præcipua inter se conveniunt.

At nihil simile circa Liturgias Orientales & Occidentales observari potest, cùm omnes inter se ita conveniant, ut ab uno fonte, Apostolorum scilicet exemplo & præceptis ad omnes Ecclesias permanasse certissimè agnoscantur. Neque aliunde tanta in sanctissimis mysteriis celebrandis conformitas, quàm ex communi & omnibus nota traditione nasci potuit, cùm Jacobus, qui antiquissimus eorum est, quorum nominibus Liturgiæ insignitæ sunt, nihil præceperit de vino aquâ miscendo, de pronunciandis verbis Christi Domini, de invocando super dona proposita Spiritu sancto, de mittenda absentibus, aut ægrotantibus Eucharistia, ut nec de multis aliis, quæ tamen ubique recepta fuisse & usu quotidiano Ecclesiarum frequentata negari non potest. Nihil Princeps Apostolorum Petrus, aut Antiochiæ, aut Romæ scripsisse legitur, nihil Paulus, nihil alii; sed quod acceperant à Domino idem tradebant novis Christianis. Multo minus Basilius & Chrysostomus novas offerendi sacrificii Eucharistici formas instituere poterant: ut neque à Gelasio primùm aut à Gregorio magno Romana Missa, neque ab Ambrosio Ambrosiana, Gothica à Leandro, Gallicana vetus à Gallicanis Episcopis factæ sunt. Verùm cùm nota esset omnibus vetus & Apostolica forma, quæ paucis verbis constabat, eam omnes secuti sunt, nec ab ea recesserunt: orationes quæ inter sacra dicebantur, cùm multæ essent, selegerunt, novas etiam addiderunt, tandemque ne perturbatio inter fideles nasceretur, quasdam perscripserunt, & hæc origo fuit diversitatis Liturgiarum. Ea porrò non talis est, ac illa quam in Protestantibus meritò culpant Catholici, immanis non verborum modò, sed rerum maximè necessariarum discrepantia: omnes enim Liturgiæ Latinæ, Græcæ, Orientales, novæ, veteres in unam sententiam, cultusque similitudinem conspirant, ut postea fusiùs demonstrabitur.

Frustra ex diversitate Orationum Liturgias impugnant Protestantes.

Quid enim tandem effecerunt supercilioſi illi Critici, qui illas omnes exploserunt, tanquam suppositicias, recentes, & superstitiosas, nisi quòd suam in rebus Ecclesiasticis infantiam prodiderunt? Nam dum particulas illorum officiorum ex diversis ritibus collectas, inter se comparant, ut insignior diversitas appareat, nihil egerunt, cùm omnium sententia sit eadem. Stupent ad orationes pro mortuis; at illas commendat tanquam antiquissimâ Ecclesiarum disciplinâ consecratas Augusti-

Digitized by Google

nus. At ordo non idem est : mirum sanè argumentum : cùm etiam nunc in Romana Ecclesia, ubi omnes Canonem Gregorianum sequuntur, Metropolitanæ aut Episcopales Ecclesiæ multæ, celeberrima Monasteria, Ordines Religiosi integri, singulatem Ritum Missæ celebrandæ conservent. Sed hæc fuit prima conjuratorum adversùs Romanam Ecclesiam tessera, ut ab ejus disciplina longissimè recederent : & quamvis tot primi Reformatores ex sacris familiis fugitivi, Sacerdotioque initiati scire debuissent, quid in ea ex veteri instituto foret, atque adeo omni erroris suspicione careret ; quid contra peccatum fuisset, atque adeo emendandum, non erat talis temporum illorum conditio, ut discrimen illud agnosci facilè posset. Itaque si leviusculum aliquod discrimen animadvertebant inter veteres Liturgias & Missam Romanam, justum de Ecclesia Catholica triumphum agere sibi videbantur. Sic Mathias Flaccius Illyricus veterem Ordinem Missæ jactabundus edidit, tanquam ad Romanæ vulgaris contumeliam & destructionem ; qui statim temeritatis & inscitiæ pœnas dedit, cùm se ipse turpiter retexere, & exemplaria edita supprimere coactus fuerit. Nempe magna illa Ecclesiarum Reformatarum lumina, tantùm disciplinæ Sacramentalis sciebant, quantùm Missali vulgari continebatur, vix quidquam amplius. Neque negandum est, peritiorem illius disciplinæ cognitionem Theologis nostris æquè defuisse : ex ea quippe longè facilius & efficacius refelli Novatores potuissent, quàm argumentis Theologicis, quæ subtilibus responsionibus eludi possunt ; ut etiam sanctorum Patrum testimonia. At disciplinæ perpetuò observatæ ratio talis est, ut falsas interpretationes non admittat : & cæremoniæ precibus Eucharisticis conjunctæ, earum sententiam ita determinant, nullus ut relinquatur ambiguitati locus.

Digitized by Google

CAPUT III.

Oſtenditur veteres Liturgias Græcas & Orientales cum Latinis convenire & utraſque Apoſtolicæ celebrandorum myſteriorum formæ in præcipuis capitibus reſpondere.

Ex diverſitate rituum Liturgiæ vocari in ſuſpicionem non poſſunt.

SI quis ex varietate rituum vel orationum, quæ inter diverſas Romanæ Eccleſiæ Liturgias animadvertitur, dum veteres cum recentioribus comparantur, aut ex ea, quæ magis adhuc apparet, inter Gothica, Moſarabica, Gallicana, aut Ambroſiana officia, conaretur efficere, Occidentalem Eccleſiam, Euchariſtiæ celebrandæ certam nullam rationem habuiſſe, facilè refelleretur. Quippe ſtatim demonſtraretur, orationes, ſi verbis differant, unius eſſe ejuſdemque ſententiæ: in Canone, qui ſacræ actionis pars eſt præcipua, maximam eſſe non modò ſententiarum, ſed verborum conformitatem; fidem eamdem; ritus qui abſque tali fide locum habere non poſſunt; tandem quidquid ſuſpicionis injici contra unitatem diſciplinæ poſſet, ex antiquiſſima Eccleſiarum, quæ diverſis ritibus uſæ olim fuerunt, concordiâ evaneſceret. Nota ſcilicet erat omnibus Epiſcopis & Sacerdotibus regula ſacrorum myſteriorum, & ſi quid contra eam peccatum alicubi fuiſſet, non magis id tuliſſent, quàm Cyprianus eorum novitatem, qui aquam vino non admiſcebant; aut Cæcilianus temeritatem Lucillæ, quæ pacis oſculum, privato oſculo quod oſſi cujuſdam martyris dabat, commutare auſa erat, aut Hydroparaſtatas, vel ſi qui alii contra receptas conſuetudines, rituſque ſacros peccabant. Fecerunt tamen id Proteſtantes, & quo quiſque imperitior antiquitatum Eccleſiaſticarum fuit, tanto ſecuriùs innoxiam illam rituum varietatem calumniari aggreſſus eſt. Diximus de Miſſa Illyrici, quam Lutherani ipſi tam parum favere ſibi ultro agnoverunt, ut eam ſuppreſſerint. Reliquas ſi conſuluiſſent, vel eas ſolas quas edidit Pamelius, abjeciſſent procul dubio conjecturas omnes ſuas de Canonis hodierni & antiqui diſcrepantia, & veterem cum hodierna Eccleſia committere deſiiſſent.

Temerè de ve-

Scimus quoſdam, zelo, ſed ſcientiæ Eccleſiaſticæ vacuo, de

de antiquis illis officiis, parum commodè judicaſſe, & mutata non pauca in novis editionibus. Fuit imò ante annos non ita multos, vir ſummæ dignitatis, literarum literatorumque fautor eximius, ſed nihil minùs quàm Theologus, qui Miſſales Moſarabicos libros, quorum exemplaria rara jam erant, rariſſimos effecerit, dum omnes quos conquirere poterat flammis abſumeret, ratus eos ſcatere erroribus, quia Romanam Miſſam verbo tenus, in illis non reperiebat. Sed talium hominum qualeſcumque fuerint judicia, neque cum veteris Eccleſiæ, quæ vetuſta illa officia uſurpavit, aut aliorum doctiſſimorum judiciis comparanda ſunt, quales nuper fuerunt Cardinales Bona & Thomaſius, qui eadem ediderunt & commendaverunt, ſuccum Chriſtianæ primorum ſæculorum Theologiæ, & pietatis in illis agnoſcentes. Hoc tamen argumento rariùs aut fortè nunquam, niſi admodum perfunctoriè, uſi ſunt Proteſtantes; ſive quòd in Rituali Sacramentorum doctrina parum fœliciter verſati ſunt, etiam doctiſſimi: ſive quòd illam eſſe opinionibus ſuis incommodam intellexerunt. In Græcis Liturgiis plus præſidii ſibi fore nonnulli, cùm exiſtimarent, quòd olim rarò Catholici illarum teſtimoniis utebantur, eas tanquam Latinis planè contrarias aliquando laudaverunt: frequentiùs ut ſuppoſititias & futiles rejiciendas pertenderunt. At quod de Latinis diverſi ritus, mox dicebamus, Græcis omnibuſque Orientalibus non minùs convenit, quod jam eſt demonſtrandum.

teſtis Latinis Officiis judicaverunt, alii non item.

Formam quæ ſuperiùs deſcripta eſt, antiquiſſimam & ubique ſervatam, veluti communem ſacrorum legem, comparationis rectè inſtituendæ regulam haberi oportet, non quaſi excogitatam Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi aut aliorum ingeniis, ſed divinam principemque legem, à Chriſto per Apoſtolos & eorum diſcipulos promulgatam. Iſtud extra controverſiam eſſe debet, quandoquidem ex ſola Scriptura ſacra formam Evangelicam & Apoſtolicam deſignari non poſſe, fatentur ipſi Proteſtantes: Eccleſia illam habere ſe ex traditione Apoſtolica firmiter ubique & ſemper profeſſa eſt. Habebant ergo primæ Eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ, formam Apoſtolicam, ſcilicet ab Apoſtolis traditam: at quæ forma Apoſtolica eſſe agnoſcitur, eamdem Evangelicam quoque eſſe neceſſe eſt, cùm traderent Apoſtoli, quod à Chriſto acceperant. Tot diverſarum Cœnæ celebrandæ formularum, nulla Apoſtolica aut Evan-

Forma Liturgiæ celebrandæ Apoſtolica eſt.

Digitized by Google

gelica, eo ſolo argumento dici poteſt, quòd unius archetypi tot inter ſe diſſimilia exempla eſſe non poſſint. At in Liturgiis Græcis & Latinis veteribus & recentioribus, manifeſta eſt inter ſe ſimilitudo & cum primæva illa forma quam Apoſtolicam fuiſſe, ante Proteſtantium defectionem nemo dubitaverat; & ea per partes eſt explicanda.

Ea per partes explicatur. Sacerdotes.

Convenientibus igitur Chriſtianis præſidebant, non quicumque, ſed quos προεστῶτας vocat Juſtinus Martyr; Epiſcopi ſcilicet vel Sacerdotes: adeo ut abſque illis commemoratio legitima Jeſu Chriſti ſecundùm ejus inſtitutionem non fieret: idem ſemper & ubique, tam in Oriente quàm in Occidente obſervatum eſt.

Vaſa ſacra.

Vaſa ſacra, etiam dum perſecutiones ſævirent, ad ſacrum miniſterium adhibita fuiſſe aurea & argentea, notiſſimum eſt ex Geſtis purgationis Cæciliani, Prudentio & aliis.

Altaria.

Altaria quoque ut Thronum Chriſti, in magna veneratione fuiſſe, neque ab aliis quàm à Donatiſtis aut Arianis, vel Ethnicis everſa & profanata fuiſſe, ex Optato, Athanaſio, & aliis æquè certum. Eadem ſi rebus Eccleſiæ florentiſſimis, variis precibus, reliquiis martyrum & ſigno crucis conſecrata ſunt: nihil in Latina vel Græca Eccleſia commiſſum eſt contra veterem diſciplinam, quæ ubique in Græcia & Oriente non minùs adhuc viget, quàm in Romana Eccleſia.

Veſtes ſacræ.

Veſtes ſacris miniſteriis proprias geſtare, dum Liturgia celebraretur, antiquiſſimi etiam moris eſt, quem Eccleſia Anglicana ex parte retinuit, totus Oriens religioſiſſimè obſervat.

Præparatoriæ orationes & cæremoniæ.

Præparatoriæ preces multæ ſunt & diverſæ in antiquis Liturgiis; ſententia ſemper eadem, nec de illis controverſia moveri ulla poteſt; cum ex illis nonnullæ ſelectæ ſunt, quæ ſingulis officiis conjungerentur. Nec alia ratio eſt eorum quæ poſteriori diſciplina inſtituta ſunt, circa panis & vini præparationem. Quamvis enim ſingulares ritus non habeamus antiquiùs perſcriptos, quos in omnibus Eccleſiis obſervatos deinde fuiſſe legimus, ut mundè & diligenter præpararentur, quæ in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutanda credebant, nemo unquam præter furioſos illos fanaticos exiſtimavit, ſimplicitatem Evangelicam in eo conſiſtere, ut è taberna panis & vinum peterentur; quod ne ad communem quidem cibum, lautiores homines fieri vellent. An ab ea ſimplicitate Chriſtus receſſiſſe dicetur, quia ultimum Paſcha inſtitutionemque Eu-

Digitized by Google

chariſtiæ celebraturus, quî ubi caput reclinaret non habebat, cænaculum grande ſtratum, apud hoſpitem quæſivit?

Lectio Scripturarum ut in ſynaxibus Chriſtianis facta fuit antiquitùs, ita in omnibus Liturgiis præſcribitur ex utroque Teſtamento. Lectio Scripturarum.

Sermones ab Epiſcopis aut Presbyteris habitos de iiſdem Scripturarum locis fuiſſe, quamvis in Liturgiis non præſcribatur, probant tot quæ ad nos pervenerunt ſanctorum Patrum Homiliæ. Græcis & Orientalibus ſolenne eſt, ut aliquas illarum, lingua vulgari prælegant, cùm pauci in tanta Eccleſiarum calamitate, eam dicendi de rebus ſacris facultatem habeant, quæ in ſacrarum ſcripturarum docto interprete requiritur. Sermones.

Pſalmorum cantus antiquiſſimus eſt, & ubique conſervatus. Integros aliquot Græci & Orientales canere ſolent: id etiam in vetuſtis officiis Latinis præſcribitur. Quòd ſi in hodiernis Miſſis verſiculi tantùm aliquot recitantur, id non ex antiqua diſciplina eſt, quæ etiam in ſolennibus quibuſdam diebus integrè ſubſiſtit: ut in Miſſa Dominicæ Palmarum & in officiis Hebdomadæ ſanctæ, ubi Pſalmi integri decantantur. Cantus Pſalmorum.

Orationes de omnibus, & pro omnibus, ut Græci & Orientales loquuntur, extant in Liturgiis omnibus, & illarum vetuſtas non omnium modò codicum, ſed ſanctorum Patrum teſtimoniis confirmatur. Hæc omnia περιπατητικὰ ſunt, ad fidelium conſolationem & doctrinam, ſimulque decorem domûs Dei, præclarè ab Apoſtolicis uſque temporibus inſtituti, in quibus accuſari nihil poteſt, nihil in Eccleſia Romana natum reperiri, quæ tamen Proteſtantes penitus ſuſtulerunt, paucis exceptis. Nam Pſalmos retinuerunt, ſed quos novo exemplo rythmis plerumque inconcinnis deformaverunt: lectionem quoque Scripturarum: maximè verò ſermones in quibus præcipuam religioſi cultus partem videntur conſtituiſſe cùm Liturgiæ propriè dictæ pars nunquam fuerint. Orationes quaſdam adjungunt: ſed Angli ſoli & Lutherani veteres illas Collectas ſervaverunt, plenas fidei & pietatis: quas Calviniſtæ aliis à ſe excogitatis commutaverunt, verboſis, ut plurimùm novitatemque redolentibus: ſcilicet ut nihil commune haberent cum Romana Eccleſia, quæ, ut ex vetuſtiſſimis monumentis apparet, eas traditione acceptas huc uſque conſervavit; non melioribus ſubſtituit. Orationes pro omnibus.

Digitized by Google

Oſculum pacis.

Oſculum pacis, & orationes aliquot antequam detur, repræſentant omnes Orientales Liturgiæ; & illud ſecundùm earum diſciplinam, Actioni ſacræ præmitti ſolet: cùm Romano ritu, pax non niſi ante Communionem dari ſoleret, jam ab ætate Innocentii I. Sed quo loco detur oſculum pacis, parum refert. Servatur illud etiamnum in Miſſis ſolennibus: in Oriente ſemper datur: ſuſtulerunt illud Proteſtantes, quamvis ab ipſo Apoſtolo Paulo toties commendatum, qua ratione ſuperſtitionis illud accuſare, nec in Orientalibus nec in Latinis poſſunt.

Præfatio.

Præfatio quæ initium Anaphoræ propriè dictæ ſive Canonis eſt, in omnibus cujuſcumque ritus aut linguæ Liturgiis exſtat; unde meritò eam Anglicana Eccleſia retinuit. Eam apertè deſignat Juſtinus Martyr gratiarum ſcilicet actionem perpetuam ad Deum, pro omnibus ejus erga humanum genus beneficiis, creationem, inſtitutionem per legem & Prophetas, tandem Redemtionem per Jeſum Chriſtum, cujus ſalutaris diſpenſatio commemoratur; tandemque pervenitur ad inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ, quæ ex Evangeliis, ſimulque illius ſacra verba ſuper oblata dona recitantur. Obvia ſunt teſtimonia ſanctorum Patrum qui hanc orationem deſignant; ut inter alios Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, omnes tandem, quorum aliquam multarefert Cardinalis Bona, & autores rerum Liturgicarum varii. Sunt porrò in Latinis Miſſalibus Præfationes multæ, cùm in Gallicano, Gelaſiano, Gothico, Moſarabico, Ambroſiano, quin etiam Gregoriano, non modò in feſtis ſolennibus, ſed in omnibus, & in ſingulis Dominicis ſingulares Præfationes occurrant. Ita quoque in Græcis & Orientalibus Liturgiis, non una & eadem illarum diſpoſitio eſt. Una quidem ſingulis propria eſt: ita ut Jacobi Liturgia ſuam habeat, ſuas Baſilii Chryſoſtomique Liturgiæ. At ſecundùm Latinos, ritus Gallicanus, Romanus, Gothicus, Ambroſianus, & alii, plures Præfationes repræſentant. Senſus tamen ſemper idem eſt, in tot diverſis Deo gratias agendi formulis, quæ omnes hymno Angelico *Sanctus*, concluduntur. At illius Doxologiæ quæ extat in ſacris literis, tanta eſt antiquitas, ut initia Eccleſiæ antecedere videatur, cùm reperiatur in veteſtis Judaïcarum orationum libris, unde fortaſſis primi Chriſtiani illam tranſtulerunt.

Rer. Liturg. l. 2. c. 10.

Orationes pro donorum oblatione.

Poſtea orationes fiunt pro donorum oblatione & petenda-

Digitized by Google

eorum acceptatione & conſecratione : & cùm in quibuſdam officiis Liturgicis aliquæ pro vivis & mortuis , pro rebus ad vitam neceſſariis , & aliis , preces interſerantur , fiat etiam ſanctorum commemoratio ; in pleriſque ſtatim ad conſecrationem Sacerdos progreditur , recitatis verbis Dominicis , tam ſuper panem , quàm ſuper calicem. Sequitur commemoratio mortis & ſepulturæ , aſcenſionis & adventus ultimi Chriſti Domini : quarum orationum , ut præcedentium , in verbis diverſis una ſententia eſt.

In ritu Orientali ſtatim occurrit Invocatio Spiritus ſancti, ut adveniens in dona propoſita & jam per verbum Chriſti ſanctificata, ea efficiat corpus & ſanguinem ejuſdem Chriſti Domini : eoque ſenſu hæc oratio intelligenda eſt, quo plures propè ſimiles Gallicani , Gothici , & Moſarabici ritus : ut nonnullæ quoque Romani Canonis, ſecundùm quas Invocationem ſuam intelligere ſe , Græci in Florentina Synodo , & antea Cabaſilas teſtati ſunt. Illius quoque Orationis, Patres , præſertim Græci, multis locis meminerunt. Invocatio Spiritus ſancti.

Orationes pro vivis & mortuis , quamvis iſtas ſuſtulerint Proteſtantes , veterum antiquiſſima autoritas commendat , & ante omnium Liturgiarum publicè deſcriptas formas Cyprianus , Auguſtinuſque ex Eccleſiæ traditione id fieri docuerunt. Orationes pro vivis & mortuis.

De oratione Dominica, quæ à Sacerdote ritu Occidentali, à populo per totum Orientem dicitur , nulla ſingularis obſervatio eſt , cùm nemo dubitet quin præcepto Chriſti , & omnium ſæculorum exemplo , hæc diſciplina ſtabiliatur. Oratio Dominica.

Fractio hoſtiæ , imaginem refert corporis Chriſti confracti & ſuppliciis lacerati , ut veteres omnes agnoſcunt : quomodo in primis Eccleſiæ ſæculis fieret, perſpicuè nobis non ſignificant Eccleſiaſtica monumenta : nec enim arcana illa ſacra , quæ in ipſo miniſterio docebantur Sacerdotes , evulgari fas erat : ſed quin ſumma cum religione fieret , dubitare non poſſumus. Ritus verò qualeſcumque ſint , omnes ad realis præſentiæ fidem ita ſunt inſtituti, ut ubi talis fides nulla eſt , locum habere non poſſint , non magis quàm unio duarum ſpecierum, quæ ſublata eſt ſimiliter à Reformatoribus. Nulla tamen Liturgia eſt , in qua talis ritus non præſcribatur , & quamvis diverſis modis fiat , ſummam ſemper habet Euchariſtiæ reverentiam: Fractio Hoſtiæ.

Sancta ſanctis, denunciatio vetuſtiſſima eſt in Græcis Litur- Sancta ſanctis.

giis, à quibus in Orientales omnes propagata est, quamvis apud Latinos non usurpata ; quam nemo huc usque superstitionis damnare ausus est.

Confessio de veritate corporis Christi.

Communionem præcessit olim à primis sæculis Confessio de veritate corporis & sanguinis Christi, simplex primùm & paucis verbis : *Corpus Christi. Amen* : cujus vetustissima memoria est in causa Novatiani apud Eusebium, & apud autores omnes Ecclesiasticos. Si quid Græci, & Coptitæ addiderunt, quò expressiùs testarentur, credere se id quod accipiebant esse Corpus Christi, laudandi sunt : neque Romanæ Ecclesiæ tribuendum, quæ nihil habet simile. Neque calumniæ patent, diversi præbendæ communionis ritus, etsi non ex primæva antiquitate deducti, præsertim inter Christianos Orientales, cùm in ea fundati sint, nempe in summa erga Sacramentum religione. Manu olim Eucharistia suscipiebatur, calix præbebatur : cochlear à multis sæculis in Oriente usurpari cœpit, & intincta communio, quæ in Occidente aliquando locum habuit : ut calamus aureus aut argenteus usurpatus est. Hæc omnia piè instituta sunt, longè ante quàm auditum fuisset de Berengario & ejus similibus : & ab illis demum, qui cum Latina Ecclesia societatem à multis sæculis coluerunt nullam.

Ritus quidam obsoleti.

Quæ verò non Liturgiis præscripta, sed moribus Ecclesiarum constituta sunt, ut ad absentes olim Eucharistia deferretur, ut ad moribundos, ut daretur infantibus, calumniari si quis voluerit, ut facere conati sunt primorum Reformatorum discipuli, non tam Romanam Ecclesiam quàm veterem & Apostolicam impugnant, quæ hanc disciplinam observavit, ut partim adhuc in Oriente servatur. Non defertur ad absentes Eucharistia, cum ratio cessaverit, simul cum persecutionibus, quæ libertatem conveniendi, Christianis non relinquebant. At viget ad hæc usque tempora consuetudo eam ad ægrotos deferendi, quæ disciplina firmissimum doctrinæ Orthodoxæ argumentum continet, & omnes Protestantium rationes conturbat : cùm, etiam illi, qui realem quamdam susceptionem corporis & sanguinis Christi agnoscere se profitentur, eam in solo usu constituant, quia scilicet ex eorum opinione medium quo corpus & sanguis Christi accipiuntur, fides est. Itaque rectè secundùm sectæ suæ præjudicia, piam illam & Nicæno Concilio seniorem consuetudinem, Eucharistiam ad infirmos deferendi sustulerunt, quia panem & vinum tantummodo ad

Digitized by Google

illos ferrent, non corpus & sanguinem Christi : verùm id contra mores , & fidem Ecclesiæ , si non Apostolicæ , saltem Apostolicis temporibus proximæ.

Ex illis igitur quæ huc usque dicta sunt , certa capita quæ ad perspiciendam Liturgiarum veram & legitimam formam , tum ad ferendum de Græcis Latinisque judicium maximè conferunt , videntur posse colligi. I. Veteris & Apostolicæ Liturgiæ formam frustra quæri in sacra Scriptura , quod agnoscunt Protestantes , atque adeo quærendum esse primævum illud exemplar in Ecclesia : hoc est in communi Christianorum omnium consensu. II. In unam eamdemque formam consentire Latinas , Græcas , & omnes Orientales Ecclesias. III. Ea in quibus rituum omnium Latinorum , Græcorum & Orientalium consensus agnoscitur , partes essentiales Liturgiæ esse, secundùm quas de ea est judicandum , reliquæ indifferentes haberi debent. Illis ita constitutis , judicia Protestantium de Græcis Jacobi , Marci , Basilii & Chrysostomi expendemus.

CAPUT IV.

Quid judicandum sit de antiquis Græcis Jacobi , Marci , Basilii & Chrysostomi Liturgiis.

De illis Liturgiis Protestantes imperitè judicaverunt.

JUdicia Protestantium de Græcis Liturgiis parum æqua esse mirabitur nemo , qui sciet , quantùm illæ Reformationi, circa fidem Eucharistiæ , & illius celebrandæ modum incommodent. In aliis enim antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, præsertim verò scriptis sanctorum Patrum explicandis , dum sententias perspicuas, commentariorum suorum tenebris involvunt , si subactos in eorum lectione Theologos parum commovent, at discipulis & Ministerii candidatis fucum faciunt : imò & aliis qui plusculum eruditionis habere videntur , cùm rarò quæ juvenes didicimus , senes retractare soleamus , & magistrorum dictatis plerumque acquiescamus. Catholici cùm de Liturgiis illis non satis bellè existimarent , eorumque autoritate vix uterentur, id enim solus prope fecit Georgius Cassander , audaciam Protestantibus addiderunt , præsertim, cùm illas in Synodo Florentina à nostris hominibus impugna-

Digitized by Google

tas videbant, aut tam frivolis argumentis confirmatas, ut illorum jam tædeat & pigeat mediocriter eruditum quemvis Theologum. At si exquisitiorem Criticen in nostris meritò desideramus, multo magis in Protestantibus, eo præsertim quem omnes ferme recentiores exscripserunt, Andrea Riveto. Is cùm Græcè sciret mediocriter, esset in linguis Orientalibus planè hospes, codices manuscriptos nullos vidisset, tali supercilio censuram in veteres autores Ecclesiasticos exercuit, nemo ut de illis tam imperatoriè sententiam dixerit, præsertim de Liturgiis. Cùm verò ea tantùm quæ ad illarum antiquitatem, & ἀυθεντίαν pertinent, tractare nobis propositum sit, quæ ad omnes spectant summatim exponemus: plura de singulis alio loco dicturi. Nam de ea quæ Jacobi titulum habet, agemus in Præfatione ad Syriacam: de aliis quoque, suis locis.

Protestantium argumenta.

Omnia verò Riveti, Cavei & aliorum adversùs Liturgiam Jacobi Græcam, quæ sola ipsis nota erat, argumenta, eo spectant, ut qualis est in Græcis codicibus, à Jacobo scripta esse non possit. In ea scilicet usurpari voces Ὁμοούσιος & Θεοτόκος, quæ in Nicæno & Ephesino Conciliis promulgatæ sunt: memoriam Ordinum Ecclesiasticorum qui nondum erant fieri, ut Confessorum & Anachoretarum: Trisagium recitari, & similia. Inde conficiebat Rivetus, falsam esse, & suppositam Jacobi Liturgiam, nulloque loco habendam: quibus rationibus eam quoque evertebat quæ Marco tribuitur: Petri item, & Æthiopum Canonem, qui Mathæo, ut ipse ait, tribuebatur. Peccavit multipliciter hoc in judicio suo Rivetus: cùm, ut Baronius & Bellarminus jam observaverant, possit à Jacobo scripta fuisse Liturgia, & ea recepisse ex communi usu omnium Ecclesiarum, quæ sequentibus sæculis introducta sunt. Nam ita, Gregorianam non esse Missam Romanam probaretur, eo ipso argumento, cùm sanctorum, qui non nisi post annos à Gregorio multos vixerunt, nomina contineat. Neque veterem Gallicanam, antiquiorem D. Martino existimaremus, quia Missam ad ejus festum celebrandam repræsentat: aut Mosarabicam Urbano IV. quia Officium festi Corporis Christi habet, vetustioribus adjunctum à Cardinale Ximenio, cùm ejus Missalis editionem procuravit.

Malè refutata à quibusdam Catholicis.

Sed, ut verum fateamur, justam triumphi materiam Ecclesiæ adversariis homines nostri præbuerunt, cùm bonam causam rationibus & autoritatibus parum idoneis defendere aggressi

aggressi sunt. Plerique enim, etiam quos ætas illa ferebat doctissimos, ita sunt in causa versati, ut ex Decretalibus Epistolis primorum Pontificum, ex Dionysii libris, & aliis non minùs contemnendis, Jacobi Liturgiam confirmare conarentur: voces Ὁμοούσιος & Θεοτόκος contenderent ante Nicæna tempora fuisse usurpatas; & quid non hoc in genere peccavit Allatius? Ecclesiam ita propugnare, prodere est.

Probant Protestantium objectiones, Jacobi Liturgiam syllabatim, ut ad nos pervenit, ab eo scriptam non fuisse: sed suppositicium alicujus hominis flagitiosè otio suo abutentis fetum esse, non probant. Verùm si semel constiterit, quod certissimum est, eam in Ecclesiis Palæstinis, usurpatam in sacris mysteriis celebrandis fuisse, servatur illi sua dignitas & autoritas. Id porrò ex ipso Balsamonis testimonio quòd refert Rivetus, à se non intellectum, manifestè patet. Nam Marcus Alexandrinus qui eum consulebat, testabatur illam in partibus Syriæ celebratam fuisse, ut Marci Liturgiam in Alexandrina Diœcesi. Neque suppositicias illas, aut confictas à nebulonibus, qui sementi dominicæ zizania superseminaverint, dicit Balsamon: sed eas non recenseri in Canone Scripturarum, & rejiciendas, non ob eas causam quæ Riveto palmaris est, quòd multa superstitiosa contineant. Verùm modestiùs agit, nec minùs ineptè, dum ea sola ratione supprimendas illas judicat, quia omnes Ecclesiæ, ritum Constantinopolitanæ sequi debent: quæ ratio cum Protestantium placitis commune nihil habet, quippe quibus non magis Basilii & Chrysostomi Liturgiæ sanæ videntur, quàm Jacobi & Marci.

Nihil probant Riveti argumenta.

At illas Græcas veteres usu ampliſſimarum Ecclesiarum consecratas fuisse, si nescivit Rivetus, aut dissimulavit, certum tamen est: quo solo argumento nec confictas illas esse, nec suppositicias demonstratur. Jacobi titulum accepit Hierosolymitana Liturgia, quòd in ea Ecclesia ab Apostolo fundata celebraretur. Unde Cyrillus ejusdem Episcopus, particulas aliquot ex ea refert, in suis Catechesibus. Hinc nata est suspicio homini confidentissimo, ut fraudis in componenda eadem Liturgia artificem, eam ex illis consarcinasse somniaverit; & Catecheses tamen falsò Cyrillo tribui judicat, quæ sunt ἀσύγκατα. Itaque ex una aut altera periodo, obscurè designata, cùm inter eos qui rem noverant nota satis esset, facta est integra & satis longa Officii Eucharistici celebrandi forma. Reliqua quæ potiorem & mysti-

Liturgiæ Jacobi Marci & usurpatæ erant in antiquissimis Ecclesiis.

Digitized by Google

cam actionem continent designare Criticus debuisset. Sed pendet animi, & num Catecheses ex Liturgia, aut ex ea Catecheses formatæ sint, in medio relinquit : quas conjecturas, velut ægri somnia, si recitentur, refellere opus non est. Quomodo etiam si Liturgia Jacobi zizaniorum instar segeti dominicæ superseminata est, tam accuratam habet, cum aliis Græcis conformitatem ? Cur in unam omnes sententiam ita conspirant, ut in solis verbis discrimen agnoscatur ? Nempe quia & illa, & aliæ quas vetus Ecclesia usurpavit, factæ erant ad principem illam sacrorum legem, in qua omnes Christiani Apostolicum exemplar agnoscebant, communi traditione confirmatum. Illud verò non aliud est quàm quod supra delineavimus, idemque cùm apud omnes unum inveniatur, non est erratum, sed traditum.

Syrorum de illis judicia.

Neque sanè aliter de eo judicaverunt veteres Christiani Syri, cùm Jacobi Liturgiam suâ linguâ transtulerunt, sive formulæ illæ sacrorum Græcè primò, sive linguâ Hierosolymitanâ, quæ magnam affinitatem habet, scriptæ fuerint. Factum id fuisse ante schisma Jacobitarum, hoc est ante Concilium Calchedonense, vel eo solo probatur, quod Orthodoxi Syri, non minùs quàm Jacobitæ, eamdem Jacobi Liturgiam non servant modò, inter recentiores multas alias, sed eam ut præcipuam sequuntur, veluti Canonem generalem, ut in Præfatione ad Syrorum Liturgias fusiùs exponetur.

De Marci Liturgia absurdum Riveti judicium.

Quæ de Marci Liturgia Rivetus scripsit, plena sunt summæ futilitatis : cùm non agnoverit Alexandrinam esse, quæ à Coptitis conservata foret, & à Marco illius Ecclesiæ fundatore titulum nacta apud Græcos, quem apud Coptitas non habet, cùm Cyrillo tribuatur. At id illum Criticum docere debuisset Balsamon, cujus testimonio, quo abusus est, constat illam in Ægypti Provinciis, usurpatam fuisse. *Papa* nomen in Diptychis occurrit, quo cùm significari homo parum acutus existimavit Romanum Pontificem, imperitiæ suæ in rebus Ecclesiasticis specimen dedit, *nullus enim*, ait, *tunc erat Papa*. Sed is titulus Patriarchæ Alexandrino tribuitur à multis retro sæculis, & de eo intelligendum docet ipse Liturgiæ contextus, quem ne quidem oculis conjectis aspexisse necesse est, qui talia scripserit. Miratur etiam quomodo Marcus Martyr appelletur, & quis sit iste Marcus enuntiari sibi jubet. Is est secundùm Ecclesiæ Alexandrinæ tabulas, Petri discipulus Evangelista &

Digitized by Google

Martyr, ut multis locis vocatur. Sed de eadem Liturgia suo loco dicetur.

Porrò quid sibi velit cum Petri Liturgia, non planè intelligimus. Neque enim si Turriano placuit illius ἀυθεντίαν defendere, nostra interest. Petri Liturgia, quam edidit Græcè & Latinè Joannes à S. Andrea Canonicus Ecclesiæ Parisiensis, priùs à Guillelmo Lindano editam, nec antiquorum autoritate, nec usu Ecclesiarum confirmatur: de codicis ex quo descripta est antiquitate editores silent. Ea igitur est opus Græci alicujus, qui quod multi Orientales fecerunt, ut se sinceros & perfectos Catholicos esse demonstrarent, Liturgicos codices scripserunt, in quibus veteres suas formas Sacramentorum, Romanis accommodavere, temerè prorsus & imperitè; cùm Ecclesia Romana antiquitus & etiam nunc, Orientalibus suos ritus relinquat. Is verò Græcus, Missam ex ingenio novam composuit, in quam multa ex Chrysostomi Græca transtulit, tum Canonem Romano in omnibus similem, si pauca excipiantur quæ, non intellecta, pessimè interpretatus est. Luctentur contra talem larvam quantùm volent Protestantes; sed agnoscant simul Critici sui supinitatem, qui si eam legissent, aut origines ejus notas habuissent, tolerabilia multa adversùs propugnatores illius dicere potuissent, non ineptire adversùs Ecclesiam, quæ Liturgiam illam nunquam usurpavit. De Petri Liturgia

Quæ de Liturgia Mathæi scripsit, ita enim vocat Canonem, ut vulgò appellatur, generalem Æthiopum, absurda magis & insulsa sunt. Edita est illa Liturgia Æthiopicè, ad calcem Novi Testamenti, quod Æthiopes ex patria profugi ob Galarum & Muhamedanorum incursionem anno MDXLVIII. Romæ excudendum curaverunt. Prodiit Latina illius versio, sub titulo Canonis Generalis Æthiopum ibidem edita anno MDXLIX. Neque in alterutra editione appellatur *Liturgia Mathæi*, aut ab idoneo scriptore ullo, qui illius meminerit. Sed nec eum ut gentis suæ Apostolum agnoscit Ecclesiæ Æthiopicæ traditio, cum primam Evangelii lucem ab Eunucho Reginæ Candacis sibi allatam Æthiopes existiment: & tandem à Frumentio, quem Athanasius ipsis Episcopum ordinavit. Præter communem illam Liturgiam, quæ Canon reliquarum est, alias habent, quarum quatuor editæ sunt, reliquæ manuscriptæ: & illarum nulla Mathæo tribuitur. Quid igitur magnus ille veterum scriptorum censor? *Meminit*, inquit, *Epacta & aurei numeri.* De Liturgia Æthiopum.

Digitized by Google

Nempe Verſionis autor hæc adjecit, quæ in Æthiopico non extant: & quamvis in eo legerentur, neſciebatne Computum Æthiopicum à Joſepho Scaligero editum, ſecundùm quem feſtum Paſchale annunciabatur? Si quidquam igitur quod ex alicujus Eccleſiæ conſuetudine Liturgiis inſertum eſt, corruptelæ & falſi nota eſſe debet, ne ullus quidem publici usûs liber ſupererit, à tali cenſura immunis. Plura alibi ad demonſtrandam Riveti inſcitiam in medium conferemus.

De Baſilii & Chryſoſtomi Liturgiis Riveti imperitia.

Erat ſanè abſtruſior hæc materia, & captum hominis, extra locos communes ſuæ Theologiæ vix egreſſi ſuperabat: at quis ferat abnorme de Baſilii Chryſoſtomique Liturgiis judicium? Illius Græcam invidiosè comparat, cum ea quam ſub eodem titulo ex Syriaca lingua converſam Andreas Maſius edidit, cujus teſtimonium refert, ut oſtendat iſtam Græcæ, tamquam ſimpliciorem & vetuſtiorem, debere præferri. Quantopere Maſium ſua conjectura fefellerit, in Commentariis ad Liturgias Syriacas ſingulariter exponemus. Inter multas quas habent Syri Baſilio adſcriptam unam agnoſcunt, ſed quæ deficit in pleriſque melioris notæ codicibus. Is quem Maſius interpretando ſecutus eſt, à quodam advena Sacerdote acceptus, nullas, quas ipſe protulit, antiquitatis notas habebat. Illam tandem in unico Codice Colbertino reperimus, ſed cum inſigni diverſitate, ab eo exemplari quod Maſius interpretatione ſua expreſſerat. In iſto ſolius Baſilii tanquam autoris nomen præmittitur: in altero non Baſilio ſoli, ſed Gregorio Theologo quoque tribuitur: imo ſoli Gregorio eam aſſignaſſe videtur Joannes Magnus Patriarcha Antiochenus, qui collectam ex multis aliis Liturgiam compoſuit. Præterea non minus hallucinatus eſt Maſius, in comparatione Græcæ cum Syriacâ Liturgiæ, dum brevitatem iſtius, antiquitatis indicium eſſe judicavit. Nam quam integram fuiſſe credidit, Liturgia Syriaca, ab oſculo pacis incipit, atque adeo mediam tantùm partem officii habet, quod in Græca integrum eſt: quæ omnia Riveto inaudita erant.

Argumentum ex varietate exemplarium futile.

Præterea cùm Græcam Baſilii, ut alteram Chryſoſtomi impugnat ex varietate exemplarium, idem omnino committit, ac qui Gregorianum Canonem, quo vulgò utimur, ſuppoſitum, fuiſſe vellet, quod in variis codicibus ſanctorum nomina, Imperatorum, Regum, aut Epiſcoporum, qui ſerius vixerunt reperiantur. Utraque illa, quod extra dubium eſt, uſurpatur

in Græca Ecclesia ab annis plus mille ducentis : atque inde originem habuerunt leves aliquot discrepantiæ, in precibus præparatoriis, aut in aliis orationibus. Quædam exemplaria cæremoniales rubricas habent, quæ in aliis non reperiuntur : at alicujus momenti discrimen, in illis partibus quæ Canonem sacræ actionis constituunt, non reperitur. Quid enim si in parum accuratè scriptum codicem Erasmus incidit, aut is qui primus eam Latinè transtulit alio usus est? Non ex talibus exemplaribus petendæ sunt Basilii & Chrysostomi Liturgiæ, sed ex Græcarum, quæ illis utuntur, Ecclesiarum tabulariis ; cùm etsi sanctorum illorum nomina præferant, Ecclesiæ quoque Græcæ, quæ illis ad altaria utitur sententiam & verba contineant. At quæ varietates scripturæ in codicibus occurrunt, non alio loco habendæ sunt, quàm ut variæ lectiones innoxiæ, quales multas diligentissimè collegit Jacobus Goarius, ex quibus ne levissima quidem suspicio corruptelæ colligi potest : cùm omnes propè ad ritus spectent, qui enucleatiùs in aliquibus, in aliis breviùs explicantur : in nonnullis omittuntur, quia aliunde peti debebant. At in illis, quæ tanquam superstitiosa condemnat, audax æquè ac imperitus Criticus, memoriis Sanctorum, & eorum invocatione : commemoratione defunctorum, & aliis quæ Reformatio sustulit, fateri debuisset, miram esse istarum Liturgiarum & inter se, & cum aliis concordiam.

Græci istas Liturgias non composuerunt.

Itaque si quidquam imperitissimo homini absurditatis excidere poterat, illud est quo miram suam Rivetus censuram concludit : Græcos has Liturgias composuisse & falsò attribuisse Chrysostomo & Basilio. Nam Græcas Ecclesias illis ad mysteria celebranda à multis sæculis usas esse & porrò uti, negari non potest : scripto igitur consignatæ sunt, non privato alicujus, sed publico consilio, in quod fraus cadere nequaquam potest. Eam quæ Basilii dicitur in Constantinopolitana Ecclesia celebrari statis diebus non minùs quàm Chrysostomi, qui ignorat, alios docere non potest. *At*, inquit Rivetus, *Carolus Calvus Imperator in quadam Epistola ad Ravennatem Ecclesiam formulæ ejus Missæ mentionem faciens, quæ in Constantinopolitana Ecclesia usurpata sit, eam Basilii non Chrysostomi fuisse apertè dicit, quod mirum esset, si Chrysostomus ejus Ecclesiæ Archiepiscopus Liturgiam composuisset.* Verùm si vel communem Liturgiarum librum, multoties Venetiis editum consuluisset Rivetus, quod illi faciendum erat, qui illarum censorem se profi-

tebatur, mirari desiisset, sed stuporem ipse suum agnovisset; & puduisset illum inscitiæ Mornæi & Hospiniani, à quibus tam præclaras observationes se accepisse testatur.

Fictæ & suppositiciæ non sunt.

Cùm verò fictas illas à Græcis, tam confidenter affirmat, docendi eramus, à quibus tandem, quo sæculo, quo fine fraus illa facta fuisset. Architectos sanè fraudis illius ne per obscurissimam quidem conjecturam designare quisquam potest: cùm in eam celebrandorum mysteriorum formam Græcæ omnes Ecclesiæ consenserint, à multis sæculis. Acta aliqua, vel instrumenta fabricare homines ad fallendum parati, possunt, quæ suo tempore in lucem proferantur, & aliquibus fucum faciant, qui suo testimonio alios in errorem inducunt. In sacratissimo & tremendo, ut Græci vocant, mysterio, quod quotidie celebrabatur, & cujus orationes, ritus, ipsa verba memoriæ fidelium insculpta erant, quisquam ne existimabit, introductam fuisse nemine reclamante, novam & erroribus scatentem sacri officii formam, quæ statim ubique susceptа fuerit, & reliquas omnes, præsertim Apostolicam illam, quam Protestantes somniant, aboleverit? Quando tandem, quo sæculo tanta mutatio facta est? Scire enim illud debent, qui de ea tam confidenter pronunciant. At unde id habebunt, cùm nullus autor Ecclesiasticus, historia nulla, rei tam novæ, tam inauditæ mentionem fecerint. Credetur ne Riveto in rebus quæ eruditissimorum virorum cognitionem fugerunt, cùm ipse ne editos quidem libros de quibus nugatur, inspexerit? Quo fine etiam, & cui bono? An ut superseminarentur zizania in medio sementis dominicæ, & Evangelica illa Liturgia, de qua nunquam Protestantibus inter se convenit, suffocaretur? Verùm cùm ea ipsa toto cælo ab omnibus aliis differat, Græci quidem nullo negotio partes Liturgiæ suæ omnes, Patrum, Conciliorum, & scriptorum omnium testimoniis, ita communiunt, ut nihil suis in officiis Eucharisticis esse constet, quod longo Ecclesiarum usu, priùs quàm illa scriberentur, confirmatum non fuerit; quod de primitiva sua Cœna Evangelica & Apostolica, Protestantes præstare non possunt. Fraudem illam Concilio Ephesino, & Calchedonensi antiquiorem esse oportuit; cùm Nestoriani & Jacobitæ ab Ecclesia Catholica secedentes, eamdem Liturgiæ formam servaverint.

Atque hæc sunt argumenta Riveti qui aliorum commentarios exhauserat, quæ qualiacumque sint, ab omnibus exscri-

Digitized by Google

buntur : imo quòd mirari satis non possumus à quibusdam Catholicis, qui sanè aliud agebant, dum frivolis ejusmodi ratiunculis manus dare, quàm Liturgias ipsas accuratè expendere maluerunt. Nam certum id & inconcussum esse debet, Græcas omnes, illâ Petri exceptâ, à quocumque scriptæ sint, formam celebrandæ Eucharistiæ semper & ubique servatam, Patrum testimoniis confirmatam, ab antiquis hæreticis ad suos cœtus translatam, omnium denique Ecclesiarum consensu approbatam continere.

CAPUT V.

Quid verisimilius statui possit de tempore quo scriptæ sunt Orientales Liturgiæ.

QUantum obscuritatis sit, in ea de qua nunc agendum est, quæstione explicanda, quæ huc usque diximus satis ostendunt. Tres verò de eo argumento opiniones sunt. Prima eorum qui Jacobi, Basilii & Chrysostomi Liturgias ab illis quibus attribuuntur scriptas esse contendunt, eaque communis est Græcorum omnium, & multorum Catholicorum sententia. Secunda, illorum qui scriptas à sanctissimis illis viris credi volunt, sed non omnino quales ad nos pervenerunt, cùm non pauca posterioribus sæculis addita fuerint, & quamdam sint interpolationem passæ : ita ferme Baronius, Bellarminus & alii sat multi. Tertia tandem & omnium teterrima sententia est, falsò illas esse viris sanctis adscriptas, easque esse supposititias, falsas, atque adeo nullius in Theologia autoritatis. Ita vulgò Protestantes omnes, quos quidam Catholici secuti sunt, non tamen ita ut agnoverint, dolo malo confictas illas esse, & tanquam zizania frumento dominico superseminata : illas tamen autoritate illa qua commendari Græci eas volunt, spoliari facilè passi videntur.

Variæ sententiæ de tempore quo primùm scriptæ sunt Liturgiæ.

Inter eos qui prudentiùs, & accuratiùs de illis judicarunt, Cardinalis Perronius fuit, dum conjectando assecutus est, eam quæ Jacobi dicitur, fuisse Hierosolymitanæ Ecclesiæ propriam : quæ Marci Alexandrinæ : Basilii & Chrysostomi Ecclesiarum Patriarchatus Constantinopolitani. Ea ratione,

Cardinalis Perronii judicium.

Digitized by Google

fraudis omnis ſuſpicio prorſus evaneſcit, & fruſtra ſunt impugnatorum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, calumnioſæ divinationes, nec illis incommodis laborat hæc ſententia quæ in aliis maxima ſunt. Ita non erit litigandum, quis hujus, vel illius Liturgiæ autor fuerit, à quo literis conſignata ſit; an ea, quæ ſæculis autorum quibus adſcribuntur conveniant, repræſentet: an mutationes aliquot paſſa ſit. Conſtet modò talem Liturgiam continere formam Euchariſtiæ conſecrandæ, quæ à multis ſæculis uſurpata in inſignibus Eccleſiis fuerit, ſalva eſt ejus dignitas & autoritas. Uſus enim illarum Eccleſiarum qui huc uſque viget, ut certus eſt, adeo ut ne probabilibus quidem conjecturis vocari in controverſiam poſſit, ita eſt antiquiſſimus. Nam Chryſoſtomo ſolo teſte, nulla prope earum Liturgiæ partium, in quibus Actio ſacra continetur, non obſervabatur in Conſtantinopolitana Eccleſia, cùm illas in Homiliis ad populum frequenter inſinuet, ut reliqui Eccleſiæ doctores perſæpe faciunt.

Quid de Jacobi Liturgia verius videatur.

Quod verò tres primas opiniones ſpectat, de illis ita cenſuerunt doctiſſimi Theologi. Jacobi Liturgiam quod attinet, etſi communi Græcorum traditione, Procli, ſexti Concilii & omnium tandem recentiorum teſtimoniis confirmetur, ſcriptam eſſe à Jacobo, nihil ex iis efficitur: cùm exigua ſit, in rebus Criticis primæ antiquitatis, ejuſmodi teſtium autoritas. Omnes illi & quos magno numero citat Allatius, Proclum, de quo non ſatis exploratum eſt, exſcripſerunt: eos Græci recentiores ſecuti ſunt, eo magis, quod ex Dionyſio & Clementinis Conſtitutionibus tolli, ſi quid difficultatis eſſet, exiſtimaverunt. Neque ſimilis traditio Syrorum, de ſcripta à Jacobo Liturgia, plus ponderis habet, ſed quæ ad hanc diſputationis partem ſpectant referemus in Præfatione ad Liturgias Syriacas. Majoris omnino autoritatis eſt ſuperiùs relatum Baſilii teſtimonium, quo perſpicuè conſtat nullum ſanctorum eam formam quæ conſecrationem Euchariſtiæ contineret, ſcripto tradidiſſe. Erat tamen jam à primis Eccleſiæ ſæculis promulgata ſacrorum lex, in qua omnes acquieſcebant, & idcirco ſtatim atque ſcribi cœpit, ubique accepta & probata eſt. Factum id fuiſſe Apoſtolicis temporibus à Jacobo vel Marco, nulla idonea ratione probari poteſt, nihilque circa Jacobi Liturgiam efficiunt Allatii argumenta, eo debiliora, quòd ſententiam oppoſitam, velut hæreſi proximam inſectatur, cùm ea fuerit à Catholicis

&

Digitized by Google

& quidem doctiſſimis propugnata, neque ullatenus ad fidem pertineat. *Potuit Jacobus Liturgiam ſcribere*, inquit Allatius: *ſcripſit ergo: Sed negant hæretici: mihi curæ non eſt, quid dicant hæretici.* Nec hæreticus eſt, qui negat id quod probari certis autoritatibus non poteſt; neque ſi foret, quæ cum aliqua veriſimilitudine ab illo objicerentur, ita contemtim rejicienda erant, ſed refellenda. Opponetur, quòd Allatio Græci omnes ſuffragantur: & id ſanè de recentioribus verum eſt: de antiquis non item: cùm nemo inter eos occurrat Proclo vetuſtior, de cujus opuſculi veritate & antiquitate dubitatur. Honor ſanè habeatur Græcis ſcriptoribus, ut ex eorum teſtimoniis conſtet, Liturgiam iſtam & alias, Traditione Apoſtolica ad eos perveniſſe: ita enim refelluntur, quantum opus eſt, qui eas ſuppoſititias, fictas, & ab inimico homine profectas temerè calumniantur. Verùm ad confirmandam ſcriptionis illarum antiquitatem, nihil quidquam efficiunt.

An ſcripta olim à Jacobo, fuerit poſtmodum interpolata.

Moderatius eſt illorum judicium, qui etſi ſcriptas illas ab Apoſtolicis temporibus eſſe judicant, mutationi tamen obnoxias fuiſſe non diffitentur. Sed id habet incommodi talis opinio, quòd illarum interpolationem quamdam admittat, quæ ſi locum habet, nova calumniarum ſeges Proteſtantibus offertur. Dicent enim, ut jam à multis dictum eſt, quæ ab Apoſtolo Jacobo tradita ſunt, ab illis quæ recentiores manus invexerunt, diſcerni non poſſe: addita quoque fuiſſe non pauca, quæ cùm vetuſtiſſima ſint, ipſi novitatis condemnant. Inde fit ut partes Liturgiarum propè nullæ, intactæ ab inofficioſa & temeraria illa cenſura relinquantur, eo magis, quòd aliquas, ut Invocationem ſancti Spiritus, & nonnullas alias, inter additamenta numerent. Verùm publicis Eccleſiarum officiis Sacramentalibus addita eſſe ſequentibus ſæculis, ea quæ omnium communi conſenſu inter ſacra recitabantur, interpolatio non eſt, ſed ad uſum cujuſque temporis accommodatio, publica autoritate, non privato cujuſcumque conſilio, aut per fraudem facta. Negent Proteſtantes à Concilii Nicæni tempore vocem ὁμοούσιον inter Eccleſiaſticas preces fuiſſe adhibitam, nube teſtium confutabuntur. Deſint notæ illæ certæ, publici uſus Eccleſiarum, Liturgia nulla erit, quæ publicam autoritatem habeat.

Quid veriſimilius videatur, nempe ſcriptas eſſe Li-

Quandoquidem porrò res in obſcuro eſt, adeo ut, quando Liturgiæ ſcribi cœperint, deſignari certis argumentis non

turgias ante Ephesinam Synodum.

possit, dandum aliquid conjecturæ est, sed ita, ut quantùm fieri poterit, non inanis illa sit, quales pleræque Criticorum quos carpimus, sed certa quædam fundamenta, quibus insistat, constituantur. Igitur Liturgias Græcas scriptas esse oportet ante Ephesinum Concilium, anno Jesu Christi CCCCXXXI. congregatum, in quo damnatus est Nestorius. Hujus conjecturæ ratio est, quòd Nestoriani, hæreticorum qui in Oriente supersunt antiquissimi, cùm Constantinopoli primùm emersissent, sedem illam occupante Nestorio, Liturgiam servaverunt Constantinopolitanæ in multis similem: & notam illa originis suæ habet, quæ videtur propè certa. In Liturgia Græca Chrysostomi, Invocatio Spiritus sancti super dona proposita istis verbis concluditur μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου ἁγίῳ *Transmutans Spiritu tuo sancto*, quæ in aliis Græcis, Syris, aut Ægyptiacis non reperiuntur, præterquam in Nestoriana. Nempe quia ritus Constantinopolitanos didicerant primi Nestorii sequaces, quos in Orientem, ubi plerique sedes fixerunt, transtulerunt. Itaque jam in codices relata erat tum Liturgia: & cùm Joannes Chrysostomus ab anno CCCXCVII. usque ad CCCCIV. quo secundò pulsus est, sedem tenuerit, potuit eo temporis intervallo preces sacramentales ordinare, atque id sufficiebat, ut ejus diceretur Liturgia, quæ ab eo ordinata fuerat.

Jacobi Liturgia scripta erat ætate Cyrilli Hierosolymitani.

Cùm verò annis aliquot antea Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses suas scripserit, in quibus particulæ quædam sunt ex Jacobi Liturgia desumtæ, scripto quoque comprehensam eam fuisse, quæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ propria foret, verisimillimum est. Syriacam enim ejusdem nominis, quæ ex Græca expressa est, dudum ante schisma Monophysitarum, qui postea Jacobitæ appellati sunt, in scripta relatam fuisse, suadet communis, qui etiamnum supereſt, illius usus, tam apud Orthodoxos, quàm apud Jacobitas. Illi quippe Sacramentales libros numquam ab hæreticis acceperunt: cùm isti contra, suos omnes ab Ecclesia Catholica abstulerint: nullus veterem sacrorum celebrandorum traditionem ita contemserit, ut novas eorum formas componere ausus fuerit. Accedit etiam, quòd Liturgia illa Jacobi Syriaca, Orthodoxis Jacobitisque communis, pura est ab omni novitate vocum aut sententiarum, quas hæresis introduxit, & idem circa Nestorianam observatur, qui character primæ vetustatis certus videtur.

Digitized by Google

Nam in aliis Eccleſiaſticis officiis, illis præſertim quæ ad pſalmodiam pertinent, frequentiſſima eſt vocum & ſententiarum ejus generis inſitio, quæ novitatis non dubium indicium eſt, ut in notis ad Liturgias obſervabimus. Sanè ſi non certum & exploratum, at ita veriſimile eſt, ut nihil contra dici cum aliqua ratione queat, Neſtorianos illos veteres qui Romano Imperio pulſi Meſopotamiam, conterminaſque Perſis provincias repleverunt, ut etiam Jacobitas, novos Sacramentales libros, Orthodoxorum libris tam ſimiles componere vix potuiſſe, niſi ſcriptos præ oculis libros habuiſſent. Nec advocandam in hujus conjecturæ ſubſidium exiſtimamus Orientalium traditionem, cujus teſtes Barſalibi & alii autores, à quibus Jacobum, congregatis in Cœnaculo Sion Apoſtolis & Diſcipulis, poſt illapſum Spiritus ſancti, Liturgiam ſcripſiſſe proditum eſt. Si enim in Originibus Eccleſiaſticis non magni facienda eſt Græcorum autoritas, ubi critices aliquid requiritur: multò minùs Syrorum, & Arabum, qui in hac doctrinæ parte Græcis omnino ſunt inferiores. Nec utemur Joannis Maronis autoritate, quem in Liturgiam Jacobi commentatum eſſe quinto ſæculo ſæpius inculcavit, viriſque doctiſſimis perſuaſit Abraham Echellenſis, ex futili & aliis Orientalibus incognita Maronitarum opinione.

Marci Liturgia ante Calchedonenſe Concilium.

Marci Liturgia, cùm Eccleſiæ Alexandrinæ propria fuerit, quin idcirco à nomine Evangeliſtæ appellata ſit, dubitari non poteſt: & eodem circiter tempore ſcriptam fuiſſe veriſimile eſt, ſaltem antequam per Dioſcorum, Eccleſia illa, duas in partes divideretur, quæ huc uſque, nullam habent inter ſe communionem. Itaque quod Syris, ita & Ægyptiis uſu venit, ut hæretici Sacramentalia officia foras exportarent, non ut Orthodoxi quidquam ab illis acciperent, quod neque ſinebat hæreſis odium, neque locum apud iſtos habere poterat: nam Eccleſia quondam florentiſſima, Euchariſticis orationibus, & reliquis ad Sacerdotii functionem legibus & inſtitutis abunde inſtructa, quidquam ab aliis doceri opus non habebat. Eadem poſt aliquot ſæcula, apud partem Orthodoxam & Jacobiticam obſervatur ſacrorum forma, quamvis in diverſa lingua, cùm Jacobitæ Coptica propè ubique ſolâ, Orthodoxi Græcâ uterentur. Iſti Liturgiam ſuam nomine D. Marci deſignaverunt, & unicam habuerunt: ea enim eſt de qua conſultus fuit Balſamon, à Marco Patriarcha Alexandrino, nam is erat Or-

Digitized by Google

thodoxus. Coptitæ verò, seu Jacobitæ, primam & præcipuam, quæ reliquarum duarum (tres enim habent) Canon esse solet, Basilio attribuunt : alteras Gregorio Theologo, & Cyrillo Alexandrino.

Cur Jacobitæ Ægyptii suam Liturgiam Basilio attribuerunt.

Hujus denominationis rationem aliquam, vel divinando assequi difficile est : una se offert quam ut conjecturam doctioribus expendendam proponemus. Cùm quarto & quinto sæculo, si non priùs, Liturgiæ, eam quam huc usque habuerunt formam accepissent, Græcæ Ecclesiæ Patriarchatus Constantinopolitani, duas susceperunt, alteram Basilii, alteram Chrysostomi, quem ritus ad usum Eccclesiæ cui præsidebat ordinasse, non vana Græcorum traditio est. Nam illa Ecclesia huc usque nullas alias Liturgias usurpavit, & pro suprema, quam in Græcas obtinuit autoritate, reliquas abolevit. Ægrè ferebant Alexandrini auctam fuisse majorem in modum dignitatem Constantinopolitanæ sedis, quæ olim Heracleæ subjecta, ne Metropoleos quidem honorem obtinebat. Itaque turbatum non semel ab illis est, cùm ex antiqua sua prærogativa negarent se inconsultis, Episcopum Constantinopolitanis dari posse. In Joannem Chrysostomum nimia ambitione peccavit multipliciter Theophilus Alexandrinus : neque Cyrillus ejus successor & ex fratre nepos, memoriæ viri sanctissimi satis æquus visus fuit. Unde in Historia Severi Aschmoninensis de tota hac controversia ne verbum quidem occurrit, fortè quòd de ea loqui non posset, sine Chrysostomi aut Theophili, Cyrillique, quem Jacobitæ impensè venerantur, contumelia. Itaque fieri potuit, ut cùm duæ Liturgiæ Basilii & Chrysostomi in codices relatæ fuissent, primam prætulerint, aut ejus saltem titulum suis Copticis, Jacobitæ præfixerint : neque enim Orthodoxi, aliter quàm D. Marci nomine Liturgiam suam appellaverunt. Antè sæculum nonum, jam vulgatum apud Coptitas erat, ut prima Liturgia Basilio adscriberetur : nam Severus Episcopus, qui historiam Patriarcharum Alexandrinorum scripsit, vocat eum Liturgiæ autorem : vivebat autem Severus sæculo decimo. At quandoquidem traditio Orientalium non satis antiqua, & minùs firma est, quæ ad Basilianæ Liturgiæ antiquitatem spectant, prosequemur ex Græcis Latinisque autoribus.

Græcorum traditio est Basilium Liturgiam scripsisse.

Græcorum, ut diximus, constantissima traditio est, Basilium, primum post Jacobum fratrem Domini, Liturgiam scripsisse. Proclum testem omnes laudant, neque de opusculi,

Digitized by Google

quo illius teſtimonium continetur, autoritate dubitant; quamvis à recentioribus Criticis vocetur in ſuſpicionem. At dudum ante quam Proclus ſcriberet, Baſilii Liturgiam in uſu fuiſſe apud Græcas omnes Eccleſias, ſi Hieroſolymitanam & Alexandrinam excipimus, certiſſimum eſt. Antiquius extaret de ſcripta à Baſilio Liturgia teſtimonium, in ipſius vita per Amphilochium Epiſcopum Iconienſem, ejus æqualem ſcripta, ſi legitima foret, & ejus autoritate Græcos uſos non fuiſſe, mirari non ſine ratione poſſumus. Neque enim criticâ tantùm valent, ut quæ Bellarmino, Poſſevino, & multis aliis, argumenta, ſuſpectam illam fecerunt, apud eos aliquid poſſent. Imo cùm Symeon Metaphraſtes vitam illam ſuo more interpolatam, collectioni ſuæ inſeruiſſet, nota illis eſſe debebat, neque magis ſuſpecta, quàm tot aliæ. Verùm diu antequam ſuo operi Symeon manum admoveret, ſæculo circiter dimidioque ampliùs, notiſſima Græcis eſſe debuit Baſilii vita per Amphilochium ſcripta, cùm jam ejus antiquam verſionem citet Æneas Epiſcopus Pariſienſis, in Tractatu adversùs Græcos, quem ſcripſit ante annum Jeſu Chriſti DCCCLXX. qui ei ſupremus fuit. Utitur enim ejus teſtimonio, eamque dicit de Græco in Latinum à quodam Græco, vocabulo Eveimio, de verbo ad verbum tranſlatam. Igitur Græcis nota erat duobus propè ſæculis antequam à Symeone Metaphraſte recenſeretur, ſi quidem decimo ſæculo vixit, ut Allatius multis argumentis probavit. Hæc porrò ſunt quæ in illa Amphilochii vita leguntur, & quæ refert Æneas Pariſienſis, in hæc verba. *Poſt quoddam autem tempus poſtulavit Deum, ut daret illi gratiam atque intellectum propriis ſermonibus offerre inſanguineum ſacrificium illi, & venire ſuper eum ſancti Spiritus adventum. Poſt dies verò ſex, ſicut in extaſe factus adventu ſancti Spiritus, ſeptima die apprehendente, cæpit miniſtrare Deo, per ſingulos dies. Et poſt aliquod tempus, fide & oratione, cæpit propria manu ſcribere miniſtrationis myſteria. Atque una nocte adveniens ei Dominus in viſione cum Apoſtolis, propoſitionem panis faciens in ſancto altari, excitavit Baſilium, dicens ei, ſecundùm ſuam poſtulationem. Repleatur os tuum laude, ut per proprios ſermones offeras inſanguineum ſacrificium, qui non ferens viſionem, ſurrexit cum tremore, & accedens ad altare cæpit dicere ſcribens in charta ſic, Repleatur os meum laude, &c.* ſcilicet reliquas Liturgiæ preces.*

Spicileg. T. 7. p. 79: Hiſt. Eccl. Par. l. 7. c. 7. p. 457.

De Simeonibus.

Agnoſcimus ſanè in iſta narratione, Græcorum φιλόμυθον; nec

Rejicitur teſtimonium ex vita Baſilii.

Digitized by Google

in vindicanda illius veritate operam abutemur : illud tantummodo obſervabimus ſimplicem illius narrationis ſenſum eſſe, Baſilium, antequam ſacras Liturgiæ preces ordinaret, Deum invocaſſe, eoque inſpirante opus perfeciſſe. Reliqua neque ſancti viri humilitati, neque diſciplinæ conveniunt, præſertim cùm in ipſa Liturgia preces occurrant illius temporibus antiquiores, ut ſunt Præfatio, hymnus Cherubicus, recitatio verborum Chriſti, Invocatio Spiritus ſancti, Oratio Dominica, *Sancta ſanctis*, & quædam aliæ ſacri Officii partes. Neque operæ pretium eſt viri doctiſſimi Jacobi Goarii exemplo, de concilianda Procli narratione, cum Amphilochiana ſatagere, cùm iſta mirabilibus illis ἐπιγονίοις novitatem ipſa ſuam ſufficienter prodat : altera ſimplex ſit magiſque veriſimilis, quam idcirco ſolam Trullana Synodus adoptavit. Ex ea enim ſatis confirmatur, pia omnium Græcarum traditio, ſecundùm quam preces Euchariſticæ quæ verſabantur omnium manibus, & ad altaria toto paſſim Oriente uſurpabantur, eſſe à Baſilio juxta receptam conſuetudinem ordinatas, uſuque Eccleſiarum probatas & confirmatas, exiſtimant.

Teſtimonium Petri Diaconi de Baſilii Liturgia.

Verùm extat antiquius multo, de Liturgiâ Baſilii jam ſcripta teſtimonium Petri Diaconi, & aliorum Monachorum, qui in cauſa fidei ex Oriente Romam miſſi fuerant, in libro de Incarnatione & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ad Fulgentium & alios Epiſcopos Africæ, Chriſti, ut aiunt, confeſſione decoratos : nempe cùm à Thraſamundo relegati ſunt in Sardiniam, unde anno DXII. reſtituta Africanis Eccleſiis ab Hilderico Hunerici filio pace, reverſi ſunt. Paulò poſt liber ille ſcriptus eſt, in cujus octavo capite hæc leguntur. *Hinc etiam beatus Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, in Oratione ſacri Altaris, quam penè univerſus frequentat Oriens, inter cætera : Dona*, inquit, *Domine virtutem & tutamentum : malos, quæſumus, bonos facito, bonos in bonitate conſerva, omnia enim potes, nec eſt qui contradicat tibi, cùm enim volueris ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* Laudatus eſt is locus à pleriſque Theologis, nobilioribuſque Criticis, obſervatumque ſimul eſt, ea verba neque in Græcis Codicibus exſtare, neque in Syriaca à Maſio interpretata, nec in Coptica. Verùmtamen præcipua ſententiæ pars, quæque ad quæſtionem à Petro Diacono, & reliquis adversùs Pelagianorum reliquias agitatam, maximè ſpectabat, in Græco textu legitur, τὺς ἀγαθὺς ἐν τῇ ἀγαθότητί

διατήρησον, τοὺς πονηροὺς ἀγαθοὺς πείησον, ἐν χρηστότητί σου. ut & in veteri versione Latina, *Bonos in bonitate conserva : malos bonos fac, in bonitate tua.* Ea sola particula viris doctissimis non observata, dimovere eos à præcipitata censura debuisset : omnes enim, etiam quorum diligentia meritò commendatur, negaverunt ea verba, quæ Petrus Diaconus allegavit, in Basiliana Liturgia reperiri. Inde statim judicaverunt, non pervenisse illam ad nos, nisi valde interpolatam : neque enim inventi sunt qui ad Goarii sententiam accederent. Is quippe dum vitam Basilii vulgò Amphilochio adscriptam, ut legitimum autoris cujus nomen præfert opus, defendere pertendit, duplicem ab eo Liturgiam compositam fuisse suspicatus est, quæ conjectura nullum in historia aut antiquis monumentis fundamentum habet, meritòque explosa est. At negari non potest, quin illa quæ retulimus, ea ipsa sint, quæ Petrus Diaconus citavit. Quòd si reliqua non eodem loco reperiuntur, probabiles adduci rationes possunt, cur etiamsi ita sit, non idcirco tamen suspectum ejus testimonium esse debeat. Nam sæpe observatur ab antiquis, quæ allegant ita referri ut verba ipsa non eo ordine quo extant in libris unde depromta sunt, recitent. Oratio de qua agitur occurrit inter multas alias quæ à Μνήσθητι, seu *Memento* incipiunt : atque ea ratione certum est quodammodo, prima testimonii verba : *Dona Domine virtutem & tutamen*, ex orationibus petita esse, ubi frequenter occurrunt, aut alia quæ idem significant, non minùs quàm in omnibus cujuscumque linguæ Officiis Sacramentalibus. Ultima verba ex alio quoque loco petita verisimile est : nam in orationibus continuatis, quæ à *Memento* incipiunt, subsequitur acclamatio τοῦ *Amen* vel *Kyrie eleison* : clausula verò non est nisi in omnium memoriarum fine. Illius autem formulæ non unæ sunt ; communior illa, *Quia tuum est regnum, potestas, virtus & gloria Patris, Filii & Spiritus sancti :* aut paulò aliter. Sunt tamen aliquando diversis verbis expressæ : ut *quia tu es sanctus Deus noster. Quia tu es misericors & miserator Deus,* & similes aliæ. Facilè igitur fuit, ut in Codicibus quos habebat Petrus Diaconus, hæc clausula alicubi reperiretur, cùm ex Scripturæ verbis contexta sit, extetque in variis Latinis Missalibus, imò & in Romano. Quidquid sit, constat ex Petri testimonio sua jam ætate, hoc est sexto sæculo labente & septimo ineunte, totum propè Orientem usum esse Basilii Liturgiâ, ne-

Till. T. 9. p. 304. 684.

que dubitatum, quin sacras preces quæ erant in omnium manibus ordinasset: atque est illa εὐχῶν διάταξις, de qua Gregorius Nazianzenus loquitur. Quæcumque verò ex orationum varietate, & exemplarium tam Græcorum, quàm Copticorum & Syrorum dissimilitudine petuntur argumenta, ad elevandam istius Liturgiæ autoritatem, sufficienter ex illis quæ superiùs dicta sunt dispunguntur. Sufficit præcipuas preces easdem esse, & quamvis verbis differant, in unam convenire sententiam, ut non supposititia judicetur; at qui Græcam, Syriacam & Copticam attentè legerit, agnoscet omnes ex uno limpidissimo fonte prodiisse.

Orat. 20.

CAPUT VI.

De linguis quibus Liturgiæ ab initio & ad hæc usque tempora celebrari solitæ sunt.

Opinio de tribus tantùm linguis ad Liturgiam usurpatis refellitur.

DE linguis quibus antiquitus celebrata Liturgia est, & quibus ad nostram huc usque ætatem apud Orientales celebratur, non quid facere Ecclesia debuit, sed quid observaverit constanti & non interruptâ disciplinâ, disquirendum est. Qui enim contra Reformatores, primi Ecclesiæ causam tuendam susceperunt, ita sunt in ea versati, ut in illas se ambages, ex quibus expedire se omnino impossibile sit, incauti conjecerint. Plerique scilicet quia tribus linguis, Hebraicâ, Græcâ & Latinâ titulus crucis inscriptus fuit, tres solùm illas in Liturgia celebranda usurpatas fuisse statuerunt. Hebraicâ tamen linguâ celebratam antiquitus fuisse, probare numquam potuerunt: nam si per eam intelligi voluerunt Hierosolymitanam, quæ tempore Jesu Christi vulgaris erat in Palæstina, quia in Novo Testamento ita vocatur; ne minimum quidem gustum linguarum Orientalium illos habuisse oportebat, qui hæc scriberent. Affinis est sanè Hebraïcæ, Chaldaïca illa Hierosolymitana, & ab ea ducit originem, ut Syriaca Mesopotamena; sed non magis eædem sunt, quàm Latina, Italica & Hispanica, quamvis à primâ per Barbariem contaminatâ suam traxerint originem. At purâ Hebraïcâ, quam plebs illiterata non intelligebat, primos Christi discipulos sacra sua celebrasse

lebraſſe nemo veterum memoriæ prodidit. Servatur quidem illius uſus apud Judæos : nam omnia illorum Officia, purâ & literali Hebraïcâ linguâ concepta ſunt : cùm tamen eorum quibus ab aliquot ſæculis utuntur, antiquitas non planè perſpecta ſit, fruſtra inde præſidium quæreretur opinioni, quæ nullum in originibus Eccleſiaſticis fundamentum habet, neque cum Eccleſiæ primitivæ moribus poteſt conciliari. In ejus quippe ſynaxibus ſacræ Scripturæ legebantur, ut in Synagogis fieri ſolitum erat : ſed etiamſi legebantur Hebraïcè : ſtatim vulgari lingua, verſiculatim exponebantur : & ea eſt origo Chaldaïcarum Verſionum, quæ *Targumim* appellantur. At factum id fuiſſe inter primos Chriſtianos, præterquam quòd probari nulla idonea ratione poteſt, ſi verum foret, ad eos pertinuiſſet tantummodo qui ex circumciſione erant : nihil ad reliquos. Inter iſtos etiam, cùm multi neque Hebraïcè, neque Chaldaïcè ſcirent, Scripturæ Græcè legebantur, ut etiam apud ipſos Judæos Helleniſtas, tum qui in Paleſtina, tum qui in Ægypto & in Aſia diſperſi erant. Græcâ etiam linguâ, certas orationes, quas Judæi quotidie recitare tenentur pronunciari potuiſſe, conſtat ex Reſponſis antiquiſſimis ſapientum, quæ in Miſchna continentur. Unde quidquid ſit de Scripturarum lectione, de qua nunc agimus, preces multas ſolennes vulgari lingua Hieroſolymitana pronunciatas fuiſſe conſtat, vel unico, ſed quod palmare eſt, argumento. Solenne eſt Judæis ab excidio templi ſecundi, Paſchale quoddam officium, quo exilium ſuum ſolari, & veri Paſchatis ſui imaginem quamdam adumbrare ſolent ; & id vocatur *Agadat happeſach*. In eo officio, Paterfamilias orationem habet ad eos qui ſimul Paſcha illud manducant, in qua antiqua Dei erga Iſraëlitas beneficia commemorat : omnia autem dicuntur Chaldaïcè, non Hebraïcè. Veriſimile porrò, eſt in præcipuo, quod inter illos ſupereſt religionis officio, ſervatam eſſe antiquam, quæ ſtante templo vigebat diſciplinam. Neque obſtat quòd nonnullæ benedictiones quas Paterfamilias recitat ſuper panem & vinum, Hebraïcè dicantur : breves enim ſunt formulæ ; paucis verbis conſtantes, quas ex uſu quotidiano quiſque intelligit. Itaque nec ex Judæorum antiqua diſciplina, nec ex Chriſtiana, aut ejus certis monumentis efficitur, ſacra myſteria, Hebraïcâ linguâ propriè dictâ celebrata unquam fuiſſe : quod tamen non pauci ſcriptores ; ſed infimi ſubſellii, magno mercati fuiſſe

Tract. Berachot.

Digitized by Google

viderentur ; quasi inde magna hodiernæ consuetudini autoritas accederet, cùm Hebraïcam linguam vulgo ignotam fuisse Christi tempore, extra dubium sit. His & similibus argumentis proditur Ecclesiæ Catholicæ causa, non defenditur : quippe si Hebraïca, quam intelligunt, lingua, Hierosolymitana fuit, vulgaris illa tunc erat ; & frustra contra Reformatores disputatur, si lingua vulgari sacra celebrata fuisse concedituir, quod tantopere fateri refugiunt illi Theologi.

Liturgiæ Græcæ lingua vulgari celebrabantur.

Sed circa Græcas Liturgias eamdem difficultatem experiri necesse est: nam eas celebratas fuisse lingua vulgari, tam certum est, quàm certum Græcos toto passim Oriente Græcè locutos fuisse, non Hebraïcè vel Latinè. Ubicumque igitur ea lingua vulgaris fuit, ibi ab initio rerum Christianarum sacra Græcè celebrata sunt : nempe per totam Asiam, Græciam, Ægyptum, & omnes tandem Imperii Macedonici provincias.

Apud Syros Syriacè.

In Syria, ubi populi plerumque bilingues erant, non Græcè modò, sed Syriacè Liturgia celebrabatur, præsertim extra urbes : nam rusticana plebs Græcè sæpe nesciebat, & in antiquis Conciliis animadvertere licet Episcopos qui Syriacè subscriberent & verba facerent, quia Græcæ linguæ imperiti erant. Hinc originem habuerunt Liturgiæ Syriacæ, quarum præcipua est antiquitas, cùm Schismatum initia antecedant, sintque Orthodoxis, Jacobitisque communes : & eamdem in sacris linguam, Nestoriani retinuerint.

Conc. T. 4. p. 279. 459. 640. 668. 669.

In Ægypto Ægyptiacè.

Eadem ratione in Ægypto utrâque linguâ officia celebrabantur, Græcâ quæ Alexandriæ & in inferiori provincia communis usûs erat, & Ægyptiacâ, quæ alibi passim vigebat, quod solo Antonii exemplo demonstratur. Græci sermonis erat ignarus, quamvis liberaliter educatus : & in Ecclesia cùm audiisset : *Vade, vende omnia quæ habes*, quasi sibi soli dicta, statim executus est. Hæc igitur verba Ægyptiacè legebantur : atque eâdem linguâ Liturgia celebrabatur. Quòd enim post schisma Monophysitarum servatum est per totam Ægyptum, ut sacra officia omnia Ægyptiacè celebrarentur, non ab illis hæreticis noviter inductum, ut sicut in Occidente Reformatores, Latinæ linguæ usum vernaculis commutaverunt, ita illi, Græcam quæ à multis non intelligebatur, reliquerint : nam, ut alibi observabimus, Græcam Jacobitæ aliquando usurpaverunt. Verùm quod consuetudine receptum erat, tenebatur,

Digitized by Google

neque quòd lingua vulgaris esset, idcirco à sacris arceri deberet existimabatur.

Proximi Ægyptiis Æthiopes, qui ab illis fidem acceperunt, missō ad eos per Athanasium Frumentio, quique post subactam à Muhamedanis Ægyptum, ad Jacobiticam hæresin transducti sunt per Metropolitas Alexandriâ missos, habent à multis sæculis Liturgiam Copticæ valde similem, Æthiopicâ si â linguâ, quæ olim vulgaris fuit, nunc nonnisi à doctis intelligitur. In Æthiopia Æthiopicè.

Armeni suo quoque nativo sermone dudum sacra celebrant, tum qui Orthodoxam fidem retinuerunt, tum Jacobitæ, ut Moscovitæ, seu Rutheni: Constantinopolitanæ sedi subjecti Russico, & alii quidam de quibus pauca admodum scimus: Itaque commentum illud de tribus tantùm linguis ad Eucharistiæ celebrationem adhibendis, ne vulgarium usus approbari videatur, futile prorsus & falsum est: cùm ex tribus illis, prima locum in Liturgia nunquam habuerit: duæ alteræ vulgares per aliquot sæcula fuerint; reliquæ de quibus diximus ad nullam trium referri possint, cernus tamen sit illarum usus, olim & huc usque, à Romanis Pontificibus non improbatus. Armeni Armenicè.

Protestantes, ad quos refellendos hæc argumenta inconsideratè excogitata sunt, ex præjudicatis suis opinionibus abierunt in alia omnia: cùmque receptam apud nos disciplinam de retinenda in sacris Latina lingua conculcassent, ex diversis Scripturæ locis, & Orientalium Ecclesiarum exemplo rectè se fecisse probare conati sunt, quòd lingua vulgari ubique officia sua celebrarent. Ea occasione cùm multi diversa testimonia collegissent, prodiit ante annos aliquot opus posthumum Jacobi Ussérii, quo sacras literas & officia Ecclesiastica, linguis vernaculis legi & celebrari oportere probandum suscepit. Præcipuum argumentum duxit ab Orientalium Ecclesiarum exemplo; *Syri enim*, inquit, *Syriacè, ut Græci Græcè: Copitæ Copticè, Armeni Armenicè, Æthiopes Æthiopicè sacra faciunt.* Ita sanè; neque tantum operæ ponendum fuerat, ad rei vulgaris & notissimæ probationem: neque illis exemplis Ecclesia Romana læditur; cùm ipsa quoque Latinam linguam, dum per Occidentem vulgatissima foret, ad psalmodiam & & Sacramenta adhibuit: nec fuit unquam inter Orientalem & Occidentalem disciplinam hac in parte diversitas, ut perspicuè demonstrabimus. Protestantium argumenta inde sumta nihili sunt.

Græcè Græci, Syriacè Syri Liturgias celebrant antiquitus: Nam omnes illæ

Digitized by Google

linguæ dudum vulgares esse desierunt.

id nemo inficiatur, nisi illi fortè qui bellum illud de crucis titulo argumentum admirantur. At quòd inde Usserius & alii collegere, sacra, eorum Christianorum quos enumerant, exemplo, populari sermone celebranda esse, falsissimum est. Quippe Syri Orthodoxi, Jacobitæ & Nestoriani Syriacam linguam, cujus ab aliquot sæculis usus vulgaris nullus est, non magis intelligunt, quàm plebs rusticana nostra, Latinam. Nestoriani singulari, & ignota reliquis Christianis Orientalibus consuetudine, ex quo in Mesopotamia sub Regum Persiæ patrocinio sedes fixerunt, Ecclesiasque multas occupaverunt, aut novas instituerunt, omissâ Græcâ linguâ, solam Syriacam usurpare cœperunt, eamque in Tartaria, Perside, Sinarum regione, & India, Sacramentis celebrandis propriam & unicam esse statuerunt. De Perside testantur libri veteres multi & inter alios, insigne Lectionarium Persicum Evangeliorum de circulo anni, in quo multa Syriacè occurrunt: tum varia ex Historia Catholicorum seu Patriarcharum illius sectæ exempla, quæ alibi referemus. De Tartaria quoque varia exstant ibidem testimonia, quæ Abulfaragii, Marci Pauli Veneti, Villelmi de Rubruquis, & aliorum qui eas regiones lustraverunt, autoritate confirmantur. De India Malabarica notissimum est ex sola Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi visitationis illarum Ecclesiarum relatione, & Synodo Diamperensi. De Sinis unicum, sed omni exceptione majus testimonium dat lapis Sinicus anno MDCXXV. in Provincia Xensi effossus, Syriacis Siniciscque characteribus insculptus: quo sacram illic fuisse apud Nestorianos Syriacam linguam certissimè probatur. Quis existimabit in remotissimis illis provinciis vulgarem fuisse linguam Syriacam? Ignotâ igitur linguâ jam ante annos mille Nestoriani, nullo Romanæ disciplinæ contagio afflati, Liturgiam celebrabant.

Syriaca lingua dudum plebi ignota.

Seriùs in Syria patrii sermonis usus obsolevit, cùm essent decimo & undecimo sæculo, qui eodem adhuc uterentur & scriberent: quamvis illi non tam vulgo illiterato, quàm doctis scriberent. Unde qui opera multa, & quidem meliori sæculo digna, edidit Gregorius Abulfaragius, Nomocanonem, Grammaticam, & alia nonnulla, ut pluribus prodesse possent, cùm Syriacè primùm scripsisset, Arabicè est interpretatus. Sunt tamen anni propè sexcenti, ex quo lingua Syriaca apud Syros ipsos non nisi studio, ut apud nos Latina, comparari solet: neque

Digitized by Google

idcirco antiqua disciplina, Liturgiam Syriacè celebrandi, mutata est.

Eadem ratio Coptitarum Alexandrinorum fuit, inter quos Ægyptiaca lingua, cùm ante Muhamedana tempora vulgaris foret, oblivioni tradita est, & in libris tantùm Ecclesiasticis conservata, si quosdam locos excipimus circa Ossiutam & in Thebaïde, ubi, teste Makrizio, viguit inter Christianos illius usus familiaris, cùm alibi extincta esset. At Alexandriæ & Cahiræ, ut olim vernacula erat Græca lingua, ita dudum Arabica locum ejus occupavit, & tamen Copticâ tantùm inter Jacobitas, sacra Officia celebrantur, quam Sacerdotes ipsi, nisi multùm operæ ad eam comparandam posuerint, non intelligunt. Neque idcirco venit ulli Patriarcharum Alexandrinorum in mentem, ut in plebis illiteratæ gratiam, antiqua consuetudo tolleretur, & vulgari Arabicâ, sacrum fieret. Illius utilitati consultum satis existimatum est, si Epistolarum & Evangelii lectiones Arabicè fierent, postquam Copticè pronunciatæ erant: tum Sacerdotibus juvandis, adjuncta est plerisque Liturgiarum codicibus interpretatio Arabica, ut eas meditari & intelligere possent, non ut versionibus illis inter publica Officia locus esset. Quamvis enim à multis autoribus memoriæ proditum sit, Arabicè apud Syrianos, hoc est Jacobitas Orientales, & quosdam Melchitas, Psalmodiam & Sacramenta celebrari, nihil tamen minùs verum. Adjunctæ sunt quibusdam Liturgiis versiones Arabicæ, ut in ea quæ Cyrillo tribuitur, Missalis Chaldaïci Romæ editi; & in libro Ministri, seu Ministerii Diaconici, ibidem edito. Attamen versionum illarum usus in publicis officiis nullus est, cùm institutæ sint ad juvandos Sacerdotes & Diaconos, linguæ Syriacæ minùs peritos. Exstant in variis codicibus manuscriptis Horologii, sive libri precum quotidianarum, versiones Arabicæ, & earum una anno 1514. Fani fortunæ edita est, sed hæc ad privatæ pietatis officia pertinent, non ad publica.

Ut apud Coptitas Ægyptiaca.

In Descript. Ægypti.

Æthiopes veterem linguam, qua scripta est illorum Liturgia, nisi eam studendo comparaverint, non magis intelligunt, quàm illiterati Syri vel Ægyptii Syriacam vel Copticam: nam eâ, quæ Amharica dicitur, loqui solent. Nec Armeni vulgò peritiores sunt antiqui sui sermonis, quo Officia scripta sunt: imò Græcos idiotas qui noverit, sciet eos literalis linguæ, quæ in Liturgiis & Psalmodia usurpatur, planè imperitos esse,

Apud Æthiopes Æthiopica.

unde Catecheſes, Conciones, & ejuſmodi pii libri barbarico ſtilo ſcribi ſolent, neque enim aliter intelligerentur.

Nulla in Oriente Eccleſia vernaculo ſermone ſacra celebrat.

Ex illis igitur manifeſtum eſt Uſſerium reliquoſque Proteſtantes, qui de ſacris vernaculis longos & laborioſos commentarios ediderunt, nihil egiſſe, cùm ne una quidem Eccleſia toto Oriente aſſignari poſſit, quæ vulgari, & quam plebs vernaculam habeat, linguâ, ad Liturgiam celebrandam utatur. Accuſant Romanam, quòd Latinam ſolam admittat; accuſari eodem jure poſſunt Orientales omnes, qui obſoletis quoque, & quas eruditi ſoli ſciant, linguis, ſacra faciunt. Dolo malo, ut fidelibus myſteria non pateant, id apud nos fieri calumniantur Proteſtantes: at certè doli nullius ſuſpicio olim eſſe potuit, cùm Romæ, totâ Italiâ, Africâ, multiſque aliis in provinciis Latinè omnes plerumque loquerentur. Cùm poſt Barbarorum incurſus, Latina lingua primùm inquinata, tandem penitus extincta eſt, non idcirco viſum eſt orationes ſacras, quæ quotidie ad altaria recitabantur, vernaculis commutare: plebis inſtitutioni proviſum eſt, per homilias & catecheſes in vulgarem ſtilum converſas: antiqua conſuetudo ſervata eſt. Pari modo Coptitæ: Syri Orthodoxi, Neſtoriani & Jacobitæ, Græci, Æthiopes, linguam longo uſu conſecratam, quamvis à vulgari alia abolitam retinuerunt.

Omnes antiquam linguam retinuerunt.

Sanè ſi quod Proteſtantes, idem Orientales Chriſtiani in animo habuiſſent, ſcilicet ſacra myſteria non poſſe illis precibus perfici, quæ à populo non intelligerentur, veteres Sacramentales libros ſuos, ut illi fecerunt, abjeciſſent, & vernaculos ſubſtituiſſent. Itaque Neſtoriani ſtatim cùm Seleuciæ & Cteſiphontis Eccleſiâ occupatâ, illic ſedem Antiſtitis ſupremi ſui conſtituerunt, eſſetque in familiari uſu & in ore vulgi lingua Perſica, tres ſuas Liturgias Syriacas omiſiſſent, & Perſicam illarum verſionem ſubſtituiſſent. Id tamen nunquam committendum arbitrati ſunt: verùm ſcripturas, & earum ſectiones quæ in Eccleſiis ad Liturgiam leguntur Perſicè interpretati, officia Syriaca antiqua ſua ſervaverunt, & poſteris tradiderunt. Eccleſias ſuæ ſectæ in Tartaria ſuperiori, & in Turqueſtania multas fundaverunt, imò & novas Metropoles erexerunt: ita quoque in India & in Sinarum Imperio. Liturgiæ tamen linguis Turqueſtanicâ, Indicâ, aut Sinicâ celebratæ ne veſtigium quidem occurrit: cùm contra Syriacam ubique adhibitam fuiſſe multis argumentis conſtet. In Ægyp-

Digitized by Google

to & Syria, Arabica lingua à Muhamedanis illata, vulgaris eſt ab annis pluſquam mille, nec aliâ plebs uti ſolet: at nihilominus nunquam Arabicè Liturgia celebrata eſt, cùm, ut dictum fuit, verſiones Arabicæ, quæ Copticis exemplaribus adjungi ſolent, juvandis Sacerdotibus, non Officiis publicè celebrandis deſtinatæ ſint. Melchitæ, ſeu Orthodoxi Alexandrini, Græcè in Ægypto ſacra faciunt, nec ullus eſt ad altaria linguæ Arabicæ uſus. Conſtantinopolitani, cùm inter Turcas verſentur, nunquam de Liturgia Turcicè vertenda cogitaverunt, ſed veteri Græca, quam plebs non intelligit, uti pergunt, ut ante mille trecentos annos obſervabatur.

Igitur Orientalium Chriſtianorum exempla, quibus Proteſtantes Romanæ Eccleſiæ diſciplinam impugnant, eam mirificè confirmare agnoſcuntur, cùm ratio ſit prorſus eadem retentæ linguæ veteris, quæ vulgaris olim fuerat, quam, etſi in deſuetudinem abiiſſet, mutari vernaculis verſionibus, nec Orientali, nec Occidentali Eccleſiæ placuit, ob antiquitatis reverentiam, qua ratione multa Græcè, etiam à populo dicenda, in Copticis Officiis conſervata ſunt. Nec in ſacris ſolùm, verùm in præcipuis rebus ad Eccleſiam ſpectantibus linguarum extinctarum uſus perſeveravit, quod ſingulari lege apud Coptitas tenetur, circa Ordinationes Epiſcoporum, præſertim Alexandrini Patriarchæ. Antiqua conſuetudo eſt, ut poſtquam electus fuit, conficiatur inſtrumentum, quo Epiſcopi, Archimandritæ Monachorum nomine, Presbyteri & Diaconi, teſtatum faciant talem, conſenſu communi electum eſſe Archiepiſcopum Alexandriæ. Illud inſtrumentum tribus linguis confici ſolet; Græcâ, quam ab illis qui ſcribendo adfuerunt non intelligi, ſatis probant ſpiſſi & frequentes contra orthographiam & grammaticam errores, etiam in melioribus hujus formulæ exemplaribus, ut in Pontificali Seguieriano. Copticâ, aliud exemplum deſcribi ſolet, quæ non magis à plebe intelligitur quàm Græca: tamdem Arabicâ, quæ ſola vulgaris eſt. Idem obſervatur in literis quæ vocantur Συσατικὰ, voce Græca, quibus acta Ordinationis Patriarchæ continentur, ut in illis quæ ad Ἐνθρονισμὸν ſpectant, quod etiam erga Epiſcopos, cùm ordinantur, obſervari ſolet.

Eorum exemplo diſciplina Romana confirmatur.

Iidem Alexandrini Iacobitæ, multas præ cæteris Chriſtianis particulas ſacri officii conſervaverunt, quæ inter Copticas orationes Græcè dicuntur. Ἄνω τὰς καρδίας. Ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον

Multas formulas Græcas Coptitæ in Liturgia ſua retinuerunt.

Digitized by Google

& reliquas præfationis formulas. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε. *Qui ſedetis ſurgite : Ad Orientem aſpicite*, & omnia ferme quæ à Diacono dicuntur ad populum. *Sanctus ter, pleni ſunt cæli & terra, &c.* Græcè quoque dicit Populus : ita frequens illa orationis formula, Κατὰ τὸ ἔλεός σου κύριε. *Secundùm miſericordiam tuam Domine, & non ſecundùm peccata noſtra :* tandemque celebris illa de corporis & ſanguinis Chriſti vera & reali in Sacramento præſentia, quam Græcè quoque pronunciare ex antiquiſſima conſuetudine ſolent. Imò in ſolenni acclamatione, quâ probare ſe teſtantur electionem novi Patriarchæ, Græcè loquuntur, non Copticè, aut Arabicè, clamando Ἄξιος, *Dignus eſt.*

In Monaſterio ſancti Macarii nihil in Eccleſia Arabicè legitur.

Norunt Hiſtoriæ Chriſtianæ Ægyptiacæ periti, quanta apud omnes, non Orthodoxos modò, ſed Jacobitas ipſos fuerit Ordinis Monaſtici dignitas, propter admiranda illa ſanctimoniæ exempla, quibus eremum illuſtraverunt Paulus, Antonius, Macarius & tot alii. Aucta eſt inter Jacobitas Monachorum veneratio, quòd poſt Synodum Calchedonenſem, omnia ferme Monaſteria Dioſcoro adhæſerunt, & adversùs doctrinam de duabus in Chriſto naturis acriter pugnaverunt. Illos præterea præ reliquis venerantur, qui in Monaſterio ſancti Macarii in deſerto Scetis, vitam religioſam profeſſi ſunt, quòd non modò fidei ſuæ, ſed diſciplinæ pariter eſſent retinentiſſimi. At in celebri illo Monaſterio, quod ſummam præ reliquis dignitatem habet, cùm alibi & in ipſa Patriarchali Eccleſia, vulgari Arabico ſermone legantur Epiſtolæ, Evangelia, & ſectiones veteris Teſtamenti : nihil omnino vulgari lingua legitur, idque ex vetutiſſima conſuetudine quæ in legem tranſiit, cujus teſtes ſunt Abulbircat & alii qui de Ritibus ſcripſerunt.

His probationibus omnia Proteſtantium argumenta refelluntur.

Atque hæc quæ diximus de uſu linguarum Orientalium in ſacris Officiis, ita certa & explorata ſunt, ut contradicere nemo, niſi rerum Orientis Eccleſiaſticarum imperitiſſimus, poſſit, & inutilitatem tot teſtimoniorum nihil ad rem ſpectantium, ab Uſſerio congeſtorum, ſatis demonſtrant. Neque nos movent tanta nomina, cùm de rebus notiſſimis agatur, quæ, ſi Uſſerii & aliorum Proteſtantium diligentiam fugerunt, ſunt tamen veriſſimæ. Ea porrò omnia quæ in adverſaria conjecerat, ad Verſiones ſacræ Scripturæ & Liturgias ſpectantia, hominis ſunt qui quæcumque occurrebant abſque delectu colligebat. Nam

quæ

Digitized by Google

quæ de utroque argumento habet, præsertim de Versionibus, à nemine scribi poterant qui leviſſimam illarum notitiam habuiſſet, ut alibi fuſius demonſtrabimus. De Liturgiis ita loquitur, ut nullam vidiſſe ſatis intelligatur. Deterius adhuc, qui Auctarium adjecit operi poſthumo, cujus conſilium fuit ut Catholicis fortiſſime malediceret, quod ſolum præſtitit, ſed novo & inuſitato more. Romanenſes, & Pontificios, & quid non, vocare nos ſolent: ſed qui *Hæreticos* abſolute vocaverit, Orthodoxis oppoſitos, rari fuere. Quinam enim & cujates ſunt Orthodoxi illi qui omnes Proteſtantium ſectas complectuntur? Non ſane Anglicana, in qua vivebat Eccleſia, quæ etiam Uſſerium Calviniſtam potius rigidum, quam doctrinæ ſuæ interpretem & defenſorem experta eſt. Sed hæc ſufficiunt: unum adjiciemus quo ſolo intelligetur quantum fidei eruditis illis habendum ſit. Eccleſiam Romanam jugulaſſe ſibi videntur, cum enumerant Orientales, qui ſuâ linguâ celebrant Sacramentalia officia. Ita ſit: at in ipſa urbe Roma editum eſt Miſſale Æthiopicum, Syrum item & Armenum: edita ſunt Evangelia Arabicè, Pſalterium: imo integra verſio ſcripturæ Arabica ante paucos annos. Pſalmi Syriacè & Arabicè in Monte Libano. Si hæc neſcierunt, cur de rebus ſibi incompertis ſcribunt? ſi diſſimulaverunt, ubi eſt bona fides? Qui linguas quibus ſacra fiunt à multis ſæculis plebi ignotas eſſe neſcit, plus etiam quam inter nos Latina lingua, diſcipulorum inter cathedras plorare jubendus eſt.

CAPUT VII.

De Liturgiarum Autoritate.

Liturgiarum magna in quæſtionibus fidei eſt autoritas.

SI quidquam in iis quæſtionibus quæ fidem & diſciplinam ſpectant elucidandis, graviſſimam autoritatem habet, teſtimonium omnium Eccleſiarum eſt, perſcriptum antiquitus, & temporum ſucceſſione continuatum & renovatum. Magnum hoc in genere pondus habent vetuſta Traditio, & conſentientium de præcipuis fidei diſciplinæque capitibus ſanctorum Patrum ſcripta, Decreta Conciliorum & reliqua Eccleſiaſtica monumenta. Sed inter illa maximam dignitatem obtinent ea, quæ totius quodammodo Eccleſiæ vocem & teſti-

Digitized by Google

monium exhibent, quia ubique cognita & probata sunt, & in illis non Episcoporum modò, sed plebis etiam suffragia continentur. Tales porrò sunt Liturgiæ, de quibus huc usque diximus, & quarum commendatio præcipua, non tam à nominibus eorum quibus tribuuntur, quàm à communi usu Ecclesiarum, quæ à multis sæculis ad altaria iis utuntur, petenda est. Nihil non moliti sunt Protestantes, ut eas tanquam supposititias rejicerent, quod scilicet sæculis quibus scriptæ dicuntur, multa non convenirent, neque autoribus quorum nomina præferebant; quod argumentum quàm imbelle esset, demonstravimus. Nemo tamen Criticorum illorum, aut probavit, aut probare aggressus est, Græcas Liturgias Jacobi, Marci, Basilii & Chrysostomi, ab antiquissimis temporibus usurpatas non fuisse Hierosolymis, Alexandriæ, totâque Græciâ & Asiâ, neque de illa quæstionis parte, quæ momenti maximi est, videntur cogitasse. Omnes enim calculos Riveti, Usseriique aut ejus editoris evertebat, qui frigido diagrammate, vernaculorum sacrorum Chronologiam exposuit, ut scilicet ab Antichristo nato, hoc est circa Gregorii I. sæculum superseminata fuerint ab homine inimico messi Dominicæ, hæc Liturgiarum zizania. Certum enim est, omnibusque testimoniis confirmatum, ducentis ut minimùm annis ante ridicula illa Antichristi μυθολογία, receptam ubique inter Christianos fuisse illam celebrandæ Eucharistiæ formam, quam Græci codices repræsentant, exiguâ prorsus, aut nullâ inter veteres recentioresque differentiâ, quæ ad partes officii sacri essentiales pertineat: neque vel leviſſimis indiciis novam sacra faciendi formam usurpatam fuisse, quæ cum Protestantium disciplina conveniat, probare quisquam potuit. Nestoriani jam ante multos annos ab Ecclesia divulsi, similem Græco ritum ad se transtulerant: & paulo post Jacobitæ suum quoque, Græco simillimum quotidie celebrabant. Igitur ex sola temporum observatione refellitur inanis illa fabula, nutriculis potiùs quàm Theologis digna, quæ tamen paucis confutanda est.

Diss. de sacris vernaculis.

An ab Antichristo quem natum Protestantes volunt sub Gregorio I. ortum habeant Liturgiæ.

Natum esse in Occidente & quidem Romæ insignem illum ad deformitatem puerum Antichristum, omnes qui hanc egere fabulam pertendunt, adeo ut stupidi illis videantur Græci septimi & sequentis sæculi, quod Antichristi signa Muhamedi accommodaverunt. Negotiosum sanè nobis Calviniſtæ Antichristum suum repræsentant, qui non modò totum Occiden-

Digitized by Google

tem, ſed Orientem quoque paucis annis ita corruperit, ut Apoſtolicæ & Evangelicæ illius Cœnæ, de cujus forma nunquam convenire inter ſe potuerunt, ne veſtigium quidem ſuperfuerit. Verùm nato tantùm & adhuc in cunis vagiente Antichriſto, jam dudum mutatam eſſe ſacrorum omnium faciem oportuit, cùm illam ipſam, quæ huc uſque inter illos viget, Neſtoriani & Jacobitæ non modò ſervarent, ſed ut à majoribus, communibuſque doctoribus traditam & uſurpatam, quotidiano uſu frequentarent. Erant inter illos & Orthodoxos de fide continua certamina, & multorum de illis controverſiis ſcripta ad nos pervenerunt. Proferant Proteſtantes vel unum autoris idonei teſtimonium, quo Jacobitas vel Neſtorianos accuſatos fuiſſe conſtet, quòd novam Euchariſtici Officii formam introduxerint; quòd inter preces, ſanctorum, & præcipuè Beatæ Virginis, nomina recitaverint; quòd pro mortuis oraverint; quòd verba Chriſti ſuper oblata panis & vini dona religiosè pronunciaverint; quòd ſuper eadem Spiritum ſanctum invocaverint, quòd aquam vino miſcuerint. Sunt enim hæc zizania Rivetiana, quæ ab Antichriſto nondum adulto, toto Oriente, non minùs quàm Occidente ſuperſeminata eſſe neceſſe fuit, ut recto ſtet fabula talo. Græci, ſerò tamen, de Azymis Latinos calumniari cœperunt, quod fecerunt etiam Melchitæ qui Græcam Eccleſiam ſequuntur. Jacobitæ Ægyptii Syros accuſaverunt novitatis, quamvis in eadem Monophyſitarum ſecta eſſent, quod paululum ſalis & olei oblatis inderent: omnes adversùs Armenos acerrimè invecti ſunt, quod vinum abſque aqua calici infunderent. Qui in minimis tam exactè veteri diſciplinæ adhærebant, ut ab ea deflectere flagitium exiſtimarent, nemo eos ſuſpicabitur in maximis &, in tota ſacri officii diſpoſitione, negligentes adeo fuiſſe, ut pro Apoſtolica illius celebrandi forma, novam, ſuperſtitioſam, &, quod Rivetum & alios ſcribere non puduit, hiſtrionicam ſubſtitui tranquillè paterentur. Jacobitas accuſavit Iſaacus Catholicus Armeniæ quod novas Liturgias compoſuiſſent, quamvis earum ordo & ſententiæ receptis inter Orthodoxos conformes eſſent; & eadem ratione Balſamon, Marci & Jacobi appellatas, ſupprimendas judicavit, quia vulgò receptis non erant omninò ſimiles. Quid futurum fuiſſet, ſi illæ cum antiquis commune nihil habuiſſent, non magis quàm Officia celebrandæ Cœnæ apud Proteſtantes.

Digitized by Google

Orientales Liturgiæ dudum antea in uſu erant.

Itaque indubitatum eſt Græcas, de quibus ſupra dixmus Liturgias, jam quarto ſæculo, in tota Orientali Eccleſiâ, ut aliarum ne memoria quidem ſit, ab omnibus Chriſtianis, tanquam Apoſtolicam & Evangelicam celebrandæ Euchariſtiæ formam continentes, fuiſſe receptas. Idem de Copticis & Syriacis ſtatuendum eſt, quarum uſus æquè certus: ſimillima quoque eſt & maximè gemina, orationum rituumque diſpoſitio, ut ad unum & idem exemplar expreſſæ agnoſcantur. Eadem apud Græcos, Syros, & Coptitas de earum antiquitate & autoribus traditio: cùm, ut illi Jacobum primum autorem eſſe credunt, ita Syri ad eum primam & præcipuam ſuam referunt, Græci Alexandrini ſuam ad Marcum, Eccleſiæ ſuæ fundatorem: quæ opinio illis temporibus nata & propagata, quibus Critices lumen nullum erat, nihil aliud ſignificat, quàm quòd Apoſtolica traditione eas acceperint. Id ſi verum non eſt, caruiſſe neceſſe foret Eccleſias Orientales communi & ubique probatâ Sacramentorum celebrandorum formâ, quod ne cogitari quidem poteſt; aut aliam habuiſſe Apoſtolicæ illi Proteſtantium ſimilem, quæ per eam cujus uſus conſtat non interruptus ad hæc uſque tempora, abolita fuerit: utrumque abſurdiſſimum eſt, tamen ex Critica Riveti ſequitur neceſſariò. At Criticum rationibus & certis ex hiſtoriâ probationibus confirmare oportebat, quæ contra communem opinionem alios docere aggrediebatur; neque enim vanis declamatiunculis, & maledictis quidquam proficitur; ſed qui ad ea confugiunt, produnt ipſi ſe ſe, dum fatentur quodammodo argumentis ſe autoritatibuſque deſtitui. Clament igitur Rivetus & ſimiles, ſuppoſititias eſſe Liturgias, quia non ſcriptæ ſunt totidem ſyllabis à Jacobo, Marco, Baſilio & Chryſoſtomo; nihil efficient, modò conſtet publicus nec interruptus per multa ſæcula illarum uſus, de quo ne cogitaſſe quidem videntur.

Autoritas ex uſu Eccleſiarum major eſt quàm ex privati autoris nomine.

Ex eo ſcilicet potiùs quàm ex titulis quos poſteri illis addiderunt, aut etiam ex autorum dignitate, ſtabilitur illarum autoritas, circa doctrinam & diſciplinam. Sunt enim non unius quantumvis magni Doctoris, voces & verba, ſed Eccleſiarum, quæ cum unanimi conſenſu eam ſacrorum formam, preceſque probaverunt, legis illa vim obtinent, quâ, ſi ſacras literas excipimus, major eſſe nulla poteſt. Nec id noviter excogitatum eſt, cùm precum Eccleſiæ teſtimoniis

Digitized by Google

Auguſtinus Pelagianos confutaverit, ut à Cæleſtino Pontifice, & aliis factum eſt. Ita quidquid in Jacobi Græca Liturgia legimus, teſtimonium totius Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & aliarum quæ eâdem utebantur, fuit, quod majus eſt quàm ſi Apoſtoli ipſius opus fuiſſet, cùm in Canone ſcripturarum, quamvis eum autorem haberet, recepta non ſit. Similiter in Marci Grecâ, aut Ægyptiaca, totius Eccleſiæ Alexandrinæ fidem agnoſcimus: ut in Syriacis, Syrarum, in Græcis Græcarum Eccleſiarum. Velim ſcire num Eccleſiæ Orientales omnes rectè de Trinitate ſentiant: cùm ubique Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tanquam unius ſubſtantiæ, invocari video, quin fidem in Concilio Nicæno ſtabilitam profiteantur, dubitare non poſſum. Ita cùm Mariam Θεοτόκον videmus in precibus Liturgicis, aut aliis appellari, ſcimus illos qui ita loquuntur, à Neſtoriana hæreſi abhorrere.

Pari ratione, ſi quis lectis Albertini aut aliorum hujus ætatis Calviniſtarum, maximè Claudii, commentariis commotum ſe ſentiat, quòd eos affirmantes videat doctrinam realis præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia, natam eſſe in Romanæ Eccleſiæ ſinu, Græciſque & omnibus Eccleſiis Orientalibus eſſe ignotam, conſulat libros Orientalium Eccleſiaſticos, agnoſcet malam hominum fidem, cum ſumma ignorantia & incredibili temeritate conjunctam. Quæ enim major eſſe potuit, quàm hominem, quem vix Græcè ſciviſſe quiſque agnoſcit; qui Orientalium linguarum erat planè expers, rerum multo magis, eâ confidentiâ, quæ vix in doctiſſimis & hoc in ſtudiorum genere ſubactis ferri poſſet, affirmaſſe ea, quæ ſolâ librorum qui ſunt in omnium manibus, inſpectione confutantur. Unde factum eſt, ut cùm Albertinus, vir infinitæ lectionis, omnia prope veterum ſcripta ſcrutatus eſſet, in quibus de Euchariſtia ſermo eſt, & quæcumque magis perſpicua ſunt ad metaphoricos ſenſus detorqueret, de multis quæ in Liturgia paſſim occurrunt, verbum vix fecerit. Intelligebat quippe ſatis, orationes ſimpliciſſimas, & quæ à plebe audiebantur, repudiare ſententias illas abſtruſas quæ ſubtilis Theologus vix intelligat, & quas viri minùs doctrinâ & eloquentiâ, quàm ſanctitate celebres, propriis verbis facilè expoſuiſſent, non illis quæ aliud omnino ſignificant, ſi ſimpliciter accipiantur. Cùm enim populus audiebat Sacerdotem, ſingulari oratione invocantem Spiritus Sancti illapſum ſuper dona propoſita, ut

Simplex eatum lectio omnia Claudii argumenta refellit.

Digitized by Google

adveniens efficeret panem quidem corpus Christi; vinum & aquam sanguinem Christi, ea transmutando virtute divina, nemo existimaverit circumstantes Christianos, ea verba ita accepisse, ut panem & vinum non magis crederent corpus esse & sanguinem Christi, quàm ipsi essent. Ita enim brevem illam, sed omnia significantem Liturgiæ partem *Corpus Christi*, ad quæ verba fideles respondebant, *Amen*, interpretatus est Albertinus.

Simplex illarum stilus coactas interpretationes, non admittit.

Concedamus ejus admiratoribus, esse in sanctorum Patrum sententiis obscura multa, quæ luce indigeant, cùm oratoriè quædam dixerint, ad quorum similitudinem ea quæ de corporis Christi vera & reali præsentia scripserunt, interpretari oporteat. Tamen cùm de sacris mysteriis ad fideles, aut ad recens baptisatos verba faciebant, nunquam minùs rhetoricabantur: sed demus ita esse. In Liturgicis precibus nullus rhetoricæ aut amplificationi locus. Cùm hortatur Diaconus, ut stent omnes in timore & tremore ante quàm sacra actio incipiatur, & antequam invocetur Spiritus Sanctus, nonne ipsa verba significant exspectari insigne aliquod divinæ omnipotentiæ miraculum: quod si non esset, non magis eo loco, quàm in aliis quibuscumque Liturgiæ partibus adhibenda foret similis hortatio, aut rejicienda ad Communionem, quo solo tempore, qui realitatem verbo tenus agnoscunt, fieri per suscipientium fidem: id quod vetus Ecclesia docuit & Orientales omnes credunt effici superlabente in dona proposita Spiritu sancto, sicut ad Incarnationis mysterium, in Virginem supervenit. Communem Ecclesiæ fidem contra Arianismi instauratores de Christi divinitate & Spiritu sancto ipsi & Patri consubstantiali, omnes propè Liturgiarum paginæ repræsentant, simulque scripturæ testimonia eodem sensu referuntur, quo Ecclesia Catholica intelligi illa, jubet. Beatæ Mariæ Virginis dignitatem, ejus & omnium Sanctorum invocationem, ut pro nobis apud Deum intercedant, preces pro mortuis, Crucis signum ubique ad benedictiones & consecrationes adhibitum: humani generis ruinam & corruptionem per Adami peccatum, divini auxilii necessitatem ad omne opus bonum, & omnia tandem fidei capita, sacris illis precibus breviter, sed perspicuè continentur.

Continent vocem Ecclesiæ.

In illis igitur, non doctoris alicujus eximii, non Concilii, sed totius Ecclesiæ vox auditur, cùm inter se consentiunt, ut

Digitized by Google

ſanè mirus illarum in iſtis omnibus conſenſus eſt, non Latinarum modò & Græcarum, ſed Copticarum, Syriacarum, & reliquarum, ſi pauca excipiuntur, in quibus Neſtoriani & Jacobitæ veneni ſui quidpiam inſtillaverunt, qua de re dicetur poſtea. Nec inaniter aut oratoriè dictum intelligi debet, vocem totius Eccleſiæ precibus publicis, præſertim Euchariſticis contineri. Nihil enim inter ſacra myſteria fidelibus proponebatur, quod non Antiſtitum judicio probatum eſſet, aut antiquitus traditum: ſucceſſuque temporis & longo uſu autoritatem ab aliis Eccleſiis accipiebat, quæ cum reliquis communicabant, quod fieri non potuiſſe certiſſimum eſt, ſi in aliqua preces uſurparentur, quæ aut erroris ſuſpicione, aut novitatis laboraſſent. Res exemplis manifeſtior fiet. Quæcumque communem Eccleſiæ fidem ſpectant, antequam per Neſtorianos & Jacobitas ſciſſa fuiſſet, ea leguntur in omnibus Liturgicis, aut aliis Sacramentalibus officiis, etiam illorum hæreticorum: quia ſcilicet neceſſaria ad ſalutem dogmata fidelibus ita faciliùs inculcabantur. Exorti ſunt Neſtoriani qui ab Eccleſia ſecedentes, ſacramenta, & Liturgiam abſtulerunt, & propriam ſibi fecerunt. In ea vix quidquam ab illis inſertum reperitur, quod ad erroris ſui commendationem ſpectet, &, ut videtur, ne id facerent religione tenebantur; cùm in aliis precibus venena ſua liberè ſparſerint. Jacobitæ poſtea intactam quoque Liturgiam ſervaverunt ab illis additamentis, quæ ad unius in Chriſto naturæ profeſſionem ſpectare videbantur, & quæ ſerò tandem, ultimæ parti inſeruerunt in Confeſſione, quæ paulò ante Communionem ſolet fieri, & liberiùs in aliis Orationibus. Si cauſam quærimus, nulla veriſimilior occurrit, quàm communis apud omnes religio, ne Officio Liturgico adjicerentur, quæ primitus in illo non extabant, in ſanctiori præſertim parte quæ *Canon*, *Actio*, *Anaphora*, appellatur. Nempe verba illa erant totius Eccleſiæ, potiùs quàm eorum qui formas illas ſcripto comprehendiſſent.

Maxima eſt hoc in genere Romani Canonis ſimplicitas, quæ ſummæ antiquitatis non leve indicium eſt: nam neque illa quæ Græci & Orientales piè addiderunt de conſubſtantiali, de Θεοτόκῳ & aliis quibuſdam habet, & eſt Orientalibus brevior. At in multis Occidentalis Ritus Liturgiis, quæ eumdem Canonem ſequuntur, plurima etiam ad erudiendos fideles inſerta ſunt, in Orationibus quæ Collectæ apud nos dici

Ex illis veritas fidei probata.

Digitized by Google

ſolent, & in Præfationibus, aut Benedictionibus, quæ in antiquis codicibus Miſſæ Gothicæ, Gallicanæ, Ambroſianæ, Moſarabicæ, aut aliis leguntur. De dogmatibus Eccleſiaſticis quæ Trinitatem, aut Incarnationis myſterium ſpectant, pauca occurrunt, quia ex quo extinctæ ſunt hæreſes quæ utrumque oppugnabant, vix illæ in Occidente repullulaverunt. Unica ſolùm extat quæ etiamnum uſurpatur in feſto Trinitatis, quod olim non celebrabatur, niſi ſub nomine Dominicæ primæ poſt Octavas Pentecoſtes. In ea Præfatione fides Trinitatis enucleatiùs proponitur. De reliquis pauca reperiuntur, quia Neſtoriana & Monophyſitica hæreſes magis in Oriente quàm in Occidente graſſatæ ſunt. Verùm cùm in Africa Hiſpaniis vicina & in Galliis, Pelagiana multos infeciſſet, in illis quas deſignavimus orationibus occurrunt permulta, quæ fideles doceant de imbecillitate ſua, de neceſſitate gratiæ ad omne opus bonum, & doctrinæ adverſus Pelagianos & eorum reliquias, a Conciliis promulgatæ capitibus ſummam contineant.

Cæleſtini &c. de ea re teſtimonium.

Nihil porro ad autoritatem orationum Eccleſiæ confirmandam, ſimulque illuſtrandam omnium Eccleſiarum diſciplinam accommodatius eſt verbis Cæleſtini I. Pontificis, quæ idcirco referre operæ pretium erit. *Præter beatiſſimæ & Apoſtolicæ ſedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos ſii ſimi Patres peſtifera novitatis elatione dejecta, & bona voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam, ad Chriſti Gratiam referre docuerunt, obſecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Eccleſia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cùm enim ſanctarum Eccleſiarum præſules, mandatâ ſibimet legatione fungantur apud divinam clementiam humani generis agunt cauſam, & totâ ſecum Eccleſia congemiſcente, poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides: ut idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus: ut Judæis ablato cordis velamine lex veritatis appareat: ut hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant: ut Schiſmatici ſpiritum redivivæ caritatis accipiant: ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur: ut denique catechumenis, ad regenerationis ſacramenta perductis, cœleſtis miſericordiæ aula reſeretur.*

Cæleſt. Ep. ad Gall. Epiſc. c. 11.

Eadem ratione uſus eſt Petrus Diaconus teſtimonio ex Baſilii Liturgia deſumpto, ut Remigius Lugdunenſis. Quod igitur à

De tuenda verit. ſcript. p. 216.

ſanctis

ſanctis Eccleſiæ doctoribus factum eſt; dum ſanam adversùs Pelagii ſectatores doctrinam, Liturgiis tanquam Eccleſiæ totius voce confirmaverunt; non minori jure fecerunt noſtra ætate inſignes Theologi, cùm Euchariſtiæ fidem earum autoritate adversùs Proteſtantium novitates propugnaverunt. Cùm enim de aliis doctrinæ capitibus, non niſi per occaſionem in ſacris Officiis, aliquid dici poſſit, at propriùs quodammodo locus explicandæ fidei de Euchariſtia, in illis eſt.

Quantùm valeant ad probandam fidem de Euchariſtia.

Sacræ Scripturæ verba in quibus præcipuè fundata eſt, ita ſimpliciter commemorantur, ut ſimplici & literali ſenſu intelligi eadem oporteat, à plebe præſertim, quæ ſubtilium interpretationum minùs capax, dum elementa panis & vini intelligit fieri corpus & ſanguinem Chriſti, moxque ut conſecrata ſunt, non aliter appellari: cùmque eadem communicantibus præbentur, audit à ſacerdotibus hoc quod illis datur, non jam eſſe panem & vinum ut videntur, ſed corpus & ſanguinem, deque ea fide confeſſio pronunciatur, non poteſt aliam in animo opinionem habere, præter eam quam verba ipſa præferunt. Omnium quippe interpretationum, quibus literalem & ſimplicem Chriſti verborum ſignificationem invertere Reformatores conati ſunt, nulla in antiquitate præſidium habet, aut ulli veterum Patrum in mentem venit. Nemo inter eos quorum ad nos ſcripta pervenerunt monuiſſe animadvertitur in Homiliis aut Catecheſibus populum, ne crederet ex ſimplici verborum ſignificatione, id quod accipiebant verè eſſe corpus Chriſti, imò graviter inculcabant, ut ita crederet. Senſuum repugnantia, humanæ rationis oppoſitio, non ad probationem adhibebantur, ſed tanquam objectiones refellebantur. Quantùm verò ſimilia verba ſimpliciter accepta valeant ad inferendam fidem realis præſentiæ, vel eo ſolùm ſatis efficitur, quòd Proteſtantes hæc omnia ſuſtulerunt. Veteres dicebant dum ſacramentum præberetur: *Corpus Chriſti*: reſpondebatur, *Amen*, qua ſola voce teſtabantur Chriſtiani credere ſe id quod ſuſcipiebant eſſe corpus Chriſti, & primus, niſi fallimur, id negavit Albertinus.

Confirmatur id ex comparatione Liturgiarum Proteſtantibus uſitatarum.

In Anglicana Eduardi VI. Liturgia, mutata hæc formula non fuiſſet, niſi veritatis ſibi conſcii ejus artifices, illam cum nova ſua Theologia conciliari non poſſe intellexiſſent. Hanc igitur ejus loco ſubſtituerunt: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti quod pro te datum eſt, cuſtodiat corpus, & animam tuam, in vitam*

æternam. Et ad calicem : *Sanguis D. N. J. C. qui pro te effusus est, custodiat animam tuam in vitam æternam*. Ita in prima editione anni 1547. In secunda, hæc verba prorsus omissa sunt, & eorum loco hæc substituta : *Accipe & comede istud, in recordationem quòd Christus pro te mortuus est, & nutri te ex eo in corde tuo per fidem, cum gratiarum actione*. Ad calicem : *Bibe hoc in recordationem, quòd Sanguis Christi pro te effusus est, & gratias age*. In Liturgia quæ deinceps reformata est, utraque forma conjungitur : & servata est à Jacobi I. tempore ad hanc usque diem. In Liturgiâ tamen Scotica quam Carolus I. proposuerat, & quæ ipsi exitio fuit, secunda illa pars omissa est. Hæ verò toties refictæ formulæ sacramenti administrandi, tales sunt, ut eas pronunciare, audire, & *Amen* respondere æquè possint, qui realem quamdam, sed nunquam satis explicatam præsentiam & receptionem corporis Christi credunt, ut puriores Anglicani, & qui eam rejiciunt.

Agnoverunt simplicem Confessionem, ad realis præsentiæ fidem referri.

Duo itaque in animo habuisse videntur emendatores illi doctrinæ & disciplinæ, simplicem scilicet confessionem uno verbo comprehensam, cùm panis consecratus communicantibus præberetur, significasse illum esse corpus Christi : saltem significationem quæ statim in mentem veniret, talem esse. Tum agnovisse verba quæ inter publicas solennesque preces recitantur, maximum ad fidem illorum qui iisdem utuntur demonstrandam pondus habere, unde tam anxiè dederunt operam ut in sua Liturgia, nihil omnino quod ad realis transmutationis doctrinam duceret, relinqueretur, tandemque novâ formulâ opiniones novas suas confirmaverunt, ita ut per fidem suscipi corpus Christi, non aliter, testatum apud eos esset, secundum articulum illum fidei Anglicanæ, *medium quo accipitur fides est*. Ut igitur ex simili formula, quidquid multi Britanni Theologi dixerint, meliùs quàm ex ipsorum scriptis probatur in ea communione præsentiam realem nullam agnosci, ita ex Orientalibus Liturgiis perspectiùs demonstratur, Orientalem Ecclesiam in contraria prorsus sententia esse, & porrò fuisse.

Art. Relig. §. 8.

Novum argumentum ex Liturgiâ Coptica.

In ea scilicet sacri Officii parte, quamvis nemo dubitaret, id quod sacerdos in disco elevatum ostendebat, esse corpus & sanguinem Christi, ne tamen successu temporum esset dubitationi locus, simplici & antiquæ formæ plenam expressamque confessionem Orientales addiderunt, quod fecerunt præser-

Digitized by Google

tim Ægyptii per illa verba *Corpus ſanctum & ſanguis pretioſus Emmanuelis Dei noſtri*: quæ verba, nullius Doctoris aut Patriarchæ, aut privati cujuſcumque eſſe cenſenda ſunt, ſed vox totius Eccleſiæ Alexandrinæ, quæ iiſdem à mille ducentis annis utitur. Tantum autem abfuit ut explicatior illa confeſſio diſpliceret, ut non modò in omnes codices recepta ſit, verùm etiam aucta, dum ſacerdos, & communionem accipientes confitentur, credere ſe, id quod in diſco vident eſſe corpus Chriſti, ſed addunt illud eſſe ipſum quod accepit ex Maria Virgine, in quo paſſus eſt, reſurrexit, & ad cœlos aſcendit, à quo divinitas ne momento quidem ſeparata ſit. Etſi verò non iiſdem verbis, at ſententiâ eâdem Græci ſimilem confeſſionem pronuntiant, paulo ante communionem, ut Syri & omnes tandem: Chriſtumque quaſi præſentem alloquuntur, & ad eum preces dirigunt. Nec minùs perſpicua ſunt quæ in Orationibus gratiarum actionis occurrunt ejuſdem fidei teſtimonia. *Perp. T. 4. l. 3. c. 2.*

Cùm igitur illorum autoritate Catholici probant, eos de Euchariſtiæ ſacramento credere, id quod in Eccleſia Romana creditur, non paucorum hominum, aut eorum qui preces Euchariſticas in ordinem redegerunt, ſed totius Orientis Chriſtiani teſtimoniis muniti ſunt. Objiciunt Proteſtantes, puerilem ſuam adversùs Liturgias næniam, quòd falſis titulis commendentur, quòd interpolatæ ſint, quòd recentes. At quæ tandem protervia eſt, rejicere veluti non ſatis antiquas, quarum nulla tam recens eſt, quæ non multis ſæculis, vetuſtior ſit omnibus Cœnæ celebrandæ formulis? Licuiſſe volunt hominibus privatis, contra leges omnes Eccleſiaſticas, milleque & ducentorum amplius annorum conſuetudinem, illas fingere & refingere, ita ut maxima ſit inter omnes diverſitas, & Orientalibus Chriſtianis non licuit preces aliquas, pias & de quarum ſententia omnes Eccleſiæ conſentirent, officiis ſuis inſerere, quæ in unam & ultra hominum memoriam antiquiſſimam formam convenirent. At, quodcumque tandem Proteſtantium ſit de Liturgiis judicium, quin ex illis fides Orientalium Eccleſiarum certò eliciatur negari non poteſt, etiam ſi neſciatur à quibus ſcriptæ ſint. Verùmut Lutheranis, Helveticis, Anglicanis, Genevenſibus Cœnæ celebrandæ formis, non ex autorum nomine comparatur autoritas, ad probandam illorum qui illis utuntur, fidem, ſed ex uſu & approbatione, *Certum continent Liturgiæ Eccleſiarum quæ illis utuntur teſtimonium.*

Digitized by Google

ita de Orientalibus Liturgiis ſtatuendum eſt ; cùm habeant præterea commendatricem longinqui temporis antiquitatem, quam aliæ non habent.

Orationes confirmant Eccleſiæ Catholicæ.

Orationes porrò illæ, quàm perſpicuè faveant Catholicæ Eccleſiæ placitis, vel eo ſolo demonſtratur, quòd de illis ne verbum quidem fecerint Proteſtantes, cùm tamen in Græcis & in Copticis, Æthiopicisque Liturgiis quæ ante plures annos Latinè editæ ſunt, legatur Confeſſio fidei, de qua mox diximus, ante ſacramentorum ſuſceptionem : atque adeo ignorari non potuerint, ab illis, qui ex quibuſdam illarum locis peſſimè interpretatis, objectiunculas quæſiverunt. Officium ſive ἀκολουθία τῆς ἁγίας μεταλήψεως, in Horologio Græcorum, à ducentis annis multoties editum eſt, in quo plura etiam continentur, & de eo quoque magnum eſt ſilentium. At ingenio & ſubtilitate nemo ſatis valuit, ut quæ perſpicua ſunt in alienam prorſus ſignificationem avertantur. Nam ſi de antiqua formula *Corpus Chriſti. Amen*, auſus eſt negare Albertinus, eam ad ſacramentum, quod ſimul præbebatur, eſſe referendam, ſatis ſuperque ex diſciplina refellitur, cùm Ægyptii in Græca ſua, ut etiam in Coptica Liturgiâ, ea verba pronuntiantes, oſtendant ſimul in diſco ſacro Euchariſtiæ particulam, imo in Ordinationibus ſacerdotalibus, & Epiſcopalibus, eam in manu ordinatorum collocant, dum Confeſſio ſyllabatim ab Ordinante ſuggeritur.

Significationem verborum probant ritus adjuncti.

Nempe quamvis talis Orationum perſpicuitas ſit, ut ab illis pronunciari, qui realem traſmutationem rejiciunt, nullatenus poſſint, ſignificationem tamen illarum determinat diſciplinæ ratio, ea quam Liturgiæ repræſentant. Neque in illa ſolùm parte quæ Communionem ſpectat, ſed in omnibus aliis, talis illa eſt, ut adverſus coactas interpretationes omnes, ſola ſufficiat. Præparatio panis Euchariſtici, vaſorumque ſacrorum, veneratio elementorum etiam antequam conſecrentur, quia mox tranſmutanda ſunt in corpus & ſanguinem Chriſti Domini : religioſa pronuntiatio ejus verborum, cum circumſtantium acclamatione, aut per *Amen*, aut per brevem fidei conteſtationem : attentio ad Invocationem ſpiritûs Sancti : elevatio Euchariſtiæ, cùm dicitur *Sancta Sanctis* : eaque, de qua mox diximus, Confeſſio : modus adminiſtrandæ Euchariſtiæ : unio utriuſque ſpeciei : cura religioſa ne quid in terram decidat, aut effundatur, & alia omnia quæ in notis ad

Digitized by Google

Liturgias explicabuntur, absque fide realis præsentiæ locum habere non possunt. Neque alia causa fuit cur omnia hæc Reformatores sustulerint.

Sunt in Liturgia Anglicana vestigia quædam veteris disciplinæ, ut genuum flexio, quæ præscribitur ad suscipiendam communionem, & Orientalibus quoque omnibus communis est. Isti signum istud venerationis ita præscribunt, ut in dubio non relinquant, quia vera adoratio significetur. At in Rituali Anglicano, monitum adjicitur, ne quisquam existimet, ullam elementis consecratis adorationem deferri, quia, inquiunt, eadem remanent in propria sua substantia. Evolvantur Rituales omnes libri Coptitarum Syrorumque, aut aliorum; nihil simile occurrit, imò procumbere jubentur communicantes usque ad terram, fascias capitum deponere, & Christum tanquam præsentem intueri. *Ejusmodi ritus Protestantes sustulerunt aut interpretati sunt.*

Antiquissima, & in Concilio Nicæno memorata consuetudo fuit, ut moribundis daretur Eucharistia, ne quis sine necessario viatico ex vita decederet. Eam ob causam servabantur particulæ, quod apud Græcos huc usque fieri solet, ut & toto Oriente. Ex illa disciplina certò elicitur, illos non minùs quàm primitivam Ecclesiam credidisse, ipsius sacerdotalis consecrationis virtute elementa panis & vini fieri, id quod priùs non erant, neque in solo usu & manducatione recipi corpus Christi: illam etiam consuetudinem Reformatio sustulit. *Infirmorum communio.*

Deferebatur olim ad absentes Eucharistia: ex qua consuetudine, eadem fides probatur: & id quoque in Reformatione omissum est, etsi suæ ætatis testis Justinus Martyr, consuetudinis illius meminit. Ea si in Occidente dudum obsolevit, diversa prorsus causa fuit, cùm reservetur ad viaticum morientium, quod Orientalibus in usu est à multis sæculis. Dabatur in manus fidelibus, ut domum deferrent, & quotidie, aut quando necessitas urgebat, communicarent: neque fieri id poterat, nisi apud eos qui firmissimè crederent, etiam extra Liturgiam, Eucharistiam esse corpus Christi, & quod semel factum erat transmutationis miraculum, permanens esse, neque solùm, *vescentibus in Cœna Domini*: verùm etiam particulas consecratas servantibus, esse corpus & sanguinem Christi. In primis Ritualibus sub Eduardo VI. institutis, consuetudinis vetustæ illius mentio interjicitur, sed ut aboleatur tanquam ad superstitionem degenerans. Obsoleverat quidem *Eucharistia absentibus missa.*

dudum in Occidentali, non minùs quàm in Orientali Eccleſia, ſed utrobique ex magna erga ſacramentum religione, præſertim cùm in publica Chriſtiani cultûs libertate non videretur neceſſaria. At alia prorſus ratio Proteſtantium fuit, ex quorum doctrina, non ſuperſtitioſa modò, ſed inanis & frivola fuiſſet reſervatio, non corporis Chriſti, quod, ut ipſi loquuntur, *in*, *cum*, & *ſub pane* eſſe negant, ſed panis ſimplicis, quo qui veſceretur, nihil præter panem acciperet, quia non *veſceretur in Cœna Domini.*

Elevatio Euchariſtiæ.

In Liturgiis Græcis, quæ adjunctas diſciplinæ ſacramentalis regulas habent, vulgò rubricas, ut ſunt omnes ferme quæ ab annis octingentis aut ampliùs deſcriptæ ſunt, paulò ante communionem, dum inclamatur *Sancta Sanctis*, elevatur Euchariſtia, & hic ritus vocatur Ἁγία ὕψωσις, *Sancta elevatio*: omnes in genua procumbunt, adorantque ſacramentum; neque ad teſtandam fidem ſuam dicunt, credere ſe corpus Chriſti datum fuiſſe pro ſalute ſua, & ſanguinem ejus effuſum: verùm ad eum tanquam verè præſentem preces ſuas dirigunt, eam præſertim quam latro in cruce pendens, fudit: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum*: ſcilicet, ut explicant Orientales Theologi, quemadmodum latro in cruce, turpi ſcilicet & ignobili ſupplicio, omnibus malis oppreſſum Chriſtum, Deum agnovit, ita & Chriſtiani in pane eum agnoſcunt. Multæ in Græcorum, Syrorum, & Coptitarum Officiis eo tempore dicuntur ad Chriſtum preces, quæ non niſi ad Deum dici poſſunt, atque adeo ſummum adorationis cultum continent: nulla ſimilis in Proteſtantium formulis. Igitur ex elevatione & adoratione Euchariſtiæ, quæ Ritualibus præſcribitur, tum ex precibus, certò concludimus, Orientales omnes qui tales ritus & preces habent, fidem ſine qua nihil ſimile admitti poteſt, habere; ut ex contraria prorſus Proteſtantium diſciplina, magnaque illorum ad omnia illa abolenda attentione concludimus, nihil minùs illos credere, quàm quod Orientales credunt, cum Eccleſia Catholica.

An ritus illi novitatis ſuſpicione aſpergi poſſint.

Erunt fortaſſis, qui circa ritus illos litem movebunt, quia ſunt codices antiqui in quibus non exſtant: atque adeo veluti recentius introducti, ex quo mutatio doctrinæ invecta eſt, rejicientur à ſuperciliosis illis Criticis. Verùm tametſi ſacramentales libri veteres Latini, Græci & cujuſcumque lin-

Digitized by Google

guæ, enucleatam rituum descriptionem non contineant, nam aliunde petebantur, non idcirco novitatis suspicione aspergendi sunt, quasi tunc primùm instituta disciplina sit, quando Liturgiis inscribi cœpta est. Multos habemus Codices Latinæ Missæ, Alcuini, Amalarii, Walafridi Strabonis, Micrologi & aliorum qui de ritibus Eucharisticis scripserunt sæculo recentiores, quorum nullus eos ritus repræsentat, quos autores illi accuratissimè enumerant. Vetustos Græcos observamus, qui solas orationes habent, de ritibus prope nihil: alios qui plura: recentiores qui ritus etiam brevissimè connotant. Idem quoque observatur circa Liturgias Orientales. Nulla inde circa rituum novitatem idonea conjectura duci potest: nam ut Latinos, multi datâ operâ ante annos mille, minutatim in libris suis consignaverunt; ita Græcos Germanus Patriarcha, & complures alii: Syros Dionysius Barsalibi ante sexcentos annos: neque enim Joannem Maronem numeramus, cujus nomine viri quidam docti ex solo Maronitarum superioris sæculi testimonio abusi sunt: alii quoque Barsalibio antiquiores anonymi. Copticos designat multis in locis Severus Episcopus Aschmoninensis, & post illum alii multi, eosque Codicibus Liturgicis accommodavit Gabriel 88us Alexandrinorum Jacobitarum Patriarcha. Nemo illorum, ritus se novos instituere, aut antiquos reformare professus est, sed unusquisque eos qui in Ecclesia sua recepti erant, designavit: atque illorum antiquitatem, sola cum omnium Ecclesiarum disciplina conformitas satis demonstrat.

Sed quando tandem, aut quibus autoritatibus probaverunt, etiam qui maximâ eruditionis famâ inter Protestantes floruerunt, novitatem illorum rituum, qui perspicua orthodoxæ circa Eucharistiam fidei documenta continent, Orientalium præsertim de quibus ne verbum quidem fecerunt. Neque enim Hospiniani, Molinæi, Plessæi, & aliorum circa sacrorum rituum ab Ethnicis originem ineptias hoc erudito sæculo reponere quisquam ausit: & illa Romanam solam Ecclesiam spectant, non Græcam, vel Orientales, quæ cum illa commune nihil habent, à multis sæculis. Nam si quidquam valeret odiosa hæc comparatio, in rebus indifferentibus locum invenire posset, cùm pia veterum Antistitum prudentia superstitiosas varias consuetudines, per ritus innoxios aboleverit: at hæc ad sacramentum Eucharistiæ non pertinent. Sunt ritus sin-

Novitatem objiciunt sed non probant Protestantes.

gulares nonnulli, quos ſoli Græci uſurpant, ut uſus gladioli quem vocant ἁγίαν λόγχην, *ſacram lanceam*, quâ panem Euchariſticum dividunt, dicendo ſimul, *unus militum lanceâ latus ejus aperuit*: aquam calidam calici immittunt paulo ante communionem. Hæc & ſimilia Latini noſtri, & ipſi Syri & Coptitæ Jacobitæ aliquando exagitaverunt, quia uſu apud ſe recepta non erant, ut etiam quod pane ante aliquot dies præparato uterentur, quod Latinis etiam objiciunt: & quòd Liturgiam abſque Diacono celebrarent. Non eadem porrò iſtorum rituum ratio eſt, & aliorum in quibus ſumma religionis continetur, ut adoratio Euchariſtiæ, & attentiſſima minimarum particularum cura, ne decidant, ne muceſcant, ne calix effundatur, & ſi quæ ſunt alia. Illa quamvis ad Liturgiæ diſciplinam referantur, rarò tamen in Codicibus Liturgicis perſcripta ſunt; ſed alibi, ut apud nos, maximè in Pœnitentialibus & Canonum Collectionibus. Cùm verò multa de illa diſciplina dici à Proteſtantibus ſoleant, ut doctrinam Eccleſiæ labefactent, paucis de illius autoritate tractandum eſt. Priùs tamen explicanda eſt objectio quæ cùm aliquo colore opponi poſſet ſuperiùs expoſitæ de Liturgiarum autoritate doctrinæ: non quòd ſimile quidquam Proteſtantibus qui illas impugnaverunt, in mentem venerit, ſed quia in illis capitibus quæ ad religionem pertinent, bona fide agendum eſt.

Objectio quæ fieri poteſt adversùs ſuperiùs dicta.

Dicent igitur, rationes quibus Liturgiarum autoritatem ſtabilire conati fuimus, eo vitio laborare, quòd, ut in Scholis Dialecticis aiunt, nihil probent, quia nimis probant. Si enim ad fidei explicationem, aut confirmationem, tanta illarum eſt vis & autoritas, ſequeretur inde magna in rebus Theologicis confuſio. Ut enim ex Coptitarum Liturgiis nos Catholici veriſſimam & ſubſtantialem elementorum tranſmutationem probamus, ita ex illis ipſis Monophyſitarum doctrinam admittere cogemur: & Neſtorianam hæreſin, ſi Liturgiarum Neſtorianarum teſtimonio deferimus. Sed facilis reſponſio eſt. Liturgiarum quarum dignitatem, Sanctorum Patrum exemplo maximi faciendam contendimus, autoritas in eo poſita eſt quòd Eccleſiæ vocem repræſentant, quæ loquitur omnium gentium linguis, ut Auguſtinus ait, quia in unitate eſt omnium gentium. Unitas porrò illa fidei eſt cujus, ut antiquitus ab Apoſtolis traditæ & ab eorum ſucceſſoribus tranſmiſſæ, depoſitum ſervaverunt ſingulares Eccleſiæ, quarum

Digitized by Google

quarum voces audiendæ sunt, cùm ea loquuntur quæ semper & ubique credita sunt. Tunc non tam illæ audiuntur, quam Pastor bonus, qui audiri se testatus est, ab illis qui ejus discipulos audierint: ovibus scilicet suis, quæ non noverunt vocem alienorum. Ita cùm non Orthodoxos modò, sed Nestorianos & Jacobitas videmus perspicuis verbis in Liturgia, publicisque & privatis precibus, fidem de Eucharistia suam ita contestari, ut non nisi per coactas & violentas interpretationes, verba in aliam sententiam trahi possint, præter eam quæ tenetur in Ecclesia Catholica, fidem ejus agnoscimus. Neque fides illa singularis illis est, sed omnium fidelium, cùm semper, ubique, & ab omnibus servatam illam fuisse, velut antiquitus traditam, præter alia multa, Orientalium Ecclesiarum ab ea dudum per hæresin aut schisma divulsarum, consensus demonstret. Verùm si, ut in Liturgia Nestorii, quidpiam quod ad hæresin illius insinuandam pertineat, animadvertimus: aut, ut in Ægyptiacis, Monophysiticæ interspersa semina, jam non Ecclesia loquitur, sed alieni, quorum vocem Christi oves non audiunt, scilicet quia de novitate doctrinæ constat: tum quòd non ubique, sed inter solos Nestorianos & Jacobitas, hæc audiantur & probentur, & ab aliis omnibus Christianis cum horrore rejiciantur.

Attamen ex illis utilitas quoque capi potest: quippe quòd tametsi adversùs communem & perpetuam Ecclesiæ universalis doctrinam nihil possunt, valent tamen magnopere ad cognoscendam eam, quam sectæ illæ profitentur. Nam cùm Jacobitas videamus in Confessione fidei, quæ fit ante communionem, etiam dum unam in Christo naturam confitentur, rejicere confusionem, commistionem & alterationem, illos ab Eutychis hæresi abesse certissimum est. Cùm in illorum Diptychis inter sanctos quorum memoria fit, Dioscorum, Severum & similes nominatos animadvertimus, de Eutyche ne verbum quidem: frustra illos accusari quod eum sanctis adnumerent, certò intelligimus. Et quandoquidem apud omnes Jacobitas ubique idem observamus, maximum illorum Liturgiæ ad significandam illorum fidem pondus habent, & omnium testimoniorum loco esse possunt, quod de Nestorianis quoque est intelligendum. In illis quoque sua est utilitas.

Jam de disciplina, quæ pars Liturgiarum est, resumenda est oratio.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De disciplinæ Liturgicæ quæ Rubricis aut Ritualibus libris continetur autoritate.

Ritus omnes Eucharisticos Reformatores abolevérunt.

QUod de veteribus hæreticis à Tertulliano dictum est, simplicitatem vocant prostrationem disciplinæ cujus apud nos curam lenocinium vocant, idem de Reformatoribus meritò dici potest. Conculcatâ semel Ecclesiæ autoritate, quod antiqua celebrandæ Eucharistiæ forma, omnes illorum rationes ita conturbaret, ut cum illis consistere non posset ullatenus, novas componere coacti sunt, ad exemplar, ut existimabant, Cœnæ Evangelicæ & Apostolicæ: de quo tamen nunquam inter ilios convenit. Lutherani cùm pauca quædam ex antiquitatis veneratione retinuissent, quamvis præcipua sustulissent: alii purioris, ut jactabant, reformationis autores, hæc etiam ut superstitionem redolentia sustulerunt, simplicitatem affectantes, quæ licet nihil præter munditiem, & modestiam haberet, zelotis multis nimiùm visa est ad Papisticam Missam accedere. Illius verò temeritatis in commutanda penitus Eucharistica disciplina, cùm primaria causa fuerit novæ fidei introductio, contemtâ Patrum autoritate; at secundaria quodammodo fuit antiquorum rituum ignorantia, quæ calamitoso illo sæculo, & magna inter omnes Theologos, & in Reformatoribus summa fuit. Omnes enim ritus quos abolendos statuerunt, tanquam inventa Romanæ Ecclesiæ haberi voluerunt: ignari vix ullum esse qui à primis sæculis, & toto passim Oriente, receptus non fuisset, quo solo omnium Ecclesiarum consensu perpetuo, ab omni suspicione liberabantur.

De præscript. c. 41.

Ne antiquam fidem in memoriam revocarent.

Intellexerunt sane ex ritibus ita eluceſcere veterem de reali transmutatione doctrinam, ut si servarentur, verendum fuisset ne ex illis reviviſceret antiqua fides, solo inveteratæ consuetudinis testimonio, quod caviſſe videntur, qui reverentiæ causâ genuum flexionem ad communionis susceptionem retinentes, monuerunt simul ne de adoranda Eucharistia cogitaretur. Ea tamen admonitio purioris Reformationis profeſſo-

Digitized by Google

ribus tanti visa non est, ut eâ contenti fuerint, sed genuum flexionem, & aliâ propè omnia cultus religiosi signa tollenda penitus judicaverunt, nec tamen omnibus satisfecerunt. Agnoverunt igitur magnam ritibus & cæremoniis inesse vim ad ea significanda, quæ circa fidem aliquid obscuritatis habere viderentur: multo magis cùm non obscuris, aut ambiguis, sed perspicuis verbis adjunguntur, qualia sunt ea omnia quibus orationes Liturgicæ constant. Nam cùm ad populum, non ad Theologos solos proferuntur, statim incurrit animo simplex nec involuta sententia, quam Ecclesia Catholica solam semper agnovit, nec aliam Nestoriani, Jacobitæ aut alii veteres hæretici intellexerunt. Ubi verò iisdem verbis simpliciter acceptis ritus accedunt, per quos ambiguitas verborum, si qua foret, discuteretur, aliud intellexisse qui illis ritibus utebantur, fieri non potest: aut saltem ratione aliquâ, ne simplices deciperentur, providissent. Id enim necessariò Protestantibus, qui levem aliquam disciplinæ veteris umbram retinuerunt, faciendum fuit, cùm nuda cæremoniarum signa, eam quam abjecerant fidem in memoriam revocarent.

Argumento speciolo ex neglectu disciplinæ circa Eucharistiam usus est Claudius.

Itaque cùm de Orientalium Ecclesiarum, non minùs quàm Græcæ circa realis præsentiæ & Transubstantiationis doctrinam concordiâ disputari cœptum est, quod seriò factum ante nostra tempora vix fuit, famosus ille Claudius, qui arte & ingenio valebat, doctrinâ, cùm primùm scribere cœpit, erat omnino mediocri, intelligens quanta vis consensus illius omnium Ecclesiarum esset, negavit impudenter probari quidpiam simile posse. Argumenta quibus ὁμολογίαν illud suum confirmaret, nulla protulit; si unum excipimus, quo maximè triumphare sibi visus, est negligentiam scilicet Græcorum & Orientalium, in celebranda aut servanda Eucharistia: ut omnium quæ Transubstantiationis fidem sequuntur omissionem aut ignorationem. Quàm falsò hæc affirmaverit ex solis Itinerariis, aut contemtissimis autoribus, alibi probatum est. Verùm quandoquidem causam vicisse arbitrabatur, si talis esset, qualem ipse finxit, Orientalium disciplina, hoc est nulla, autoritatem sacrorum Rituum incautus & invitus agnovit. Nondum explicata satis erat illius controversiæ pars, cùm Claudius gloriæ satur, à scribendo conquievit: atque adeo probationes ex Ritibus petitæ, intactæ hucusque permanserunt. Pauci ejus admiratores aut discipuli, quam disputationem imper-

Digitized by Google

fectam reliquerat, attigerunt, nempe cùm argumenta ex Actis & Epistolis ex Oriente transmissis & quæ III°. volumine continentur petita, evertere conati sunt. Fredericus quidem Spanhemius Actorum illorum autoritatem impugnavit, sed iis rationibus, quæ ne quidem suæ sectæ hominibus satisfecerunt: nec meliora protulit Smitheus: nam ultimum impugnatorem nominare pudor esset, satis alioqui ignorantiæ, stuporis, calumniæ & maledicentiæ convictum. At nec illi, nec si qui fuerunt alii, rituum mentionem fecerunt. Itaque non tam illorum argumenta, quàm Claudianæ defensionis consectanea, & quæ ex ipsorum sententia probabiliter dici possunt, excutiemus.

Perp. T. 3.

Rituum mentionem Protestantes vix faciunt aut novos esse pertendunt.

Cùm Liturgias explodunt ut novas, & interpolatas, falsisque ex titulis, quibus huc usque commendatæ sunt convictas, ritus qui illarum partem faciunt, rejiciendos quoque affirmare illos oportet. Si qui magis eruditi videbuntur, ulteriùs progressi, negabunt eamdem esse Rituum qui Rubricis continentur, & Liturgiarum autoritatem, cùm illæ desint in antiquis Codicibus: in aliis, magna circa illas lectionum varietas observetur. Hæc sanè amore veritatis à nobis proferuntur, ex Protestantium ratis sententiis, consectanea potiùs quàm argumenta, cùm de rebus Liturgicis aut Ritualibus nullus inter eos tolerabiliter scripserit: eas Claudius penitus ignoraverit.

Ritus, etsi scripti non essent, vigebant tamen.

Quod de Liturgiis dictum fuit, earum scilicet partes præcipuas & sacramentales, quamvis initio scriptæ non fuissent, traditione tamen, usu, & consensu omnium Ecclesiarum ab omni suppositionis notæ satis vindicari, id potiori jure de disciplinæ regulis, quæ in rubricas digestæ sunt, dici debet. Scriptæ non erant, sed sacerdotes & reliqui altarium ministri, illas tenebant, & ex usu quotidiano notissimas habebant. In Liturgiarum Græcarum vel Latinarum contextu, de aqua vino miscenda nihil præscribitur: & tamen Cyprianus eos qui aliter facerent, ex communi Ecclesiarum disciplina coarguit, de qua hæsitant Protestantes, quia nullum de ea mistione præceptum occurrit in sacris literis. Eucharistiam ad absentes ferri, & à fidelibus domum asportari docent infinita exempla; nihil tamen scriptum de ea consuetudine tunc erat. Eadem moribundis deferebatur ex antiqua lege, ut dicitur in Nicæno Concilio: lex illa scripta non extat, observabatur tamen. Infantibus dabatur Eucharistia, in Baptismo & in Synaxibus:

Conc. Nic. Can. 13.

Digitized by Google

ſervabatur illa ad Miſſam Præſanctificatorum: domi etiam à fidelibus. Facta hæc eſſe ſcimus & diu viguiſſe: nec tamen in Rubricis quidquam ſimile legitur: ut neque de cura religioſa circa Euchariſtiam, quæ omnia nec omiſſa, nec noviter introducta eſſe, conſtat ex certis antiquorum teſtimoniis, quorum multa alibi relata ſunt. Illud verò obſervatione dignum eſt, quòd, cùm Claudius, non ſine commiſeratione ignorantiæ adverſariorum ſuorum, negaſſet ullum diſciplinæ præſentis apud veteres eſſe veſtigium, unde eam ex Tranſubſtantiationis opinione natam & propagatam eſſe concludebat, ignoraverit ipſe in Theodori Cantuarienſis, Bedæ, Reginonis, Burchardi, Yvonis & aliorum collectaneis, eſſe quàm plurima ejuſdem diſciplinæ teſtimonia. De Græcis autoribus nihil dicimus, nam eos nec de titulo quidem, Claudius noverat; Orientales multo minus. Et tamen quæ erat hominis confidentia, qua ſi Latinos omnes libros, Græcos, Syriacos, Arabicos, Copticos, Æthiopicos evolviſſet, nihil in illis eſſe unde adoratio ſacramenti, aut religioſa donorum conſecratorum cura probari poſſet, affirmavit. Reliqui hanc controverſiæ partem vix attigerunt: tantùm abeſt, ut novi quidquam, quo Claudiana affirmatio juvaretur, produxerint. Itaque ſi ſummo jure ageretur poſtulandum eſſet, ſolummodo ut εὐδόξον illud argumentis ſaltem probabilibus confirmaretur, ſed quia non contendendi, verùm veritatis in clara luce collocandæ ſtudio, hæc tractare aggreſſi ſumus, ulterius progrediemur. *Perpet. T. 4. l. 9. c. 5.*

Quæ ſit Græcorum, Latinorum & Orientalium diſciplina Euchariſtica, non ex rumoribus, aut vana relatione hominum aliud agentium, neque ſatis fide dignorum, ſtatuere oportet, cùm illa ex publicæ autoritatis libris petenda ſit. Illam autem habent Rituales cujuſcumque linguæ, ex quibus intelligitur quid obſervandum Eccleſia quæque præſcripſerit. Si quid contra peccatum eſſe animadvertitur, legem non facit, præſertim cùm pœnæ adversùs diſciplinæ tranſgreſſores, & quidem graviſſimæ ſtatuantur. Jam à primis Eccleſiæ ſæculis, horror fuit ſacrorum munerum profanatio, quod etiamſi vetuſtiſſimis teſtimoniis non probaretur, Athanaſii, Oprati, Palladii & Chryſoſtomi autoritate certum eſt. Neque valde laborandum ut ad ſummam uſque vetuſtatem teſtes alii conquirantur, cùm ſi quarto ſæculo hæc diſciplina viguiſſe intelligatur, antiquiorem fuiſſe neceſſe ſit. Graviſſimum enim crimen Dona- Unde petenda ſit diſciplinæ Euchariſticæ cognitio.

tistis, Arianis, & Chrysostomi persecutoribus objiciebatur: quod nullum fuisset, nisi sacrorum leges, adversus quas ab ipsis peccatum erat, receptæ ubique fuissent, non noviter introductæ. Illis verò temporibus corruptam jam fuisse Ecclesiam, nemo facilè credet, quamvis sanctos illos Patres, importuniùs sacrificii, & aliis ejusmodi vocibus abusos esse Calvinus dicere non dubitaverit. Hoc non agitur, sed illud tantummodo quæritur, an eamdem, quæ in antiquis illis autoribus consignata est, reverentiam circa sacra mysteria Græci & reliqui Orientales habeant, an eam à Latinis didicerint.

Cultus & cura Eucharistiæ antiquorum autoritate stabilitur.

Porrò si quid certum omnisque retro antiquitatis testimonio munitum reperitur, est sanè cultus ille Eucharistiæ eximius, & cura in ea conservanda & administranda. Sunt Codices Liturgiarum Græcarum antiqui, in quibus omnes cæremoniæ non continentur, quod solas orationes habeant, & id pariter observatur, in Latinis aliquot Missalibus: tales etiam sunt nonnulli satis recentes. Qui ex illorum ætate novitatem sacrorum rituum determinari posse crederet, valde hallucinaretur. Nam ut in Ecclesia Latina exstiterunt autores satis multi, qui ritus accuratè & particulatim exposuerunt, Alcuinus, Amalarius, Rhabanus & anonymi complures, ita suos ritualis disciplinæ expositores Græci permultos habuerunt, quorum antiquissimus censetur, illorum judicio, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria sua Ecclesiastica. Illius antiquitas, si fortasse à nonnullis vocatur in dubium, eò tantùm conjectura pertingit, ut non antiquioris qui hoc nomine fuit, sed alterius recentioris, opus fuerit: nemo enim illud tanquam suppositum rejecit: nec minùs valet aut valere debet illius autoritas, quæ apud Græcos præcipua est: cùm plerisque Liturgicis codicibus adjunctum reperiatur, quod in vetustissimis editionibus, ut Romana Demetrii Ducæ Cretensis, factum est. Ex illo opere, ut aliis similibus, ritus illos qui in sacro ministerio usurpantur, constat esse antiquissimos, & ea tempora, quibus mutationem doctrinæ inductam fuisse Protestantes pertendunt, longo intervallo superare. Illam verò disciplinam, aut abrogatam fuisse communi Episcoporum consilio, aut abiisse in desuetudinem, ne quis cum ullo colore suspicetur, facit continua ejusdem apud Græcas Ecclesias observatio. Cùm igitur in sacramentalibus libris reperimus eosdem ritus, quos veteres interpretes

Digitized by Google

expoſuerunt, myſticamque illorum ſignificationem explicaverunt, cur de eorum ſinceritate dubitetur, cauſa nulla eſt.

Similis prorſus eſt Orientalis diſciplinæ ratio. Codices Syriacos aut Copticos non facilè quiſquam reperiat ſummæ illius vetuſtatis, quæ ad ſchiſmatum, aut ad Muhamedanarum rerum initia pertingat. Verùm continuatam habemus ſacramentalium precum & rituum conſervationem, in aliis qui ex primævis illis deſcripti ſunt, nullâ inſigni mutatione factâ. Citantur à Theologis, ab Hiſtoricis, à Canonum Collectoribus; habent quoque ſuos interpretes. In aliquibus Codicibus, regulæ cæremoniales exſtant, in aliis breviter, fuſiùs in aliis. Nihil aut parum intererat apud Coptitas Alexandrinos, quos inter non ex libro ſacerdotes, ſed memoriter Liturgiam recitabant. Sunt inſignes aliquot Eccleſiæ, ut Metropolitana Rotomagenſis, in quibus nihil ex libro legitur, omnia ex memoria dicuntur & canuntur. Nullam ne idcirco diſciplinam in illis Eccleſiis fuiſſe quiſquam exiſtimabit, quia multa ad eam ſpectantia ſcripta non ſunt, ſed traditionis ſucceſſione conſervata? Sunt tamen ſcripta in aliis libris, quæcumque ad ritus pertinent: ut ex Sacramentariis variarum Eccleſiarum manifeſtum eſt; etſi abſint plerumque à Miſſalibus. Similiter quamvis pauci Codices Syriaci rubricas ſeu regulas diſciplinæ repræſentent: at eorum bonam partem explicaverunt Jacobus Edeſſenus, Joannes Telalæus & accurato commentario totam expoſuit Dionyſius Barſalibi, ante annos ſexcentos: præter anonymos multos, quorum tractatus in bibliothecis reperiuntur. Suſpectæ igitur novitatis rubricæ eſſe non debent, ſi ea contineant, quæ à gravibus autoribus teſtata leguntur, maximè cùm illi, non ut inſtitutores novæ alicujus diſciplinæ, ſed ut antiquæ teſtes ubique loquantur. Ita in Copticis Liturgiis, uberiores aliquando, & magis enucleatæ rubricæ occurrunt; breviores nonnunquam: quidquid verò in illis continetur, fuſiùs in Ritualibus, aut à Theologis explicatur, miro utrimque conſenſu. Tandem Gabriel Patriarcha ante trecentos circiter annos, rubricas ad meliorem formam revocavit, & ſecundùm eam, in accuratè ſcriptis codicibus reperiuntur.

Apud Orientales.

Jam animadvertere quiſque poteſt, quàm vana ſit & fruſtranea Criticorum argumentatio, dum modò codices recentiores ſuſpectos haberi volunt, quia omnem cæremoniarum apparatum accuratè repræſentant: modò de cæremoniis li-

Fruſtra ex rubricarum defectu aut earum novitate argumentantur Proteſtantes.

tem movent, quia in antiquis libris non deſcribuntur: cùm hoc diſcrimen, nihil ad rem pertineat, modò diſciplinam quæ rubricis continetur obſervatam eſſe conſtet, quòd certiſſimum eſt. Ipſa quippe orationum verba, eas non ſine certis ritibus adhibitas eſſe demonſtrant: alios verò, quàm qui in libris ſacramentalibus reperiuntur, uſurpatos fuiſſe ne ſuſpicari quidem licet. Sed abeunt à primæva ſimplicitate, nam hæc vulgaris recoctorum Proteſtantium nænia eſt. Nempe licuit Chriſtianis in Eccleſiæ florentis & regnantis pace, domos orationis ſplendidiores habere, vaſis uti precioſis, quod etiam in æſtu perſecutionum fieri ſolebat: Deo denique & ejus miniſterio dicare, quod impiæ ſuperſtitioni olim ſerviebat. Pari quoque ratione licuit majorem in ſacramentorum celebratione pompam adhibere, diverſiſque cæremoniis inculcare fidem, & reverentiam ſanctiſſimi myſterii; neque enim illæ quas Græci & Orientales uſurpant ad alium finem ordinatæ ſunt, aut ab iis hominibus excogitari poterant, qui non plenam de vera corporis & ſanguinis Chriſti in altaribus præſentia, fidem habuiſſent. Unde cùm Claudius in contraria illos opinione fuiſſe probare aggreſſus eſt, eo quòd ritus & ſacrorum leges Romanis ſimiles ignorarent? quandoquidem par eſt utrimque tam in Oriente quàm in Occidente diſciplina, eamdem quoque fidem eſſe & fuiſſe, verius & certius concludimus. Ille quæ tantâ confidentiâ affirmavit, probare aliis autoritatibus non potuit, quàm obſcurorum aliquot ſcriptorum teſtimoniis, maximè peregrinantium, inter quos mediocrem Theologum non facilè reperias, paucos imò Miſſionarios quibus ea laus meritò tribui debeat. At ſimilium teſtium, contra libros qui publicè in Eccleſiis ad altaria uſurpantur, autoritas nulla eſt, multo minùs contra veteres Theologos, aut rituum expoſitores, à quibus diſciplina confirmatur. Edant vel unam Liturgiam Proteſtantes, quæ Apoſtolicam & Evangelicam ſuam, ut ipſi exiſtimant, Cœnæ formam referat, verbum ultra non faciemus. Id verò ab illis præſtari non poſſe tam certum eſt, quàm quod maximè. Cùm enim diverſas habeamus Græcas & varias Orientales plus quàm ſexaginta ſ: alias quæ diverſam penitùs ſententiam aut diſciplinam contineant, reperiri impoſſibile eſt.

Omnes Orientales Ritus in uſu ſunt.

Omnes porrò illæ non ut vetera quædam officia, quæ ſuſcepto Romano Canone omiſſa ſunt, ut Miſſa Gallicana, Gothica,

thica, vetus Francica, in ſolis quidem codicibus Manuſcriptis conſervantur, ſed illarum uſus certus eſt, ut apud Græcos Liturgiarum Baſilii & Chryſoſtomi, & illius quæ Præſanctificatorum dicitur. Saltem aliquando uſus illarum fuit, & quidem per multa ſæcula, ut Jacobi in Diœceſi Hieroſolymitana, Marci in Alexandrina, qui uſus, apud Orthodoxos Syros, non minùs quàm apud Jacobitas ejuſdem linguæ, & Coptitas huc uſque perſeverat.

Neque novæ formæ Proteſtantium abſque ritibus nonnullis eſſe poſſunt.

Nulla autem eſt, aut fuit aut eſſe poteſt ſimilium Liturgiarum forma, quæ cæremonias adjunctas non requirat, cùm etiam novæ illæ, quamvis ab antiquis multùm diſſimiles, quas Proteſtantes, ex imaginario illo exemplari Cœnæ Evangelicæ & Apoſtolicæ delineaverunt, aliquid habeant ejuſmodi. Ita in Anglicana præſcribitur quid Miniſtro faciendum ſit, cùm panis propoſitus, communicantium mutitudini non ſufficit, nempe ut novus afferatur, reſumatque Miniſter Canonis partem, in qua verba Chriſti continentur: qua de re parum ſolliciti fuere puriores, ut dici volunt, Evangelici, nec fortaſſis immeritò. Ubi enim conſecratio elementorum nulla ſupponitur, ibi inutilis eſt ſacrorum verborum pronuntiatio, vel repetitio; quippe ſi nihil efficiunt, repetenda non videntur, imò nec in Canone pronuntianda. Sunt aliæ rubricæ in illis Officiis, præſertim in Anglicanis, ut quæ Euchariſtici panis munditiem ſpectant, prohibitionem ne reliquiæ quæ datâ communione ſuperfuerint, in communem uſum aſportentur, ſed in ipſa menſa ubi Cœna celebrata eſt, à ſacerdotibus & Diaconis reverenter ſumantur: ſed illa præcipuè quæ genuum flexionem communicantibus imperat, monendo tamen, ne quiſquam hanc honoris, ad recolenda grato animo Dei beneficia ſignificationem, ad adorationem referat. Et moneri ſanè oportebat: quis enim procumbentes coram Euchariſtia, eam non adorare exiſtimaſſet? Cùm igitur in pauciſſimis illis ritibus qui primæ Reformationis flammam effugerunt, neceſſaria fuerit alicujus, quæ ſervabatur, diſciplinæ præſcriptio, inter veteres Chriſtianos, Græcos & Orientales omnes, qui cum magno cæremoniarum apparatu Liturgiam celebrant, aliquid circa illas fuiſſe determinatum, & in codicibus Eccleſiaſticis præſcriptum dubitare nemo poteſt: ſi dubitet, unde dubia probare ſua poſſit haud facilè reperiet.

Digitized by Google

Secundùm disciplinam Orientalium de illorum fide judicium fieri debet.

Igitur quæ in Codicibus Græcis, Syriacis, Copticis & aliarum linguarum reperitur disciplina, frivolis rationibus quas Protestantes ad eam convellendam adhibuerunt, firmior est, & secundùm illam de Orientalis Ecclesiæ fide judicium fieri debet. Nulla sanè illius disciplinæ pars est, quæ Berengariana tempora, & falsas omnes Epochas mutationis fidei, quas Albertinus excogitavit, non antevertat: præsertim in illis ritibus qui majoris momenti sunt. Nam in aliis quæ cæremonias solas spectant, si quæ differentia est, parum refert: in reliquis perfecta est similitudo, orationum & rituum. Non accepisse verò quidquam hoc in genere Orientales ab Occidentalibus, cum multa demonstrant, tum illud maximè, quòd nonnulla Latini severè nimium exagitasse deprehenduntur, ut communionem intinctam Humbertus, & ritus alios nonnullos, plerumque innoxios. Eos itaque à Latinis Græci accipere non potuerunt: multo minùs Nestoriani, & Jacobitæ, qui nullam cum Græcis, à Conciliorum Ephesini & Calchedonensis tempore communionem habuerunt, minimè omnium à Latinis.

Cùm rituum usus certò constet, frustra vexatur eorum antiquitas.

Verùm qualiscumque tandem rituum Orientalium origo fuerit, quæ singulariter in notis ad Liturgias expendetur, cùm usus illorum certus sit, frustra impugnatur eorum antiquitas & sinceritas, quasi primitùs usurpati non fuerint: nisi idoneis probationibus designetur, quando vetustatem novitas aboleverit. Illud si à Protestantibus probari posse audacter negamus, nihil nimium dicimus.

Eorum duplex genus.

Rituum porrò, de quibus loquimur duplex genus est: sunt enim quidam omnibus Liturgiis ita communes, ut nulla illis careat; alii secundùm Ecclesiarum diversas consuetudines, variè se habent. Primi generis sunt quæcumque ad præparationem corporis & animæ præscribuntur in variis Ritualibus, tum quæ ad elementorum consecrandorum curam, & decorem domus Dei. Cùm autem in aliquot disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus successu temporum quædam innovata fuerint, mirum esse nemini debet, illam in variis codicibus, ad eam quæ vigebat, quando scripti fuerunt, accommodatam fuisse. Ita in Græcis prope omnibus præceptum reperimus, ut sacerdos antequam ad celebrandam Liturgiam accedat, peccata sua confessus fuerit: quod sanè in antiquissimis primorum sæculorum libris non occurreret, si illos haberemus. Neque enim

Digitized by Google

ferebat vetus disciplina, ut sacerdos peccati alicujus lethalis sibi conscius, ad altare accederet, quamvis illud sacerdoti confessus fuisset. Verùm ex quo mutata est inter Græcos pœnitentialis disciplina, & eorum etiam peccatorum quæ minùs gravia sunt, confessio fieri cœpit, illud quoque monitos sacerdotes voluerunt, ut se confessione purgarent. Ita apud Coptitas, & omnes prope Christianos Orientales ab aliquot sæculis observatur: etsi in Codicibus Liturgicis nihil tale præscribatur, quia Græcæ, similem, à multis sæculis pœnitentialem disciplinam sequuntur, ut alibi fusiùs exponemus. Discrimen igitur illud nullius momenti est: nam quod in quibusdam Codicibus rubrica non exprimit, habetur aliunde.

Pari ratione occurrunt aliquando illa, quæ spectant præparationem Oblatæ: plerumque tamen hæc omittuntur, extantque in libris singularibus: qualis est apud Syros, Tractatus qui Dionysio Barsalibi tribuitur, vocaturque *Canon Eucharistiæ*. Ita quæ attinent ad ornatum sacerdotalem, Diaconicumque, aut Pontificalem, si Episcopus Liturgiam celebret, vix occurrunt, præter quàm in Codicibus qui integrum continent cæremoniarum apparatum: ut depositio Oblatæ & calicis in Prothesi, aut secretario, antequam ad altare inferantur, quod ubique fit magna cum reverentia, ritibusque Græco simillimis. Qui verò elementa antequam consecrata sint, tanto honore prosequuntur, ex futura cui destinata sunt dignitate, nemò facilè eos Eucharistiam non adorare existimabit. Ea sanè in parte quæ præparatoria tantùm est, Orientalibus ea laus debetur, quòd Occidentalium diligentiam longè superant. Nefas enim apud illos haberetur, offerre ad altare panem, qui à sacerdotibus vel Diaconis in secretario, aut extra Ecclesiam à fœminis religiosis, aut Papadiis, sive sacerdotum uxoribus, paratus non fuisset: aut vinum ex œnopolio petere. Multa pariter ad solum decorem spectantia, aliter à Græcis, aliter ab aliis observantur. Verùm pronunciatio religiosa verborum Christi, acclamatio τῦ *Amen*, ad eadem verba: Invocatio Spiritus sancti, fractio oblatæ, unio speciei utriusque: elevatio Eucharistiæ, cùm inclamatur *Sancta Sanctis*: disciplina ad communionem distribuendam, in omnibus Ecclesiis absque ullo insigni discrimine solent observari. In illis porrò ritibus & cæremoniis, etiam illis quæ ad solum religiosum apparatum referri possunt, nihil re-

Ritus mere cæremoniales.

Digitized by Google

peritur, quòd opinionem realis elementorum transmutationis perspicuè non designet, aut ab ea non ducat originem: unde qui eam rejecerunt, neque similes ullos ritus excogitasse, neque antiquos retinuisse animadvertuntur. Illam igitur disciplinam quæ semper & ubique viguit, optimam & certissimam esse constat doctrinæ interpretem, & ex ea firmissimum adversùs nostræ fidei impugnatores argumentum haberi, non temerè affirmamus.

Quidam recentiùs introducti, nec apud omnes recepti.

Sunt etiam ritus aliquot diversi cujusdam generis, ut apud Græcos divisio panis Eucharistici, unius vel plurium in diversas particulas, quæ nominibus Beatæ Mariæ, & sanctorum designantur: ut in eruditis notis Goarii ad Euchologium accuratè explicatur: qui ritus, quamvis cum aliqua nominum diversitate, in veteri Gothico, seu Mosarabico observatur. Ita Græci à multis sæculis, ferventis aquæ guttas aliquot ante communionem calici infundunt, quod Syri, Coptitæ & alii non faciunt. Cochleare ad communionem laïcis dandam Græci usurpant, autoritate & exemplo, ut aiunt, Joannis Chrysostomi; & illius usum frequentant Orientales omnes: unde illius antiquitas satis probatur. Quid adversùs hanc consuetudinem per se innoxiam, quasi de summa republica Christiana ageretur, Humbertus Sylvæ-candidæ conviciorum non effudit, non minùs quàm adversùs cochlearis usum, & ritus quosdam alios indifferentes? At illi etiam de quibus acriter disceptatum est, communem habent originem, eximiam scilicet Eucharistiæ reverentiam.

Religiosa circa Eucharistiam disciplina variis monumentis probatur.

Ex illis igitur monumentis, quæ disciplinæ Eucharisticæ leges continent, non ex qualibuscumque testimoniis, judicandum est de ea quam Orientales Christiani conservant. Si ab illa deflexisse reperiuntur, peccaverunt procul dubio, non modò contra communia Ecclesiis omnibus sacrorum jura, sed etiam contra proprios Ecclesiarum suarum canones. Unde inter multos & varios, qui pœnitentiæ modum præscribunt, pœnasque constituunt diversis criminibus, extant non pauci adversùs eos, qui sive in exercendo ministerio, sive aliter, Eucharistiam parum religiosè habuerunt, quo in genere negligentia non excusatur, sed punitur gravissimè. Probant severam illam disciplinam Canones Pœnitentiales multi, quos referemus alibi, & quorum alii antiquissimi sunt absque autorum nomine: similes alios refert Dionysius Barsalibi, tum

Digitized by Google

in libro Pœnitentiali ſuo, tum in Nomocanone & in Opuſculo quod *Canon Euchariſtiæ* appellatur: alios tandem adducunt Fergeallah Echmimenſis, & Ebnaſſalus in ſuis Collectionibus, quarum certa eſt apud Orientales autoritas. In Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum à Jacobitis ſcripta, occurrunt exempla aliquot, profanationis myſteriorum, quæ autores cum pio quodam horrore ita narrant, ut illam maximi ſacrilegii inſtar habuiſſe, non obſcurè ſignificent. Imò depoſitum affirmant Epiſcopum quemdam, quod Δῶρον hoc eſt oblatam in altari poſitam, antequam conſecraretur, comminutam conculcaverat.

Quid de autoribus qui aliter ſcripſerunt judicandum.

Supereſt ut quod fortaſſe à nonnullis objicietur, diſſolvamus. Erunt enim quibus mirum videbitur, quòd tot eruditorum Proteſtantium, eorum præſertim qui magna linguarum Orientalium peritiâ commendati ſunt, imò & Catholicorum judicia contemnere videamur, quamvis inter iſtos nonnulli Maronitæ docti fuerint, ut ex aliis Orientalibus Provinciis, quos in rebus patriis audiri potiùs, quam eos qui ex Europa pedem non extulerunt, oportebat. Proteſtantes quod attinet, quamvis viros in linguis Orientalibus doctiſſimos numerent, ne unum tamen qui res Orientis Eccleſiaſticas, aut Liturgicas attigerit, habuerunt. Ad exemplar verſionis Latinæ Copticarum Liturgiarum, quædam alleverat Joſephus Scaliger, ſed minutiora, & grammaticalia: earum verſionem quam pollicitus fuerat, ne tentavit quidem. Salmaſius dum ſecundæ paucas voculas vellicare aggreſſus eſt, inſcitiæ & malæ fidei teſtimonium poſteris reliquit. Aliorum cenſuras aut obſervationes, nullas vidimus, unde codices primigenios ab illis conſultos, aut verſatos conjici poſſit. Ludolfus Æthiopicè doctiſſimus, in Æthiopum Liturgia nihil vidit, aut egregiè diſſimulavit. Omnes propè in locis communibus liberiùs vagati, nihil præter conjectanea, ut plurimum abſurdiſſima, ex aliorum verſionibus, protulerunt.

Catholici cùm hæc ſtudia non tantopere excoluerint, ad indigenas interpretes confugerunt, quorum propè ſemper fuit doctrina mediocris, quâ tamen carere nemo poteſt, quin in verſionibus ſacrorum Officiorum, ex peregrina lingua, non ſæpius hallucinetur. Ita Victorius Scialach Copticarum Liturgiarum ſententiam infinitis in locis non eſt aſſecutus: & cùm ex Arabica verſione, non ex originali Coptico ſuam ex-

Digitized by Google

primeret, ſæpe malè legit, peſſimèque interpretatus eſt. Verſio Æthiopicæ Liturgiæ, unica propemodum eſt, quæ fidelitate poſſit commendari, ſi pauca excipiantur, quæ certo conſilio mutata ſunt. Syriaca quæ Baſilii nomen habet, quantum ex verſione conjectari licet, nacta eſt fidum & doctum interpretem Andream Maſium. Guido Fabricius Boderianus, qui paucula quædam Liturgiæ Severi Antiocheni, non ut ipſe arbitratus eſt Alexandrini, fragmenta edidit, Syriacè & Latinè, ubique ferè lapſus eſt. Miſſalis Maronitici Liturgiæ Romæ editæ, ut aliæ longè plures ritus Jacobitici, Latinè nunquam viſæ ſunt: & quod Maronitæ in hac editione vel alibi præſtiterunt circa Liturgias; hominum fuit qui veteris diſciplinæ ignari, multa, ubi opus non erat, mutaverunt. Si quando de illis rarum aliquid videntur protuliſſe, falſum eſſe deprehenditur, cùm ex præjudicatis ſuis opinionibus de perpetua ſuorum Ὀρθοδοξία, multa Maronitis attribuerint, quæ ſunt Jacobitarum propria. Non igitur ex temeraria confidentia, ſed ex deprehenſa multis argumentis veritate, ſimiles autoritates negleximus, nec illorum teſtimoniis pugnandum eſt, multo minùs aliquot recentiorum, quos deſignare non refert.

Unum tamen prætermittere non poſſumus Richardum Simonem virum multis libris editis famoſiſſimum, qui cùm in Notis uberioribus ad Gabrielem Philadelphienſem de Liturgiis Orientalibus, nova quædam, nec vulgò cognita protuliſſet, laudem meritò apud eruditos obtinuit. At ulteriùs progreſſus, de hoc argumento, deque Orientalium Chriſtianorum rebus, ſcribere non ceſſavit, multaque inaudita nec ſatis explorata publicavit, quæ ignari rerum illarum exſcripſerunt, & ejus ſæpe autoritate Catholicos impugnaverunt. Demonſtratum eſt alibi hallucinatum fuiſſe in multis autorem illum, cùm de fide Orientalium diſputaret: deque Jacobitarum & Neſtorianorum doctrinis divinaſſe potiùs, parum feliciter, quàm illas accuratè explicaviſſe. Qui enim λογομαχίαν meram, Neſtorianiſmum & Jacobitiſmum eſſe contendit, ut ipſe non uno loco, illum nullos Orientalium Theologorum libros vidiſſe manifeſtum erat. De Liturgiis quas ſemper & ubique in ore habebat, & quarum longam analyſin dedit, plura commentatus eſt, quæ cum tota operis iſtius noſtri doctrina ſæpe conciliari non poſſunt. Itaque fie-

Digitized by Google

ri poterit, ut Proteſtantes hominis inter literatos celeberrimi nomen nobis opponant, quod præ cæteris fecit Autor ſordidiſſimus *Monumentorum authenticorum.* At neque Simonis, neque alterius cujuſcumque autoritas ulla eſt in ſimili argumento, niſi quantum quiſque probat. Quæcumque de Orientalium fide in aliis locis, & in hoc potiſſimùm opere dicuntur à nobis, excerpta ſunt ex ipſis Orientalium monumentis, quæ alter nulla viderat, nec ſi vidiſſet uti poterat. Nam Liturgicos codices præter unum Neſtorianæ Liturgiæ, eumque recentiſſimum, nullos tractaverat: & ex Romana editione Miſſalis Chaldaici, analyſin ſuam texuerat. Copticis Codicibus non uſus eſt: &, quod præcipuum, Theologos, Canonici juris interpretes, hiſtoricos Orientales penitus ignoravit, cùm Arabicè neſciret: attamen de Arabicis Sacræ Scripturæ Verſionibus, quarum niſi in Polyglottis Anglicanis nullam viderat, judicium tulit non minùs quàm de Perſicis & Copticis, cùm linguæ utriuſque ne apicem quidem noſſet. De Religione Muhamedana commentarium dedit, de quo vetus ille verſus dici poteſt: *Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta:* ut viri doctiſſimi pridem judicaverunt. In Chriſtianorum Orientalium rebus longè plura peccaſſe illum agnoſcent, quicumque attentè legent quæ in hunc Commentarium contulimus, quod ſemel dictum ſit. Nam ubique hominum qui idem ante nos argumentum tractaverunt conjecturas & obſervationes refellere, non viſum eſt operæ pretium.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE COPTITARUM ALEXANDRINORUM LITURGIIS.

Tres Liturgiæ apud Coptitas receptæ.

I. ÆGyptii Christiani qui Monophysiticam sectam à Dioscori tempore profitentur, & qui vulgò Coptitæ, vel Copti appellantur, tres Liturgias habent, quarum prima, & quæ reliquarum norma est, Basilii magni dicitur, secunda Gregorii Theologi, tertia Cyrilli Alexandrini. Quartam autores nonnulli adjungunt, Marco Evangelistæ attributam: sed cùm in Codicibus pauciſſimis compareat, & ab ipsis Ægyptiis Theologis interpolata dicatur ex ea Cyrilli, meritò rejicitur.

Kircherus Prodr. Copt.

Quando primùm notæ.

II. Trium igitur illarum, quæ solæ legitimæ censendæ sunt, cùm præter illas nulla in sacris Officiis usurpetur, cùm multa & varia passim exstent in Bibliothecis exemplaria, earum tamen ante initium elapsi proximè sæculi, nemo meminit. Habebat illarum exemplar Josephus Scaliger, de quo cum ab eo, & amicis communibus monitus fuisset Marcus Velserus Duum-vir Augustanus, vir doctus & pius, impetravit ut ad se transmitteretur. Versionem insignis, & huc usque ignoti monumenti Ecclesiasticæ disciplinæ, ut, qua ratione fieri poterat, procuraret, Romam misit ipsum Codicem, quò per Maronitas in Latinam linguam transferretur. Quamvis enim aliquando spem feciſſet Scaliger, Liturgias illas veteri stylo Ecclesiastico Græco convertendi, aliis operibus occupatus, huic manum admonere vix poterat: licèt enim magnos in Arabismo progressus feciſſet, tot erant tamen difficultates superandæ, ut ne quidem sibi ipse satisfeciſſet. Nam præter linguæ barbaræ, ad quam cognoscendam, vix ulla tunc suppetebant literaria subsidia, Ritualis materia tantùm obscuritatis offerebat, ut discuti vix posse videretur. Neque enim, quòd à multis temerè & juveniliter factum est, despiciendus erat Scaliger, etsi Arabica omnia non intelligeret: mirandum potiùs quod solus ipse, leviter à Postello Grammaticis præceptionibus imbutus, deinde à Stephano Huberto Aurelianenſi

Digitized by Google

nensi Professore Regio, & Francisco Raphelengio Plantini genero adjutus parumper, in versione illorum Officiorum Arabica acutiùs viderit, quàm Maronita non indoctus, qui linguam illam vulgarem habebat.

III. Velserus igitur accepta Latina interpretatione, eam Augustæ Vindelicorum typis publicandam curavit anno MDCIV. nitido & eleganti charactere. Eadem in Bibliotheca Patrum inter alia Liturgica edita est, absque ulla emendatione: nam Scaliger etsi quinquennio superstes fuerit, pauca tantùm ad marginem editi exemplaris adnotavit: à versione integra abstinuit. Habebat tale exemplum ipsius manu notatum Vir Doctissimus Raimundus Formentinus Archidiaconus Aurelianensis, quòd ante plures annos mihi ostendit. Notæ erant brevissimæ, & ex quibus restitui ipsa versio non poterat: omnes porrò aut emendabant nonnullarum vocum Arabicarum malam interpretationem, aut Græcas parum fideliter expressas, sive fuisset exscriptorum culpa, sive Scaligerani codicis vitium. Sed nihil omnino ex sola Arabica versione præstari poterat, ab illis præsertim, qui neque exemplar Ægyptiacum consulebant, & Græco, quod archetypum fuit, erant destituti. Quæ porrò ad illarum Liturgiarum historiam pertinent jam explicanda sunt.

Versio Latina ex Arabica interpretatione facta, à M. Velsero publicata.

IV. Omnes, etiam antiquissimi illarum Codices, Scaligerano similes sunt, tresque Anaphoras, sive Liturgias, continent Basilii, Gregorii & Cyrilli. Scriptæ autem sunt linguâ Ægyptiacâ, sive Copticâ, eâ nempe, quæ, cùm Muhamedani Ægyptum subegerunt, erat in usu vulgari; Alexandriæ quidem minùs, ubi omnes Græcam linguam satis noverant, sed in superiore parte provinciæ, in pagis & agris, vix alia quàm Ægyptiaca usurpabatur. Erat illa porrò vetus & patria, si verborum nominumque inflexionem spectemus, quæ cum aliis linguis commune nihil haberet: sed ex continuo cum hominibus qui Græcè loquebantur commercio, magna Græcarum vocum admistione, novam quodammodo, dudum ante Muhamedanos formam acceperat. Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut neque cum Athanasio Kirchero, veterem esse illam Pharaonicam, obeliscis, arcis sepulcralibus, & aliis antiquis monumentis inscriptam, existimemus: neque cum Isaaco Vossio colluviem sermonis Arabici, & alterius quem ipsi Lyb-Ægyptium appellare placuit, ante annos quingen-

De Copticis Liturgiarum codicibus.

Kircher. Prodrom. Copt.

Exercit. adv. Simon.

tos natam: multo minùs fictitiam, ut in ea libri fallaces conſcriberentur, qualis eſt in Europa Zingarorum, ſeu eorum quos *Bohemos* vocamus, nebulonum lingua. Ea ſcilicet ipſa eſt quâ locutum Antonium Cœnobiticæ vitæ magiſtrum, hiſtoria ejus docet, & quâ Epiſtolas dictaverat, quas adhuc ante trecentos annos extitiſſe Ægyptiacè ſcriptas in Thebaidis Monaſteriis, Abulbircat & alii teſtantur. Eâ igitur linguâ ſcriptæ ſunt tres, de quibus agimus, Liturgiæ, ita tamen ut præter voces ſacras & Theologicas multas, quæ in ipſa orationum ſerie paſſim occurrunt, formulæ prope omnes quæ in Officii decurſu à Diacono, à populo, aut ab ipſo Sacerdote, alta voce pronunciantur, Græcæ ſint, non Ægyptiacæ. Tales ſunt illæ Πρόχωμεν Θεῷ μετὰ φόβου. Κύριε ἐλέησον. Ἅγιος. Ἄνω τὰς καρδίας, & aliæ diverſæ.

Lingua Coptica in ſacris ſervata poſt Arabum imperium.

V. Quia verò uno aut altero poſt Arabum tyrannidem ſæculo, vernaculus Ægyptiacæ linguæ uſus prorſus interiit, Arabica in ejus locum ſuccedente, Religionis tamen & ſacramentorum reverentia fecit ut in libris ſervaretur, quidquid ad Officia divina pertinebat, & cùm Benjamin Jacobitarum Patriarcha duodecim annis in Monaſteriis Thebaidos delituiſſet, ubi Græcæ linguæ uſus erat propè nullus, inde Alexandriam reverſus, autoritate Califarum quibus ſe & ſuos ſtatim ſubjecit, omnes Alexandriæ Eccleſias obtinuiſſet: Coptitæ, hoc eſt nativi Ægyptii propè omnes, odio Calchedonenſis fidei inexpiabili tenerentur, Orthodoxi Alexandriæ & in inferiori Ægypto, ubi Græcè ſacra celebrabantur, nec Patriarcham nec Epiſcopos, nec Eccleſias, vix paucos Sacerdotes habuiſſent per integrum ferme ſæculum, ſolius Copticæ linguæ uſus in ſacris apud Ægyptios fuit.

Hiſt. Patr. Alex. p. 156.

Verſionum Arabicarum Liturgiæ origo & uſus.

VI. Ea verò cùm, ut diximus, vernacula eſſe deſiiſſet, vixque eam Sacerdotes intelligerent, interpretatione Arabica opus fuit, non quidem ut publicè tales verſiones legerentur, niſi ſectionum ex veteri novoque Teſtamento, quæ ſecundùm dies occurrebant; ſed ut privato ſtudio Sacerdotes & Epiſcopi libros ſacros intelligere, & officia rite celebrare facilius poſſent. Certa illa verſionum Arabicarum, quæ tum in ſacris libris, tum in codicibus Liturgicis, è regione Coptici textus ferme ſemper occurrunt, origo eſt, antiqua prorſus, & non longè remota ab Arabum initiis. Temerè enim & contra multorum codicum fidem Iſaacus Voſſius affirmavit, in vetuſtis non re-

Digitized by Google

periri verſiones Arabicas. Nulla enim inde, ſive abſint, ſive adjunctæ ſint, antiquitatis nota peti poteſt: antiquos quippe vidimus ſine verſione: ſed non minùs antiquos, qui illam repræſentarent. Id autem eſſe debile prorſus argumentum ad ætatem codicum deſignandam, ſola diſciplinæ, quæ huc uſque non ſatis explicata fuit, ratio demonſtrat. Ea porrò talis eſt. In tota ſacræ actionis ſerie Sacerdos orationes omnes non ex libro recitat, ſed memoriter dicit. Unde Canonibus variis ſtatutum eſt, ut nemo ordinetur, qui Liturgias, Officium Baptiſmale, & quædam alia memoriter non teneat. Omnia Copticè dicuntur, Pſalmi, Orationes, Theotokia; nihil omnino Arabicè, præter Lectiones ex Epiſtolis Pauli, ex Catholico, ſive Catholicis Epiſtolis, & Evangelio: quæ Lectiones non extant in Anaphora, ſed in ſingulari libro, unde peti ſolent: imò in Monaſterio ſancti Macarii nihil unquam Arabicè legitur, ex veteri inſtituto; teſte Abulbircat.

VII. Cùm igitur publicus verſionum illarum uſus, nullus omnino ſit, multi codices etiam recentiſſimi verſionem non habent: & cùm Sacerdos non legeret, ſed memoriter ſacras orationes pronunciaret, nihil intererat an Codicibus adeſſet interpretatio, an verò deeſſet. Unde fit ut plerique etiam veteres & optimæ notæ, eâ formâ ſint, ut niſi manu teneantur, uſûs eſſe nullius poſſunt. Atque hæc de verſionibus Arabicis certa ſunt, quorum ignorantia fecit, ut à nonnullis qui de Ritibus hac noſtra ætate ſcripſerunt, paſſim affirmatum ſit Arabicâ linguâ, tam apud Syros, quam apud Ægyptios Liturgiam celebrari. Verſiones novitatis indicia non ſunt.

VIII. Itaque cùm dubitari non poſſit, quin Arabica Liturgiarum verſio ſecundaria quædam, non primæva editio ſit; ſtatim unde ipſum Copticum exemplar profectum foret diſquirendum occurrebat. Id Maronitæ neglexerunt, neque ipſe Scaliger ſubdubitavit: eo enim loco tunc erant Orientalium literarum ſtudia, ut qui de Ægyptiacis literis quidquam alios docere poſſet, ne quidem ullus reperiretur. Eas primus illuſtrare aggreſſus eſt Athanaſius Kircherus, editâ Grammaticâ & Prodromo linguæ Copticæ, ſuppeditante libros aliquot Nicolao Fabricio Peyreſcio, qui quacumque ratione literariam Rempublicam juvare, quamdiu vixit, nunquam intermiſit. Sed quamvis Romam Kircherus eo procurante vocatus fuiſſet, ubi non deerat illi librorum Copticorum copia, De Copticarum Liturgiarum antiquitate quid ſenſerit Kircherus.

Digitized by Google

& ipsas quæ in Vaticana Bibliotheca exstant Liturgias vidisset, aliquot testimoniis Prodromum suum exornasse contentus, eas nunquam attigit, ut quod ab eo exspectabatur, eas Ægyptiacè, Græcè, Arabicè, & Latinè publicaret.

Salmasii de illis judicium.

VIII. Eodem ferme tempore Claudius Salmasius, cùm aliquam in libris Coptico-Arabicis operam posuisset, vidit aliquid, & nonnulla in literis ad amicos scripsit, quæ recti de ea lingua judicii argumentum esse possunt: sed cùm præter editum à Kirchero Glossarium vix quidquam vidisset, non eos progressus fecerat, ut ad Liturgias interpretandas posset accedere. Quia tamen religioni Catholicæ perpetuum, vir nihilminùs quàm Theologus, bellum indixerat, aliquam secundæ, quæ Gregorio adscribitur, particulam semel attigit, in Epistola ad Joannem Dallæum, quæ tamen non prodiit, nisi sublato è vivis Salmasio. Ita verò in tribus admodum lineolis explicandis versatus est, ut ubique, alibi etiam cùm locus non esset, ἀιγυπτιάζων, ne verbum quidem circa textum Copticum ejusdem orationis fecerit; sed Arabicæ versioni adhærens, eam pessimè & infidelissimè reddiderit, unde satis quid in toto opere præstare potuisset, intelligi potest. Nonnulla vir doctus in notis ad Gabrielis Philadelphiensis opera ex illis Liturgiis laudavit, sed ex sola Arabica versione. Ita igitur illarum versio, & quæ de illarum historia & antiquitate dici debent, nova prorsus sunt & Criticis intacta, quorum feracissima tamen, si quæ unquam, nostra hæc ætas fuit.

Scaligeri de iisdem sententia antiquiores esse Græcis.

IX. Josephus quidem Scaliger ex cujus Bibliotheca primùm lucem viderunt, antiquissimas illas esse rectè judicavit, sed ita ut, ex ejus sententia, Græcarum hodiernarum antiquitatem superarent. Verba ejus sunt ad Marcum Velserum. *Ep.* 172. *Ego mi Velsere, audeo dicere longè integriora & vetustiora illa Arabica esse, quàm sunt ea quibus Græci hodie utuntur: quod probandi si mihi necessitas imponatur, & libenter fecero, & verò vicero.* Verùm quid ex illa comparatione intelligi vellet Scaliger, haud facilè perspicitur. Nam Arabica illa, Arabum in Ægypto dominatione antiquiora non esse, imò multis annis recentiora, dubitari non potest. Quippe Ægyptiacæ linguæ usum priùs intercidisse necesse erat, quàm Arabicæ versioni locus esse posset. Itaque illa recentior tribus circiter ætatibus esse debuit, quam Copticum exemplar, ex quo certissimè formata est: istud verò de Græcis expressum fuisse certum est,

Digitized by Google

non minùs. At hodierna Græca, quibus Græci utuntur, eadem omnino esse quæ usurpabantur à primis Ecclesiæ sæculis, tam facilè demonstratur, ut opponi nihil queat. Neque id opinor Scaliger voluit. Verùm cùm in illis quæ typis excusæ sunt Liturgiis, præsertim Basilii & Chrysostomi, quibus solis dudum Ecclesia Græca uti solet, adjuncta multa sint, sive in ipsa orationum serie, sive in illa parte, quâ riturum observandorum forma continetur, & quam cæremoniales libri nostri rubricas vocant, facilè adductus est vir doctissimus, ut ex talibus notis, Liturgiarum Græcarum novitatem constare existimaret. Hoc in judicio valde hallucinatus est, & tamen imitatores habuit Criticos propè omnes, qui ad ultima usque tempora hanc quæstionem tractaverunt; etsi nihil absurdius fingi poterat. Neque enim ex notis illis aliud colligitur, quam usus Ecclesiarum, in quibus Liturgiæ ad altaria usurpabantur, quo quidem usu, magis hæc sacra Officia, quàm cujuscumque sancti doctoris nomine commendantur. In illis verò partibus quæ præcipuæ sunt, & in quibus actionis sacræ forma consistit, mutatio aut interpolatio nulla propè animadvertitur, & antiquitas Græcæ Liturgiæ supra Orientales omnes, ex eo solo argumento satis apparet, quòd in Ægyptiacis de quibus agitur, formulæ quædam solennes, non modò à Sacerdote & Diacono, sed à plebe, non Arabicè, non Ægyptiacè, sed Græcè dicuntur.

X. Illa igitur observatio, velut omnium reliquarum, quæ in hoc genere fieri possunt, caput & fons esse debet, non modò Ægyptiacas illas, sed omnes tandem Orientales quæ vel extant, vel quarum ex monumentis literariis memoria est, translatas esse ex Græcis exemplaribus, atque adeo veteris disciplinæ, sacrificii Eucharistici, qualis in Orientali Ecclesia observatur, formam continere. Omnes Liturgiæ è Græcis expressæ.

XI. Inter antiquissimas est, si non omnes vetustate superat, Jacobi Syriaca Liturgia, quæ Syriacarum omnium fundus, primævumque exemplar fuit. Illa porrò tam perspicuè Græcam refert, tot infusæ peregrinitatis notas habet, ut de ejus origine Syri ipsi rerum suarum admiratores nimii, non aliter judicent. Quis tamen neget esse & quidem non contemnenda argumenta quibus Syram vetustiorem esse Græcâ probari queat? Neque enim cum Criticorum gente litigandum de Jacobo fratre Domini, an illius autor esse potuerit, aut talis quæstio ita Jacobi Liturgia omnium videtur antiquissima.

Digitized by Google

Αἱ περὶ τὰ μέρη τ᾽ Αλεξανδρείας, καὶ τ᾽ Ιεροσολύμων ἀναγινωσκόμεναι λειτουργίαι, καὶ λεγόμεναι συγγεγράφθαι ὑπὸ τ᾽ ἁγίων ἀποστόλων Ιακώβου τ᾽ ἀδελφοθέου, & Μάρκου δεκταὶ εἰσι τῇ ἁγίᾳ καὶ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἢ οὔ; *Quæ in partibus Alexandriæ & Hierosolymorum leguntur Liturgiæ, & conscriptæ dicuntur fuisse à sanctis Apostolis Jacobo fratre Domini & Marco, recipiendæ sunt à sancta & Catholica Ecclesia, necne?* Mira sanè Balsamonis responsio, quam cùm paulo prolixior sit in pauciora verba contrahemus. Corinthiis, inquit, Apostolus mandat, ne sint in nobis schismata & unum dicamus omnes: quasi rituum & orationum innocens diversitas, schismata aut doctrinas novas in religionem inducat, qui puerilis error dudum à SS. PP. est confutatus, & omnium Ecclesiarum consuetudine satis refellitur. Neque minùs ridicula quæ sequuntur: neque sacram Scripturam aut sacros Canones de Liturgia à Marco scripta, quidquam tradidisse. Trullanum quidem Canonem II. ait testari à Jacobo scriptam Liturgiam, sed cùm neque Apostolicus Canon LXXXV. aut LIX. Laodicenus, qui sacrorum librorum indicem dant, illarum Liturgiarum meminerint, non esse recipiendas. Αλλὰ & ἡ καθολικὴ ἐκκλησία τ᾽ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ θρόνου τ᾽ Κωνσταντινουπόλεως, οὐδ᾽ ὅλως ταύτας ἐπιγινώσκει. Ψηφιζόμεθα οὖν μὴ εἶναι δεκτὰς αὐτάς· κἂν γὰρ ἐγένοντο, πάντελῶς ἀφεραξίας κατεψηφίσθησαν ὡς & ἄλλα τὰ πολλά. *Neque etiam Catholica sanctissimi & Oecumenici Throni Constantinopolis Ecclesia, ullo modo illas Liturgias agnoscit. Pronunciamus igitur non esse has recipiendas. Etsi enim ab iis factæ sint, ab omni usu vacare jubentur, ut & multa alia.* Mox repetita quam adduxerat ratione, & ducto exemplo ab eo quod circa Apostolicas Constitutiones, & Clementis Epistolas decernunt Canon VIII. Apostolorum & II. Trullanus, ita concludit. Διὰ τοι τοῦτο καὶ ὀφείλουσιν πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ ἀκολουθεῖν τῷ ἔθει τῆς νέας Ρώμης, ἤτοι τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἱερουργεῖν κατὰ τὰς παραδόσεις τῶν μεγάλων διδασκάλων, καὶ φωστήρων τῆς εὐσεβείας τοῦ ἁγίου Ιωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, & τοῦ ἁγίου Βασιλείου. *Quapropter omnes Ecclesiæ Dei sequi debent morem novæ Romæ nimirum Constantinopolis, & sacra celebrare juxta traditiones magnorum Doctorum, & luminarium pietatis, sancti Joannis Chrysostomi, & sancti Basilii.* Quod quidem miro argumento probat

probat ex Basilicis, ubi lex scripta non est, ibi sequendum morem Romæ, quod ad Jus civile spectat, non ad Ecclesiasticum: sed etiam de vera Roma dictum est, non de nova seu Constantinopoli.

XV. Qui Balsamonis commentarios in Canones legerint, aut opera illius reliqua, non ignorant quàm angustis limitibus doctrina ejus Ecclesiastica circumscripta fuerit, adeo ut quoties de rebus Ecclesiasticis, ad Africanam aut Romanam Ecclesiam spectantibus loquitur, non ut homo Græcus, sed ut Scytha Barbarus loquatur, tanta in eo est etiam rerum vulgatissimarum imperitia. Quid enim magis facile fuit quàm eum, qui Antiochenam Ecclesiam obtineret, essetque in media Syria, non ignorasse Ecclesias omnes Syras, quæ linguâ Syrâ in sacris uterentur, habere Jacobi Liturgiam, atque adeo illam sæculorum propè decem disciplinâ commendari. Nam Græca editio quæ Syriacæ fons & origo est, non ut in libris exstaret, in literas missa est, sed quòd eâ uterentur omnes propè Hierosolymitanæ Diœceseos Ecclesiæ. Illam porrò non visam à Balsamone verisimile omnino est, nam si vidisset, in ea agnovisset procul dubio vetustissimam sacrarum precum formam, quæ Basilii & Joannis Chrysostomi Liturgias aliquot sæculis antecederet. De ea quæ Marci dicitur, non minùs expeditum erat, scire eam in Alexandrina Diœcesi locum habuisse antiquitus, quod originis Apostolicæ certissimum argumentum fuit. Sed abiit Balsamon in alia omnia, nempe probavit Jacobi & Marci Liturgias, non esse in sacrarum Scripturarum Canone: neminem verò huc usque scimus adeo desipuisse, ut tale quid existimaret. Nam si præscripta in aliquo libro qui Scripturæ autoritatem haberet, Eucharistiæ celebrandæ forma reperiretur, eam sequi necesse foret, neque variæ fuissent, jam à primis Ecclesiæ sæculis, sacrorum Officiorum formulæ & orationes, quarum tamen discrimine, nunquam unitas Ecclesiæ, vel leviter turbata est. Falsa igitur & inanis illa ratio est, quæ non modò Marci & Jacobi Liturgias, sed Basilii & Chrysostomi non minùs evertit, si valeret. Quid enim, an ante Basilium & Chrysostomum Liturgia non erat? Quo etiam jure legem illi sacrorum reliquis Ecclesiis, quæ ad se non attinebant constituissent, cùm de duabus illis quas solas Ecclesiæ Constantinopolitanæ exemplo usurpari debere contendit, neque Canon ullus extet, neque perpetuus aliarum

Quid de eo sentiendum.

Digitized by Google

de illis ad altaria ſolis adhibendis, conſenſus reperiatur. At quamvis iniquus præ cæteris erga Latinos fuerit Balſamon, nunquam tamen eo uſque provectus eſt, ut eos abſque divino ſacrificio eſſe dixerit, quia Baſilii vel Chryſoſtomi Liturgiis non utebantur.

Conſtantinopolitanorum Patriarcharum ad abolendos aliarum Eccleſiarum ritus jus nullum.

XVI. Nihil verò magis contra majorum exempla, aut Leges Eccleſiaſticas, quam tyrannis illa Conſtantinopolitanorum Patriarcharum, qua quidquid ubique diſciplinæ veteris fuit, in ritibus longo multorum ſæculorum uſu confirmatis, abolitum voluerunt, ut ſui reciperentur: quæ quidem lex nulla unquam fuit, ſed ſummum jus, vel ſumma potiùs recentiorum Patriarcharum injuria. Eamdem vim ſibi factam ſæpe Orientales ipſi queſti ſunt, ſi quando, ut ſæpius in Miſſionibus accidit, homines in antiquitate Eccleſiaſtica parum verſati, ritus illorum Latinis commutandos cenſuerunt, eâdem dignitatis Romanæ ſedis ratione: quæ ſi valeret aliquatenus, ad veteris, non ad novæ Romæ diſciplinam imitandam compelleret. Illud igitur ſolùm docet nos in ſua ad Marcum reſponſione Balſamon, extitiſſe ſuo ſæculo Eccleſias, in quibus Jacobi, Marcique Liturgiæ ad Sacramentum Euchariſtiæ celebrandum adhiberentur, quod aliunde vix diſcere licebat, tanta fuit autorum, qui de Orientis rebus ſcripſerunt olim, imperitia aut indiligentia: nam à Græcis, quàm pauca hoc in genere exſpectanda ſint, docet, hominis inter eos doctiſſimi Balſamonis exemplum.

Origines Liturgiarum Alexandrinarum obſcuriſſimæ.

XVII. Quæ verò ulteriùs ſcire intererat, ut Liturgiarum Copticarum origines teneremus, ita obſcura huc uſque fuerunt, ut conjecturis tantùm, non certis probationibus, ex autorum vel Manuſcriptorum librorum teſtimonio petitis, quæſtioni non ad ſolam eruditionem, ſed ad fontes traditionis aperiendos neceſſariæ, lux aliqua poſſet accedere. Nam quod Arabica Græcis vetuſtiora Scaliger exiſtimavit, perſpicuè falſum eſt, cùm ex Copticis exemplaribus verſio Arabica facta ſit: illa verò tot voces Græcas, tot formulas eâdem linguâ conceptas habeant, ut vetuſtior eorum origo quærenda ſit. Cùm verò huc uſque tam multi in Critica præſertim Eccleſiaſtica ſe exercuerint, & quotidie exerceant, nemo, quod ſciam, de Coptitarum Liturgiis ita judicavit, ut ejus judicio videatur adquieſcendum. Græcam originem, omnes agnoſcunt, & id in promtu erat: ſed communem ut reliquis ſacra-

Digitized by Google

mentalibus Officiis originem illas habere existimaverunt, ita ut præcipuæ orationes, illæ præsertim quæ augustiorem sacri ministerii partem constituunt, quam Canonem appellamus, scilicet à Præfatione, & *Sursum corda*, usque ad communionem, minùs varietatis haberent, atque ad primævum Apostolicæ traditionis exemplar scriptæ forent, in aliis majorem sibi qui Liturgias scripserant libertatem sumsissent. Neque absurda sanè hæc opinio censenda est, omnes enim preces & cæremoniæ ad primævum illud caput Apostolicæ traditionis referuntur, à quo, si vel leviter recedunt, nunquam ab Ecclesia probatæ reperiuntur.

XVIII. Verùm propiùs quærenda erat origo Liturgiarum Ægyptiacarum, eratque quodammodo sub eruditorum oculis, & eam agnoscere facilè quisque potuisset, nisi Critici omnia conturbassent. Dum enim de Græcis quæ supersunt Liturgiis nimiùm præcipitanter judicaverunt, neque vel unicam à tetra censura immunem reliquerunt, prostrata est apud omnes illarum autoritas, adeo ut nulla, quam inter spuria & suppositicia scripta non rejecerint, relicta sit. Nempe quam in expendendis antiquorum autorum operibus regulam commode & sapienter adhibere Theologi solent, ut ex notis temporum & aliis non obscuris indiciis, doctrinæ similitudine, morum, locorum, & aliarum rerum comparatione statuatur, an cui attribuantur conveniant, de νοθείᾳ aut ἀυθεντίᾳ judicatur, eam ad Officia sacra temere omnino adhibuerunt, quorum alia omnino, ac privatorum scriptorum ratio est. Nam ex quorumdam nominum in Diptychis additione, ex vocibus quas posteriorum Conciliorum decreta sanxerunt, & aliis notis quæ suppositionis & corruptelæ argumenta Criticis firmissima judicata sunt, contrarium omnino efficitur. Hinc scilicet manifestò demonstratur Liturgias illas in quotidiano Ecclesiarum ministerio usurpatas fuisse, quo major omnino, quam ex autoris cujuscumque dignitate illis comparatur autoritas. Sed hæc atque alia maximi momenti argumenta, quæ Græcis vetustissimis Officiis & antiquitatem & publici quodammodo monumenti vim & robur conciliant, non satis animadversa occasionem omnibus propè Criticis dederunt, omnes nullâ propè exceptâ, Liturgias inter suppositicia, vel saltem νενοθευμένα scripta rejiciendi.

Critici plerique de illis perperam conjectaverunt.

XIX. Inter illas quæ tali censura confixæ sunt, non postre-

Quid de Græca

Digitized by Google

Liturgia Marci cenſuerint.

ma fuit ea quæ Marci appellatur, Græcè primùm & Latinè edita Lutetiæ anno MDLXXXIII. à Joanne à S. Andrea Canonico Eccleſiæ Pariſienſis. Exemplum quo ad editionem uſus eſt, habuerat ab eruditiſſimo Cardinali Guillelmo Sirleto, qui illud deſcribi curaverat, ex Codice reperto in B. Mariæ Ὁδηγητρίας quæ vulgò dicitur *de lo patire*, antiquiſſimo in Calabria Monachorum S. Baſilii Monaſterio. Eumdem ipſum codicem bonæ notæ & integrum, cùm Romæ eſſemus anno MDCCI. vidimus, & percurrimus, in Domo Religioſorum ejuſdem Ordinis, ad quam cum multis aliis venerandæ antiquitatis codicibus tranſlatum eſt è Calabria, atque ita ab interitu vindicatum. Nihil huic codici deeſſe, quantùm obſervare potuimus, imò integerrimum eſſe judicavimus, quamvis lacunis aliquot prima editio deformata ſit, ex eorum qui deſcripſerunt levi hallucinatione: niſi potiùs interpretis ipſius error fuerit, dum dimidiatas ſententias, ut fieri ſolet in ejus generis libris, quia formularum notiſſimarum initia tantùm ſcribebantur, lacunas eſſe exiſtimavit. Nec temere Cardinalis Sirletus, *Hierurgiam illam eſſe, quam à Beato Marco traditam Alexandrina Eccleſia ſervaſſet* judicavit, cùm illæ ipſæ tres quæ Copticè & Arabicè ſunt in quotidiano uſu apud Ægyptios, ab ea maximam partem expreſſæ ſint: & Græca tam certis ſignis ad Ægyptiacam Eccleſiam referatur, ut ad alteram pertinere non potuerit. Audiamus tamen Criticos: falſa Liturgia illa eſt, planèque ſuppoſititia, quia multa habet quæ Marci Evangeliſtæ ſæculo convenire non poſſunt. Ὁμόθσιον, Θεοτόκον, ſanctorum, qui non niſi poſt annos complures vixerunt, nomina, Monachorum, Patriarcharum, & alios generis hujus titulos. At hæc omnia, ſi non ad D. Marci ætatem pertinere cenſenda ſunt, ad fundatam ejus prædicatione & martyrio Alexandrinam Eccleſiam referri manifeſtum erat, atque adeo traditionis ejuſdem Eccleſiæ quæ una ex quatuor Patriarchalibus eſt, inſigne monumentum agnoſcere in ea debuiſſent homines perſpicaciſſimi. Rivetum nemo mirabitur cujus *Criticus ſacer*, vix pagellam unam habet intactam ab eruditorum ſibilo, ut neque quoſdam Septentrionalium Scholarum eruditos, qui cùm vix editorum librorum notitiam, præterquam ex nundinarum catalogis haberent, & manuſcriptos Codices nullos vidiſſent, de noviter publicatis vix poſt decennium audiviſſent, ex Centuriis Magdeburgenſibus, Rivetoque præſertim, Cooko aut ſimilibus

Digitized by Google

censores autorum Ecclesiasticorum se constituunt, & ineptissimis judiciis animos juvenum, qui ab eorum admiratoribus eadem audiunt, facilè præoccupant. Unde qui Reformatorum audaciam longè prætergressus est Arianus Sandius, in casso illo suo *Historiæ Ecclesiasticæ nucleo*, maximum quiddam reperisse se arbitratus est, dum Marci Apostoli Liturgiæ autorem, non Evangelistam, sed præstigiatorem, de quo Irenæus & Epiphanius loquuntur, judicavit. Neque sanè est cur ad hæc monstra opinionum stupeant, in quas facili negocio devolvuntur, qui traditionem contemnunt. Sed Catholicos Theologos, non Sandium quidem, at Rivetum exscripsisse permirum videtur. Tota enim eorum κρίσις Rivetiana est, cui ex propriis opinionibus, à diversis autoribus, alia vix meliora passim addita videmus.

XX. Omnium tamen quæ extant, vix ulla plures antiquitatis notas habet, quod ut olim conjecturis maximè probabilibus, ita nunc certis argumentis demonstrari posse existimamus. Nam futilitas judiciorum illorum quæ mox retulimus satis patet, cùm codex Basilianus ex quo descripta est, septingentorum saltem annorum vetustatem habeat, atque ex illis magnæ Græciæ Bibliothecis Monasticis prodierit, in quibus optimorum librorum copia fuit: fingendi verò aut subjiciendi tanquam veros, tales codices, nulla ratio. De suppositionis etiam fine, dici quoque illud veteris illius Prætoris potest, *cui bono*, aut quo fraudis fructus pervenerit. Nullius novi dogmatis vestigium in illa occurrit: ritus qui in aliis Ecclesiis non usurparetur, nullus: imo paulo quàm scriptus est codex, adeo ignota erat etiam inter Græcos ipsos Marci Liturgia, ut Balsamon eam vix cognoverit. Autores Orthodoxi Possevinus, Bellarminus, & tot Critici nuperi spuriam, suppositamque Liturgiam illam Marci esse censuerunt: aut si illam commendare aliqui tentaverunt, ut Leo Allatius, eam quæ S. Jacobi dicitur, iis rationibus pugnaverunt, quæ tam frivolæ deprehenduntur, ut de illis penitus siluisse præstitisset. Sirletus & Perronius Cardinales rectiùs omnino statuerunt, ille quidem venerandum esse antiquitatis monumentum: hic verò formam sacrorum rituum qui Alexandrinæ Ecclesiæ proprii fuerant, eâdem Liturgia contineri acutè vidit, quæ conjectura quantivis pretii, quasi nullius momenti foret, à maxima Criticorum parte neglecta est.

Marci Liturgia plurimas antiquitatis notas habet.

Digitized by Google

Veriſſimam autem illam eſſe certis jam argumentis demonſtrabimus.

Propria fuit Liturgia Eccleſiæ Alexandrinæ.

XXI. Huc uſque ſcilicet, nemo Græcam illam Marci Liturgiam cum Ægyptiacis comparavit, quas tamen ab altera originem habuiſſe erat manifeſtum. Nam cùm Arabicam verſionem, quam ſolam Maronita, quo interprete Velſerus uſus eſt, ſecutus ſit, Græcis exemplaribus vetuſtiorem judicavit Scaliger, erravit vehementer; neque opinor Græcam editionem viderat, etſi ante aliquot annos editam. Attamen etiam abſque illius ſubſidio, perſpicere quiſque poterat, Arabicam verſionem primarii exemplaris rationem habere non poſſe, cùm ex Ægyptiaco codice foret expreſſa. Is igitur erat componendus cum Græco, qua ex comparatione ſtatim agnitum fuiſſet, in illo, non textum, ut vocant, originalem, ſed verſionem contineri. De illo verò ne verbum quidem Scaliger fecit, nec Maronita interpres, quibus ſi vitio eſſe non debuit linguæ Ægyptiacæ ignorantia, at judicium ex verſione ſæpe non bona, tam præceps ferre minùs debuerant. Quiſquis enim etſi linguæ ignarus, ex ſola literarum, quæ majorem partem Græcæ ſunt, inſpectione rem pertentaſſet, ex magna Græcarum vocum copia, Græcam originem intellexiſſet. Nam Ægyptiacas in Græcam nullas migraviſſe ſcimus, Græcas in Ægyptiacam linguam permultas.

Primævum aliarum Copticarum exemplar.

XXII. Ea igitur prima ratio dudum nos in eam ſententiam induxerat, quæ Liturgiam Marci nomine publicatam, aut trium Ægyptiacarum primævum exemplar eſſe, aut earum ſaltem alicujus, exiſtimaremus. Nam cùm, ut alibi fuſiùs explicatum eſt, Officium Liturgicum, quod *Anaphora* vulgò ab Orientalibus, voce Græca appellatur, contineat partes duas; unam quæ à præparatione altaris incipit; deſinitque in pacis oſculo: alteram à pacis oſculo uſque ad finem, in Græca Marci Liturgia, prior illa pars ſatis integra eſt; Quamvis enim non accuratè omnino, neque iiſdem verbis & orationibus, eam repræſentet ſimile officium, quod in Copticis omnibus exemplaribus, ei Liturgiæ quæ Baſilii nomen habet, præmittitur; idem tamen, quantùm ad ſententias, orationumque & rituum diſpoſitionem eſſe, facilè agnoſcitur. Supererat pars ſecunda in qua major omnino Marci, & Baſilii Liturgiarum diverſitas. Eſt quidem non in illis modò, ſed in omnibus antiquis aliis cujuſcumque linguæ, idem ordo, orationes in

Digitized by Google

eamdem sententiam convenientes, ritus similes, sed insignis ex verborum varietate diversitas. Eo igitur conjectura ducebat, ut de illis, idem ac de reliquis Orientalibus judicium ferretur, eas scilicet quamvis non ex certo aliquo codice Græco expressæ forent, ad simplicem quamdam & principem sacrificii offerendi legem, quæ omnibus Ecclesiis communis foret, fuisse constitutas. Ut enim ita factum esse circa Liturgias Syras multiplices, vix potest dubitari, ita de tribus Ægyptiacis ut judicaretur, proximum erat. Omnia quippe Sacramentorum officia, etiam in ritu magis diverso, qualis est Occidentalis, isque non unus, convenire certum est, in omnibus illis partibus, quæ essentiales censeri debent. Inter Officia verò diversa observari orationum aliquam dissimilitudinem, eò facilius accidit, quòd ut ex Basilio notavimus, à SS. Patribus scripto tradita non fuerant. Itaque in satis prolixa precum & formularum serie, quædam strictiùs, quædam fusiùs exprimi, cùm sententia semper esset eadem, mirum non erat. Ne tamen successu temporum tot Liturgiæ scriberentur, quot Episcopis placuisset, cùm in unam sententiam omnes Ecclesiæ convenirent, in singulis, quæ magis insignes essent, Patriarchalibus præsertim, sacrorum formulæ constitutæ sunt, à quibus recedere non liceret, quæ indubitata diversarum Liturgiarum origo est. Cùmque usu consecratæ aliquando forent in Ecclesiis orationes nonnullæ, quas aboleri sine plebis aliqua perturbatione Episcopi non posse judicabant, relictæ sunt & scriptis consignatæ, ut quibusdam diebus usurparentur.

Omnes Liturgiæ ex primæva communi forma in Ecclesiis recepta ordinatæ fuerunt.

XXIII. Ex communi igitur illo sacrarum orationum thesauro depromtæ sunt omnes propè illæ, quas in variis quâcumque linguâ scriptis Liturgiis reperimus; vix enim ulla est quæ vel in Constitutionibus Apostolicis, vel in Basilii, Chrysostomi, aut antiquioribus Jacobi & Marci Liturgiis non exstet, aut iisdem verbis aut eâdem saltem sententiâ. Magnum toto Oriente Basilii nomen, magnum Chrysostomi: utriusque amplissima dignitas: major tamen omnino Ecclesiarum quæ talibus orationibus utebantur, ad eas ubique commendandas autoritas, ut Hierosolymitanæ quæ Jacobum, Alexandrinæ quæ Marcum primos Episcopos habuerant. Absque ulla igitur falsitatis aut corruptelæ nota, potuerunt Alexandrini Episcopi, postquam Liturgiæ scribi cœperunt,

Digitized by Google

communem formulam, ut est Græca illa reperta in Codice S. Mariæ Ὁδηγητρίας apud Calabros, quæ usu Ecclesiæ suæ firmata erat, Marci Liturgiam appellare.

Marci Liturgiæ partes duæ, prima quæ generale Officium continet.

XXIV. Illius prima pars, ut mox dicebamus, commune Officium usque ad osculum pacis & Præfationem continet, ab illo quod in Basilii Coptica præscribitur, non multùm dissimile. Quæ enim in Græco exemplari lacunæ videntur, & idcirco asteriscis aliquando ab editore distincta sunt, nihil aliud significant, quàm orationes aut formulas notissimas, quas scire deberent omnes memoriter, & illas ideirco, integras apponere non videbatur necessarium; atque idem in codicibus quibuscumque præter Græcos, Syriacis, Ægyptiacis, Æthiopicis, Arabicis, Armenicis observatur. Nihil in prima parte videmus, quod ad Basilianam Græcam magis, quàm ad alias ullas accedat: sed omnia conveniunt cum ea Marci.

Secunda pars Officium proprium continet.

XXV. Secunda pars, scilicet quæ incipit à pacis osculo usque ad Liturgiæ finem, non est eadem, neque convenit, nisi ea quam diximus generali conformitate rituum & sententiarum, cum prima & præcipua Coptica, quæ est Basilii. Ex ea igitur ratione illam, qualis Græcè edita est, non esse Canonem, ut uno verbo vocare possumus, communem veteris Alexandrini ritus intelligimus, sed singularem, cui prima Officii pars in codice manuscripto adjuncta fuerit, ut disciplina ferebat, quando ad synaxes Christiani Ægyptii eâ utebantur. Fieri etiam facilè potuit ut ex magno illo Ecclesiarum numero quæ Alexandrino Patriarchæ suberant, nonnullæ eadem frequentius uterentur, quamvis major earum pars Basilianâ, quæ in Codicibus Ægyptiacis prima est, uti soleret, saltem à captâ à Muhamedanis Ægypto. Ita enim rem se habere demonstrat Æthiopum, qui à Coptitarum Patriarchis omnia sacrorum instituta, simul cum hæresi Jacobitica acceperunt, disciplina. Canon enim Generalis Æthiopum qui communem Liturgiæ formam continet, Basilianæ Liturgiæ Copticæ, quædam liberior versio est.

Similis omnino est illa pars Liturgiæ Copticæ Cyrilli.

XXVI. Attamen Græco exemplari cum Copticis collato, deprehendimus Græcam Marci, & Copticam Cyrilli, quæ ordine tertia est, esse omnino similes, neque enim verborum & aliquot sententiarum differentia levis, tanti est, ut in Græcis fons & origo alterius non agnoscatur. Ita non caret fundamento, quod Abulbircat Liturgias numerans, & de illa Marci

Digitized by Google

Marci verba faciens, quam tamen in Eccleſia ſua recipi negabat, adjecit quoſdam exiſtimare, eam à Cyrillina non eſſe diverſam, ſed ex ea interpolatam. Si Græca exemplaria conſulere potuiſſet, nulla ambiguitas ſupererat. Sed eorum qui Arabicè ſcripſerunt, qui leviter ſaltem, Græcè ſciverit exiſtimamus fuiſſe neminem. Nam lingua vulgaris eſſe ſtatim deſierat, neque ubi ejus uſus in ſacris Officiis, præter quàm apud Orthodoxos ſubſtiterit, conjectando aſſequi poſſumus, quamvis alicubi ſuperfuiſſe videatur.

Græcæ Ægyptiorum Liturgiæ ex Codice Regio deſcriptio.

XXVII. Illius conjecturæ certiſſimum argumentum, quod etſi omnia alia deeſſent ſufficeret, Codex Bibliothecæ Regiæ ſingularis nobis ſubminiſtravit, cujus etiam ope primarium exemplar Liturgiarum Ægyptiacarum agnoſcimus. Is Codex notatus nº. 3023. ex illorum numero eſt, quos Joannes Michael Wanſlebius à viro ſummo, & cujus clariſſima ſemper erit inter literatos memoria, Joanne Baptiſta Colberto, cum mandatis Chriſtianiſſimi Regis in Orientem miſſus, ad Regiæ Bibliothecæ augmentum comparavit. Lacer eſt, deſuntque initio duo aut tria folia; unum in contextu; in reliquis optimæ notæ eſt, ſcriptuſque eleganti & perita manu. Continet autem Liturgias duas: primam S. Baſilii, cujus, ut ex fine diſcimus, titulus hic erat. Η θεία λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν τοῦ θαυματουργοῦ βασιλείου. *Divina Liturgia ſancti Patris noſtri Thaumaturgi Baſilii:* ſecundam ſancti Gregorii. Iſtius titulus initio ſimplex: Η θεία λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου: in fine ᾠκονομήθη τῷ ἐν ἁγίοις πατρὶ ἡμῶν θεολόγῳ Γρηγορίῳ: ex qua epigraphe, Theologum eſſe intelligimus, cui hæc Liturgia tribuitur in eo exemplari, ut in Copticis omnibus: quæ traditio ab autoribus Ægyptiacis unanimi conſenſu accepta eſt.

XXVIII. Primam paginarum faciem occupat Græcus textus, charactere quem ſexcentorum & ampliùs annorum periti eſſe judicant, forma quæ à communi literarum Græcarum ductu paulum abit: nulla litera cum aliis connexa, ſed vocum compendia frequentiſſima ſunt, ita ut πατὴρ, πνεῦμα, & multa alia compendiosè ſcribantur. Sed ne illa compendia lectores morarentur, index vocum ita ſcriptarum ad finem adjunctus eſt, unde forſan conjici poteſt, tunc ſcriptum fuiſſe codicem, cùm jam Græcæ linguæ ſcripturæque peritia vulgaris eſſe deſiviſſet, aut illis in locis, ubi uſus illius planè jam dudum deperditus foret.

Digitized by Google

XXIX. Alteram faciem columnatim disposita, tenet versio Græci textus Arabica, alia prorsus ab ea quam Coptici Codices repræsentant: sæpe non melior, & quam non sine magno labore interpretum factam fuisse manifestum est, ab hominibus Græca mediocriter intelligentibus, sed ex usu quotidiano, precum quas Sacerdotes & Episcopi memoriter tenebant, sententiam satis feliciter assecutis. Ex authentico igitur illo Græco, versio Arabica quam Codex Regius habet: ex Coptica versione, facta est altera illa Arabica. Ea porrò quamvis antiquissima sit, & ab annis plusquam sexcentis rari fuerint inter Ægyptios Christianos, qui vertere libros ex Coptica lingua possent, variat in multis secundùm exemplarium diversitatem, nullo quidem sententiæ detrimento, sed ex ubertate linguæ Arabicæ. Nam cùm Codices plures consuluerimus, satis magna diversarum, non tam lectionum quam interpretationum copia colligi potest in Arabicis: at in Copticis alicujus momenti propè nulla: adeo ut ex illo solo argumento quamvis firmiora complura suppetant, error eorum revincatur, qui Arabica Græcis antiquiora, Scaligeri judicio nimiùm tribuentes existimaverunt, cùm illa ipsa Copticis exemplaribus quæ ex Græcis expressa sunt, longè sint recentiora.

Continent illæ Liturgiæ sacrificii formam quæ ante Muhamedana tempora in Ægypto observabatur.

XXX. Rem sanè obscurissimam, & à nemine explicatam Codex Regius in magna luce collocat. Exhibet quippe veterem sacrificii formam, quæ in Ecclesia Alexandrina usurpabatur, ante Arabum tyrannidem, cujus quidem formæ partes aliquas Marci Liturgia Græca subministrabat, sed supererat ingens difficultas. Ex historia scilicet Alexandrinorum Jacobitarum scripta per Severum Episcopum Aschmoninensem, non minùs quàm ex Eutychio, qui Orthodoxorum seu Melchitarum Patriarcha fuit nono sæculo, intelligitur statim à Concilio Calchedonensi cùm maximis turbis agitaretur Ecclesia Alexandrina, Græcos, hoc est qui vel aliunde advenissent, vel Alexandrini cives forent, (nam in ea urbe obtinebat Græcæ linguæ usus,) Concilii definitioni præter pauciissimos adhæsisse: Coptitas sive nativos Ægyptios, Dioscoro ejusque successoribus, atque unius naturæ professioni ut renunciarent, nunquam adduci potuisse. Unde odia tam longè processerunt, ut statim atque Arabes urbis mœnibus copias suas admoverunt, Coptitæ duce quodam, quem *Mocaucas* Arabici libri appellant, suo & Benjamini qui in Monasteriis

Digitized by Google

latebat nomine, infidelibus libenter se subjecerint. Rediit Benjamin & ex Ducis Muhamedani præcepto, non modò plenam securitatem, sed in Christianos omnes summam autoritatem obtinuit. Græcus Patriarcha, & qui eum agnoscebant Græci omnes, pulsi, ita ut per annos nonaginta septem Ecclesia Orthodoxa Episcopis caruerit: Sacerdotes Constantinopoli ordinabantur, aut Cæsareæ: publicæ synaxes nullæ erant. In Thebaide & Monasteriis usus Græcæ linguæ vix erat: & ab eo tempore in sacris omnibus libris, Liturgiâ scilicet, Psalmodia, Ordinationibus, Officio baptismali, imò in Diplomatibus Patriarchalibus omnia Ægyptiacè scripta reperiuntur, Græcè pauciſſima. Utramque linguam ante Muhamedanos usurpatam fuisse negari non potest: sed ab Imperii Muhamedanorum Ægyptii primo sæculo, neque Jacobitas Græca lingua, neque Orthodoxos Coptica, usos in Ecclesiis, invenire facile est. *Hist. Patr. Alex. p. 156. & seq.*

XXXI. Certum tamen est duplicem illam quam Codex Regius continet Liturgiam, Jacobitarum fuisse, non Orthodoxorum, si quidem in prima, Basilii scilicet, leguntur in Confessione illa celeberrima, quæ pronunciatur ante perceptionem Eucharistiæ, ista verba de carne Christi. Ἔλαβεν αὐτὸ ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου ἐ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐποίησεν αὐτὸ μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοίωσει. *Accepit eam ex sancta Domina nostra Deipara & semper Virgine Maria, & fecit eam unam cum divinitate sua non per mistionem, confusionem, aut alterationem.* Usus linguæ Græcæ aliquibus in locis apud Coptitas servatus est.

XXXII. Possent quidem verba ista ad Orthodoxam sententiam explicari: unde si quis in Jacobitarum libris minùs exercitatus est, de conjectura nostra dubitabit, adeo pervasit omnium prope Theologorum animos siniſtra de Jacobitis fama, quasi Eutychianam hæresin conservent, aut Eutychen venerentur. At istum condemnant, & anathema in eum pronunciant, ejusque hæresin, ut Apollinaristarum errori proximam, detestantur. Eapropter mistionem, confusionem & alterationem rejiciunt, idque non modo in multis, quæ in libris illorum exstant, fidei Confessionibus, sed in eâ quam Liturgiæ ante communionem Græcè, Copticè, & Arabicè jubent pronunciari. Imò quod magis mirandum videtur, *consubstantialem patri*, fatentur esse Christum, *secundùm divinitatem; consubstantialem nobis secundùm humanitatem*; quibus verbis, cùm Leo Romanus Pontifex summam Orthodoxæ de Verba Confessionis Jacobiticam sectam significant. *Hist. Patr. Alex. p. 305. 361. 365. 471. 581.* *Leo Ep. ad Flavianum.*

Digitized by Google

Incarnatione fidei concluſerit, non idcirco tamen Orthodoxi ſunt, cùm in duarum naturarum profeſſione, Neſtorianam hæreſin contineri perperàm exiſtiment, & eo nomine Calchedonenſe Concilium ejuſque definitiones rejiciant. Quia igitur poſtremam iſtius Confeſſionis particulam, quæ licet Euchariſtiæ fidem reſpiciat, eam tamen quæ de Incarnationis myſterio eſt, explicat conceptis verbis, ut ad Monophyſitarum potiùs, quàm ad Orthodoxorum ſenſum referendam cenſeamus, duæ potiſſimum cauſæ ſunt. Prima, quod ἐποίησεν αὐτὴν μίαν, *fecit carnem aſſumtam unam* cum divinitate, manifeſtam habet unius naturæ enunciationem, neque alium ſenſum admittit, cùm ad ſignificandam unionem, ſalva proprietate utriuſque naturæ, ſive ſubſtantiæ, aliis omnino verbis Calchedone congregati Patres uſi fuerint, multaque alia, Græcæ linguæ ubertas ſubminiſtret. Secunda ratio ex Hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitis autoribus ducitur. Nam ſæculo demum duodecimo additas dicunt partes illas ultimas Confeſſioni; nempe vocem *vivificam*: tum illa verba, *fecit illam unam cum divinitate abſque commiſtione, diviſione, aut alteratione*, & tamen Codex Regius ea ætate videtur antiquior. Sed quæ ad hanc orationem ſpectant exponuntur accuratiùs in commentario ad Liturgias.

Additio videtur antiquior quàm Hiſtorici Alexandrini tradiderint.

XXXIII. Illud ſolùm obſervabimus, ea quæ circa additionem factam Confeſſioni dicendæ ante communionem, referuntur ab Hiſtoricis Ægyptiis, contigiſſe in Monaſterio ſancti Macarii, ubi juxta antiquam, ut aiunt, conſuetudinem, ſed quæ Benjamini ætatem ſuperaſſe non videtur, novi Patriarchæ poſt ἐνθρονισμὸν Alexandriæ factum, ſolennem Liturgiam celebrare tenebantur. Ita docet hiſtoria, & confirmat Ebnaſſalus, autor magni inter Jacobitas nominis, qui de obſervandis circa Patriarcharum electionem & ordinationem, ſcripſit diligentiſſimè. Erant Monachi Macariani rituum ſuorum retinentiſſimi, ita ut cùm ab aliquot ſæculis mos invaluiſſet per totam Ægyptum, ut in ſynaxibus nonnulla Arabicè legerentur, nempe ſectiones ex Evangeliis, Epiſtolis, & Veteri Teſtamento, poſtquàm Copticè lectæ fuerant: in Monaſterio illo nihil unquam Arabicè lectum in Eccleſia. Cùm igitur nihil mutari, nihil addi diſciplinæ ſuæ ſinerent, fieri omnino potuit, ut quæ alibi in uſu erant, apud eos ignorarentur, atque ita nova ipſis forent, quæ vetuſtiſſima erant. Exemplum capi

Digitized by Google

poteſt in rebus apud nos vulgatiſſimis. Sunt Religioſæ familiæ quæ diverſos in Miſſa celebranda à communi Ordine in Eccleſia Romana recepto ritus habent, ut inter alios Cartuſiani & Dominicani, non quod inſtitutores quidquam mutaverint, ſed quòd eorum diſcipuli eum retinuerint, quem ab initio inſtitutæ familiæ ſuæ, obſervatum videbant. Sit in Hiſpania Toletanus aliquis Archiepiſcopus, aut etiam jubeat Romanus Pontifex, ut vel Toletanos veteres, quos Cardinalis Ximenius ab interitu & oblivione vindicavit, aut ipſum Romanum uſurpare eos jubeat, tuebuntur ſe majorum exemplo, & antiquitate, quam ſi cum utroque altero ritu comparetur, meram eſſe novitatem quiſque agnoſcit. Quanto magis igitur apud homines illiteratos, Græcorum librorum, & originum Eccleſiaſticarum imperitiſſimos, accidere potuit, ut quæ ſibi ignota eſſent, ſi ab ea traditione, quam à Benjamino, qui primus ſub Muhamedanorum tyrannide res Eccleſiaſticas ordinavit, paulum deflecterent, ea rejicienda judicarent.

XXXIV. Quæ referuntur ab Hiſtoricis ſub Gabriele filio Tarich, qui ordinatus eſt an. J. C. MCXXXI. & ſub Joanne qui ordinatus eſt an. MCXLVII. contigerunt. Jam igitur & vox ζωοποιῶ & altera formula: *fecit illam unam cum divinitate ſua*, in uſu erant, quod etiam confirmare poteſt Regii codicis autoritas, nam aut antiquior eſt, aut ea circiter ætate ſcriptus. Addunt præterea, receptam fuiſſe in codices omnes formulam Confeſſionis, ita conceptam: Monachos tamen D. Macarii in ſua conſuetudine relictos fuiſſe. Codices vidimus iſtarum Liturgiarum multos, Regios quinque, Vaticanum, Florentinum, Colbertinum, qui fuit antea V. C. Claudii Hardy, præter eum quem habemus non valde antiquum, ſed emendatum: in illis omnibus nulla circa Confeſſionem diverſitas eſt: cùmque ex vetuſtioribus deſcripti ſint, per illos regredimur ad anteriora, & Græco codici æqualia tempora, vel etiam ſuperiora. Inde certò concludi poſſe exiſtimamus, Græcam, quam Codex Regius Arabicè interpretatam continet, vetus & primævum Liturgiæ Alexandrinæ exemplar eſſe, quod tamen à Monophyſitis, ſed eò ſolo quem deſignavimus loco interpolatum, priſtinam in reliquis formam ſervaverit. Nam quia ipſis verbis ſententia accommodari orthodoxa poteſt, ſi de unitate perſonæ accipiatur, non idcirco illa velut antiquitùs Liturgiæ inſerta debet exiſtimari. Nec laborandum

Quo tempore illam factam fuiſſe ſcribant. *Hiſt. Patr. Alex.* p. 302. 326.

Digitized by Google

est inaniter, ut illam Confessionis formulam, ut in Codice Græco legitur primitus scriptam fuisse probare satagamus. Non ferebat id antiquiorum temporum simplicitas, in quibus nihil aliud dici solebat à Sacerdote, nisi *Corpus Christi*: & respondebatur, *Amen*. Illis tamen verbis tribus, Christianos veteres, quidquid fusiori oratione alibi explicatur intellexisse, demonstrat Ecclesiarum omnium Orientalium disciplina; secundùm quam in ipso distribuendorum mysteriorum momento, non modò eadem forma servatur, sed de omnibus propè fidei articulis exigitur confessio. Primò enim dici præcipiunt, *Unus Pater sanctus, &c.* quæ ad Trinitatis fidem pertinent: & de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia talis est confessio, ut etiam quæ ad Incarnationis mysterium spectant complectatur.

Conjectura de additione illa.

XXXV. Quæ autem ratio fuerit novæ istius disciplinæ, ex historia quidem, aut actorum Ecclesiasticorum monumentis non habemus, sed ex conjectura, id certo consilio factum fuisse intelligimus. Nempe turbata & per annos plusquam ducentos agitata cùm fuisset Ecclesia Alexandrina per Monophysitarum seditiones, quos cùm Marcianus & quidam alii Imperatores Orthodoxi, legibus & autoritate compescere vix potuissent, (Anastasius enim, Leo & alii magnopere illis faverant, & inter bella civilia incrementum res eorum acceperant,) illos Muhamedani supra Orthodoxos extulerunt. Ita factum, ut à Calchedonensis Concilii tempore, vix Ecclesia Alexandrina quieverit, mistique erant cum Orthodoxis Monophysitæ, quorum etiam plures erant, diversæque factiones. Ab illis igitur qui Cathedram Alexandrinam, ut Dioscori successores & discipuli occupaverunt per scelus & seditionem, sub Orthodoxis Imperatoribus; autoritate Tyrannica sub Muhamedanis, institutum videtur, ut per fusiùs explicatam fidei Confessionem, quæ fieret in ipsa Eucharistiæ distributione, dignoscerentur Monophysitæ genuini, non modò ab Orthodoxis, Calchedonensis Concilii Decreta amplectentibus, verum & à diversis aliis, quos nec ejusdem Concilii detestatio, nec unius naturæ professio, à puriorum illorum Monophysitarum anathemate præstabat immunes. Tales erant Acephali, Barsanufiani, Juliani Halicarnassei sectatores, Semidalitæ, & quidam alii, quorum historia Patriarchalis meminit, quique dudum extincti sunt, sed non nisi post Muhamedana tempora.

Digitized by Google

XXXVI. Per annos prope centum, Orthodoxi non modò nullas Eccleſias habuerunt Alexandriæ, & in tota Ægypto; ſed ne Epiſcopos quidem, tantummodo Sacerdotes, qui magno ſuo periculo, ex Græcia ordinationem petebant. Adversùs eos tanta fuit Hæreticorum ſævitia, ut Epiſcopo cuidam Melchitæ ſive Orthodoxo digitos amputari per Arabes fecerint, ut ſacris miniſteriis inutilis foret, quod ipſorum hiſtorici, velut obſequium Deo præſtitum, in literas mittere non erubuerunt. In tanta igitur calamitate contigit ſæpius, Orthodoxos latenter ad Jacobitarum Eccleſias acceſſiſſe, ſatiùs ab illis Euchariſtiam accipere, quàm eâ prorſus carere exiſtimantes. Quid enim exſpectari potuiſſet à Chriſtianis ſervitute barbarica oppreſſis, & qui per annos multos, paſtorem legitimum non viderant. Sæpius id factum eſt, & fieri frequentiſſimè etiamnum in Oriente, à viris fide digniſſimis accepimus, ne dum Orthodoxam communionem quærunt inutiliter, Sacramentis prorſus careant. Multo magis irrepere ad ea ſuſcipienda poterant Acephali nonnulli, qui etiam Epiſcopos omnino nullos habebant, nec ordinationem Preſbyterorum, ut Orthodoxi, petere ex Græcia poterant. Illam igitur prolixiorem Confeſſionem, eâ quam expoſuimus causâ inſtitutam arbitramur, eo magis quòd illa ad Incarnationis fidem, potiùs quàm ad Euchariſtiæ, pertineat, de qua hæreſis nulla: nec leviſſima unquam à Schiſmatum initiis, aut inter Jacobitas, aut cum aliis extitit controverſia. Occurrunt in Græcis Euchologiis & Ritualibus orationes tempore communionis dicendæ, in quibus ad profitendam realem corporis ſanguiniſque Chriſti præſentiam nihil deſiderari poteſt, adeo ut in alterum ſenſum tranſduci ſimpliciſſima illarum verba nequeant. Non abſimiles leguntur in Syriaco Jacobiticarum Liturgiarum codice: ſed in utriſque, ultima illa particula, quæ unitatem naturæ ſignificat non occurrit: illam habet ſola Æthiopica Liturgia quæ ex Coptica tranſlata eſt, ita ut ejus verſio quodammodo haberi poſſit.

Facta videtur ad diſcernendos Jacobitas.

XXXVII. Erunt fortaſſis, qui vetuſtioris, ſimplicioriſque formulæ veſtigium agnoſci velint, in Liturgia Marci, qualis è Codice Calabro edita eſt: ibi enim ubi communionis diſtributio præſcribitur, legimus Sacerdotem ὅταν μεταδίδει τὴν κλῆσιν λέγει. Σῶμα ἅγιον, Ϛ εἰς τὸ ποτήριον λέγει, Αἷμα τίμιον. *Cùm communionem dat Clero, dicere. Corpus ſanctum, & ad calicem*

De formula quæ eſt in Liturgia Marci.

Digitized by Google

ſanguis pretioſus, &c. Unde ſuſpicio naſcetur, illis qui in Rituali diſciplina Orientali minùs verſati ſunt, concluſam paucis his verbis Confeſſionem olim fuiſſe: nam eo ducit argumentum petitum à veteri diſciplina. Illud porrò neque affirmari certò, neque negari poteſt. Cùm enim Marci Græcam Liturgiam, multis argumentis conſtet vetuſtiorem eſſe Calchedonenſi Concilio, Orthodoxiſque olim propriam, caruiſſe illam verbis Confeſſioni adjectis, quæ Monophyſitarum errorem contineant, indubitatum eſt. Cùm tamen, ut obſervavimus, Marci Liturgia integra non ſit, quia quæ ex communi officio petenda ſunt, per initiales tantùm voces deſignantur; an poſtrema illa verba olim habuerit, ſciri non poteſt. Non habuiſſe, longe veriſimilius eſt: cum ex teſtimonio Marci Patriarchæ Balſamonem conſulentis, eam ab Orthodoxis uſurpatam fuiſſe conſtet, qui unius naturæ Confeſſionem admittere non poterant. Nihil igitur ex diverſitate hujus & aliarum Liturgiarum concludere licet. Porrò ſi quædam occurreret diverſitas, quæ eâ quam diximus ratione conciliari non poſſe videretur, major foret Regii, quàm alterius Codicis autoritas. Nam Romæ alterum vidimus, & Regio recentiorem agnovimus.

Liturgiæ ex Codice Regio veterem ritum Alexandrinum repræſentant.

XXXVIII. Cùm igitur ex dictis huc uſque confici exiſtimemus, Græcas Liturgias duas Regii Codicis, non modò Alexandrinum ritum continere, ſed eum quem Jacobiticæ Eccleſiæ ſecutæ ſunt, Copticique codicis exemplar primarium: illud etiam obſervandum eſt, quòd ad earum originem perſpiciendam eſt maximè neceſſarium. Nempe haberi in illis expreſſa, ut ita dicamus, lineamenta Alexandrini ritus veteris, ſicut in Jacobitarum & Melchitarum Syriacis, veterem Hieroſolymitanæ Liturgiæ formam à Jacobi traditione manantem: in Neſtorianis, ſingularem Meſopotamenarum Eccleſiarum diſciplinam, & in ultima, quæ Neſtorio tribuitur, certum indicium Conſtantinopolitanæ, quæ Joannis Chryſoſtomi titulo à poſteriori ætate ornata eſt. Nam veteres hæretici, ſi eos excipimus, qui Chriſtiani haberi vix poterant, non ut Reformatores quos ultima duo ſæcula protulerunt, omnem funditus diſciplinam evertendam arbitrabantur, ſed eam quæ ſuo tempore vigebat ſtudioſiſſimè conſervabant. Ita factum ut inter tot mala quibus Eccleſia conflictata eſt, ſteterit integra Sacramentorum celebrandorum forma, neque de ea immutanda, & ad purum, ſi ſuperis placet, verbum Dei reformanda quiſquam cogitaverit.

Digitized by Google

cogitaverit. Unde huc usque eadem Jacobi Syra Liturgia, omnium quæ eâdem linguâ exstant vetustissima, non modò à Melchitis seu Orthodoxis, sed à Jacobitis ad altaria celebratur. Neque dubitare quisquam potest, usurpatam aliquando ab Alexandrinis Orthodoxis fuisse eam quæ Marci dicitur, cùm id perspicuè testetur Marcus Alexandrinus eorum Patriarcha ad Theodorum Balsamonem scribens, licet dubitabundus, quia scilicet lapsu temporis, Græcanica Ecclesiæ Constantinopolitanæ disciplina Alexandriæ recepta cùm foret, patrii ritus in aliquibus tantùm locis remanserant. Cùm porrò certum sit, illam non nisi serò admodum apud omnes Græcas Ecclesias solam obtinuisse, & Alexandrinam tali dignitate sedem, quæ secundùm inter Patriarchales locum obtineret, habuisse ut alias, ritus suos singulares, verisimile omnino sit; nihil supersit præterea in literarum monumentis, quòd ad eos, Græcâ illâ tam Codicis Regii, quàm alterâ Calabri, magis accedat: confirmetur quoque mille circiter annorum antiquitate stabilitus ritus Copticè Officia celebrantium Ecclesiarum consuetudine non interruptâ: Græcas passim orationum formulas multas habeat Græcæ originis indices, quod in aliis linguis vix occurrit; nihil propius est, quàm ut illam Liturgiam antiquum esse Codicem Sacramentalem Ecclesiæ Alexandrinæ censeamus: nam reliquos omnes qui nobis noti sunt, ad eam non pertinuisse, tam certò constat quàm quod maximè.

XXXIX. Illa igitur quæ prima occurrit in Regio codice Liturgia, si cum vulgari Coptitarum, quæ exstat eadem in omnibus exemplaribus comparetur, reperitur esse planè similis. Initia tamen aliquatenus differunt, quia Officium commune tribus Liturgiis Basilii, Gregorii, & Cyrilli, habet adjunctas orationes diversas quæ non simul dicuntur, sed assignatæ sunt diversis festivitatibus. Deest aliquid initio codicis Regii ex Basiliana; sed quantum uno vel altero folio comprehendi poterat, primaque oratio integra, est τοῦ καταπετάσματος. Sequuntur orationes pro pace, seu τὰ Εἰρηνικὰ, quibus oratur pro variis rebus, & personis: tum aliquot ad osculum pacis, statimque Ἀρχὴ τῆς προσκομίδης, seu *Initium oblationis*, & ut in veteribus Ritualibus appellatur aliquando, *Illationis*, quia scilicet tunc infertur oblatio ad altare, incipitque *Anaphora* propriè dicta, quæ Canoni nostro respondet. Unde ab ea parte, omnium quæ Copticè, Syriacè, aut Æthiopicè extant

Prima Græca Copticæ est omnino similis.

Liturgiarum ducuntur initia. Cùm verò, Græcam & Copticam per partes inter se comparare non possimus commodè, idque in Commentario ad easdem proprio suo loco fieri debeat, ut quantum in nobis fuit præstare conati sumus, quædam solummodo Græcæ singularia & ex quibus de illius usu, & destinatione conjectura capi possit, observabimus.

Observata quædam ad illas Liturgias.

XL. In Oratione pro pace, memoria singularis fit Patriarchæ Alexandrini, cum hoc titulo. Εὐχὴ περὶ τοῦ Πάπα. *Oratio pro Papa.* Μνήσθητι κύριε τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἀρχιερέως ἡμῶν ἄββα ΔΔ. πάπα καὶ πατριάρχου τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας. *Memento, Domine, sanctissimi & beatissimi Pontificis nostri Abbæ N. Papæ & Patriarchæ magnæ urbis Alexandriæ.* Ex hac porrò memoriæ agendæ formula intelligitur, ritum codice expressum, esse Alexandrinæ Ecclesiæ proprium: nam in aliis Patriarchalibus Ecclesiis non ita appellaretur ejus Episcopus, quamvis *Papæ* titulus dudum illi tributus fuerit, non ex insulsa illa ratione quam affert Eutychius, quasi Papa, *avum* significet, ipse verò cum ex dignitate sua sit Episcoporum pater, ab inferioris ordinis viris majori titulo deberet cohonestari. Nihil minus: sed qui communis Episcopis erat, Romano Episcopo, & postmodum Alexandrino, ex quadam honoris prærogativa tributus est. Joannes à S. Andrea qui Græcam Marci Liturgiam publicavit, hæc ad Romanum Pontificem referenda arbitratus, incautis lectoribus fraudi fuit.

Solius Patriarchæ memoria.

XLI. Observabimus quoque in codice Regio solius Patriarchæ fieri memoriam, non Episcopi, ut in Græca Marci, & in Copticis plerisque. Hinc non temere conjicere possumus, descriptum illum fuisse ex aliquo qui ad ipsius Ecclesiæ Patriarchalis usum destinatus foret, qua ratione major ejusdem censenda est autoritas.

Nullorum sectæ Jacobiticæ sanctorum.

XLII. In Diptychis, ubi Sanctorum nomina recitantur, vix ulla Coptica exemplaria sunt, in quibus post præcipuos Ecclesiæ doctores non nominentur Dioscorus, Severus, & alii Monophysitarum heroës. Verùm in codice Regio nihil simile: solius Marci memoria est, ut in edita cum ejus nomine Liturgia. Vetustatis quæ schismatum primordia antecesserit indicium hoc esse qui pertendet, non facilè refelletur.

De principum commemoratione.

XLIII. Quod in iisdem Diptychis, vel potiùs Catholica Oratione qua oratur pro omnibus, nominantur βασιλεῖς, &

Digitized by Google

παλάτιον, etiam paris vetuſtatis nota videbitur, atque ita judicaſſe Salmaſium ex Arabica verſione ſola quam viderat, docet ejus ad Joannem Dallæum Epiſtola, quæ eſt inter editas 32ª. Librum Copticum & Arabicum cujus teſtimonio uſus eſt, antiquiſſimum eſſe, & ſcriptum cùm Imperatores Chriſtiani adhuc Ægyptum obtinerent, ea ratione judicavit, quia inter preces alias, eſſet ſingularis una, pro Imperatoribus, & illis qui eſſent in Palatio. Rectè quidem ſi Græco exemplari adhæreamus, quod Officium continere, quale ſub Imperatoribus Chriſtianis celebrabatur, dubitari vix poteſt. At ex Arabica verſione idem conficere, abſurdum penitus fuit, cùm illius linguæ in Ægypto, ante quàm à Muhamedanis occuparetur, uſus foret nullus. Melius id ipſum ex Coptica agnoſci proclive fuit: ſed quamvis in ea lingua deſudaſſe Salmaſium ab ipſo ſciamus, cùm ſæpe multas hoc in genere παρεκβάσεις faciat, in locis non ſuis, in ea tamen Epiſtola quæ abnormem Confeſſionis illius celebris de Euchariſtia, expoſitionem continet, de Ægyptiacis ſilet. Ex Regio codice Græco quidquam determinari vix poteſt, circa Liturgiæ ipſius ætatem: nam etſi βασιλέων meminerit & Palatii, hæc ad Arabes tunc rerum dominos non minùs referri, quàm ad Chriſtianos Imperatores poſſunt. Neque ſi, ut in Gregoriana tam Græca, quàm Coptica, reperitur oratio *pro Regibus Chriſtum amantibus*, aut ut in Græcis rubricis ὑπὲρ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως, inde quidquam aliud concludi poteſt, niſi conſervatas eſſe antiquas formulas, etiam ſub Infidelibus dominis, pro quibus orandum eſſe, veteres Chriſtiani uno conſenſu docuerunt.

XLIV. Eſt magna hoc in genere Liturgiarum varietas: ſunt enim multo plures, quæ orationem pro regibus & principibus præſcribunt, nulla pietatis aut fidei facta mentione, ne ſcilicet pateret calumniandi locus. Occurrunt tamen aliæ quæ antiquo more ſervato orationes habent, *pro regibus fidelibus*, inter quas non poſtremo loco cenſenda eſt Neſtoriana, quæ vix unquam uſurpata fuiſſe videtur illis in regionibus, quas Chriſtiani cum imperio obtinerent. Ejecti enim ex Romanis provinciis, è Meſopotamia quam totam propè corruperant, tranſierunt ad Perſarum regnum, qui tunc patriæ religionis tenaciſſimi, Chriſtianos ſæpe graviſſimis perſecutionibus oppugnabant, quarum ſub Sapore præſertim, Socrates, Sozomenus, & alii autores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ meminerunt,

Magna eo loco Liturgiarum varietas.

Digitized by Google

& de quibus Neſtoriani multa in vitis Catholicorum. Succeſſerunt ultimis Perſarum Regibus Muhamedani, ſub quibus non multo melior conditio Neſtorianorum fuit, niſi quòd fidem abnegare non compellebantur. Habuerunt poſt unum aut alterum ſæculum Eccleſias in India, apud Tartaros, & apud Sinas, quod ex variis autoribus fusè exponetur in Diſſertatione de ejuſdem ſectæ propagatione. Illis in regionibus, imperium penes Idololatras, aut non meliores barbaros erat, quales Turcæ, Mogoli, & aliæ gentes innumeræ, quæ communi Tartarorum appellatione ab autoribus Græcis, Latinis, Arabibus & Perſis deſignantur. Ubique tamen in Liturgiis ſuis, quas ſolâ Syriacâ linguâ celebrant, non orant niſi *pro regibus fidelibus*, hoc eſt Chriſtianis. Atque hæc exempla conjecturas quæ ex illis Diptychorum formulis ducuntur, prorſus evertunt.

Diverſæ orationes in eâdem Liturgia.

XLV. In reliquis omnibus ejuſdem Officii partibus, conſtat omnino ſibi Ægyptiacæ Eccleſiæ diſciplina, ut in Commentario ſeorſim explicatum eſt. Sunt autem ad oſculum pacis orationes diverſæ: una τῆς θείας λειτουργίας τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ ἀδελφοθέου Ἰακώβου, *ex divina Liturgia Jacobi Apoſtoli fratris Domini*: alia cum nomine D. Baſilii, quibus titulis, eas ex aliarum Eccleſiarum codicibus deſumptas eſſe manifeſtum eſt, quod originem antiquam diverſarum Liturgiarum, qualis ſuperiùs expoſita eſt, manifeſtè deſignat. Scilicet cùm primarum ſedium Epiſcopi preces publicas ordinarent, & in ſcriptis codicibus ad certam formam redigerent (idque quarto & quinto ſæculo factum videtur,) eas orationes ſelegerunt, quæ aliis in Eccleſiis, cum quibus erat perfecta ſacrorum & fidei communio, à majoribus acceptæ, & quotidiano uſu conſecratæ ſervabantur. Atque ex communi quodam illo Eccleſiæ Orientalis theſauro, eductæ ſunt preces propemodum omnes, quæ in Liturgiis Copticis, Syriacis & aliarum omnium linguarum leguntur, adeo ut paucæ omnino recentiores autores agnoſcant, niſi quòd ſæpe, præſertim in Syriacis, paraphraſes quaſdam liberiores in quibus linguæ ſuæ divitias uberiùs profundunt, reperimus. Ut tandem omnia quæ ad Græcas Alexandrinas Liturgias ſpectant complectamur, in prima quæ eſt Baſilii, annotatur oratio poſt *Pater noſter*, quæ Baſilio tribuitur. Ἄλλο μετὰ τὸ Πατὴρ ἡμῶν εἰς τὸν βασίλειον, hoc eſt, ut verſio Arabica exprimit, *ſancti Baſilii*. Sequuntur Orationes, *fractionis*, dicendæ

ſcilicet, cùm ante communionem, frangitur panis Euchariſticus. Eas præcedit benedictio, quæ cùm à Sacerdote pronuncietur, ſuper Clerum & populum, qui ut eam ſuſcipiant genua flectunt & caput inclinant, dicitur Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλίσιας: *Oratio capitis inclinationis.* Subjicitur alia hoc titulo. Ἄλλο παρ' αἰγυπτίοις ἀπὸ τοῦ ἀποστόλου Μάρκου. Mirum plane in Officio, quod ex certiſſimis indiciis Ægyptiacum eſſe conſtat, Ægyptiacorum rituum tanquam diverſorum extare memoriam. Qui ſit certus verborum illorum ſenſus non facilè percipitur: quæ veriſimiliora conjectando dici poſſunt, exponemus.

XLVI. Duo ſtatim ſenſus occurrunt: primus & ſimpliciſſimus foret, quòd hæc Liturgia non ad uſum Eccleſiæ Alexandrinæ, quamvis ejus ritum exprimat, ſed ad alterius cujuſdam deſcripta fuerit. Exemplum familiare ſubjiciunt rituales libri noſtri, in quibus videmus certis orationibus notam adjunctam, quòd in Romana Eccleſia dicantur; quòd in Metropolitana, etſi ſub earumdem autoritate ſpirituali ſint Eccleſiæ, quibus ſingulares illi libri deſtinantur. Neque inanis prorſus hæc conjectura eſt; certior futura, ſi plures Coptitarum libros haberemus: aliquos, præſertim eorum, qui in Monaſteriis, ubi ritus antiquus maximè incorruptus erat, ſcripti fuiſſent. At nullos tales unquam vidimus. Nec minùs aberrabit à veroſimili, qui exiſtimet codicem Græco-Arabicum Regium deſcriptum fuiſſe pro Eccleſia Alexandrina, & Ægyptiorum nomine intelligi alias à Metropolitana Eccleſias. Id faciliùs probari poſſet: nam ſi alicujus Epiſcopalis Eccleſiæ aut privatæ, aut Monaſticæ uſui liber ſcriptus fuiſſet, in Diptychis, poſt nomen Patriarchæ Alexandrini, occurreret memoria Epiſcopi Diœceſani, ut in omnibus ferme codicibus, etiam ſi qui ad Monaſteria pertinuerint. Quamvis enim magna in Ægypto, & in Oriente fuerit ſemper Monaſtici Ordinis dignitas & autoritas, privilegia quibus ab Epiſcoporum poteſtate eximuntur, vix ulla ſunt. Sed hæ conjecturæ qualeſcumque ſint, etſi non planè indubitatæ ſufficiunt, cùm notæ Alexandrini ritus, in toto Officio tam certæ ſint, ut dubio locus non ſit.

De Liturgia τοῦ παρ' αἰγυπτίοις Sancti Marci.

XLVII. Reliqua ad iſtius Codicis, quem ut fontem aliorum omnium agnoſcimus, illuſtrationem neceſſaria, per partes explicantur, in primo ad Liturgias Commentario; quando autem & quibus locis uſurpatus in Eccleſiis fuerit, affirmare

Quando ritus iſte Alexandrinus uſurpatus ſit.

Digitized by Google

non poſſumus. Diximus alibi, ſtatim atque Arabes Ægyptum armis obtinuerunt omnem ferme linguæ Græcæ in ſacris uſum apud Alexandrinos intercidiſſe, quod adeo certum eſt, ut præter Regium codicem vix ullus ſimilis huc uſque repertus fuerit, imò vix autorem habemus qui vidiſſe teſtetur. In Alexandrina Eccleſia Jacobitica, à Benjamino ad hæc uſque tempora, perpetuus nec interruptus Copticæ linguæ, tam ad Liturgiam, quàm ad reliqua Sacramenta, & pſalmodiam uſus permanſit: Græcæ ne quidem veſtigium. Sed codicis Regii cùm talis ſit autoritas, cui refragari nemo queat, ex eo ſolo retentam eſſe in quibuſdam Eccleſiis Jacobiticis Græcam Liturgiam, certiſſimum videtur: & in maritimis nonnullis, faciliùs quàm in ſuperiori Provincia Græca lingua potuit conſervari, etiam in ſermone quotidiano. In ſacris verò, cum Melchitæ non aliam ad preces publicas & ſacramenta adhiberent, major quodammodo fuit illius retinendæ facilitas. Quæ forent Eccleſiæ quas Græcus Patriarcha obtineret, docet Notitia quam ex Nilo Doxapatrio dedit Leo Allatius; aliam ex Arabico, ſed parum accuratam Guillelmus Beveregius in Notis ad Canones. Cùm igitur ubique ab Orthodoxis Græcè ſacra celebrarentur, potuit idem in nonnullis locis apud Jacobitas fieri, qua de re divinari multa poſſunt, pauca rationibus & autoritatibus demonſtrari.

De Conſenſu l. 1. p. 168.

Regius Codex in Cypro repertus.

XLVIII. Regius Codex loci aut regionis nullam præfert notam: & quod Nicoſiæ repertus fuerit à Vanſlebio, qui coemendorum librorum cauſa in Orientem miſſus fuerat, ſuadere videretur, extitiſſe quaſdam in Cypro Eccleſias, quæ iſtis Liturgiis uſæ fuiſſent. Sed vis hujus argumenti debilior eſt, quàm ut ratio illius haberi poſſit, niſi firmiores aliunde ſuppetant, quas huc uſque nullas comperimus. Libri ubique reperiuntur omnis generis, & in Oriente ubi dudum literæ florere deſierunt, ſæpe reperiuntur apud alicujus ſectæ homines, qui ad eam nullatenus pertineant, & quos ipſi poſſeſſores neſciunt. Sed fuiſſe in Cypro Eccleſias quæ Alexandrino Patriarchæ Jacobitæ ſubeſſent, à nullo, quod ſciamus, idoneo autore proditum eſt. Quæ olim Eccleſiis Cypriis privilegia Canones antiqui irrogaverant, eadem poſt ſchiſmata viguiſſe reperiuntur, ſervanturque illius primævæ libertatis teſtimonia, in Jacobitarum, Melchitarumque Collectionibus. In tota hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum ſerie, juris quod

Digitized by Google

erga Cyprios Episcopos usurpaverint, nullum occurrit exemplum : ut & nullius causæ, in qua erga eos jus aliquando dixerint. Extant Notitiæ Græcæ & Arabicæ Melchitarum : Jacobitarum aliæ ; nulla Cyprum Alexandrinæ sedi subjicit. Monendum tamen, repertos esse ea in insula Maronitas : non Libaniticos illos dicimus qui non modò majores suos ab omni hæresis Monothelitic æ suspicione vindicare satagunt, sed Catholicam fidem labantem solos in Antiocheno Patriarchatu propugnasse volunt, sed ita ut doctiorem neminem ad sententiam suam pertraxerint. Germanissimi illi erant Monothelitæ, quos tamen, non Willelmus Tyrius, non alii commendatissimi autores, Latini, Græci, Syri & Arabes, sed ipsi Romani Pontifices, Maronitas appellaverunt. Erant illi in Cypro, extantque variæ circa illos Constitutiones Alexandri III. & aliorum, præter Nicosienses multas, postremæ Conciliorum editioni insertas. Erant quoque Nestoriani, & eorum libros aliquot vidimus, in Insula ipsa non repertos, ut codex Liturgiarum Regius, sed scriptos ante annos quadringentos. Vastato toties Oriente per Arabum bella civilia, aut per Tartaros sub extremis Seljukidarum Sultanorum temporibus, fieri potuit ut multi Christiani eo commigrarent, atque inter eos nonnulli, qui Patriarchæ Jacobitarum Alexandrino subjicerentur, & sedes illic fixerint : nam ex Ægypto non difficilis erat in Insulam trajectus. Id si factum est, quod æquè facile fuit, quàm Nestorianorum & Maronitarum transfretatio, ad istos Jacobitas referenda est, hæc Nicosiæ reperta Liturgia. Id verò à nobis conjectando tantùm dicitur, ut qui plures libros tractaverint, argumenta ad eam conjecturam evertendam, aut confirmandam possint conquirere. Nam alia interpretamenta nullo loco habenda sunt.

De editione Confessionis Liturgicæ Copticè & Arabicè Romæ edita.

XLIX. Superest ut moneamus, ex prima Coptitarum Liturgia, quæ Basilii nomen præfert sumta esse, quæ vir doctissimus Guillelmus Bonjour Augustinianus anno MDCXCIX. Romæ edidit hoc titulo. *In Monumenta Coptica, seu Ægyptiaca Bibliotheca Vaticanæ brevis exercitatio.* In ea Confessionem quæ ante communionem dici solet Copticè, Arabicè & Latinè dedit. Hoc exemplum consulere poterunt linguarum periti, cùm typorum defectu, & studiorum illorum neglectu, ne particulam quidem Liturgiarum suâ linguâ exhibere potuerimus. Versionem dudum, antequam altera ederetur, absolveramus,

Digitized by Google

& inter utramque nulla est differentia: at in Oratione *Absolutionis*, quam vir doctissimus, *communionis* seu *consociationis* vertit, non audiendus est, ut notæ ad illam orationem nostræ demonstrant. Quod *Romæos Patres*, quorum in eadem memoria fit, Romanos esse existimavit, unde veteris cum Ecclesia Romana communionis indicium agnoscere sibi visus est, abiit à vero longissimè, cùm, ut apud recentiores Græcos, ita apud Coptitas & Arabes ῥωμαῖος & *Roum*, non Romanum hominem, aut Romam, sed Græcum, Græciamque significent. Occurrunt quoque alia de quibus suo loco monuimus; quæ vir doctrinâ non magis quam modestiâ commendandus non observaverat; neque enim id facilè poterat, cùm Romæ non tanta extet Orientalium librorum copia, præsertim Christianorum, quantam collegisse licebat, si hæc studia planè illic non jacerent. Sed in Vaticana Bibliotheca pauciſſimi sunt, & ex Copticis præcipui Codices versionis utriusque Testamenti, Liturgiæ & Pontificalis liber, ex quo Athanasius Kircherus quædam edidit Latinè, sed non feliciter. Inde conjicere licuit, Liturgias illum, si ut pollicitus fuerat, Copticè & Latinè edidisset, futurum ut novo interprete opus haberent. Id sanè præstare poterat Guillelmus Bonjour, qui ex paucis libris, proprio marte linguam Copticam edidicit, illiusque accuratam, & aliis quæ vel Arabicè vel Latinè prodierant præstantiorem Grammaticam composuit, quam Romæ anno MDCCI. mihi legendam commisit Clemens IX. Pontifex Maximus, & quam accuratissimam esse atque editione dignissimam, facta ad ipsum Pontificem relatione, & scripto testatus sum. Nam ea quam Prodromo Coptico Kircherus subjunxit imperfectissima est: aliæ ex Arabico interpretatæ, magis adhuc obscuræ sunt, non minùs quàm aliquot manuscriptæ diversorum autorum, quæ in Bibliothecis reperiuntur. Commune enim Orientalibus vitium est, ut methodum quâ præcepta Grammaticalia scribenda sunt, prorsus ignorent. Reliqua quæ ad Liturgias Alexandrinas spectant, in Commentario ad primam Copticam, & in notis ad alias explicabuntur. Quia verò Liturgiæ, quarum versionem novam damus, eâ linguâ scriptæ sunt, de qua varia extant eruditorum judicia, quorum nonnulla ad illarum autoritatem labefactandam trahi possent, idcirco operæ pretium visum est, brevem de illa lingua Dissertationem subjungere.

DISSERTATIO

DISSERTATIO
DE LINGUA COPTICA.

CUm frequentiſſima hujus linguæ in hoc opere mentio ſit, & ex ea converſæ ſint in Latinam, quas publicamus Liturgiæ, de illa obſervationes quaſdam adjicere viſum eſt, eo magis, ut exiſtimamus, utiles & neceſſarias, quòd Lectores minùs in Orientalium linguarum ſtudio verſati, quæ & qualis illa ſit ſcire vix poſſint, & ex quorumdam hominum judiciis, in quæ facilè trahi poſſunt, multa ſequantur, quæ monumentorum Eccleſiaſticorum, in quibus illuſtrandis laboravimus, autoritatem labefactent. Tres enim noſtra ætate extiterunt viri eruditione celebres, qui ſoli de ea lingua judicium tulerunt, omnes diverſiſſimum: cùm primus affirmaverit, veterem illam Ægyptiacam Pharaonicam linguam eſſe, per quam aditus ad intima veteris Ægyptiorum ſapientiæ penetralia aperiretur, præſertim ad Obeliſcorum inſcriptiones explicandas, & reliqua hujus generis myſteria. Alter formatam ex Liby-Ægyptiorum & Arab-Ægyptiorum colluvie barbaram linguam, non niſi poſt ſubactam ab Arabibus Ægyptum innotuiſſe, & quidem ſeriùs, nempe poſt Salaheddini & Yubidarum imperium. Tertius tandem fictitiam illam plane eſſe, qualis Zingarorum eſſe ſolet, nec multùm antiquam eſſe pertendit.

Tres de lingua Coptica opiniones.

Primæ opinionis autor fuit Athanaſius Kircherus, qui cùm Romam veniſſet ex Germania, commendationeque viri Clariſſimi, & ad omnis generis ſtudia promovenda attentiſſimi Nicolai Peyreſcii, codices aliquot Copticos ab amicis accepiſſet, linguæ veteris Ægyptiacæ reſtitutionem pollicitus, *Prodromum Ægyptiacum* præmiſit, anno MDCXXXII. Romæ editum, in quo magnificè illam, ut veterem & Pharaonicam commendavit. Alterum opus edidit, anno MDCXLII. titulo *Linguæ Ægyptiacæ reſtitutæ*, quo continebantur Grammaticæ aliquot imperfectiſſimæ Arabicè ſcriptæ, cum interpretatione Latina, quam intelligere nemo potuit unquam; eo minùs quod tot mendis ſcateret textus Arabicus & Copticus, ut ex eo ſententia effici nulla poſſet. In Gloſſario ſeu *Scala*, ut vocant, plura longè peccaverunt Typographi & Interpretes,

Prima, eſſe veterem Pharaonicam.

Digitized by Google

adeo ut nullum inde ad Orientalium linguarum ſtudioſos fructum intra tot annos perveniſſe, mirari nemo debeat. In utroque, de lingua Coptica judicium autor interpoſuit, ſed varium & multiplex : nam in Prodromo, linguæ Copticæ laudes fuſiùs perſecutus, eam vetuſtiſſimam Ægyptiacam eſſe contendit, & Græcæ originem ab ea peti jubet. In altero opere ſententiam illam ſuam ita moderatur, ut quid in animo habuerit non facilè perſpici queat : hæc autem ſunt illius verba. *Utrùm autem lingua Græca quoque, ab Ægyptiaca proceſſerit, meritò quiſpiam dubitare poſſet. Affirmativam, in Prodromo cap. 4. aſſerueram ; verùm quotidianâ experientiâ inſtructior, tandem comperi, linguam Ægyptiacam ex matribus unam* αὐτογενῆ, *cum nulla alia affinitatem, quantùm quidem ex idiotiſmo, conjugatione, & inclinatione nominum colligere licuit, habere. Neque movere nos debent, vocabula* Ελληνιζοντα *redolentia, voceſque Græcanica paſſim in Lexico occurrentes. Non itaque verba mea in Prodromo Copto hoc ſenſu intelligi velim, quaſi aſſeverem linguam Græcam, ad Ægyptiam ea ſe ratione habere, ut Chaldæa v. g. lingua ad Hebream, aut Italica ad Latinam, ſicuti quidam opinati ſunt. Non enim ſentio Græcam ab Ægyptia originem ſuam immediatè traxiſſe, multo minùs Græcam linguam Ægyptiam corruptam dicendam arbitror.* Illud tamen tam perſpicuè ſignificaverat, ut aliter verba ejus accipi non poſſent : & in Oedipo ſui parum memor, idem ſæpe repoſuit, ubi ſcilicet ad Theologiam illam Ægyptiacam exponendam, occurrebat aliquis veterem linguam allegandi locus. Verùm cùm tota illa quæſtio majorem diſquiſitionem deſideret, eamque ſingulari Diſſertatione expoſuerimus, non omnia quæ à Kirchero dicta ſunt, ſed quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent ſola, breviter explicabimus. Illud verò ad Liturgias quæ ex Ægyptiaca lingua tranſlatæ ſunt ſolùm ſpectat, ſcire quæ illa fuerit : nam ſi fictitia habenda eſt, ruit ſacrorum illorum monumentorum autoritas : ſi antiqua & Pharaonica eſt, cùm Græcis vocibus plena ſit, nomen aliud quiddam eidem imponendum eſt : ſi mixta ex Liby-Ægyptiorum & Arabum Barbarorum ſermone lingua cenſeri debet, nata ſub Yubidis principibus, hoc eſt undecimo & duodecimo ſæculo, fruſtra commendatur Liturgiarum quæ eâdem linguâ ſcriptæ ſunt antiquitas, quam illis ſæculis ſuperiorem contendimus.

Coptitarum: no- Primùm igitur obſervandum eſt, fruſtra laboraſſe Kirche-

Digitized by Google

rum in deducenda vocis origine ab urbe *Coptos*, quasi illa toti Ægypto, atque adeo ipsi linguæ nomen dederit. Coptitæ ab Arabibus solis vocantur *Kibt*, & in plurali aliter formato, *Akbat* Ægyptii Christiani: & ita vulgo scribunt Muhamedani. At Christiani Arabicè scribentes & loquentes, rarò Ægyptios, vocant *Kibt*, sive Coptitas, verùm eo nomine Jacobitas, ad Melchitarum sive Orthodoxorum differentiam, solent designare. Si Copticè loquuntur aut scribunt Αιγύπτιος, aut Νιγύπτιος, aut Ραρεφχημι vocant Ægypti incolas & indigenas: *Coptitas* nunquam eos nominant, qua observatione nihil certius, cùm eam confirmet Glossarium ab ipso Kirchero editum, & alia inedita longè meliora. Inde patet vocem Coptitarum, seu *Kibt*, ut Arabicè effertur, à voce αἰγύπτιος formatam esse, non ab urbe Copto. men ab urbe Copto non deducitur.

Mira de illa urbe comminiscitur Kircherus, neque tamen ullam autorum qui de ea fusè scripserunt, notitiam videtur habuisse. Nota erat antiquis Geographis, Straboni, Ptolemæo & aliis, atque ab ea Coptites Nomus appellabatur. Plinius eam nominat, aitque esse *Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium*. Ad ea verba doctissimus editor, sed in Orientalibus literis non exercitatus. *Ægyptus ipsa indigenis Kupti vocatur detritâ, ut apparet, ex vetere appellatione Ægyptus, primâ syllabâ. Hinc linguæ Coptitæ nomen.* At Ægyptus vocatur ab indigenis Χημι, non *Kupti*, & ab Arabibus *Mesr*: & lingua, vocatur Coptica, quia Coptitarum, seu Ægyptiorum, quos Arabes, ut diximus, *Kibt* vocant est propria. Nomen istud à Copto urbe formatum esse, quidquid Kircherus dixerit, sustineri non potest. Celebris erat illa urbs in Thebaide: longam de illius originibus, & antiquitatibus narrationem texunt Arabes, ut inter alios Makrizius, Kazuinius & alii, sed fabulis inquinatissimam. Celebrabatur præsertim smaragdorum insigni fodinâ, Plinio non ignotâ, quam accuratè describit Ahmed filius Ayaz in opere Geographico, tamen ab illa linguam Ægyptiacam nomen accepisse, nemo scriptorum Arabum memoriæ prodidit. Hæc omnia quæ ex probatissimis autoribus didicimus, Kirchero ignota fuerunt, imò, quod ex Glossario à se publicato discere potuerat, alia omnino est orthographia vocis *Coptos*, quando urbem significat, alia quando Coptitas, sive Ægyptios. Nam urbs per literam Β. quæ Latino & Græco P. respondet, non scribitur, sed per Φ, pro- De urbe Copto. L. 5. c. 7. MS. Arab.

Digitized by Google

nunciaturque *Kefi*, ut legitur in Gloſſariis editis & manuſcriptis, & teſtatur Abulfeda, non minùs quàm reliqui Arabes Geographi, idque diſcrimen obſervatum eſt ab inſigni Lexicographo Firuzabadio. Celebris erat urbs Coptos, ſed multis aliis dignitate inferior, qua ratione, cur Ægypto toti nomen daret, cauſa nulla erat. Neque quod illic lingua Ægyptiaca conſervata diutiùs viguerit, quiſquam autor Chriſtianus, aut Muhamedanus ſcriptum reliquit, cùm iſtud de Oſiuta, Makrizius & Abulbircat teſtatum reliquerint. Inane igitur habendum eſt deductum ab urbe Copto, Copticæ linguæ etymon, quod nulla Muhamedanorum, aut Chriſtianorum Arabicè ſcribentium autoritate confirmatur.

Abulfeda Kazwini. Yacuthi. Geogr. Perſica, &c.

In Camus.

Lingua Coptica à Græca non formata eſt, aut Græca ab altera.

Ipſa lingua, quòd Græcæ parens & origo ſit, abſurdior longè conjectura eſt, quam ipſe illius autor jactatam in Prodromo, retractavit. Nam cùm characteres Græcis, ſi aliquot excipiuntur, ſimiles habeat: nomina, figuraſque literarum à Græcis accepiſſe Coptitas manifeſtum eſt. Quòd voces Græcas multas Gloſſaria & libri Copticè ſcripti repræſentent, non alia ratio eſt, quàm quod in Copticam linguam ex Græca migraverint voces quàm plurimæ, præſertim uſus Eccleſiaſtici, cùm alios libros nullos ſupereſſe à multis ſæculis certiſſimum videatur. Nam quorum indicem in Ægyptiaca lingua reſtituta Kircherus inſeruit, fictitios illos eſſe, multa ſuadent, ſi non demonſtrant: cùm in tot inſignibus, librorumque Orientalium ditiſſimis Bibliothecis, ſimilis nullus huc uſque viſus fuerit; Gloſſaria ampliſſima in quibus librorum unde excerpta ſunt, tituli referuntur, iſtorum non meminerint.

Lingua Coptica matrix eſt, nec ab alia deducta, quamvis Græcas nonnullas voces contineat.

Eſt porrò lingua Coptica ſive Ægyptiaca, ex earum genere quæ matrices vulgò appellantur, nullam enim cum Hebraica, & aliis quæ ab ea deductæ ſunt, aut reliquis habet affinitatem. Singularis omnino eſt verborum & nominum inflexio; voces nativæ, nec ab aliis linguis deductæ, ſi Græcas excipimus, quarum ingens ſanè migravit in illam numerus. Factum id, ex quotidiano cum Alexandrinis, apud quos Græca lingua vulgaris erat commercio, tum ex lectione Scripturarum ex Græco interpretatarum, ſed in quibus tamen intelligendis ſæpe Coptitas laboraſſe argumento certiſſimo demonſtratur. Nam inter Gloſſaria, quæ vulgò *Scalas* vocant, habentur nonnulla diverſi generis, ab eo quod Kircherus edidit, nec illa viderat. In illis non duplex tantùm, ut in iſto & vulgatis columna eſt,

Digitized by Google

quarum una voces Copticas, altera illarum Arabicam interpretationem contineat. Verùm columna triplex eſt, atque in primo laterculo Græcæ voces ſcribuntur: in ſecundo earum interpretatio Coptica: in tertio Arabica. Inde conſtat voces omnes quæ in libris Eccleſiaſticis leguntur, Græcas, ad Grammatices Copticæ formam inflexas, non niſi ſerius in linguam migraviſſe, cùm olim proprias haberet omnes, quæ in Officiis ſacris aut Scripturæ verſionibus reperiuntur, illis duntaxat exceptis, quæ cum religione Chriſtiana natæ & propagatæ, in veteri lingua Ægyptiaca locum habere non poterant.

Itaque in Coptica lingua reperiuntur aut voces ipſæ, quas Græcorum veterum libri nobis ſervaverunt, aut illarum non dubiæ origines. Nonnullas dedit Kircherus, ſed ut verum fateamur pauciſſimas, & plerumque falſas: certiores aliquot Salmaſius. De voce celebri in ſacra Scriptura, cognomine ſcilicet quo Joſephum Patriarcham Pharao honeſtavit, multa Kircherus, quaſi ψομτομφανηχ, quod in Septuaginta Interpretum verſione legitur, ſimplicem haberet in lingua Coptica ſignificationem. Nempe in Gloſſariis ubi multæ quæ in ſacris literis occurrunt voces referuntur, reperitur etiam iſta; ſed ut in Græcis libris, unde ſumta fuit legitur, totidem ſyllabis: expoſitio autem illius ex ea quæ olim uſurpabatur lingua, qualis in libris habetur, nulla ſuccurrit. Verùm ſervat antiquiſſimi ſermonis Ægyptii reliquias, neque dubitandum quin eadem ſit, quâ indigenæ, qui Græcè neſciebant, paſſim utebantur.

Ægyptiacæ linguæ veteris voces multæ in Coptica ſuperſunt.

Ad vetera monumenta, Obeliſcorum, Pyramidum, Sphingum, & arcarum ſepulcralium explicanda, inutilis planè cenſenda eſt, neque magis abnormi Theologiæ veterum Ægyptiorum cognoſcendæ poteſt conducere. Periculum ſi dubitat quiſque faciat in grandibus Ægyptiaci Oedipi tomis, in quibus quæcumque alicujus precii eſſe poſſunt, aliunde petita eſſe, ſtatim deprehenditur. In hoc genere Coptici libri nulli ſunt: in Arabicis quorum numerus infinitus eſt, fabularum ineptiſſimarum ſeges ampliſſima; at quod Hiſtoriæ veteri lucem afferat, vix quidquam reperias. Urbs nulla eſt cujus conditorem non nominent, Miſraimi filium, aut ex ejus ſtemmate: vetera ædificia, aut monumenta Joſepho Patriarchæ, Salomoni aut Alexandro autoribus tribuunt. Characteres quibus Obeliſci aut ferales arcæ, inſcribuntur, adeo Arabibus ignoti fuerunt, ut ne quidem literas eſſe intellexiſſe

Ad vetera monumenta interpretanda eſt inutilis.

Digitized by Google

videantur. Alii, quales multi occurrunt in libris recentioribus, & quibus incantatus fuiſſe videtur Kircherus, ex eorum genere ſunt qui in figuris Taliſmanicis adhibentur, fictitii plerique & recentes, cum antiquiſſimi omnium ſint, qui gemmis aut laminis inſcribuntur, & illi ut plurimùm non veterum Ægyptiorum, ſed Baſilidianorum ſunt. In his Ἀβραξας ιαω, χνουβι, & alia ejus generis barbara nomina, ſuperſtitionem ſignificant Ægyptiacâ veteri longè recentiorem. Obeliſcos an rectè explicaverit Oedipus Ægyptiacus, neſcire nos fatemur ingenuè, quamvis admodum difficilè quiſquam in animum inducat, Conſtantiniani inſcriptionem, meliùs ab Kirchero interpretatam fuiſſe, quàm ab Hermapione quodam, cujus verſionem Græcè, hiſtoriæ ſuæ inſeruit Ammianus Marcellinus. Verùm ſi feliciùs Kirchero ſucceſſit, magna prorſus ei laus debetur, non Copticæ linguæ aut Arabicis ſcriptoribus, in quibus præſidium nanciſci nullum potuit, ut ſanè nullos appellat, præter Barachiam quemdam Abenefi, Judæum, ut videtur, ſuperſtitioſum & indoctum, cujus apud nullum alicujus nominis autorem occurrit memoria.

L. 17. p. 161. Ed. Valeſ.

Voſſii judicium.

Quod autem Iſaac Voſſius vir doctiſſimus, cùm ab Orientalibus literis imparatus eſſet, de Coptica lingua judicium interpoſuit ſuum, parum famæ ſuæ conſuluit. Nam quod ex Liby-Arabum, aut Liby-Ægyptiorum colluvione natam ait illam eſſe, ab alio ſcribi non potuit, quàm qui Ægyptiacæ & Arabicæ æquè imperitus eſſet. In prima enim, ne particula quidem, aut ulla vox Arabica poteſt deprehendi; adeo ut cùm in Prodromo Kircherus voces ex aliis linguis quæſiviſſet, quæ Ægyptiacæ aliquam affinitatem præferrent, Arabicas quatuor admodum reperit, quarum nulla Arabica eſt, ſed omnes Græcæ ab Arabibus uſurpatæ. Verborum & nominum inflexio apud Coptitas, tantopere à Græca diverſa eſt, ut Theotiſca vel quævis alia, non magis differant.

Libyes illi nulli fuerunt.

Liby-Ægyptii illi de quibus tam confidenter Voſſius loquitur, nulli unquam fuerunt. Quippe ſtatim ab Ægypto ſubacta, Arabes Muhamedani, uſque in extremas provincias penetraverunt, neque Ægyptiis indigenis, vel urbecula remanſit, quæ armis occupata non fuerit: multi ad Muhamedanam impietatem defecerunt, & inter Arabes cenſeri cœperunt. Soli Chriſtiani linguam cum avita religione ſervaverunt, magiſque in Thebaide remotioribuſque urbibus, & in Monaſte-

Digitized by Google

riis ſedes quæſiverunt. Illic non ab iſtis Liby-Ægyptiis Voſſianis, ſed à Muhamedanis Arabibus variè exagitati, incendia, prædationes, cædes, omneque injuriarum genus paſſi ſunt. Ab iſtis tamen linguam novam Coptitæ diſcere non potuerunt, cùm ipſi non minùs notam & familiarem haberent Arabicam, quâ vulgò utebantur, præter quàm in ſacris Officiis: neque Liby-Arabes aut Liby-Ægyptii novam linguam propagare poterant, cùm aliam à communi tunc Arabica non haberent.

Si per illos Voſſius Africanos illos Arabes intellexit, qui ſæculo Hegiræ 2°. rebellionem adversùs Califas nudaverunt, duce Mohedi, & poſt conſtitutum in Africa imperium, mutatamque religionem, Ægyptum occupaverunt, novæque Fatimidarum Dynaſtiæ fundatores fuerunt, Arabes illos fuiſſe & Arabicè locutos, nemo qui Hiſtoriæ Orientalis mediocriter peritus fuit, ignoravit. Imò Arabes erant, ex penitiſſima Arabia, qui ſe Halis progeniem, cædiſque ejus ultores profeſſi, Abbaſſidas pepulerunt, illiſque tanquam hæreticis & tyrannis anathema denunciarunt. In eadem hæreſi Fatimidarum, fuiſſe incolas urbis Keft ſive Copti, teſtantur Abulfeda & alii Geographi. Nulla porrò erat inter Muhamedanos ex Libya, ſive Africa interiori, & Ægyptios linguæ differentia. Quod verò exiſtimavit Voſſius, mutationem linguæ factam eſſe circa Yubidarum initia, graviori abſurditate laborat. Viguiſſe enim inter Chriſtianos Ægyptios linguam Copticam quingentis aut ſexcentis annis antea, cùm primùm Arabes in Ægyptum irruperunt, ex hiſtoria, libris Eccleſiaſticis, omnibuſque monumentis certiſſimè demonſtratur; ſed neque aliâ linguâ locutum Antonium, ſanctoſque plures alios Anachoretas, qui Græcè neſciebant, æquè certum eſt; & ejus Epiſtolas eâ linguâ ſcriptas extare in Monaſteriis Thebaidos, teſtis eſt Abulbircat.

Arabes Africani novam linguam non induxerunt.

Quàm verò introductioni Copticæ linguæ Epocham Voſſius conſtituit, ea potiùs cenſenda eſt Epocha illius jam obſoletæ & propè deperditæ. Quippe ab annis propè ſexcentis Alexandriæ, Kahiræ quæ ſedes erat regni, & in tota inferiori Ægypto, uſus illius vulgaris nullus erat, unde factum, ut inter doctos ſolos, & in libris conſervata fuerit. Non illos dicimus de futili Ægyptiorum Theologia, aut Deorum ſuorum fabulis, apoteleſmatibus, aliiſque ſuperſtitioſæ vanitatis, com-

Epocha Voſſiana ſtare nequit.

Digitized by Google

mentariis, quorum ne leve quidem indicium occurrit: ſed Scripturæ ſacræ utriuſque Teſtamenti verſiones, Liturgias & Officia Sacramentorum omnium: tandem formulas actorum ſolennium, præter quæ nihil Copticè ſcriptum reperitur. Nemo autem exiſtimabit ſacros illos Codices eâ linguâ ſcriptos fuiſſe, quæ barbarorum infidelium fuiſſet, noviterque introducta: quæ etiam tam parum culta fuerit, ut eo ipſo tempore, quo illam ab Ægyptiis Chriſtianis receptam Voſſius ſtatuit, interpretibus opus eſſet ad eam intelligendam. Interpretatio autem non aliâ linguâ facta eſt quàm Arabica: at ea communis erat tam Arabibus, aut Arabicè loquentibus qui in Ægypto erant, quàm aliis ex Thebaide, quos Liby-Ægyptios Voſſio appellari placuit.

Lingua Coptica fictitia non eſt.

Iiſdem rationibus confutatur tertia opinio viri doctiſſimi conjecturis nixa, quæ Linguam Copticam fictitiam eſſe conſtituit, atque ab impoſtoribus, ad fallendam credulam poſteritatem, ante paucos annos introductam. Nullum ſanè poſt renatas literas paradoxum incredibilius fuit, cùm ſimilis fraudis exemplum reperiri nullum poſſit. Et cui bono tandem, tantus, tamque ingratus labor, à quoquam ſuſciperetur? Literulam unam ſatis commodam Claudius Imperator Alphabeto Romano inſeruit; quid tandem? In paucis inſcriptionibus hæſit, dum ille viveret, ſtatimque evanuit: & exiſtimabitur obſcuros homines, multa vocabulorum millia, regulas Grammaticas intricatiſſimas, per otium formaſſe, ut poſteris illuderent; eo ſucceſſu, ut nemo huc uſque fraudis illius, vel leviſſimam ſuſpicionem habuerit. Quid deinde: ſacræ Scripturæ, Liturgia, Sacramentales preces, acta publica electionis Patriarcharum Alexandrinorum, eâdem fictitiâ linguâ ſcripta fuiſſe neceſſe eſt, & exiguo temporis intervallo, quod multis annis præſtari vix potuiſſet, Epiſcopos, Chriſtianam plebem, quacumque patet Eccleſia Jacobitica Alexandrina, ſupponendum eſt ſimul, aut fraudem non intellexiſſe, quod prorſus impoſſibile eſt, aut de ea parum ſollicitos, omiſſis libris quorum in Eccleſia, quotidianus uſus erat, alios ſuſcepiſſe novos ab impoſtoribus, & ſecundùm illos, ſacra Officia ipſamque Euchariſtiam manifeſto ſacrilegio celebraſſe. Miraculo quoque ſeu potiùs monſtro proximum, quòd adversùs impoſturam nemo reclamaverit: omnibus tandem probata ſit, nova & hactenus inaudita lingua, & ſtatim ubique oblivioni ita tradita,

dita, ut ad ejus intelligentiam, Gloſſaria magno labore componenda fuerint.

Paribus argumentis, & quæ firmitatis plus haberent, poterit quiſque contendere veterem linguam Perſicam, Hetruſcam, Punicam, Palmyrenam, ut quaſdam alias, ludos fuiſſe hominum otio ſuo abutentium. Illis enim linguis, præter inſcriptiones & numiſmata aliquot, nihil ſcriptum ad nos pervenit. In antiquæ Perſepoleos ruinis, ſaxa inſcripta literis incognitis occurrunt: Hetruſcas inſcriptiones multas conſervant ſepulcra nobiliſſima in agro Peruſino propè ſanctum Soſthenem, ut inſignes tabulæ Eugubinæ, ſtatuæque æneæ, elegans una in primis, in Cimeliarchio Magni Ducis Etruriæ: Punica numiſmata multa norunt Antiquarii: Palmyrenas inſcriptiones literis ignotis exaratas publicaverunt Britanni; illas tamen, licet adjunctas Græcas alias habeant, quas ejuſdem ſignificationis eſſe veriſimiliter credi poteſt, nullus explicavit. Pertendat aliquis ficta eſſe hæc omnia, faciliùs probaturus illud ſuum paradoxum, erit, quàm iſtud probari de linguæ Copticæ novitate poteſt. Nullos enim illis linguis, libros habemus; iſtâ permultos, quorum autoritas, cum ſacrorum jure, maximiſque religionibus conjuncta eſt.

Aliæ linguæ deperditæ ſimilibus argumentis fictitiæ eſſe probari poſſunt.

Sed autoris verba ipſa apponemus, ne quid illius ſententiæ affictum videatur. *Conſiderandum etiam ampliùs, an Coptica ipſa lingua quæ nec in uſu uſpiam terrarum eſt, ab annis ſaltem ut in confeſſo eſt, ampliùs quingentis, nec in libris quidem exiſtit niſi recentioribus, & admodum dubiæ vetuſtatis, ac fœdè corruptis, quales ſunt interpretationes veteris novique Teſtamenti in linguas peregrinas, & habet præterea voces pleraſque omnes ex Græco Hebræoque deductas: deliberandum, inquam, an ficta in otio cenſenda ſit. Nam Ægyptiacæ veteris linguæ ſaltem pauca quædam, eaque certiſſima manent veſtigia in Hebraicis veteris Teſtamenti libris, in quibus & Joſephi Patriarchæ cognomen, & Regum ſubinde nomina, & nomina denique menſium in libro 2. Regum, Ægyptiaca ſunt.*

Autoris verba.

Si fictæ in otio cenſendæ ſunt linguæ, quæ nuſquam terrarum in uſu ſunt, periclitabitur Latina lingua, quæ à multis ſæculis in ſolis libris, & in celebratione ſacrorum conſervatur: periclitabitur Hebraica, quæ à Captivitate uſque Babylonica vulgaris eſſe deſiit, nec extra preces & ſacra Judæorum officia, uſum ullum habet: ita quoque Syriaca, Æthiopica, Ar-

Ægyptiaca ſive Coptica cum in uſu olim fuerit, fictitia eſſe non poteſt.

Digitized by Google

menica quibus libri Ecclesiastici scripti sunt, cùm dudum ab usu vulgari remotæ sint, in eamdem classem redigentur. Copticam tamen in usu fuisse inter Ægyptios, negare nemo potest; cùm vocabula prope omnia Ægyptiaca quorum in libris memoria est, in eâdem reperiantur. Dentur saltem aliqua de quibus, quin Ægyptiaca sint, dubitari non possit, in alia lingua non reperientur: neque diversæ alterius originis indicium aliquod producere quisquam potest. Voces dico verè Ægyptiacas, non à Græcis ad suæ linguæ genium per adjunctas terminationes, τϑ ις inflexas, quas tamen, ut radicales, autor accipi voluit, dum in etymologia aliquot nominum Regum Ægypti veterum lusit satis infeliciter. Nam cùm omnia ferme in ρις desinant, ρη autem solem significet, quem summum Deum sub variis titulis Ægyptii colebant, perspicua illorum origo est: ille verò ις vult esse Hebraicum יהוה, quod tamen literâ finitur, quæ Græcis inusitata semper fuit.

Coptica qualis nunc est in Ægypto viguit.

Verùm Copticam qualiscumque sit, linguam ante quingentos annos in usu inter Christianos Ægyptios fuisse, probant multi historiæ Alexandrinæ loci. Severus qui primus illi scribendæ operam dedit, testatur adjutum se à quodam Diacono Abuhabib, ad translationem vitæ quorumdam Patriarcharum: at vivebat ille sæculo X. Vaza filius Reja, de quo alibi, per miraculum ad Christianam fidem conversus, in ea instituí cœpit à Sacerdote Ecclesiæ sancti Mercurii, qui Scripturas illi ex Coptico Arabicè interpretabatur. Ante quingentos & amplius annos Yuçab Patriarcha coram Muhamedano Præfecto Copticè loquens ad Episcopos, proditus est à quodam infideli, linguæ illius perito. Marcus filius Elkonbari infinitam hominum multitudinem ad se traxit duodecimo sæculo, quia Scripturas ex Copticis libris exponebat. Acta & instrumenta talis ætatis, & vetustiora etiam reperiuntur, scripta Copticè, præter Liturgias, & Officia Sacramentalia varia, quorum omnium antiquitas, Epocham à viro doctissimo constitutam aliquot annorum centuriis antevertit. Sed quòd negavit, Copticam linguam usquam terrarum in usu fuisse, perspicuè refellitur autoritate Makrizii insignis Geographi, qui de Osiouta loquens, vigere suo tempore illic usum linguæ Copticæ purioris, quàm *Sahidic.m* vocant, testatur, & idem ab aliis non nugacibus scriptoribus, memoriæ proditum est. Tandem ne plura testimonia referantur, quòd in alio loco à nobis præstabitur, dis-

Digitized by Google

cimus ex Opuſculo Grammatico Athanaſii Epiſcopi Kus in Thebaide, olim Scripturas in Eccleſia Græcè lectas fuiſſe, & poſtea Copticè à Sacerdotibus populo interpretatas : at cùm Græcæ linguæ vulgaris uſus penitus intercidiſſet, illas lectas fuiſſe Copticè : interpretationem plebi, linguâ Arabicâ factam. Hæc & ſimilia quæ certis autorum teſtimoniis confirmantur, ſi Voſſio, & aliis qui ejus conjecturas ſecuti ſunt, ignota fuere, non tamen minùs vera ſunt. Nam cùm linguam Copticam annis quingentis vetuſtiorem eſſe negavere, neſciebant libros in Bibliothecis exſtare, nec unos, qui Epocham illam ſuam multis annis anteverterent. Talis eſt Codex inſignis Quatuor Evangeliorum Copticè ſcriptus, manu Michaelis Metropolitæ Damiatenſis, oblatus Marco filio Zaraæ qui ordinatus eſt Alexandriæ Patriarcha anno Martyrum DCCCLXXX. J. C. MCLXXIV. Itaque cùm duo viri clariſſimi conjecturas ſuas publicabant, ſexaginta annis circiter antiquior codex extabat, illâ quam conſtituerant Epochâ. Nemo autem exiſtimabit Evangelia tanto labore ſcripta fuiſſe eâ linguâ, quæ non eſſet Eccleſiæ cui deſtinabatur propria, vulgòque in ſynaxibus uſurpata.

Ità, nihil minùs *in confeſſo eſt*, quàm *non fuiſſe uſquam terrarum ab annis quingentis in uſu Copticam linguam*, cùm diu poſtea vigeret in Oſiutenſi tractu, uſurpata à Chriſtianis in communi ſermone : & uſus continuus Eccleſiarum in Pſalmodia, Liturgia, & celebrandis Sacramentis, ſatis eam à ſuppoſitione vindicaret. At non exiſtit *niſi in libris recentioribus ac fœdè corruptis, quales ſunt interpretationes veteris novique Teſtamenti.* Libros quorum exemplaria annis quingentis & quinquaginta vetuſtiora ſuperſint, recentiores eſſe, nemo dixerit : & majorem verſionum quæ illis continentur antiquitatem fuiſſe, non poteſt dubitari. At mirum prorſus, cenſores duos illos qui ne ſyllabam quidem linguæ Copticæ noverant, eas fœdè corruptas tam confidenter affirmare. Codices veteres cujuſcumque linguæ, Græci etiam & Latini, primæ vetuſtatis, & antiquitatis, pauci ſunt, in quibus peccata librariorum plurima obſervare non liceat : neque illis caret inſignis ille Codex Vaticanus, ex quo Septuaginta interpretum Romana editio procurata eſt, non minùs quàm Alexandrinus, nuper in Britannia edi cœptus. Nihil mirum igitur ſi in Copticis aliiſve Codicibus, linguâ peregrinâ ſcriptis, nævi quidam ſint.

Certus eſt linguæ Copticæ uſus ante Epocham Voſſianam.

Digitized by Google

At si quis eosdem cum Græcis aut Hebraicis comparet diligenter, agnoscet plurimas magni momenti varias lectiones, quæ vulgatam etiam lectionem confirment, contra Masoretarum editionem in Hebraicis, & recentiores Græcos libros, permultis in locis.

Nihil ex versionum defectu adversùs linguam Copticam concluditur.

Verùm quid inde tandem adversùs linguæ ipsius, ut ita loquamur, existentiam concludi possit, non facilè perspicitur. Sint fœdè corruptæ versiones, quantumcumque Criticis illis placitum fuerit: dubiæ fidei non sunt; cùm ante sexcentos annos, ex libris qui supersunt, lectas illas publicè in Ecclesiis esse constet, ex autorum indigenarum testimoniis. Factum id esse, linguâ per otium flagitiosè confictâ, qui existimabit, is de Plautina Pœnulo, aut Aristophanis Scytha barbaro, potiùs videbitur, quàm de disciplina Ecclesiastica cogitasse. Neque enim tot malis conflictata Ecclesia Alexandrina, ex quo gemit sub Muhamedanorum tyrannide, eo usque impietatis aut insciticæ dejecta est, ut ludos de sacra Scriptura, aut precibus Sacramentalibus faceret, aut fieri pateretur: quod feciſſet tamen, si linguam fictitiam, & ab impiis nebulonibus per otium, (quod sanè diuturnum & negocioſum esse debuit) confictam, in sacra Officia accepisset: aut barbaram Liby-Ægyptiorum quorumdam linguam.

Quanta absurda sequantur ex illis opinionibus.

Non satis perpenderunt eruditi viri, quanta incommoda, ex eorum opinione nascerentur, quanta absurda & ἀσύςατα. Lingua enim illa, quam alter per otium confictam: alter ex barbari sermonis colluvione natam existimat, aut nota erat Ægyptiis Christianis, aut incognita. Si nota, antiquior prorsus fuit, quàm existimare nos jubent. Si incognita & nova, qua ratione in tot libros sacros irrepserit, explicare nemo potest, cùm simile exemplum in historia nullum extet. Quomodo doceri eam linguam poterant Ægyptii ante annos circiter quingentos, adeo ut brevi temporis intervallo Scripturæ sacræ libros omnes, & Officia sacra in eam verterent, quod à mediocriter peritis præstari impossibile fuit? At contra prorsus à quingentis & pluribus annis, Coptica lingua non nisi studio discitur, adeo ut tunc Glossariis, subsidiisque aliis Grammaticis Sacerdotes ipsi opus habuerint, ad intelligenda quæ eâdem linguâ scripta erant.

Liby-Ægyptii Vossiani nulli tunc erant.

Vossii vero conjectura ineptissima est, quando quidem Liby-Ægyptii & Liby-Arabes illi sui, qui jam nulli erant, cùm

Digitized by Google

Arabes totam Ægyptum, Africamque conterminam ſuis coloniis ita occupaſſent, ut indigenæ ipſi linguam illorum didiciſſent; non aliter quàm Arabicè loquebantur. At illa lingua jam ab initio Muhamedani in Ægypto Imperii, vulgaris erat toto regno, nec eam à Barbaris diſcere opus erat. Ratio quam Voſſius palmarem arbitratur, quod ſcilicet *Coptica linguæ nomen non extiterit antequam Arabes potirentur Ægypto. Ipſa quin etiam ſatis id teſtatur lingua quæ tota ex Græco & Arabico conflata eſt ſermone*, quàm inanis ſit facilè demonſtratur.

Non extitit ante Arabes Coptitarum nomen, quia illud mere Arabicum eſt ex Græco corruptum, detrita Græca terminatione ex Γύπτιος, ut ex Ρωμαῖος fecerunt *Roum*, ex Ιουδαῖος *Jehud* ex Francus, *Frang*, ex Perſa, *Fars*, & multa ſimilia: ſed extabat lingua ipſa, non minùs quàm Ægyptus, ut ſupra ſatis probatum eſt. Nulla porrò lingua minùs Arabicarum vocum habet, neque ullas propemodum: præter quàm quod verborum & nominum inflexiones ab Arabiſmo, immane quantùm differant. Id facilè agnoſcet quiſquis prima utriuſque linguæ elementa noverit. Si quis Hiſpanicam vulgarem linguam, ex Arabica conflatam eſſe diceret, ridiculus foret, quamvis plurimæ voces Arabicæ ex Maurorum dominatione, aut vicinitate, in illam migraverint, fortè non minori numero quàm in Coptica, Græcæ reperiantur. Facilè quippe animadverteretur nominum verborumque inflexionem Hiſpanicam, cum Arabica nihil habere commune. Ita quoque de Græcis vocibus, quæ in Copticam infuſæ ſunt, ſtatuendum eſt. Nam cùm præter Scripturæ ſacræ libros, & Eccleſiaſticorum Officiorum, nulli ſuperſint, eſſetque præſertim in Ægypto inferiori, ut in Syria & toto Imperio Macedonico vulgaris Græcæ linguæ uſus, plebs ferme ubique bilinguis eſſet: voces uſitatas & notas omnibus, primi librorum ſacrorum interpretes, ut plurimùm retinuerunt. At quod Voſſius & alii ignoraverunt, non carebat lingua Coptica vocibus ἰσοδυνάμοις, idemque ac Græcæ ſignificantibus, quod ex optimo & antiquo in primis Gloſſario demonſtratur, in quo Græcæ voces illis in libris uſurpatæ, per Ægyptiacas explicantur. Id multis exemplis confirmare facilè foret, niſi typis illius linguæ careremus. Verùm vulgare hoc vitium multis noſtræ ætatis eruditis fuit, ut cum Codices Copticos inſpicerent, incurrerentque ſtatim in oculos eorum figuræ Græci Alphabeti, voceſque Græcæ

Voſſii ratio refellitur.

Digitized by Google

aliquot, ſtatim judicium Voſſiano ſimile pronunciarent.

Nullum ex literarum ſimilitudine argumentum adversùs linguæ antiquitatem duci poteſt. *Georg. Hickes. Literat. Septentrion.*

Præterea ſi ex elementorum figura, aliquod conjecturis ſuis præſidium comparari exiſtimant, Septentrionalium linguarum exemplo facilè refelluntur. Saxonica vetus, illis literis ſcribitur quas ex Latinis formatas agnoſcere facilè eſt. Gothica, aliis qui ex Græcis plerumque figuris formati ſunt. Fictitios quoque Saxonicos illos characteres judicavit, non minùs quàm Copticos, unus ex illis Criticis; ut verò à Viro hac in literatura doctiſſimo circa Saxonicas confutatus eſt, ita non rectiùs de Copticis judicaſſe quæ huc uſque diximus, palam faciunt. At characteres habet Coptica lingua, qui Græcis prorſus inuſitati fuerunt, nonnullos, quos ab Arabibus accipere non potuere, cùm antequam iſti Ægyptum ſubegiſſent illos uſurparent: ut ſuos ſingulares, Gotthi, Saxones, & alii Septentrionales populi Græcis & Latinis adjecerunt, quorum origo non aliunde, quàm ab ipſis indigenis petenda eſt.

Neque ex Græca & Arabica, aut Hebraica conflata lingua Coptica.

Voſſius quidem ex Arabicæ & Græcæ linguæ miſtura Copticam linguam conflatam eſſe voluit: alter ex Hebraica, non magis verè. Neque enim voces alias Hebraicas habent in ſua lingua Coptitæ, quàm eas quibus Chriſtianorum libri omnes referti ſunt, ex utroque Teſtamento. Sed eâ conjecturâ opus iſte ſibi eſſe ſentiebat ut impiam fabulam explicaret hominum perditiſſimorum qui ut religionem Chriſtianam quandoque everterent, genealogiarum veterum Regum Ægypti figmenta obtruſerunt, quæ quomodo ad religionis everſionem ſpectent, perſpicere non eſt facile. *Amenophis*, *Memphres*, & alii quorum nomina ex lingua Hebraica interpretari conatur, quomodo ad rem Chriſtianam pertineant intelligi nequit. At etymologia illorum nominum, neque cum Hebraica lingua, neque cum Ægyptiaca conſtare poteſt, ut ſatis intelligunt illarum periti. Deinde quid hæc ad linguam Copticam, cùm in libris de quibus agitur, veterum illorum Regum ne nomen quidem occurrat, quando quidem, ut ſuperiùs dictum eſt, antiquitatum Ægypti nulla, neque ſaltem qualis apud Eratoſthenem, & Africanum mentio ſit.

Chron. vet. Teſt. p. 28.

P. 28.

De Regum & aliis nominibus.

Quod addit in *Regum Ægyptiorum Dynaſtiis nulla prorſus Ægyptiaca nomina reperias, omnia ſunt ex Hebraïs pauca ex Græcis peti a fontibus*, ſuſtineri non poteſt. Licet nonnulla iſtorum nominum, haud facilè explicari ex lingua Coptica poſſint, fortaſſe quòd à Græcis corrupta fuere, ut in

Digitized by Google

omnibus fere nominibus Orientalibus accidiſſe deprehenditur, ſufficit tamen, ut nonnulla ex eadem lingua, ad ſignificationem à Græcis deſignatam revocari queant, ad ſubruendam tot conjecturarum ſubſtructionem. At non pauca vetera illa nomina in Coptica lingua, ſecundùm ſignificationem à Græcis deſignatam perfectè explicantur. Μάρης unus antiquiſſimorum illorum regum ab Eratoſthene nominatur, cujus nomen juxta eumdem ſignificat Ηλιόδωρος. *Donum ſolis* ⲙⲁ *donum* ⲣⲏ *ſol*, in lingua Coptica ſignificant: idemque videtur ſignificare alterius nomen Μοχέρης, quòd interpretantur Ηλιόδοτος, quia in iſto altero expreſſerunt Græci per χ, literam aſpiratam Ægyptiacam quæ ח Hebræorum reſpondet, & iſtam ſæpiſſime Græci ſacræ Scripturæ Interpretes per χ expreſſerunt. Χρύσης Χρύσου υἱὸς: efferunt Eratoſthenes & alii, quod Ægyptiacè dicebatur Χνουβ Χνούβου υἱὸς. Χνουβ *aurum* adhuc Copticè ſignificat. Si reliqua nomina accuratè ſcripta haberentur, plerumque originem ex eodem idiomate demonſtrare, non impoſſibile foret. At originationem Amenophis ex Hebraicis fontibus deducere non æque facilè eſt. *Conflata eſt*, inquit Autor Chronologiæ ſacræ, *ex his vocibus ac literis* עם, cum חנף impius, איש homo. Primæ vocis litera prior ע, adeo abhorret à Græcorum auribus & gutture, ut eam propè ſemper extulerint per γ. ita primam ſecundæ vocis per χ: tertiam verò איש ſciunt omnes huic loco non convenire, cum Σ Græci barbaris nominibus addiderint, pronunciationis facilioris cauſa, in Ægyptiacis non minùs quàm in Perſicis vocibus: adeo ut maſculina illa terminatio non magis radicalis ſit, quàm ἰδος aut υ in Genitivo, aut aliæ in aliis caſibus. Itaque *Gamchenophis* ſcribi debuiſſet.

Etymologia quorumdam nominum, ex lingua Coptica.

Debemus tamen cogitare, non in ſolis paucorum Regum nominibus ex Græca ſcriptura ad poſteros deductis, cujus ſumma ſecundùm diverſos autores, varietas eſt, deliteſcere veteris Ægyptiacæ linguæ reliquias, ſed in multis aliis, quorum inſigne præ cæteris eſt Moyſis nomen. Ita illum Pharaonis filia appellavit ut Scriptura teſtatur, *quia de aqua tuli eum*. Hebraica verba magis accedunt ad nomen Hebraicum Moſe משה: At Ægyptiis veteribus, & Coptitis, ⲙⲟⲩ *aqua*, ⲥⲓ *accipere, capere*. Pharaonis nomen commune omnibus Regibus fuit, quia ⲡⲓⲣⲟ *Regem* ſignificat. Reliquæ voces in Scriptura ſacra extant pauciſſimæ, nec eas perfectè ab Hebræis, ſuo cha-

ractere repræsentatas fuisse verisimile omnino est, non magis quàm Persicas. At in aliis Scriptoribus multæ occurrunt veteres Ægyptiacæ, quæ cum in Coptica lingua eamdem, quam Græci notant, significationem habeant, utramque linguam eamdem esse, hinc certo argumento demonstratur. Apud Herodotum ϖιρωμι *homo*. Osiris est ϒσιρι *filius*. Σβω *scientia*. Χεν *planta*: inde χενόσιρις *planta Osiridis*. Αμψῖτις *Infernus*. Χωμαιφθα, κόσμος φιλήφαιστος, & alia non pauca, quæ notavit vir doctissimus Claudius Salmasius, qui rectiùs de lingua Coptica, quàm alii judicaverunt.

Conclusio. Ex illis igitur quæ huc usque dicta sunt constare arbitramur, Copticam linguam, ex qua Liturgiæ, quarum versionem novam damus, interpretatæ sunt, neque veterem Pharaonicam linguam esse, neque ex Ægyptiorum, Arabumque Libycorum sermonis colluvione natam, multo minùs fictitiam esse, sed Ægyptiacam origine, quæ multas præsertim usus Ecclesiastici voces recepit, colorem tamen nativum suum ita servavit, ut quantum ad nominum verborumque inflexiones, cum linguis aliis omnibus commune nihil habeat. Usum etiam ejusdem linguæ apud Christianos Ægyptios viguisse passim, saltem à Muhamedanorum expeditione Ægyptiaca, præsertim inter Jacobitas, qui eâdem linguâ, Liturgias suas tres, Officia Sacramentorum omnium, Psalmodiam ab annis mille & ampliùs celebrant, illamque ut sacram, etsi dudum populo ignotam, in sacris conservant, ut in actis & instrumentis Ecclesiasticis solennibus. Itaque eadem ratione apud Coptitas se habet, atque Syra, Armenica & Æthiopica, inter Syros, Armenos & Æthiopes, qui vulgari linguâ utuntur in sermone familiari, ab ea longè diversam, quæ in sacris Officiis solet usurpari. Illam igitur ut linguam sacram Ægyptiorum Christianorum censeri oportet, neque conjecturas virorum eruditorum contrarias tantùm valituras existimamus, ut nova vel fictitia deinceps existimetur.

Digitized by Google



LITURGIÆ COPTITARUM EX COPTICO CONVERSÆ.

LITURGIA SANCTI BASILII.

ORATIO PRÆPARATIONIS.

DOMINE qui nosti corda omnium, sancte & in sanctis requiescens, solus sine peccato, & potens ad remissionem peccatorum concedendam. Tu Domine scis indignitatem meam, meque minùs præparatum, nec sufficienter dispositum, ut accedam ad ministerium hoc tuum sanctum. Sed nec tanta mihi confidentia est, ut accedam, & aperiam os meum coram gloria tua sancta: sed secundùm multitudinem clementiæ tuæ, ignosce mihi peccatori, & concede mihi ut inveniam gratiam & misericordiam in hac hora; & mitte mihi virtutem ex alto, ut incipiam & præparer, perficiamque, sicut tibi placitum est, ministerium tuum sanctum, secundum beneplacitum voluntatis tuæ, cum odoribus thuris. Ita, Domine, esto nobiscum, esto socius operis

Digitized by Google

noſtri; benedic nobis, tu es enim remiſſio peccatorum noſtrorum, lux animarum noſtrarum, vita, fortitudo, & fiducia noſtra; tu es ipſe cui ſurſum mittimus laudem, gloriam & adorationem, Pater, Fili & Spiritus ſancte, nunc & ſemper & uſque in ſæcula ſæculorum omnium. Amen.

Oratio poſtquam præparatum fuerit altare.

Sacerdos. TU Domine docuiſti nos magnum hoc myſterium ſalutis: tu vocaſti nos abjectos & indignos ſervos tuos, ut eſſemus miniſtri altaris tui ſancti. Tu Domine, effice nos dignos per virtutem Spiritus tui ſancti, ut hoc miniſterium perficiamus, ita ut non incidamus in judicium coram gloria tua magna, & offeramus tibi ſacrificium hoc benedictionis, gloriamque & magnificentiam per illud, in ſancto tuo. Deus gratiæ largitor, & ſalutis mandator, qui omnia in omnibus operaris, da nobis ut ſacrificium noſtrum coram te acceptum ſit, pro peccatis meis, & pro inſipientiis plebis tuæ, quia purum eſt, ſicut donum Spiritus tui ſancti, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, per quem te decet gloria & honor, cum ipſo, & Spiritu ſancto vivificante, tibique conſubſtantiali, nunc & ſemper & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio Gratiarum actionis.

Sacerdos. GRatias agamus bonorum autori miſericordi, Deo Patri Domini, Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quia ipſe protexit nos, adjuvit & ſervavit nos, ſuſcepitque nos ad ſe, miſertus eſt noſtri, perduxitque nos ad hanc horam. Ipſum nunc precemur, ut cuſtodiat nos hoc ſancto die & omnibus diebus vitæ noſtræ, in omni pace, omnipotens Dominus Deus noſter.

προσεύξασθε. *Diaconus.* Ad Orationem ſtate.

Sacerdos. Domine Deus omnipotens, Pater Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, gratias agimus tibi de omnibus, & propter omnia, & in omnibus, quia protexiſti nos, adjuviſti nos, conſervaſti nos, ſuſcepiſti nos ad te, & miſertus es noſtri, auxilium dediſti nobis, & ad hanc horam nos perduxiſti.

Diaconus. Orate ut Deus miſereatur noſtri.

Sacerdos. Eâ propter petimus & obſecramus bonitatem tuam, ô amator hominum, ut concedas nobis hunc diem ſanctum, & omnes dies vitæ noſtræ in pace cum timore tuo tranſigere,

Digitized by Google

Omnem invidiam, omnem tentationem, omnem operationem Satanæ, & consilium hominum improborum, impetumque hostium tam occultorum quam manifestorum, depelle à nobis, ab omni populo tuo & ab hoc loco sancto: quæ autem bona, quæ placita sunt, nobis jube. Tu enim ipse es, qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, omnemque virtutem inimici. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, per gratiam & misericordiam, amoremque erga homines Filii tui unigeniti, Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem tibi debetur honor gloria & imperium, cum ipso, & Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio Oblationis sive Propositionis panis & Calicis.

DOmine Jesu Christe, Fili unigenite, Verbum Dei Patris, eique consubstantiale, & coæternum & Spiritui sancto; tu es panis vivus, qui descendisti de cœlo, & prævenisti nos, impendistique animam tuam perfectam & absque vitio, pro vita mundi: rogamus obsecramusque bonitatem tuam, ô amator hominum, ostende faciem tuam super hunc panem, & super hunc calicem, quos super mensam hanc tuam Sacerdotalem posuimus: benedic eos ✠, sanctifica eos ✠, & consecra eos ✠: transfer eos, ita ut panis quidem hic, fiat corpus tuum sanctum, & hoc mistum in hoc calice, sanguis tuus pretiosus, ut sint nobis omnibus præsidium, medicina, salus animarum, corporum, spirituumque; quia tu es Deus noster, tibique debetur laus & potestas, cum Patre tuo bono, & Spiritu vivificante, tibique consubstantiali, nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Al. cod. Qui antiquitus factus es agnus absque macula, pro vita mundi.

Interea panem & calicem manu designat Sacerdos.

Ter signat crucem.

Tunc operiet Sacerdos discum & calicem, utrumque integumento suo, & omnia majori velo teget; tum osculabitur altare, conversusque ad ipsius latus Australe, adorabit Deum & osculabitur altare. Tum circuitu peracto, descendet coram altari, pronuntiabitque Absolutionem super ministros sedentes coram eo: Quòd si adsit ipsi Sacerdos socius, ipse pronuntiabit Absolutionem.

Oratio Absolutionis ad Filium.

DOmine Jesu Christe Fili unigenite, & Verbum Dei Patris, qui dirupisti omnia vincula peccatorum nostrorum

paſſione tua ſalutari & vivifica, qui inſpiraviſti in faciem diſcipulorum tuorum, Apoſtolorumque ſanctorum, dicens eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt; tu etiamnum Domine per Apoſtolos tuos ſanctos, eos elegiſti qui Sacerdotio ſemper in Eccleſia tua ſancta fungerentur, ut relaxarent peccata ſuper terram, ligarentque & ſolverent omnia iniquitatis vincula. Rogamus obſecramuſque bonitatem tuam, ô amator hominum, pro ſervis tuis patribus meis, fratribus meis, & infirmitate mea, qui capita ſua coram gloria tua ſancta inclinant; præſta nobis miſericordiam tuam, & ſolve omnia vincula peccatorum noſtrorum. Quod ſi adverſum te peccaverimus prudenter vel imprudenter, vel cordis duritiâ, opere aut verbo, aut puſillanimitate, tu Domine qui noſti humanam imbecillitatem, tanquam bonus & hominum amator, Deus, concede nobis remiſſionem peccatorum noſtrorum: benedic nos & purifica nos, abſolveque nos & omnem populum tuum: imple nos timore tuo, & dirige nos ad voluntatem tuam ſanctam & bonam, quia tu es Deus noſter, & tibi debetur gloria, honor & poteſtas, cum Patre tuo bono, & Spiritu tuo ſancto, nunc, &c. Servi tui hodie in miniſterio conſtituti, Sacerdos, Diaconus & Clerus, omnis populus & infirmitas mea, abſoluti ſint ex ore ſanctæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus ſancti, & ex ore unicæ, ſolius, ſanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: ex ore duodecim Apoſtolorum, & ex ore contemplativi Evangeliſtæ Marci Apoſtoli & Martyris, ut etiam Patriarchæ ſancti Severi, & Doctoris noſtri ſancti Dioſcori, ſancti Joannis Chryſoſtomi, ſancti Cyrilli, ſancti Baſilii, & ſancti Gregorii, necnon ex ore Trecentorum decem & octo Nicææ congregatorum, & centum quinquaginta qui Conſtantinopoli, centum qui Epheſi: ut etiam ex ore venerandi Patris noſtri Archiepiſcopi Anba N. ejuſque in miniſterio Apoſtolico conſortis, venerandique Patris Epiſcopi Anba N. & ex ore humilitatis meæ, qui peccator ſum, quia benedictum & gloria plenum eſt nomen ſanctum tuum, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, nunc & ſemper, &c.

ORATIO THURIS.

Oſculabitur Sacerdos caput Sacerdotis miniſtrantis, quòd ſi fuerit cum eo ſocius, oſculabitur gradus altaris, aſcendenſque

Digitized by Google

oſculabitur altare & accipiet naviculam thuris, & adolebit incenſum. Ordinem qui de incenſo veſpertino ſcriptus eſt obſervabunt, quinquies adolendo & his peractis dicet Sacerdos orationem ſequentem.

DEus æternus abſque principio & fine, magnus in præceptis tuis & potens in operibus tuis: qui es ubicumque, & in omnibus: eſto nobiſcum peccatoribus, Domine, in hac hora: conſiſte in medio omnium noſtrum, purifica corda noſtra, & ſanctifica animas noſtras: munda nos ab omnibus peccatis quæ commiſimus, voluntarie aut involuntarie. Concede nobis, ut offeramus coram te ſacrificia rationabilia, ſacrificia benedictionis, & incenſum ſpirituale. Ingrediatur intra velum, in locum Sancti Sanctorum. Rogamus te, Deus noſter. Memento Domine pacis unius tuæ, & unicæ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Memento Domine Beati Patris noſtri & venerandi Archiepiſcopi Papæ Anba N. & Patris noſtri Epiſcopi Anba N. Memento Domine congregationum noſtrarum & eis benedic: fac ut ſint abſque impedimento, & perturbatione, ut celebremus eas juxta ſanctam & beatam voluntatem tuam, domos orationis, domos mundationis, domos ſanctitatis, domos benedictionis. Concede ut illas poſſideamus, Domine, nos, & ſervi tui, qui nobis uſque in æternum ſucceſſuri ſunt. Exurge, Domine Deus, & diſſipentur inimici tui, & fugiant à facie tua, omnes qui oderunt nomen tuum ſanctum. Et populus tuus fruetur benedictionibus millies millenis & decies millies millenis, perficientque voluntatem tuam, per gratiam, clementiam, amoremque erga homines Filii tui unigeniti Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, per quem, &c.

Circuibit altare cum incenſo ſemel, oſculabitur illud, deſcendetque lævo pede: verſùs orientem ſtabit è regione altaris, adolebitque thus ter, eadem dicens, quæ priùs: tum Patriarcham, ſi adſit, incenſabit ſeorſim ab aliis: quòd ſi abfuerit, dabit incenſum Sacerdotibus, non aliis. Deinde proſtrationem faciet: cùmque lecta fuerit Epiſtola Pauli Copticè, dicet orationem ſequentem ſecretò. Si fuerit cum eo Sacerdos ſocius, is eam recitabit. Diaconus leget Epiſtolam Copticè, & deinde Arabicè, ut etiam Catholicon, ſive lectionem ex Epiſtolis Catholicis. Hîc adolebit incenſum ter circum altare à Sacerdote celebrante.

Digitized by Google

Oratio poſt Apoſtoli ſeu Paulinæ Epiſtolæ lectionem.

Sacerdos. DOmine ſcientiæ & ſapientiæ largitor, qui ea revelas quæ profundis tenebris abſcondita ſunt; qui poteſtate magna rationem hominibus indidiſti; qui bonitate tua vocaſti Paulum, cum fuiſſet aliquando perſecutor, ut eſſet vas electum, & in eo complacuiſti, ut fieret Apoſtolus, annunciator & prædicator Evangelii regni tui, Jeſu Chriſte Deus noſter. Te nunc etiam bone, & hominum amator deprecamur, ut des nobis & omni populo tuo mentem ab omni diſtractione liberam, intellectumque purum, ut diſcamus & intelligamus, quanta ſit utilitas doctrinæ tuæ ſanctæ, quæ ad nos illius miniſterio pervenit. Et quemadmodum ſimilis tibi fuit, ô autor vitæ, ita nos pariter dignos effice, ut in opere & fide ſimiles illi ſimus, glorificemuſque nomen tuum ſanctum, gloriemurque in cruce tua omni tempore. Tuque es cui honorem, gloriam, potentiam & adorationem referimus, cum Patre tuo bono & Spiritu ſancto, nunc & ſemper, &c.

Tum unus Diaconorum, leget Catholicon Copticè & Arabicè, & poſtquam lectum fuerit Copticè, dicet Sacerdos celebrans hanc orationem: quòd ſi Patriarcha ipſe ſacra faciat, dicet eam Sacerdos.

Oratio poſt Catholicon.

Sacerdos. DOmine Deus qui per ſanctos Apoſtolos tuos manifeſtaſti nobis myſterium Evangelii gloriæ Chriſti tui, & dediſti illis ſecundum magnitudinem doni infiniti gratiæ tuæ, prædicare toti mundo abundantiam inveſtigabilis miſericordiæ tuæ; rogamus te, Domine, fac nos dignos parte & ſorte illorum. Concede nobis ſemper ut ambulemus in eorum veſtigiis, ut agones eorum imitemur, & communicemus cum eis, laboribus & ſudoribus, quos pro pietate ſuſtinuerunt. Conſerva Eccleſiam tuam ſanctam, quam per eos fundaſti, benedic agnis gregis tui, & multiplica hanc vineam quam plantavit dextera tua, in Chriſto Jeſu Domino noſtro: per quem, &c.

Finita lectione Catholici Arabicè, aſcendet Sacerdos ad altare & adolebit incenſum ſemel, tum recitabitur Oratio ſequens.

Digitized by Google

Oratio Actuum Apoſtolorum.

Sacerdos. DEus qui ſuſcepiſti ſacrificium Abrahami, & pro Iſaaco arietem ei præparaſti, ita ſuſcipe à nobis, Domine, hujus thuris ſacrificium, & pro eo mitte nobis divitem miſericordiam tuam. Munda nos ab omni fœtore peccati, & præſta nos dignos eſſe, ut coram bonitate tua ô hominum amator, pure & perfecte miniſtremus omnibus diebus vitæ noſtræ: Memento Domine pacis, &c.

Perficit illam ex Oratione Thuris Pauli, nulla re detracta vel addita: quâ expletâ chorum ſolus cum incenſo circuibit. Finita Lectione Actorum Copticè & Arabicè dicent ter, Sanctus: *quo finito, Sacerdos dicet hanc orationem.*

Oratio Evangelii ſancti.

DOmine & magiſter Jeſu Chriſte Deus noſter, qui dixiſti divis apoſtolis tuis & diſcipulis tuis ſanctis; Multi prophetæ & juſti cupierunt videre quæ vos videtis & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt: beati autem oculi veſtri qui vident & aures veſtræ quæ audiunt: da ut digni efficiamur audiendi & opere perficiendi Evangelia tua ſancta, per orationes Sanctorum tuorum.

Diaconus. Orate pro Evangelio ſancto.

Sacerdos. MEmento etiam Domine, omnium qui præceperunt nobis, ut eorum meminiſſemus in noſtris ad te orationibus & precibus. O Domine quietem illis tribue quorum præceſſit dormitio: infirmos ſana, quia tu vita es omnium noſtrum, ſalus omnium, ſpes omnium, medela omnium, reſurrectioque omnium noſtrum: & tu es ipſe cui gloriam, honorem & adorationem referimus, cum Patre tuo bono & Spiritu ſancto vivificante, tibique conſubſtantiali, nunc & ſemper, &c.

Tum dicet pſalmum, & poſt tertium verſum Sacerdos Evangelium incenſabit. Aſcendet ad altare, rurſuſque incenſum offeret, ſemel ſignans naviculam ſigno crucis: deinde circuibit cum incenſo Evangelium, tum altare ſemel: deſcendet ab altari, accipiet Evangelium à Diacono, converteturque ad Occidentem. Accedent Sacerdotes omnes, & illud oſculabuntur: ipſe poſtremus illud oſculabitur, dabitque illud Diacono miniſtranti, quem etiam incenſabit. Cùmque Diaconus dicet State, *converſus Sacerdos ad*

Digitized by Google

Orientem dicet, In nomine Dei. *Mox incensum ter adolebit, ad Sanctuarium. Dicet Diaconus* Benedic Domine, *& dicet*, Initium sancti Evangelii secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem. *Cumque interpres Evangelii dicit*, State cum timore Dei, *convertitur Sacerdos ad Occidentem, incensat tribus vicibus Evangelium. Tum conversus ad Sanctuarium, illud incensat etiam ter, deinde Sacerdotes semel: stans in loco suo, recitans aliquid interea ex oratione Evangelii. Tum Diaconos semel incensat: nec desinit interim thuribulo adolere; coram Evangelio, ad finem usque lectionis ejus Copticè & in ultimo commate incensat ter, dat autem Evangelium legendum Diacono si probè illud legere sciat, sin minùs, leget illud ipse Sacerdos. Quòd si Diaconus legat Evangelium ex Ambone, incensatio Evangelii primò & postremò fiet ad limen chori. Cùmque dicet interpres*, Domini & Dei nostri, *redibit ad Sanctuarium & incensum tribus vicibus adolebit, dicetque sequentem orationem secretò, quando Evangelium legetur Arabicè, facie ad Orientem conversa. Quòd si Sacerdos socius, ad quem ejus pertinet recitatio, ibi adsit, dabit ei thuribulum & ipse eam recitabit.*

Oratio post Evangelium secretò dicenda.

LOnganimis, multæ misericordiæ & verax, suscipe orationes, deprecationes & supplicationes nostras, pœnitentiamque & confessionem nostram super altare tuum sanctum, purum & cœleste, ut digni efficiamur auditores Evangeliorum tuorum sanctorum & præcepta & mandata tua observemus, & in iis centesimum, sexagesimum, & trigesimum, fructum proferamus, in Christo Jesu Domino nostro. Memento, Domine, infirmorum populi tui, respice eos cum misericordia & clementia, eosque sana. Memento, Domine, patrum, fratrumque nostrorum peregre absentium, reduc eos in domos suas salvos & incolumes.

Tempore Nili exundationis & pluviæ dicetur.

Memento, Domine, aquarum fluminis & benedic illis, augens illas juxta mensuram suam.

Tempore sementis dicetur à prima Paophi ad primam Baini.

Memento, Domine, seminum, plantarumque, ut crescant & multiplicentur.

Ab Epiphania ad primam ejusdem mensis.

Memento, Domine, aëris cœli & fructuum terræ, eisque benedic.

Digitized by Google

nedic. Memento Domine ſalutis loci hujus ſancti tui, omniumque locorum & Monaſteriorum, ſanctorum patrum noſtrorum Orthodoxorum. Memento Domine ſalutis hominum & animalium. Memento Domine ſervi tui Regis terræ noſtræ, atque illum in pace & dignitate conſerva. Memento Domine patrum, fratrumque noſtrorum, qui obdormierunt, quieveruntque in fide Orthodoxa. Memento Domine ſacrificiorum oblationumque, & iis retribue mercedem, qui has tibi oblationes obtulerunt, eaſque ad te ſuſcipe. Memento Domine captivorum qui in ſervitutem abducti ſunt, reducque captivitatem eorum. Memento Domine eorum qui calamitatibus, & anguſtiis opprimuntur. Memento Domine Catechumenorum populi tui, miſerere eorum, confirma eos in fide tua, & reliquias omnes cultus idolorum aufer ab eorum cordibus; legem tuam, timorem tuum, præcepta tua, veritates tuas & mandata tua ſtatue in cordibus eorum: da illis firmam cognitionem verbi quo per catecheſin inſtituti ſunt; utque ſtatuto tempore digni evadant lavacro regenerationis in remiſſionem peccatorum ſuorum, præpara eos habitaculum Spiritui ſancto tuo per gratiam.

Poſt lectionem Evangelii afferet illud Diaconus ad Sacerdotem, qui illud oſculabitur, ut etiam Clerus & populus, & interea recitabit Sacerdos Orationem Veli ſecretò, ſtans ad latus veli, capite inclinato.

Oratio Veli.

DEus qui tuo erga homines amore ineffabili Filium tuum unigenitum in mundum miſiſti, ut ovem errabundam ad te reduceret, rogamus te Domine, ne nos à te in æternum repellas, dum offerimus tibi tremendum hoc & incruentum ſacrificium: neque enim juſtitiæ noſtræ confidimus, ſed miſericordiæ tuæ, quâ genus noſtrum vivificaſti. Rogamus & obſecramus bonitatem tuam, amator hominum, ut neque nobis, neque plebi tuæ ſit in judicium myſterium hoc, quod ad ſalutem noſtram inſtituiſti, ſed in abſterſionem peccatorum noſtrorum & remiſſionem negligentiarum noſtrarum. Gloria & honor nomini tuo ſancto, Patris & Filii & Spiritus ſancti nunc & ſemper, &c.

Interea cùm abſolvitur hæc oratio, oſculabitur Sacerdos gradus altaris, aſcendet ad Sanctuarium, oſculabitur altare & conver-

ſus ad Occidentem recitare incipiet tres majores orationes. Dum Sacerdos dicit Pax omnibus, *converſus ad Sacerdotes fratres ſuos, capitis inclinatione ſalutat, & converſus ad Occidentem populum cruce ſignat.*

Oratio pro pace.

Sacerdos. ITerum Oremus Deum omnipotentem, patrem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Rogamus & obſecramus bonitatem tuam, amator hominum, memento Domine pacis, unicæ illius tuæ, ſanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, quæ à finibus ad fines uſque terræ diffunditur, omni populo & terris benedic. Pacem illam cœleſtem cordibus noſtris immitte, ſed & pacem iſtius vitæ nobis benigne concede: Reges orthodoxos, exercitum, duces, conſiliarios, vulgus promiſcuum, & vicinos noſtros, ingreſſum & exitum noſtrum omni pace exorna. O Rex pacis, da nobis pacem tuam, qui omnia dediſti nobis. Poſſide nos, Deus Salvator noſter, nam præter te alium non novimus, & nomen tuum ſanctum invocamus. Vivant itaque animæ noſtræ per Spiritum tuum ſanctum, neque mors peccati dominetur ſuper nos ſervos tuos, nec ſuper omnem populum tuum. Domine miſerere.

ὅπως καλῶς ὁμῶ σι φιλάνθρωπε δέσποτα κύριε.

In aliis Cod. Regem Orthodoxum.

Alii Cod. Regem, Ordines militares.

Pro Patriarcha & Epiſcopis.

Rurſus precamur te, Domine omnipotens, Pater Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, rogamus & obſecramus bonitatem tuam, ô amator hominum.

Si Patriarcha ipſe celebret, dicet ſocius Sacerdotis.

Memento, Domine, beati Patris noſtri, & venerandi Archiepiſcopi Papæ N. ejuſque in miniſterio Apoſtolico conſortis venerandi Patris Epiſcopi N. cuſtodi & conſerva nobis illos annis multis, & tranquillis temporibus, ut opere impleant & perficiant ſanctitatem Epiſcopatûs, quæ ipſis à te concredita eſt, ſecundùm voluntatem tuam ſanctam & beatam: verbumque veritatis rectè diſpenſent, plebem tuam cum ſanctitate & juſtitia regant, ſimul cum reliquis Epiſcopis Orthodoxis, Hegumenis, Preſbyteris, & Diaconis, omnique plenitudine unicæ tuæ, unius, ſanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Da nobis & ipſis pacem & ſalutem in omni loco, preceſque omnes, quas fundunt pro nobis & omni populo tuo, ad te ſuſcipe, ut etiam eas quæ à nobis pro ipſis fiunt.

Hîc Sacerdos ſemel adolet incenſum, dicens ea quæ ſupra de-

Digitized by Google

clarata sunt: quòd si socium Sacerdotem habuerit, id ipsius vice faciet.

Super altare tuum sanctum, spirituale, cœleste, ut etiam thuris odoramenta: universos eorum hostes visibiles & invisibiles, contere & deprime sub vestigiis eorum velociter: eos autem in pace & justitia custodi in Ecclesia tua sancta. Domine miserere.

Pro congregatione.

ITerum etiam oramus te, Deus omnipotens, pater Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, petimus & obsecramus bonitatem tuam, ô amator hominum: Memento Domine congregationum nostrarum & benedic illis. Da ut sint nobis absque turbatione & impedimento, ut eas celebremus secundùm voluntatem tuam sanctam & beatam, domos orationis, domos benedictionis, domos sanctitatis: concede nobis in illis esse, Domine, & servis tuis qui post nos in sæculum usque futuri sunt.

Oratio pro Ecclesia, quam hoc loco recitabit Sacerdos jejunii diebus.

CUltum idolorum ab omni orbe procul remove: Satanam & omnem virtutem ejus pessimam contere, & dejice sub pedibus nostris velociter: hæreses & autores earum compesce, ut rescindatur & abrumpatur omnis hæretica pravitas, Ecclesiæ tuæ sanctæ inimica. Domine, sicut olim, ita & nunc eas deprime; aufer illas hæreticis: tenebras cordis sui, miseriamque ipsis suam perspicuè demonstra: compesce invidiam eorum, consilia, machinationes, dolos, & detractiones, dextrasque quibus adversùm nos abuntur, imbelles omnino esse jubeto. Conventicula eorum reprime, divide consultationes eorum, ô Deus, qui dissipasti consilium Achitophel.

Hæc oratio non extat in multis codicibus.

Adolebit incensum ad Orientem tribus vicibus.

Exurge, Domine Deus, dissipentur omnes inimici tui, & fugiant à facie tua omnes qui oderunt nomen sanctum tuum.

Conversus ad Occidentem, Sacerdotes, Diaconos & populum incensabit.

Et populus tuus millies millenis benedictionibus, & decem millies millibus cumulatus adimpleat omnes voluntates tuas.

Tum conversus ad Orientem dicet.

Per gratiam, clementiam & amorem erga homines filii tui unigeniti, Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, &c.

Digitized by Google

Populus dicet Symbolum fidei Orthodoxæ. *Adolebit Sacerdos ter incenſum ad Orientem, dabitque thuribulum illi qui deferre ſolet, tum dicent Symbolum; quo tempore lavabit Sacerdos ter manus ſuas, & antequam eas abſtergat, convertetur ad populum, educetque manus ex aqua coram eo, & à ſordibus diligenter purgabit.*

Poſt recitationem Symboli dicet, Pax omnibus.

Reſpondebitque populus, Et cum ſpiritu tuo.

Tum converſus ſignabit populum ſemel in modum crucis, & dicet hanc orationem.

Oratio Oſculi pacis ad Patrem.

Ἀσπασμὸς. Εὐχὴ ἀσπασμοῦ Ἅγιος Βασιλείου.

Sacerdos. DEus magne & æterne, qui hominem abſque vitio condidiſti & mortem quæ Satanæ invidiâ in mundum intraverat, per adventum vivificantem filii tui unigeniti Jeſu Chriſti Domini Dei & Salvatoris noſtri deſtruxiſti, repleviſtique terram cœleſti pace: tu quem celebrant Angelorum exercitus, dicendo; Gloria in excelſis Deo & pax ſuper terram, & in hominibus bona voluntas, imple per beneplacitum tuum, Domine, corda noſtra pace tua, & munda nos ab omni macula omnique ſimultate, omni fraude, omni malo, omnique injuriarum recordatione mortifera. Fac Domine ut omnes digni ſimus amplectendi invicem in oſculo ſancto, & ita illius participes ſimus, ut non in judicio repellas nos, ab immortali & cœleſti dono tuo, per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum.

Oratio alia Oſculi pacis.

Sacerdos. SUperant omnem ſermonis facultatem, & omnem vim mentis, divitiæ munerum tuorum, Domine, quia abſcondiſti ſapientibus & prudentibus, & nobis parvulis revelaſti ea, quæ cupierunt Prophetæ & Reges videre, & non viderunt. Hæc in nos peccatores gratioſe contuliſti, ut ea adminiſtraremus, & per ea ſanctificaremur, cùm filii tui diſpenſationem nobis exhibuiſti, & ſacrum ritum iſtius ſacrificii incruenti: nec enim illud eſt ſanguinis legalis, aut juſtitiæ corporeæ, ſed agnus eſt ſpiritalis, gladiuſque rationalis & incorporeus, in hoc ſacrificio, quod tibi offerimus. Rogamus & obſecramus bonitatem tuam, ô hominum amator, purifica labia noſtra, & libera mentes noſtras ab omni contagione

Digitized by Google

materiali : mitte nobis gratiam Spiritus tui ſancti & dignos effice ſalutandi invicem in oſculo ſancto, ut non incidentes in judicium, percipiamus donum tuum immortale & cœleſte, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Oratio Pacis Jacobi Apoſtoli.

Sacerdos. DEus, omnium Domine, dignos effice hac ſalute, nos peccatores indigniſſimos, ut ab omni labe omnique hypocriſi purgemur, amplectamurque invicem in oſculo ſancto & unum corpus, unuſque ſpiritus efficiamur in vinculo caritatis & pacis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum quo benedictus es, & cum Spiritu tuo vivificante, tibique conſubſtantiali, nunc & ſemper & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ANAPHORA SANCTI BASILII.

Diaconus. ACcedite, adſtate, ô viri, cum tremore, & ad Orientem aſpicite. Attendamus. Προσφέρειν κατὰ τρόπον. Στάθητε. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε. Προσχῶμεν.

Populus. Miſericordia, pax & ſacrificium laudis. Ἔλεος εἰρήνης, θυσία αἰνέσεως.

Ter ſignum crucis hic fit, primùm à Sacerdote ſuper ſe ipſum: ſecundò ſuper Diaconos miniſtrantes: tertiò ſuper populum.

Sacerdos. Dominus vobiſcum. 1 1. Ὁ Κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Populus. Et cum ſpiritu tuo. 2 2. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Sacerdos. Surſum levate corda veſtra. 3 3. Ἄνω ἡμῶν τὰς καρδίας.

Populus. Habemus ad Dominum. 4 4. Ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον.

Sacerdos. Gratias agamus Deo. 5 5. Εὐχαριστήσωμεν τῷ Κυρίῳ.

Populus. Dignum & juſtum eſt. 6 6. Ἄξιον καὶ δίκαιον.

Sacerdos. Dignum & juſtum, dignum & juſtum eſt, vere eſt dignum, conveniens, neceſſarium, dignum & juſtum, Domine qui exiſtis, Domine Deus vere, qui es ante ſæcula, regnans uſque in æternum, qui in excelſis habitas, & humilia reſpicis, qui creaſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, Pater Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui cuncta viſibilia & inviſibilia per eum creaſti, ſedens ſuper thronum gloriæ tuæ, quem adorant omnes poteſtates ſanctæ.

Diaconus. Qui ſedetis ſurgite. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Sacerdos. Circa quem conſiſtunt Angeli & Archangeli, Principatus, Poteſtates, Throni, Dominationes, Virtutes.

Diaconus. Ad Orientem aſpicite. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

Sacerdos. In circuitu enim tuo ſtant Cherubim, oculis

pleni, & Seraphim ſex alis inſtructi, hymnum gloriæ concinunt indeſinenter dicentes :

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.

Sacerdos ter in modum crucis ſignabit, primò ſe ipſum, ſecundò miniſtros, tertiò populum : tum dicet.

Sanctus, Sanctus, Sanctus es verè, Domine Deus noſter, qui formaſti nos, feciſti nos, & poſuiſti nos in paradiſo voluptatis. Cum autem mandata tua circa lignum vitæ violaſſemus per deceptionem ſerpentis, à vita æterna excidiſſemus, & à paradiſo voluptatis ejecti fuiſſemus, non in finem uſque deſeruiſti nos, ſed continuò nobis per prophetas tuos ſanctos promiſſa edidiſti : in noviſſimis vero diebus, nobis ſedentibus in tenebris & umbra mortis, Filium tuum unigenitum Dominum Deum & Salvatorem Jeſum Chriſtum manifeſtaſti, qui incarnatus eſt de Spiritu ſancto & ex virgine ſancta Maria, & homo factus eſt, qui viam ſalutis nos docuit, & ſupernam illam nativitatem per aquam & ſpiritum nobis donavit, fecitque nos populum congregatum, mundavitque nos per Spiritum ſanctum ſuum. Ipſe cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, tradidit ſe ipſum ad ſalutem pro nobis in mortem, quæ ſuper nos regnabat, quâ peccatorum noſtrorum cauſâ conſtricti tenebamur : deſcendit ad inferos per crucem, ſurrexit à mortuis die tertia, aſcendit ad cœlos, ſeditque ad dexteram tuam, ô pater, deſignavitque diem retributionis, in quo apparebit ad judicandum orbem in juſtitia & tribuendum unicuique juxta opera ſua.

Κατὰ τὸ ἔλεός σου τὸ μέγα, καὶ μὴ κατὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.

Populus. Secundùm miſericordiam tuam, Domine, & non ſecundùm peccata noſtra.

Sacerdos. Inſtituit nobis myſterium hoc magnum pietatis & religionis, cum ſtatuiſſet tradere ſe morti pro mundi vita.

Πιστεύομεν. *In Copt.* Credo.

Populus. Credimus in rei veritate ita eſſe.

Sacerdos. Accepit panem in manus ſuas ſanctas, puras & immaculatas, beatas & vivificantes, & aſpexit in cœlum, ad te, ô Deus, Patrem ſuum & omnium Dominum.

Tunc accipiet oblationem ſuper manus ſuas, auferetque velum deſuper diſco.

Populus. Amen.

Sacerdos levabit oculos dicens. Et gratias egit. ✠

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixit eum.

Digitized by Google

Populus. Amen.

Sacerdos digito ter oblationem ſuam ſignabit in modum crucis. Et ſanctificavit eum. ✠

Populus. Amen.

Sacerdos franget oblationem in tres partes, quas ita ad ſe invicem adjunget, ut quodammodo diviſæ non ſint. Quæ dum faciet, digitos intra diſcum detergit, ne quid ex oblatis adhæreat, & dicet.

Et fregit eum, deditque ſanctis diſcipulis & Apoſtolis ſuis, dicens: Accipite, manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum quod pro vobis frangitur, & pro multis datur in remiſſionem peccatorum, hoc facite in mei memoriam.

Populus. Amen.

Sacerdos tenens calicem manu ſua, dicet. Similiter etiam calicem poſt cœnam, aqua & vino miſcuit.

Sacerdos calicem ter cruce ſignabit, & dicet. Gratias egit. ✠

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedixit eum. ✠

Populus. Amen.

Sacerdos. Sanctificavit eum. ✠

Populus. Amen.

Sacerdos. Guſtavit, & dedit diſcipulis ſuis & Apoſtolis ſanctis dicens, Accipite bibite ex eo omnes, Hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti qui effunditur pro vobis, & pro multis in remiſſionem peccatorum; hoc facite in mei memoriam.

Sacerdos calicem in crucis formam movebit, ita tamen ut non agitet.

Populus dicet. Amen, hoc ita eſt.

Sacerdos. Quotieſcumque manducabitis ex hoc pane, & bibetis ex hoc calice, mortem meam annunciabitis & reſurrectionem meam confitebimini, meique memores eritis donec venia m.

Populus. Mortem tuam annuntiamus Domine, & reſurrectionem tuam confitemur. Τὸν θανατόν σου κύριε καταγγέλλομεν,

Sacerdos. Memoriam agimus paſſionis ejus ſanctæ, reſurrectionis ejus à mortuis, aſcenſionis in cœlum, & ſeſſionis ipſius ad dexteram tuam, ô Pater: ſecundi etiam ipſius è cœlo adventus terribilis & gloriâ pleniſſimi, offerimuſque tibi hæc dona ex bonis tuis, pro omnibus, ex omnibus, & in omnibus.

Diaconus. Adorate Deum cum timore & tremore.

Digitized by Google

Sacerdos dicit Invocationem.

Ἐπίκλησις.

ROgamus te, Christe Deus noster, nos peccatores indigni servi tui, & adoramus te per beneplacitum bonitatis tuæ, ut adveniat Spiritus sanctus tuus super nos, & super hæc dona

Ita Copt. & Gr. τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ δῶρα ταῦτα

proposita, & sanctificet ea, efficiatque ea Sancta Sanctorum tuorum.

Habebit Sacerdos interea manus expansas & sursum sublatas, interpellans pro illapsu.

Dicet populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Et panem quidem hunc, *ter panem cruce signabit*, faciat corpus sanctum, *inclinabit caput suum & manu corpus innuet*, ipsius Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quod datur in remissionem peccatorum, & vitam æternam, ei qui illud percipiet.

Populus. Amen.

Sacerdos calicem ter cruce signabit & dicet. Et hunc calicem, sanguinem pretiosum novi Testamenti tui, *Tunc corpus & sanguinem pretiosum designabit*, ipsius Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui datur in remissionem peccatorum & vitam æternam illis qui illum percipient.

Populus. Amen.

Sacerdos. Fac, Domine, ut digni simus communicandi sanctis tuis, ad sanctificationem corporum, animarum, spirituumque nostrorum, ut simus corpus unum, spirituque unus, sortemque & partem consequamur cum omnibus sanctis tuis qui ab initio tibi placuerunt. Memento, Domine, pacis unicæ tuæ, unius sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ tuæ.

Diaconus. Orate pro, &c.

Sacerdos. Quam acquisivisti tibi sanguine pretioso Christi tui, conserva eam in pace & omnes Episcopos orthodoxos, qui in ea sunt. Primum quidem memento, Domine, beati Patris nostri venerandique Archiepiscopi Papæ Anba N.

Diaconus. Orate pro, &c.

Sacerdos. Et qui cum eis verbum veritatis rectè dispensaverunt, concede illos Ecclesiæ tuæ sanctæ, ut pascant gregem tuum in pace. Memento, Domine, Hegumenorum, Presbyterorum Orthodoxorum, & Diaconorum.

Diaconus. Orate pro, &c.

Sacerdos.

Digitized by Google

Sacerdos. Omniumque miniſtrorum & cunctorum qui virginitatem & puritatem colunt omniſque populi tui fidelis. Memento Domine, ut miſerearis omnium noſtrum.

Diaconus. Miſerere noſtri Deus Pater omnipotens.

Populus. Kyrie eleiſon *ter.*

Sacerdos. Memento Domine ſalutis hujus loci tui ſancti, omniſque loci & monaſterii patrum noſtrorum orthodoxorum.

Diaconus. Orate pro, &c.

Sacerdos. Et habitantium in eo cum fide Dei. Dignare Domine aëri cœli, & fructibus terræ benedicere.

Dicet in tempore exundationis Nili à duodecima Baini ad nonam Paophi.

Dignare Domine implere aquas fluminum hoc anno, & illis benedicere.

Tempore ſementis, nempe à decima Paophi ad vigeſimam Tybi.

Memento Domine ſeminis herbarum, & viroris agri hoc anno, fac ut creſcant, quantum fieri poteſt, per gratiam tuam. Lætifica faciem terræ, ut appareat fœcunditas ejus, & fructus ipſius multiplicentur; præpara ei ſementem & meſſem: vitam noſtram prout expedit guberna: benedic coronæ anni per benignitatem tuam, propter egenos populi tui, propter viduas & orphanos, propter peregrinos & neceſſitatem patientes, & propter nos omnes qui in te confidimus & nomen ſanctum tuum ardenter quærimus; quia oculi omnium in te ſperant, quod in tempore ſuo ſis ipſis bonum largiturus. Age nobiſcum juxta bonitatem tuam, tu qui das eſcam omni carni: imple corda noſtra lætitia & ſuavitate, ut nobis ſemper in omnibus rebus ſuppetant neceſſaria, & abundemus in omni opere bono.

Diaconus. Orate pro.

Sacerdos hîc innuit ſuper panem & vinum manibus ſuis, dicetque.

Memento Domine eorum, qui hæc dona tibi obtulerunt, & eorum pro quibus ea obtulerunt, & qui obtulerunt pro ſe & ſuo nomine, da iis omnibus mercedem è cœlo.

Circuibit Sacerdos ſocius altare cum thuribulo, & ab inferiori parte thus adolebit, lavabitque manus ſuas, & eas velo bombycino involvet.

Digitized by Google

Tum dicet Sacerdos celebrans.

NUnc Domine ex præcepto Filii tui unigeniti communicamus memoriæ Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio, patrumque noſtrorum Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Prædicatorum, Evangeliſtarum, omniumque ſpirituum juſtorum, qui in fide vitam finierunt. Præcipuè verò & maximè, ſanctæ & gloriâ plenæ ſemper Virginis Genitricis Dei, Divæ ſanctæ Mariæ; ſancti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris & Martyris; ſancti Stephani primi Diaconi & primi Martyris, videntiſque Deum Evangeliſtæ Marci ſancti Apoſtoli & Martyris; Patriarchæ ſancti Severi, & Doctoris noſtri Dioſcori; ſancti Joannis Chryſoſtomi, ſancti Athanaſii Apoſtolici, ſancti Cyrilli, ſancti Baſilii, ſancti Gregorii, Patriſque noſtri ſancti Abbatis Antonii ſummæ ſanctitatis viri, juſtique Patris Pauli, Sanctorumque trium Macariorum, & ſancti Patris noſtri Joannis Hegumeni, Patris noſtri Biſchoi hominis perfecti, Patrumque Sanctorum Romæorum, Maximi & Diomedis, quadraginta novem Martyrum, & potentis ſancti Patris Moyſis, patriſque noſtri Iſidori, & Arſenii, patriſque noſtri Joannis Nigri Presbyteri, patriſque noſtri Danielis Hegumeni, patriſque noſtri juſti Junii & patris noſtri Ephræm, Patriſque noſtri Pacomii, patris vitæ Cœnobiticæ, Theodorique ejus diſcipuli, Patriſque noſtri Sanutii Archimandritæ, & Abbatis Veiſæ ejus diſcipuli. Item patris noſtri Abuneferi ſeu Onufrii Anachoretæ, Patris noſtri Simeonis Stylitæ, patris noſtri Samuelis Confeſſoris, Juſtique & Apollo ejus diſcipulorum, Patriſque noſtri Barſomæ Sapientis, Patris noſtri Benifii Presbyteri, & Abbatis Joannis ejus diſcipuli, & Patris noſtri Abbatis Barſomæ nudi, & Patris noſtri Abbatis Fegii nudi, & ſancti N. cujus hodie memoriam celebramus, omniſque chori Sanctorum tuorum, quorum precibus & ſupplicationibus miſerere noſtrum omnium & libera nos propter nomen tuum ſanctum quod invocatum eſt ſuper nos.

Sacerdos. Memento etiam Domine omnium qui dormierunt & quieverunt in Sacerdotio & omni ordine laicorum. Dignare Domine animas eorum omnium quietè donare in ſinu ſanctorum Abraham, Iſaac & Jacob, induc eos in locum viridem ſuper aquas refrigerii, in paradiſum voluptatis, in locum

Digitized by Google

unde fugiunt dolor cordis, triſtitia, & ſuſpiria in lumine Sanctorum tuorum.

Diaconi dicent Diptycha & nomina defunctorum recitabunt.

Sacerdos dicit poſt Diptychon. Eos Domine quorum animas ſuſcepiſti, jube in hoc loco quieſcere & nos etiam hic peregrinos, in fide tua cuſtodi, & pacem tuam nobis uſque in finem benignè concede.

Populus. Sicut erat, &c.

Sacerdos. Et dirige nos in regnum tuum, ut ſicut in hoc, ita etiam in omnibus laudetur, benedicatur & extollatur nomen tuum magnum, omnibus modis ſanctum, excellens, venerandum, & benedictum, Jeſu Chriſti etiam Filii tui dilecti & Spiritus ſancti.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Proœmium ante fractionem.

Sacerdos. ITerum gratias agimus tibi Deus omnipotens, pater Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod feciſti nos dignos conſiſtendi in hoc loco ſancto, levandique manus noſtras & nomini tuo ſancto ſerviendi. Precamur eum rurſus, ut nos efficiat dignos communione & participatione myſteriorum ejus divinorum & immortalium, corporis ſancti & ſanguinis precioſi Chriſti ejus, omnipotens Dominus Deus noſter. Oratio ante fractionem.

Populus. Amen.

Cùm dicet Sacerdos hanc benedictionem, velum ſericeum dextrâ geſtans & ad Occidentem converſus, eo velo populo ſignum faciet, manum ſuper diſco tenens: quando vero recitatur benedictio, Diaconi dicent deprecationem, Sacerdos verò faciem & oculos convertet ad corpus quod in diſco poſitum eſt, dicetque.

Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri.

Tum Sacerdos ſumet corpus ſanctum manu dextra, imponetque ſiniſtræ, ponetque digitum ſuper corpus in latere Deſpotici ſeu majoris particulæ eo loco ubi fractum eſt, & dicet.

Corpus ſanctum.

Tolletque digitum ſuum de ſuper corpore, immittetque in calicem & intinget extremum pollicis ſui ſanguine pretioſo: tum educet digitum è ſanguine, & iterum ſignabit ſanguinem ſan-

Digitized by Google

guine, in modum crucis gloriosæ, & dicet.

Et sanguis pretiosus Christi ipsius omnipotentis Domini Dei nostri.

Tum educet digitum suum è calice sanguine pretioso tinctum, & signabit eo corpus unâ cruce, desuper fractura è latere majoris particulæ, & infra ex parte exteriori corporis, unam crucem formans super sanguinem, & duas super corpus.

Diaconus dicet. Orate.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Oratio Fractionis ad Patrem.

Προοίμιον τῆς κλάσεως.

Sacerdos. DOmine Deus noster, magne, æterne, gloriæ mirabilis, qui observas testamentum tuum, & promissiones tuas, iis qui te diligunt ex toto corde suo; qui dedisti nobis salutem à peccatis nostris per Filium tuum unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum; qui es vita omnium, auxilium eorum qui ad te confugiunt; spes ad te clamantium; coram quo consistunt millies mille, & decies millies decem mille Angeli & Archangeli, Cherubim & Seraphim, & omnis multitudo innumerabilis potestatum cœlestium; qui sanctificasti has oblationes propositas, per illapsum super eas Spiritus sancti tui: munda nos Domine à peccatis nostris occultis & manifestis, & ab omni cogitatione quæ bonitati tuæ non placeat. Deus hominum amator talem à nobis repelle: purifica corpora & animas nostras, corda nostra & conscientias nostras, ut cum corde puro & anima lucida, inconfusa facie, caritate perfecta, & spe secura, audeamus cum fiducia, & absque timore orare ad te, Deus pater sancte & cœlestis & dicere. Pater noster.

Oratio Fractionis alia Basilii.

Non extat in nostro Cod. hoc loco, sed post seq.

DEus parens lucis, vitæ principium, scientiæ largitor, donorum creator, gratiose opifex, animarum nostrarum benefactor; thesaurus sapientiæ, doctor sanctorum, fundator sæculorum, precum purarum susceptor, iis qui in eum toto corde confidunt donator munerum, quæ desiderant Angeli prospicere: qui è profundo nos eduxit in lucem, qui dedit nobis vitam ex morte: qui concessit nobis libertatem, & manumissionem à servitute: qui tenebras erroris quæ

Digitized by Google

in nobis erant illuſtravit, per præſentiam in carne unigeniti Filii ſui. Tu ergo etiamnum Domine illuſtra oculos cordis noſtri, & perfectos nos effice animis, corporibus, ſpiritibuſque noſtris, ut corde ſancto & labiis puris audeamus orare te, Deus pater ſancte qui es in cœlis, & dicamus.

Oratio Fractionis alia Joannis Chryſoſtomi.

In alio Cod. Joannis Boſtrenſis, ſive Baſorenſis.

DEdiſti nobis gratiam adoptionis, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, nunc autem dignos effice, ut abſque hypocriſi, corde puro, conſcientiâ fiduciæ plenâ, labiiſque ab omni offenſa liberis, oremus te pater, ut eas futilitates reſpuendo, quæ gentium multiloquii & Judaici ſupercilii ſunt, poſſimus offerre tibi preces orationemque, juxta inſtitutionem ſaluberrimam Filii tui unigeniti, voce purâ, qualis Chriſtianos decet; & cum ſanctitate animæ, corporis & ſpiritus, audeamus abſque timore clamare ad te, increatum, abſque initio, ingenitum, noſtrum & omnium Dominum, Deum patrem ſanctum qui es in cœlis, & dicamus. Pater noſter qui es in cœlis, &c.

Oratio poſt Pater noſter.

ITa nempe rogamus te, ô Pater ſancte & bone, bonitatiſque amator, ne nos inducas in tentationem, neque permittas ullam iniquitatem in nos dominari, imò potiùs libera nos ab actionibus inutilibus, earumque cogitationibus, earum motibus, aſpectibus earum, illecebris earum: tentationemque extingue & repelle à nobis. Coërce pariter motus illarum qui in nobis excitantur, & remove à nobis cauſas quæ nos ad peccandum impellunt: eripe nos per poteſtatem tuam ſanctam per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum.

Diaconus dicet. Inclinate capita veſtra Domino. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ Θεῷ κλίνατε.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos dicet Orationem inclinationis ad Patrem.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

SUperabundavit gratia bonorum opificis Filii tui unigeniti Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Confitemur paſſionem ejus ſalutarem, mortem ejus annunciamus, credimuſque ejus reſurrectionem, myſterii complementum. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, quia miſericordia tua magna fuit erga nos cum præparaveris nobis ea quæ

Digitized by Google

Angeli videre cupiunt. Petimus rogamuſque te, amator hominum, ut nos omnes purifices & ad te colligas per communionem noſtram myſteriorum divinorum tuorum, ut pleni efficiamur Spiritu tuo ſancto, confirmemurque in fide recta pleni item deſiderio caritatis tuæ veræ, & gloriam tuam omni tempore enarremus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Προχείρῳ τῆς μυ-στικῆς φάσης. *Diaconus.* Attendamus Deo cum timore.

Oratio abſolutionis ad Patrem.

Sacerdos. DOmine Domine Deus omnipotens, qui ſanas animas, corpora & ſpiritus noſtros, tu es qui dixiſti Petro patri noſtro, per os Filii tui unigeniti Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & dabo tibi claves regni cœlorum: quod ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cœlis, & quod ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Sint etiamnum Domine, patres & fratres mei abſoluti ex ore meo, per Spiritum ſanctum tuum, ô bone & amator hominum. Deus qui tollis peccata mundi, præveni eos ſuſcipiens pœnitentiam ſervorum tuorum ab ipſis, quæ ſit lumen ad cognitionem, & remiſſio peccatorum noſtrorum, quia tu Deus miſerator & miſericors es, longanimis & multæ miſericordiæ, & juſtus. Si in te peccaverimus verbo aut opere, parce & remitte nobis bone & amator hominum. O Domine abſolve nos, & populus tuus abſolutus ſit.

Hîc Sacerdos meminit vivorum & mortuorum.

MEmento, Domine, pacis, unicæ, ſanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: confirma in bono ad extremum uſque vitæ ſpiritum, & cuſtodi in pace omnes Patres noſtros Orthodoxos, Epiſcopos, Hegumenos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorciſtas, Monachos, Virgines, Viduas, Orphanos, Continentes, Laicos, Servos, Liberos, peregrè abſentes & populum hujus loci, tam viros quam mulieres, ſenes & juvenes, parvos & magnos, qui venerunt, quique non venerunt: qui dixerunt nobis, ut eorum meminiſſemus, & qui non dixerunt: quos novimus, & quos ignoramus: qui odio nos, & qui amore proſequuntur. Vivos cuſtodi per Angelum pacis, & mortuorum animas fac De-

Digitized by Google

mine quieſcere in ſinu Patrum noſtrorum ſanctorum Abraham, Iſaac & Jacob, in paradiſo voluptatis. Et omnes Chriſtianos Orthodoxos, ab ortu ſolis uſque ad occaſum, & à dextra ad ſiniſtram, ſingulos Domine conſerva in pace: & infirmitatem meam ſolve ab omni peccato, omnique maledicto, omni abnegatione & perjurio, omnique ſtultitia, tam hæreticorum, quam Ethnicorum. Concede nobis Domine intellectum, robur & intelligentiam, ut ad finem uſque fugiamus ab omni re malâ in oppoſitam, & da nobis ut faciamus omni tempore id quod tibi acceptum eſt. Scribe nomina noſtra cum omnibus choris Sanctorum tuorum, in regno cœlorum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Diaconus. Cum timore Deo attendamus.

Populus dicet. Unus Pater ſanctus. Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον. Ἀμήν.

Ubi Diaconus dixerit Cum timore, &c.

Populus. Kyrie eleiſon.

Sacerdos attollit Deſpoticon manibus ſublatis, & inclinat ſe, tum clamat alta voce, Sancta Sanctis. *Omneſque è populo proſtrati erunt in terram ſuper facies ſuas: immittetque Sacerdos Deſpoticon in ſanguinem, extrema ſui parte, formabitque cum eo crucem unam in ſanguine: tum educet, & eo ſignabit corpus ſanctum in diſco, cruce una: tum ſignabit eum ſemel ſanguine pretioſo in modum crucis, & ita perficiet tres ſignationes corporis ſuper ſanguinem, & tres ex ſanguine ſuper corpus. Peractis vero ſignationibus tribus, mittet Deſpoticon in ſanguinem, intra calicem dicens:*

Benedictus Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei & Spiritus ſanctus. Amen.

Tum accipiet Sacerdos tertiam partem in qua erat Deſpoticon, dividetque in tres partes: quòd ſi fuerint magna, franget eas in diſco, & tres partes manui dextræ imponet, quam retinebit elevatam: lævam verò intra diſcum & dicet.

Corpus ſanctum & ſanguis pretioſus, purus, verus, Jeſu Chriſti Filii Dei noſtri. Amen. Corpus & ſanguis Emmanuelis Dei noſtri, hoc eſt in rei veritate. Amen. Credo, credo, credo & confiteor, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, hoc eſſe corpus vivificum Filii tui unigeniti Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: accepit illud ex omnium noſtrâm Domina, Deipara, Diva & ſancta Maria, & unum illud fecit cum divinitate ſua, ſine confuſione, commiſtione, aut alteratione.

Digitized by Google

Confeſſus eſt confeſſionem bonam coram Pontio Pilato, & tradidit ſe ipſum pro nobis ſuper lignum crucis ſanctæ, ſolâ ſui ipſius voluntate, pro nobis omnibus. Verè credo ipſius divinitatem ſeparatam non fuiſſe, ab ipſius humanitate, ne unicâ quidem horâ aut nictu oculi: tradidit illud pro nobis ad ſalutem, remiſſionem peccatorum & vitam æternam ei qui illud percipiet. Credo hoc in rei veritate ita eſſe.

Deinde Sacerdos teget corpus ſanctum velo ſericeo, alio obvolvet manus ſuas, ſimiliter Diaconus calicem bombycino operiet, tum Sacerdos caput inclinabit, & dicet.

Omnis honor gloria & adoratio debetur Trinitati ſanctæ Patri, Filio & Spiritui ſancto.

Deinde Sacerdos oſculabitur altare, caputque inclinabit fratribus ſuis Sacerdotibus, & populo dextrorſum & ſiniſtrorſum, deteget latus diſci coram ſe, canentque ex pſalmo, & dicet Sacerdos ſecretò.

Dignos fac Domine nos omnes ut corpus tuum ſanctum percipiamus, & ſanguinem tuum pretioſum ad mundationem corporum, animarum, ſpirituumque, & peccatorum noſtrorum remiſſionem comparandam.

Tum communicabit Sacerdos, corpuſque & ſanguinem pretioſum Sacerdoti ſocio diſtribuet, tum miniſtris & populo deinceps: tandemque mulieribus ex altari cum diſco deſcendens.

Dicet Diaconus. Orate pro omnibus Chriſtianis.

Oratio gratiarum actionis poſt communionem.

Sacerdos. ORa noſtra repleta ſunt gaudio, & lingua noſtra exultatione, quia participes facti ſumus Sacramentorum tuorum immortalium, Domine: quia quæ oculus non vidit & auris non audivit, nec humanum cor comprehendit, illa ipſa præparaſti Deus, diligentibus nomen tuum ſanctum & revelaſti ea parvulis Eccleſiæ tuæ ſanctæ. Ita Pater fuit beneplacitum ante te, quia tu miſericors es, & mittimus tibi ſurſum gloriam, honorem, & adorationem Patri, Filio & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, &c.

Oratio inclinationis poſt communionem.

Sacerdos. SErvi tui, Domine, qui tibi miniſtrant, orant nomen tuum ſanctum, ſimulque coram te ſe inclinant. Eſto in illis Domine, ambula inter eos, adjuva illos in omni opere

Digitized by Google

opere bono, erige corda eorum ab omni perversa & terrena cogitatione. Da illis ut vivant & cogitent ea quæ ad vitam pertinent, intelligantque quæ tua sunt per Filium tuum unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum, ad quem nos & omnis populus tuus clamantus dicentes. Domine miserere nostri, ô Salvator.

Sacerdos dicet benedictionem.

O Domine, esto nobis misericors, benedic nobis, ostende faciem tuam super nos, & miserere nostri. Domine, salvum fac populum tuum, benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos usque in æternum. Conserva illos in fide recta, gloria, & honore, omnibus diebus vitæ suæ, & constitue illos in caritate quæ omnia superat, & pace quæ omni intellectu superior est, per preces & orationes, quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, Diva & sancta Maria, & quatuor lucidi sancti Michael, Gabriel, Raphael & Suriel, & quatuor animalia incorporea, necnon viginti quatuor Presbyteri, Cherubimque, Seraphim & cœlestes ordines. Per orationes Patriarcharum & Prophetarum, Joannis Baptistæ, & centum quadraginta quatuor millium, dominorumque patrum Apostolorum, trium sanctorum puerorum, sancti Stephani, sancti Domini Georgii, sancti utriusque Theodori, & sancti patrumque amatoris Mercurii, sancti Patris Mennæ & omnium chororum Martyrum, & Patris nostri Antonii viri sanctissimi, sanctorumque patrum trium Macariorum, omnisque chori cruce signatorum, Justorum piorum, sapientum Virginum, & Angeli diei istius benedicti. Veniat benedictio eorum, sancta gratia eorum, & potentia eorum, donum eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum & benedictio diei Dominicæ Salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in æternum. Amen.

Cùm absolverit vasorum ablutionem, bibet aquam in iis residuam, dimittetque plebem benedictione recitata.

Explicit Missa Basilii.

Digitized by Google

LITURGIA
SANCTI GREGORII.

ORATIO VELI.

Sacerdos secretò. DOMINE Deus omnipotens, qui nosti cogitationes hominum, scrutator cordium & renum: qui me indignum vocasti ad hoc ministerium sanctum tuum: ne me rejicias, & ne avertas faciem tuam à me; sed dele omnia delicta mea: & ablue sordes corporis mei, & maculas animæ meæ. Purifica me perfectè, ne cùm bonitatem tuam deprecabor, ut concedas veniam peccatorum aliis, ego reprobus efficiar. Ita, Domine, non repellas me mœstum & confusum: sed mitte super me Spiritum sanctum tuum; & fac me dignum ut adsistam altari tuo sancto: neque id mihi proveniat in judicium, sed offeram tibi hoc sacrificium, rationabile, incruentum cum conscientia pura, in remissionem peccatorum & iniquitatum mearum, veniam delictorum populi tui, requiem & refrigerium Patrum nostrorum, qui olim obdormierunt in fide Orthodoxa: ad ædificationem populi tui totius, & ad gloriam tuam, cum Filio tuo unigenito Domino, Deo & Salvatore nostro Jesu Christo, & Spiritu tuo vivificante, tibique consubstantiali, nunc, &c.

In Codd. MSS. S. Gregorii. *In aliis* S. Severi Patriarchæ.

Oratio oſculi pacis.

ÆTerne Fili qui in sempiternum subsistis, consubstantialis Patri, illique throno & creatione æqualis: qui sola bonitate ex nihilo fecisti hominem, & collocasti eum in paradiso voluptatis: qui cùm cecidisset per deceptionem inimici, & præcepti tui transgressionem, voluisti eum renovare & in dignitatem suam pristinam restituere. Non Angelos, non Archangelos, non Patriarchas, neque Prophetas voluisti autores esse nostræ salutis, sed tu absque immutatione carnem assumpsisti, & homo factus es, similis nobis in omnibus excepto peccato, factus es nobis mediator erga Patrem: parietem medium diruisti, & inimicitias priores deleviſti: conciliasti terrenos cum cœlestibus, & fecisti de duobus unum,

Digitized by Google

per dispensationem in carne : ascendisti in cœlum corporaliter, & implevisti omnia divinitate tua. Tu dixisti discipulis tuis sanctis & Apostolis, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Concede jam nobis illam, Domine ; & munda nos ab omni macula, ab omni dolo, ab omni malitia, ab omni fraudulentia, & injuriarum recordatione mortifera : & fac nos omnes dignos, Domine, ut salutemus invicem in osculo sancto, neque excidamus per judicium à donis tuis immortalibus, atque cœlestibus ; per gratiam tuam & benignitatem Patris tui, & operationem Spiritus tui : tu es enim provisor & largitor omnium bonorum ; tibique offerimus gloriam, & honorem, magnificentiam, & adorationem, cum Patre tuo bono, vivificante, tibique consubstantiali, nunc, &c.

Alia Oratio ad Filium.

CHriste Deus noster, virtus tremenda & incomprehensibilis Dei Patris, qui sedes super thronum flammeum Cherubim, cui ministrant potestates igneæ. Tu es ignis consumens per divinitatem tuam, propter splendorem tuum ineffabilem, & amorem tuum erga homines. Non combussisti, nec repulisti fraudulentum traditorem, cum accessit ad te, sed osculatus es eum osculo amici, ut traheres illum ad pœnitentiam, & ad audaciæ suæ agnitionem. Dignos fac nos, Domine, in hac hora terribili, ut unanimes absque duplicitate cordis, cæterisque nequitiis, salutemus invicem in osculo sancto : & ne nos projicias in judicium, si minùs perfectè mundi simus, neque sicut placitum est bonitati tuæ, à fœce peccati, à nequitia, & mortifera injuriarum recordatione : sed tu per ineffabilem clementiam tuam, qui nosti imbecillitatem, & propensionem ad inferiora figmenti nostri, dele omnes maculas peccatorum nostrorum, ut non sit nobis in judicium & condemnationem hoc mysterium divinitatis tuæ. Tu enim potens es tollere peccata omnia, & auferre injustitias & iniquitates hominum miserorum, tu qui purgas totum mundum : & te decet glorificatio, uno ore, & ab uno quoque, veneratio, magnificentia & adoratio, cum Patre tuo bono & Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, Gratia Filii unigeniti Domini

Digitized by Google

Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ; & communicatio & donum Spiritus ſancti, ſit cum omnibus vobis.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Surſum corda veſtra.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum & juſtum eſt.

Sacerdos. Dignum & juſtum eſt. *Ter.*

Verè dignum & juſtum eſt, ut te laudem, benedicam tibi, & ſerviam tibi, adoremque & glorificem te, qui es unus, ſolus, Deus verus, amator hominum, ineffabilis, inviſibilis, incomprehenſibilis, ſine principio, æternus, ſine tempore, incircumſcriptus, ininveſtigabilis, immutabilis, Creator omnium, Salvator omnium; qui remittis peccata noſtra, qui redimis ab interitu vitam noſtram, qui coronas nos in miſericordia & miſerationibus. Tu es quem laudant Angeli, & adorant Archangeli; tu es cui benedicunt Principatus, ad quem clamant Dominationes; tu es cujus gloriam celebrant Poteſtates; tu es cui Throni ſurſum mittunt gloriam & honorem: millia millium aſſiſtunt coram te, & dena millia denum millium miniſtrant tibi. Tu es quem benedicunt inviſibiles, quem adorant viſibiles, & omnes faciunt verbum tuum, Domine noſter.

Diaconus. Qui ſedetis ſurgite.

Sacerdos. Æterne Domine, Deus verus de Deo vero, qui oſtendiſti nobis lumen Patris, qui largitus es nobis cognitionem veritatis Spiritus ſancti; qui manifeſtaſti nobis myſterium hoc magnum vitæ: qui conſtituiſti chorum incorporeorum inter homines: qui dediſti eis qui ſunt ſuper terram, canticum Seraphim, ſuſcipe voces noſtras, cum vocibus eorum qui ſunt inviſibiles. Connumera nos inter Poteſtates cœleſtes, ut dicamus cum illis, abjicientes omnes cogitationes abſurdas & inutiles, clamemuſque idem quod illi dicunt inceſſabili voce, atque ore indeſinenti, benedicamus magnitudinem tuam.

Diaconus. Ad Orientem aſpicite.

Sacerdos. Tu es enim cui aſſiſtunt Cherubim & Seraphim ſenis alis inſtructi: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus alis velant facies ſuas, duabus tegunt pedes ſuos, & duabus volant: clamanteſque alter ad alterum, dicunt hymnum trium-

Digitized by Google

phalem salutis nostræ, & vocibus glorioſis laudant clamantes & dicentes.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus Dominus, & Sanctus in rebus omnibus, & præclarum lumen ſubſtantiæ tuæ, ſicut ineffabilis eſt poteſtas ſapientiæ tuæ, nec verbis explicari poteſt pelagus amoris tui erga homines. Creaſti me hominem per benignitatem tuam, neque indigebas mea ſervitute, ſed ego indigebam dominatione tua: propter clementiam tuam magnam, feciſti me cùm non eſſem: erexiſti mihi cœlos in tectum: firmaſti mihi terram ut ſuper eam ambularem: propter me concluſiſti mare, propter me produxiſti naturam animalium, & omnia ſubjeciſti ſub pedibus meis, nec paſſus es deeſſe mihi quidquam ex operibus magnificentiæ tuæ: qui me creaſti, poſuiſti manum tuam ſuper me: deſcripſiſti in me imaginem poteſtatis tuæ: dediſti mihi donum rationis: aperuiſti mihi paradiſum voluptatis: dediſti mihi ſcientiam cognitionis tuæ: manifeſtaſti mihi arborem vitæ: oſtendiſti mihi ſpinam mortis, ne ex ea comederem: mihi interdixiſti, ex ea ſolâ ne ederem: comedi voluntariè; ſponte neglexi mandatum tuum, contemſique præcepta tua; atque induxi mihi ſententiam mortis.

Populus. Kyrie eleiſon. Domine miſerere.

Sacerdos. Tu Domine convertiſti mihi pœnam in ſalutem; ſicut paſtor bonus errantem ſollicitè quæſiviſti: tanquam pater verus laboraſti mecum qui ecciderat: alligaſti me omnibus medicamentis vivificantibus: tu miſiſti ad me Prophetas: propter me infirmum, dediſti mihi legis auxilium: tu adminiſtraſti mihi ſalutem, at ego tranſgreſſus ſum legem tuam, quæ eſt lumen verum, quod accendiſti errantibus & ignorantibus.

Populus. Domine miſerere.

Sacerdos. Tu qui es ſempiternus, veniſti ad nos ſuper terram, deſcendiſti in uterum Virginis, Deus incircumſcriptus; non rapinam arbitratus es eſſe æqualem Deo, ſed humiliaſti teipſum, & accepiſti formam ſervi, benedixiſtique naturam meam in te: perfeciſti legem tuam pro me, oſtendiſti mihi rationem reſurgendi poſt lapſum: liberaſti eos qui apud inferos detinebantur: ſuſtuliſti maledictionem legis: deſtruxiſti

Digitized by Google

peccatum in carne : oſtendiſti mihi potentiam imperii tui : dediſti viſum cæcis : excitaſti mortuos de ſepulcris : reſuſcitaſti naturam verbo : manifeſtaſti mihi diſpenſationem clementiæ tuæ ; toleraſti injurias iniquorum ; præbuiſti tergum verberibus, & genas tuas percuſſoribus permiſiſti ; propter me Domine, non avertiſti vultum tuum ab ignominia ſputorum.

Populus. Domine miſerere.

Sacerdos. Veniſti ad occiſionem tanquam agnus, uſque ad crucem : demonſtraſti ſollicitudinem tuam erga me : occidiſti peccatum meum per ſepulturam tuam : elevaſti primitias meas uſque ad cœlos : manifeſtaſti mihi adventum tuum futurum, in quo venturus es judicare vivos & mortuos, ut reddas unicuique ſecundùm opera ſua.

Populus. Secundùm miſericordiam tuam, Deus, &c.

Sacerdos. Offero tibi, Domine, ſymbola liberationis meæ : ſcribo opera mea ſecundum verba tua : Tu es qui dediſti mihi hoc miniſterium plenum myſterio : dediſtique mihi participationem corporis tui in pane & vino.

Πιστώομεν. *Populus.* Credimus.

Sacerdos. Nam ea nocte in qua tradi voluiſti, voluntate & poteſtate tua ſola, accepiſti panem in manus tuas ſanctas, puras, immaculatas, beatas & vivificantes.

Populus. Credimus ita eſſe.

Sacerdos. Et ſuſpexiſti in cœlum ad Patrem tuum Deum, ac Dominum omnium, & gratias egiſti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixiſti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et ſanctificaſti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et fregiſti illum, & dediſti illum, tuis glorioſis diſcipulis ſanctis, & Apoſtolis puris dicens : Accipite, manducate ex eo omnes : Hoc eſt enim corpus meum quod frangitur pro vobis, & pro multis dabitur, in remiſſionem peccatorum : hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Ita eſt in rei veritate. Amen.

Sacerdos. Similiter poſtquam comederunt, accepiſti calicem, & miſcuiſti eum ex fructu vitis & aquâ ; & gratias egiſti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixiſti illum.

Digitized by Google

Populus. Amen.

Sacerdos. Et ſanctificaſti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et guſtaſti, & dediſti illum tuis glorioſis diſcipulis ſanctis, & Apoſtolis puris dicens: Accipite, bibite ex eo omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui effunditur pro vobis, & pro multis datur in remiſſionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Ita quoque eſt in rei veritate.

Sacerdos. Quotieſcumque enim manducaveritis ex hoc pane, & biberitis ex hoc calice, annunciabitis mortem meam & confitebimini reſurrectionem meam, & mei memoriam facietis, donec veniam.

Populus. Mortem tuam, Domine, annunciamus & ſanctam reſurrectionem tuam, & aſcenſionem confitemur; te laudamus, tibi gratias agimus, & te deprecamur, Domine Deus noſter.

Sacerdos. Et nunc etiam, Domine, memoriam agimus, deſcenſus tui ad terram, & mortis tuæ vivificantis, & ſepulturæ tuæ triduanæ, & reſurrectionis à mortuis, & aſcenſionis ad cœlos, & ſeſſionis tuæ ad dexteram Patris tui, & adventus tui ſecundi de cœlis, tremendi & glorioſi: offerimuſque tibi hæc dona tua, ex iis quæ tua ſunt, pro omnibus, & propter omnia, & in omnibus.

Diaconus. Adorate Deum cum timore & tremore.

Sacerdos. Tu Domine voce tua ſolâ commuta, hæc quæ ſunt propoſita; tu coram nobis poſitus, perfice nobis hoc miniſterium plenum myſteriis: inſere in nobis memoriam miniſterii tui ſancti: mitte ſuper nos gratiam Spiritus tui ſancti, qui ſanctificet, & transferat hæc dona propoſita in corpus & ſanguinem ſalutis noſtræ. Et hunc quidem panem, facias corpus tuum ſanctum, Domine Deus, & Salvator noſter Jeſu Chriſte, quod datur in remiſſionem peccatorum & vitam æternam illis qui ex illo communicant. Et rurſus, hunc calicem, ſanguinem pretioſum Teſtamenti tui novi, Domine Deus, & Salvator noſter Jeſu Chriſte, datum in remiſſionem peccatorum & in vitam æternam communicantibus ex eo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Itaque rogamus te Chriſte Deus noſter, confirma fundamenta Eccleſiæ: concordiam caritatis in nobis radicitùs

Digitized by Google

inſere : augeatur puritas fidei : præpara nobis viam rectam pietatis : paſtores corrobora : eorum greges confirma : da mores rectè compoſitos Clero, Monachis continentiam, Virginibus puritatem, conjugatis concordiam, miſericordiam illis qui in pœnitentia ſunt, benignitatem divitibus, modeſtiam iis qui in dignitate ſunt, auxilium pauperibus : ſenes robora : juvenes erudi : infideles converte : ceſſent ab Eccleſia ſchiſmata : deprime ſuperbiam hæreſeon, & nos omnes ad concordiam pietatis adunare digneris.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus. Orate pro pace unius, Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ.

Sacerdos. Memento Domine pacis, unicæ, ſanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ tuæ, quæ eſt à finibus uſque ad fines terræ, & eorum qui rectè diſpenſant in ea verbum veritatis.

Diaconus. Orate pro Pontifice noſtro Papa Anba N. D. Archiepiſcopo magnæ urbis Alexandriæ, & pro Orthodoxis Epiſcopis.

Sacerdos. Præſertim vero Patriarchæ noſtri Patris venerabilis Anba N. & Patris noſtri Epiſcopi Anba N. & eorum qui hîc adſunt, & qui requieverunt, Epiſcoporum, Hegumenorum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Exorciſtarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Continentium, Orphanorum, Laicorum, & omnium fidelium Eccleſiæ tuæ ſanctæ.

Diaconus. Orate pro Rege noſtro Chriſtum amante.

Sacerdos. Memento Domine, eorum qui regnaverunt cum pietate, & eorum qui regnant.

Diaconus. Memento Domine, fidelium fratrum noſtrorum.

Sacerdos. Memento Domine, fidelium fratrum noſtrorum Orthodoxorum, qui ſunt in palatio, & omnis exercitûs.

Diaconus. Orate pro iis qui ſunt in palatio fratribus noſtris fidelibus, & Orthodoxis, & pro univerſo exercitu.

Sacerdos. Memento Domine, eorum qui tibi obtulerunt hæc dona, & eorum qui pro ſe obtulerunt, & eorum pro quibus oblata ſunt : concede omnibus mercedem è cœlo.

Diaconus. Orate pro iis qui obtulerunt.

Sacerdos. Memento Domine, habitantium in montibus & cavernis : & fratrum noſtrorum qui ſunt in captivitate : concede

Digitized by Google

concede illis ut pacifice ad ſua domicilia revertantur.

Diaconus. Orate pro captivis.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus. Adorate agnum Verbum Dei.

Sacerdos ſecretò. Memento, Domine, tenuitatis meæ & remitte mihi peccata mea, ut ubi abundavit iniquitas, ibi ſuperabundet gratia tua: neque propter peccata mea propria, & propter maculas cordis mei deprives populum tuum gratiâ Spiritus ſancti tui.

Populus. Miſerere noſtri, Deus Salvator noſter.

Sacerdos alta voce. Quia populus tuus & Eccleſia tua, te obſecrant & Patrem tuum tecum, dicentes, Miſerere noſtri, Deus Salvator noſter. Concede populo tuo cor unum: da tranquillitatem mundo: temperiem bonam aëri: dignare, Domine, benedicere hoc anno ventos cœli & fruges terræ. Dignare, Domine, benedicere aquas fluminis, aſcendere eas fac juxta menſuram ſuam, ſecundum gratiam tuam. Lætifica faciem terræ, &c. *Ex Liturgiâ Baſilii.*

Infirmis ſanitatem: indigentibus ſolatium: liberationem captivis concede: ſuſcipe ad te orphanos. auxilium da viduis: eos qui anguſtiantur, bonis ſuſtenta: eos qui ceciderunt erige: ſtantes confirma: defunctorum memento: eorum qui in confeſſione ſunt, deprecationes ſuſcipe: pœnitentes numera cum fidelibus tuis, & fideles tuos cum martyribus tuis: & eos qui hîc adſunt, ſimiles effice Angelis tuis: nos quoque qui licet indigni ad miniſterium tuum, per gratiam tuam vocati ſumus, ad te ſuſcipe.

Kyrie eleiſon *alta voce.*

Sacerdos. Memento, Domine, ſalutis hujus loci ſancti tui, & omnium locorum, & omnium monaſteriorum Patrum noſtrorum Orthodoxorum, & omnium civitatum totius provinciæ & regionis, & omnis pulcritudinis ejus; & nos omnes libera à fame, à peſte, à terræ motibus, ſubmerſione, naufragio & incendio; à captivitate barbarorum, à gladio extraneo, & ab inſurrectione hæreticorum.

Dignare, Domine, recordari omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio, Patrum noſtrorum ſanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, & eorum qui Evangelium annunciaverunt Eccleſiæ tuæ, & omnium ſpirituum juſtorum qui

Digitized by Google

conſummati, defuncti ſunt in fide. Præcipuè verò ſanctæ, gloria plenæ ſemper Virginis, Genitricis Dei ſanctæ Mariæ, & ſancti Joannis Præcurſoris, Baptiſtæ & Martyris, & ſancti Stephani Protodiaconi & Protomartyris, & contemplativi, Deumque videntis Evangeliſtæ Marci Apoſtoli ſancti & Martyris; & Patriarchæ noſtri ſancti Severi; & Doctoris noſtri Dioſcori, ſancti Cyrilli, ſancti Baſilii, ſancti Gregorii, ſancti Joannis Chryſoſtomi, ſancti Athanaſii Apoſtolici; & Dominorum noſtrorum Patrum juſtorum, magni Abbatis Antonii, & pii ſancti Abbatis Pauli, & trium Macariorum, totiuſque chori Sanctorum tuorum, quorum precibus & interceſſionibus, miſerere omnium noſtrûm, & nos omnes libera propter nomen tuum ſanctum quod invocatum eſt ſuper nos.

Sacerdos ſecretò. Memento, Domine, patrum & fratrum noſtrorum qui pridem obdormierunt in fide Orthodoxa: da illis omnibus requiem, cum ſanctis tuis, & cum iis quorum nomina commemorata ſunt.

Sacerdos poſt Diptycha dicet. Memento, Domine, eorum quorum memoriam fecimus fidelium, & eorum quorum non meminimus Orthodoxorum, & noſtri quoque cum illis, ô bone amator, hominum Deus.

Populus. Remitte, parce, condona nobis, Deus, offenſas noſtras quas commiſimus voluntariè aut involuntariè, ſcienter vel ignoranter: Domine, dimitte illas nobis.

Sacerdos. Tu es enim Deus miſericors qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Converte nos, Domine, per ſalutem tuam, & fac nobiſcum ſecundùm bonitatem tuam; tu qui efficis plura quam petimus aut intelligimus: ut in hoc, ſicut & in omnibus, glorificetur, benedicatur, & extollatur nomen tuum magnum, ſanctiſſimum, glorioſum & benedictum, cum Patre tuo bono, & Spiritu ſancto.

Pax omnibus.

Domine, Salvator noſter, amator hominum bone, qui vivificas animas noſtras, qui tradidiſti te ipſum pro nobis, in ſalutem pro peccatis noſtris: qui in multitudine miſericordiæ tuæ ſolviſti inimicitias hominum: Unigenitus Deus, qui es in ſinu Patris.

Kyrie eleiſon. Benedic. Amen.

Sacerdos. Qui benedixiſti illo tempore, benedic nunc.

Populus. Amen.

Digitized by Google

Sacerdos. Qui ſanctificaſti illo tempore, ſanctifica nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui diviſiſti illo tempore, divide nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui dediſti tuis diſcipulis ſanctis & Apoſtolis puris illo tempore, nunc, Domine, da nobis, & omni populo tuo omnipotens Domine Deus noſter.

Diaconus. Orate.

Oratio fractionis ad Filium.

BEnedictus es, Chriſte Deus omnipotens, Salvator Eccleſiæ tuæ: Verbum intelligibile & homo viſibilis, qui per incarnationem tuam incomprehenſibilem, præparaſti nobis panem cœleſtem, corpus hoc tuum ſanctum in myſterio, omnibus modis ſanctum. Miſcuiſti nobis calicem ex fructu vitis veræ, quæ eſt latus divinum tuum & immaculatum, ex quo poſtquam tradidiſti ſpiritum, manavit nobis ſanguis & aqua, quæ mundum univerſum purificaverunt. Acquire nos tibi, ô bone, ſervos tuos: nos indignos fac tibi populum congregatum, regnum, ſacerdotium & populum electum. Purifica nos, Domine, ſicut ſanctificaſti has oblationes propoſitas, & feciſti illas inviſibiles ex viſibilibus, & myſteria tibi ſoli cognita, Domine Deus & Salvator noſter Jeſu Chriſte. Tu per clementiam tuam magnam feciſti nos dignos filiatione per baptiſmum ſanctum, & docuiſti nos formam orationis myſticæ, ut per eam invocaremus Patrem tuum. Tu nunc, Domine, fac nos dignos, ut conſcientiâ mundâ & cogitatione bonâ, quemadmodum decet filios, cum deſiderio & fiducia, audeamus invocare Deum Patrem tuum ſanctum qui eſt in cœlis & dicamus. Pater noſter, &c.

Oratio poſt Pater noſter.

ETiam, Domine, qui dediſti nobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & omnem virtutem inimici, contere capita ejus ſub pedibus noſtris velociter, & repelle à nobis omnes ejus cogitationes malas, contrarias nobis: tu es enim Rex omnium noſtrûm, Chriſte Deus noſter: & tu es cui mittimus laudem, &c.

Sacerdos dicit Orationem inclinationis.

Diaconus. Inclinate capita veſtra Domino.

Digitized by Google

TU, Domine, inclinaviſti cœlos & deſcendiſti, & incarnatus es propter ſalutem generis humani: tu ſedes ſuper Cherubim & Seraphim, reſpiciſque humiles. Tu nunc, Domine, cum levamus oculos cordium noſtrorum ad te, Domine, qui remittis iniquitates noſtras, qui redimis de interitu vitam noſtram; adoramus miſericordiam tuam inenarrabilem, rogamuſque te, ut concedas nobis pacem tuam. Omnia nobis dediſti, acquire nos tibi, ô Deus; neque enim alium novimus præter te, & nomen tuum ſanctum pronunciamus. Converte nos, Deus, ad timorem tuum, & deſiderium tui; & concede ut perveniamus ad fruitionem bonorum tuorum. Et qui inclinaverunt capita ſua ſub manu tua, extolle eos in hujus vitæ decurſu: orna eos virtutibus, & præſta ut omnes digni ſimus regno tuo cœleſti, per beneplacitum Dei Patris tui boni, cum quo tu es benedictus, & cum Spiritu ſancto vivificante, tibique conſubſtantiali, nunc, &c.

Sacerdos dicet Orationem Abſolutionis ad Filium. Domine Jeſu Chriſte Fili unigenite, &c. *ut in Liturgia ſancti Baſilii.*

Sacerdos dicit Confeſſionem.

Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν. Ἀμήν.

Corpus ſanctum & ſanguis pretioſus Jeſu Chriſti Filii Dei noſtri. Amen.

Populus. Amen.

Ἅγιον τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν. Ἀμήν.

Sanctum & pretioſum corpus & ſanguis verus Jeſu Chriſti Filii Dei noſtri. Amen.

Hæc Coptice dicuntur.

Corpus & ſanguis Emmanuelis Dei noſtri, hoc eſt in rei veritate. Amen.

Credo, credo, credo & confiteor uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, hoc eſſe corpus vivificum, quod accepiſti, Chriſte Deus noſter, ex Domina omnium noſtrûm, Deipara, pura, ſancta Maria, feciſtique illud unum cum divinitate tua, abſque confuſione, commiſtione, aut alteratione: & confeſſus es confeſſionem bonam coram Pontio Pilato. Dediſti illud pro nobis ſuper lignum ſanctum crucis, voluntate tuâ ſolâ, pro nobis omnibus. Credo divinitatem tuam ſeparatam non fuiſſe ab humanitate tua, ne momento quidem aut nictu oculi. Dediſti eam pro nobis ad ſalutem, remiſſionem peccatorum & vitam æternam iis qui ex illo communicabunt. Credo hoc vere ita eſſe.

Digitized by Google

Oratio gratiarum actionis post Communionem.

GRatias agimus tibi, Christe Deus, verbum verum ex substantia pura Patris: quia talem in modum dilexisti nos, & tradidisti te ipsum ad immolationem pro salute nostra; & largitus es nobis vitam, per corpus tuum sanctum, & sanguinem tuum pretiosum, quorum participatione nos modo dignatus es. Ea propter gratias agimus tibi, amator creaturæ tuæ, & mittimus tibi sursum gloriam, honorem & adorationem, cum Patre tuo bono, & Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc, &c.

Oratio inclinationis post Communionem.

QUi est & fuit, (æternus) qui venit atque iterum veniet, qui incarnatus & homo factus est, crucique affixus est propter nos: passus est propriâ voluntate in corpore, cum esset impassibilis tanquam Deus; involutus est & positus in sepulcro, surrexit à mortuis tertiâ die, & ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram majestatis Patris, & iterum venturus est judicare vivos & mortuos: quem benedicunt Angeli & laudant Archangeli, cujus gloriam loquuntur Seraphim, quem adorant Cherubim, quem timent & tremunt omnes naturæ, Filius, Verbum Dei Patris, Jesus Christus Dominus noster. Tu es cui inclinat se populus tuus & hæreditas tua, quam acquisivisti sanguine tuo pretioso. Aspice nos omnes, Domine, de cœlo sancto tuo, & ex habitaculo tuo præparato: benedic servis tuis, per omnes benedictiones spirituales: custodi eos sub potenti manu tuâ: confirma eos in fide tuâ. Da illis & nobis, puritatem animarum, corporum, spirituumque nostrorum, & concede nobis finem Christianum qui coram te acceptus sit: quia regnum tuum, Christe Deus noster, sanctitate & gloriâ plenum est, quod nos omnes consequi speramus, per intercessionem Dominæ omnium nostrûm, sanctæ genitricis Dei, semperque Virginis Mariæ: & quatuor lucidorum Michaëlis, Gabrielis, Raphaëlis, & Surielis: & quatuor animalium incorporeorum: & viginti quatuor Presbyterorum, Cherubim & Seraphim, & Ordinum cœlestium: & per orationes Patriarcharum & Prophetarum: Joannis-Baptistæ, & centum quadraginta quatuor millium; dominorum nostrorum Apostolo-

Digitized by Google

rum, & primi Diaconorum Stephani: & D. Regis Georgii, totius chori martyrum, & chori cruce ſignatorum, piorum, juſtorum, virginum prudentum, & puerorum. Benedictio Angeli diei iſtius: benedictio Genitricis Dei Sanctæ Mariæ patronæ iſtius Eccleſiæ, & hujus diei quo ejus memoria celebratur: benedictiones eorum ſanctæ, gratiæ, virtutes, dona, auxilia, patientia & caritas eorum, ſint nobiſcum uſque in ſæculum. Amen.

Alia Oratio Gratiarum actionis.

GRatias agimus tibi Pater noſter ſancte omnipotens, omnia præſtans, creator omnium, qui dediſti nobis hunc cibum ſanctum, immortalem, myſticum; qui aperuiſti nobis viam vitæ, qui oſtendiſti nobis ſemitam quâ aſcenderemus ad cœlum, qui largitus es ſervis tuis multitudinem bonorum: tu, Domine bone amator hominum, conſerva gratiam doni tui in nobis, ut non ſit nobis ad condemnationem, ſed ſit requies, gloria, acquiſitio vitæ, confirmatio animæ & puritas corpori, ut vivamus in te, & adimpleamus juſtitiam omni tempore: ut glorificetur nomen tuum in nobis, & tibi debetur honor, gloria, &c.

LITURGIA
SANCTI CYRILLI.

Sacerdos ſecretò. CREATOR rerum omnium viſibilium & inviſibilium, qui omnia per providentiam regis, tua enim ſunt omnia, Domine, amator animarum: deprecor te, Domine omnipotens, ego imbellis, virtute carens, & inutilis præ omnibus miniſtris tuis, dum accedo ad ſancta ſanctorum tua, ad tractandum hoc myſterium ſanctum. Da mihi, Domine, ſpiritum tuum ſanctum, ignem materiæ expertem, qui cogitatione comprehendi non poteſt; qui duritias omnes conſumit, qui incendit inventiones malas, & occidit membra terrena & corporea, refrænatque motus animi, qui impellunt ad imaginationes plenas paſſione & dolore: Et ſicut decet ſacerdotes: effice me ſuperiorem omni cogitatione mortali, & da mihi verba pura, ut

Digitized by Google

perficiam hanc oblationem propositam, quæ est mysterium omnium mysteriorum, in societate & communione Christi tui, cui tecum debetur gloria, & Spiritui sancto vivificanti, tibique consubstantiali nunc &c.

Oratio pacis S. Cyrilli.

Sacerdos. AUTOR vitæ & rex sæculorum, Deus cui flectitur omne genu eorum quæ in cœlis sunt, super terram, & quæ sub terrâ: cui omnia subjiciuntur obsequio servitutis, & inclinantur sub sceptro Regni ejus, quem laudant exercitus angelici, ordines cœlestes, & naturæ intellectuales, incessabili voce loquentes divinitatem ejus: qui ita voluisti, ut nos imbelles & terreni, ministraremus tibi, non propter puritatem manuum nostrarum, aut aliquod bonum opus nostrum super terram, sed quia placuit tibi communicare nobis servis tuis infimis & indignis, quiddam ex puritate tuâ. Suscipe nos ad te, ô bone, & amator hominum, ut accedamus ad altare tuum sanctum, secundum magnam misericordiam tuam: & fac nos dignos pace cœlesti quæ decet divinitatem tuam: quæque salute plena est, ut demus eam invicem in caritate perfectâ, & osculemur nos mutuò, in osculo sancto, neque per cogitationes abominabiles, despectui habeamus timorem tuum, aut mente dolosâ & malitiâ proditoris: neque conscientiam habentes nequitiæ consentientem, sed cum gaudio animarum nostrarum & lætitiâ cordis nostri, cum sit nobis signum magnum & perfectum dilectionis Unigeniti Filii tui. Ne repellas nos servos tuos propter maculas peccatorum nostrorum: tu enim qui creasti figmentum nostrum, scis quod nullus natus ex muliere sit, qui non peccet coram te. Fac nos omnes dignos, Domine, ut corde puro & animâ plenâ gratiæ tuæ, stemus coram te, & offeramus tibi hoc sacrificium sanctum, rationale, spirituale, & incruentum, ad remissionem delictorum nostrorum, & veniam ignorantiarum populi tui: quia tu es Deus clemens & misericors, & ad te sursum mittimus gloriam, honorem, & adorationem, Pater, Fili, & Spiritus sancte nunc & semper &c.

Alia Oratio osculi pacis ad Patrem.

DEus caritatis, largitor concordiæ, qui consilium unicum ad profectum dedisti nobis, cum præcepto novo, per Unigenitum filium tuum, ut diligeremus alterutrum,

Digitized by Google

ſicut dilexiſti nos indignos & errantes, dediſtique filium tuum dilectum pro vitâ & ſalute noſtrâ: rogamus te, Domine, tribue nobis famulis tuis omni tempore vitæ noſtræ ſuper terram, nunc verò præſertim & præcipuè, animum immemorem malitiæ prioris, conſcientiam puram, & cogitationes ſinceras, ſimulque cor diligens fratres, ut demus oſculum ſpirituale, fugiamuſque exemplum Judæ proditoris, & quemadmodum diſcipuli tui & Apoſtoli ſancti, ſalutemus invicem, & in ſanctitate ſanctificemur & mundemur, mediante Spiritu ſancto tuo, per gratiam unigeniti filii tui &c.

Anaphora S. Cyrilli.

Sacerdos. Dominus vobiſcum.
Populus. Et cum Spiritu tuo.
Sacerdos. Surſum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum & juſtum eſt.
Sacerdos. Dignum & juſtum eſt, quia tu verè dignus es juſtum & ſanctum, conveniens & neceſſarium, animabus, corporibus, ſpiritibuſque noſtris, æterne Domine, Domine Deus Pater omnipotens, ſemper & in omni loco dominationis tuæ, ut laudem te, pſallam tibi, benedicam tibi, ſerviam tibi, adorem te, gratias agam tibi, celebrem te & confitear tibi die ac nocte, labiis indeſinentibus, corde nunquam ſilenti, & laude non interrupta. Tu creaſti cœlos & quæ in cœlis ſunt, terram & omnia quæ in eâ ſunt, maria, flumina, fontes, & paludes, & quæcumque in eis ſunt. Tu creaſti homínem ad imaginem & ſimilitudinem tuam, & omnia creaſti in ſapientiâ tuâ, in lumine tuo vero, unigenito filio tuo, Domino, Deo, Salvatore & Rege noſtro Jeſu Chriſto; propter quod gratias agimus tibi & offerimus tibi, eique ſimul & Spiritui ſancto, Trinitati ſanctæ, conſubſtantiali & indiviſæ, hoc ſacrificium rationabile & hoc miniſterium incruentum, quod offerunt tibi omnes populi ab ortu ſolis uſque ad occaſum; à ſeptemtrione ad auſtrum, quia nomen tuum, Domine, magnum eſt in omnibus gentibus & in omni loco offerunt incenſum nomini tuo ſancto, & ſacrificium purum, ſimul cum hoc ſacrificio & hâc oblatione,

Sacerdos

Digitized by Google

Sacerdos accipit thuribulum & adolet incensum.

DOmine miserere. Rogamus & obsecramus bonitatem tuam, amator hominum. Memento, Domine pacis, unius, unicæ, sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ.

Diaconus. Orate pro pace unius, sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, pro salute populorum, & securitate cujuscumque loci, & ut dimittantur nobis peccata nostra.

Sacerdos. Quæ est à finibus ad fines terræ &c. *ut in Missa Basilii.*

Domine miserere. Infirmos populi tui sana.

Diaconus. Orate pro patribus & fratribus nostris.

Sacerdos. Visita eos in misericordiâ. *Et perficitur ex oratione incensi diluculo diei.* Patres fratresque nostros peregrè profectos.

Diaconus. Orate pro patribus, fratribusque nostris peregrè profectis.

Sacerdos. Et pro illis qui designaverunt ad quemcumque locum proficisci &c. *Perficitur ex eâdem oratione incensi.* Serenum & salubrem præsta, Domine, aërem cœli, & fructibus terræ benedic.

Diaconus. Orate pro aëre cœli & fructibus.

Sacerdos. Fac ut crescant juxtà virtutem suam. *Ut in Missa Basilii.*

Domine, miserere Regis terræ famuli tui.

Diaconus. Orate ut Christus Deus noster &c.

Sacerdos. Conserva illum in pace & justitiâ, & potentiâ ut subjiciantur illi omnes barbari, & gentes quæ bella volunt: da nobis bonorum affluentiam: loquere ad cor ejus, pro pace unicæ tuæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ: fac ut cogitet ea quæ pacis sunt, erga nos & erga nomen tuum sanctum, ut vitam tranquillam & placidam ducamus: atque in omni pietate & honestate confirmati inveniamur apud te.

Domine miserere. Patribus, fratribusque nostris, qui obdormierunt, & quorum animas suscepisti, quietem præsta. Memento etiam omnium sanctorum qui à sæculo tibi placuerunt, Patrum nostrorum sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Prædicatorum, & omnium spirituum justorum qui in fide perfecti fuerunt. Præcipuè autem sanctæ glorioſiſſi-

Digitized by Google

mæ, Deiparæ, ſemper Virginis, puræ & illibatæ ſanctæ Mariæ. &c. *Ex Miſſa Baſilii.* & omnis chori ſanctorum tuorum.

Sacerdos. Tono Jobi. Et nos, Domine, digni non ſumus qui pro beatis illis ſupplicemus: ſed quoniam illi ſtant coram ſolio Filii tui unigeniti, ipſi intercedant loco noſtro pro paupertate & infirmitate noſtrâ. Dimitte iniquitates noſtras, propter deprecationes eorum, & propter nomen tuum benedictum quod invocatum eſt ſuper nos.

Diaconus. Orate pro patribus &c.

Sacerdos. Memento, Domine, Patrum noſtrorum Orthodoxorum Archiepiſcoporum, quorum obitus præceſſit, eorum qui verbum veritatis rectè diſpenſaverunt, & da nobis partem, & hæreditatem cum eis. Rurſus eorum memento quorum hodiè memoriam facimus.

Sacerdos poſt Diptycha. Et illorum, omniumque, Domine, quorum nomina recitamus, & quorum non recitamus: quos unuſquiſque noſtrûm in mente habet, & eorum quorum memoria non occurrit nobis, qui dormierunt, & quieverunt in fide Chriſti. Dignare, Domine, præſtare, ut requieſcant animæ illorum omnes in ſinu patrum noſtrorum ſanctorum Abraham, Iſaac & Jacob &c.

Domine miſerere.

Sacerdos. Sacrificia, oblationeſque in gratiarum actionem, eorum qui offerunt laudem & gloriam nomini tuo ſancto.

Diaconus. Orate pro illis qui de ſuo, ſacrificia & oblationes fecerunt.

Sacerdos. Suſcipe ea ſuper altare tuum ſpirituale, cœleſte, cum odore thuris, ad majeſtatem tuam cœleſtem, per miniſterium Angelorum, & Archangelorum tuorum ſanctorum, ſicut ad te ſuſcepiſti munera juſti Abel, & ſacrificium patris noſtri Abrahami, & minuta duo viduæ. Ita quoque vota ſervorum tuorum accepta habe: ſive multum, ſive parum ſit; ſecretò aut manifeſtè; & illis qui voluerunt offerre, nec unde facerent habuerunt: ut etiam illis qui hodiè hæc tibi munera obtulerunt, da incorruptibilia pro corruptibilibus: cœleſtia pro terrenis: æterna pro temporalibus: domos eorum & cellas penuarias reple bonis omnibus. Circumda eos, Domine, poteſtate Angelorum & Archangelorum tuorum ſanctorum: & ſicut memores fuerunt nominis tui ſancti ſuper terram, memento illorum in regno tuo, & in

Digitized by Google

hoc sæculo ne derelinquas eos.

Domine miserere.

Diaconus. Orate pro vitâ & incolumitate Patriarchæ & Patris nostri venerabilis, Archiepiscopi Patris N. ut Christus Deus noster conservet vitam ejus ad multos annos, ac temporibus tranquillis.

Sacerdos. Patriarcham nostrum venerabilem Patrem Anba N. custodiendo conserva nobis ad multos annos, & per tranquilla tempora, ut adimpleat perfectè officium sancti Pontificatus qui illi à te collatus est, secundùm voluntatem tuam sanctam & beatam, rectè dispensans verbum veritatis, & pascens populum tuum in sanctitate & justitiâ. Concede illi & nobis pacem & salutem ex quacumque parte: & preces ejus quas facit pro nobis & pro omni populo tuo, ut eas quæ pro illo à nobis fiunt, suscipe eas ad te super altare tuum rationabile, cœleste cum odore thuris. Inimicos quoque ejus omnes, visibiles & invisibiles, contere & dejice sub pedibus ejus velociter: illum quoque conserva in pace & justitiâ, in Ecclesiâ tuâ sanctâ.

Domine miserere.

Diaconus. Orate pro patribus nostris Episcopis ubicumque sint, ut Christus Deus noster conservet vitam eorum, ad multos annos, per tempora tranquilla, & parcat nobis.

Sacerdos. Memento, Domine, Episcoporum Orthodoxorum in quocumque loco sint: Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Orphanorum, continentiam exercentium, & laïcorum: illorum qui matrimonio juncti sunt, & illis qui educant filios: qui dixerunt nobis mementote nostri, & qui non dixerunt: quos novimus, & quos non novimus: inimicorum & amicorum nostrorum: Domine, eorum miserere.

Domine miserere. Memento, Domine, reliquorum Orthodoxorum qui sunt ubique terrarum.

Diaconus. Orate pro reliquis Orthodoxis qui sunt ubique terrarum: ut Christus Deus noster, sit illis propitius, & misereatur eorum, & parcat nobis.

Sacerdos. Domine miserere. Memento, Domine, hujus loci, sancti tui & omnium habitationum Patrum nostrorum Orthodoxorum.

Digitized by Google

Diaconus. Orate pro ſecuritate hujus loci & omnium locorum, Patrum noſtrorum Orthodoxorum, Eremitarum & Anachoretarum, illorumque qui habitant in eis, & pro ſecuritate totius mundi, ut Chriſtus Deus noſter conſervet eos ab omni malo, & parcat nobis.

Sacerdos. Omnes urbes, regiones, & provincias, & omnes domos fidelium conſerva, & nos omnes in fide Orthodoxâ uſque ad extremum ſpiritum: hæc enim unica ſpes noſtra eſt.

Domine miſerere. Memento, Domine, circumſtantium, qui nobiſcum deprecationis participes ſunt.

Diaconus. Orate pro circumſtantibus qui hîc participes ſunt nobiſcum deprecationis: ut Chriſtus Deus noſter conſervet eos, miſereaturque eorum, & parcat nobis.

Sacerdos. Patres & fratres noſtros, & reliquos ubicumque terrarum ſint, conſerva nobiſcum, præſidio exercitus poteſtatum ſanctarum: & libera nos à telis igneis Diaboli, & ab omnibus inſidiis diabolicis, & ab omni laqueo vanæ gloriæ.

Domine miſerere.

Sacerdos. Memento, Domine, eorum omnium qui nobis præceperunt, ut eorum memores eſſemus in orationibus & ſupplicationibus ad te noſtris.

Diaconus. Orate pro omnibus qui nobis præceperunt ut eorum memores eſſemus in orationibus & ſupplicationibus noſtris, ut Chriſtus Deus noſter liberet eos ab omni malo.

Sacerdos. Quas offerimus tibi, Chriſte Deus noſter, præſertim hoc tempore, hujus oblationis ſanctæ: quorum memoriam ſemper agimus, & quos unuſquiſque noſtrûm in mente habet, & eorum commemoratio quæ hodiè agitur, ſit ipſis tanquam murus firmus, ſuperans omnes dæmoniorum inſultus, & conſilia hominum improborum.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Sacerdos. Memento, Domine, tenuitatis meæ, & miſeriæ animæ meæ, & largire mihi, ut intelligam quantæ dignitatis ſit adſtare me ad altare tuum ſanctum. Aufer à me omnia deſideria inſipientiæ, & juventutis: neque hoc mihi grave ſit cum reſpondendum erit in die illo terribili. Libera me etiam ab omnibus operationibus poteſtatis adverſarii: neque me perdas propter iniquitates meas, neque iraſcaris mihi uſque in æternum, neque ſerves mihi mala mea, ſed oſten-

Digitized by Google

de mihi bonitatem erga me tuam, & libera me indignum, ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ ſuper me. *Tono Geneſis.* ut benedicam tibi ſemper omnibus diebus vitæ meæ.

Domine miſerere. Memento, Domine, confeſſus hujus ſacerdotalis ſancti tui, & omnis Ordinis ſacerdotalis Orthodoxi.

Diaconus. Orate pro hâc ſanctâ congregatione ſacerdotali, & pro omni Ordine ſacerdotum Orthodoxorum, ut Chriſtus Deus noſter confirmet illos in fide Orthodoxâ uſque ad extremum ſpiritum.

Sacerdos. Et omnis ordinis ſacerdotalis Orthodoxorum & univerſi populi qui ſtat coram te. Memento noſtri, Domine, Domine, in miſericordiâ & miſerationibus, & dele iniquitates noſtras, ô bone, amator hominum Deus. Eſto ſocius nobiſcum, ut miniſtremus nomini tuo ſancto.

Domine miſerere. Benedic congregationibus noſtris.

Diaconus. Orate pro hâc congregatione noſtrâ & pro omni congregatione populorum Orthodoxorum, ut Chriſtus Deus noſter benedicat & perficiat illos in pace & remittat nobis peccata noſtra.

Sacerdos. Cultum idolorum prorſus ex mundo extermina: ſatanam & omnes poteſtates ejus peſſimas contere & deprime ſub pedibus noſtris velociter: ſcandala & eorum autores compeſce, ut finiantur diviſiones pernicioſæ hæreſeon: hoſtium Eccleſiæ tuæ ſanctæ, Domine, ut ſemper, ita etiam nunc deſtrue ſuperbiam cordis: fac illis notam velociter imbecillitatem ſuam: reprime eorum invidiam, fraudes & machinationes, & calumnias quibus nos impugnant: eaſque redde omnes inutiles: diſſipa conſilia eorum, Deus, qui diſſipaſti conſilium Achitophel. Exurge, Domine Deus, & diſſipentur omnes inimici tui, & fugiant à facie tuâ omnes qui oderunt nomen tuum ſanctum, & populus tuus in benedictionibus millies millenis, & decies millies decies millenis, faciat voluntatem tuam.

In Cod. Scalig. & aliis aliquot ad unamquamque particulam interſeritur Kyrie eleiſon.

Diaconus. Qui ſedetis, ſurgite.

Sacerdos. Solve captivos: ſalva eos qui neceſſitatem patiuntur: eſurientes ſatia: conforta puſillanimes: lapſos erige: ſtantes confirma: errantes converte: perduc eos omnes ad viam ſalutis tuæ: numera illos omnes cum populo tuo: libera nos à peccatis noſtris: eſto, Domine, nobis cuſtos & protector in omnibus.

Digitized by Google

Diaconus. Ad Orientem aſpicite.

Sacerdos. Tu es Deus excelſus ſuper omnes principatus & poteſtates, dignitates & dominationes, & ſuper omne nomen, quod nominari poteſt, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: tu es coram quo aſſiſtunt mille milleni & decies millies, decies mille milleni Angeli & Archangeli ſancti, tibi miniſtrantes. Tibi aſſiſtunt coram, duo animalia glorioſiſſima ſex alis inſtructa, plena oculis, Seraphim & Cherubim: duabus alis tegunt facies ſuas, propter divinitatem tuam inviſibilem, nec mente comprehenſibilem: duabus tegunt pedes ſuos & duabus volant:

Hic ſignat propoſita ſemel.

Sacerdos altâ voce. Unuſquiſque eorum ſemper te ſanctificat: ſed & cum omnibus qui te ſanctificant, ſuſcipe quoque ſanctificationem noſtram à nobis, Domine, ut cum illis te laudemus, dicentes

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos. Verè pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ ſanctâ, per Filium tuum unigenitum Dominum, Deum, Salvatorem & Regem noſtrum omnium Jeſum Chriſtum. Imple hoc ſacrificium tuum, Domine, benedictione quæ à te eſt per illapſum ſuper illam ſpiritûs tui Sancti. † [a] Amen: & benedictione benedic. † [b] Amen: & purificatione purifica, Amen. Hæc dona tua veneranda propoſita coram te, hunc panem & hunc calicem. Quippè Filius tuus unigenitus Dominus, Deus, Salvator & rex noſter omnium Jeſus Chriſtus, eâ nocte quâ tradidit ſe ipſum, ut pateretur pro peccatis noſtris, antè mortem, quam propriâ ſuâ voluntate ſuſcepit pro nobis omnibus.

a Signat ſecundò.
b Signat tertiò.

Populus. Credimus.

Sacerdos. Accepit panem in manus ſuas ſanctas, immaculatas, puras, beatas, & vivificantes, & ſuſpexit in cœlum, ad te Deum Patrem ſuum, & omnium Dominum, & gratias egit.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixit illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et ſanctificavit illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et fregit illum, & dedit illum ſuis diſcipulis ſanctis, & Apoſtolis puris dicens: Accipite, manducate ex eo vos omnes, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur, &

Digitized by Google

pro multis tradetur in remiſſionem peccatorum; hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter & calicem poſt cœnam, miſcuit vino & aquâ: & gratias egit.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixit eum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et ſanctificavit eum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et guſtavit, deditque eum ſuis, præclaris, ſanctis diſcipulis, & Apoſtolis dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis effunditur & pro multis dabitur in remiſſionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotieſcumque enim manducabitis ex hoc pane, & bibetis ex hoc calice, annunciate mortem meam, & confitemini reſurrectionem meam, & memoriam mei agite, donec veniam.

Populus. Mortem tuam annunciamus, Domine.

Sacerdos. Nunc, Deus Pater omnipotens, annunciamus mortem unigeniti Filii tui Domini, Dei, Salvatoris, & regis noſtri omnium Jeſu Chriſti: & confitemur reſurrectionem ejus ſanctam, & aſcenſionem ejus ſurſum in cœlos, ſeſſionemque ejus ad dexteram tuam, ô Pater, & exſpectamus adventum ejus ſecundum, quo venturus eſt ex cœlis, terribilem & gloriâ plenum, in fine hujus ſæculi: in quo veniet ad judicandùm orbem in æquitate: & dabit unicuique ſecundùm opera ſua ſive bonum, ſive malum.

Populus. Secundùm miſericordiam tuam, Domine, & non ſecundùm peccata noſtra.

Sacerdos. Tu es coram cujus gloriâ hæc ſancta dona proponimus, ex illis quæ tua ſunt, Pater ſancte.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Sacerdos. Oramus & obſecramus bonitatem tuam amator hominum: ne confundas nos confuſione æternâ, neque rejicias nos ſervos tuos, neque repellas nos à facie tuâ, neque dicas nobis neſcio vos: ſed da aquas capitibus noſtris, & fontem lacrymarum oculis noſtris, ut ploremus die ac

Digitized by Google

nocte coram te delicta noſtra; quia nos ſumus populus tuus, & oves paſcuæ tuæ. Dele iniquitates noſtras, & remitte delicta noſtra, quæ commiſimus voluntariè aut involuntariè, ſcienter vel ignoranter, occulta & manifeſta quæ pridem agnovimus, aut quæ obliti ſumus, & quæ novit nomen tuum ſanctum. Audi, Domine, deprecationem plebis tuæ: reſpice ad ſuſpiria ſervorum tuorum: neque propter peccata mea, aut immunditias cordis mei, deprives populum tuum adventu Spiritus tui ſancti.

Populus. Miſerere noſtri, Deus pater omnipotens.

Sacerdos involvit manus ſuas velo, & ſignum crucis facit versùs populum, mox dicit altâ voce.

Populus enim tuus, & Eccleſia tua obſecrant te dicentes: *& mox reſpicit ad Orientem.*

Populus. Miſerere noſtri, Deus pater omnipotens.

Sacerdos. Miſerere noſtri, Deus pater omnipotens.

Diaconus. Adorate Deum patrem omnipotentem.

Sacerdos dicit invocationem ſecretò. Et mitte deorſum ex excelſo tuo ſancto, & ex habitaculo tuo præparato, & ex incircumſcripto ſinu tuo, & ex ſolio regni gloriæ tuæ, Paraclitum ſpiritum tuum ſanctum, ſubſiſtentem in perſonâ tuâ, immutabilem, nec alterationi obnoxium, dominum, vivificantem, qui locutus eſt in lege, Prophetis, & Apoſtolis; qui eſt ubique & omnia loca replet, neque loco continetur: qui liberè, propriâ poteſtate operatur, ſecundùm voluntatem tuam, puritatem in iis quos diligit: & non ſicut miniſter: qui eſt ſimplex in naturâ ſuâ, & in operatione ſuâ multiplex: fons donorum divinorum: conſubſtantialis tibi, à te procedens, ſocius throni regni gloriæ tuæ, cum Filio tuo unigenito Domino, Deo, Salvatore & rege omnium noſtrûm Jeſu Chriſto, ſuper nos ſervos tuos, & ſuper hæc veneranda dona propoſita coram te, ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem, ut purificentur & transferantur.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Amen.

Sacerdos altâ voce ſignans ter corpus.

Et hunc panem quidem, faciat corpus Chriſti.

Populus. Amen.

Sacerdos, ſignans ter ſanguinem. Et hunc calicem faciat quoque ſanguinem pretioſum teſtamenti novi.

Populus.

Digitized by Google

Populus. Amen.

Sacerdos. Ejuſdem Domini, Dei, Salvatoris & Regis omnium noſtrûm Jeſu Chriſti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut ſint nobis omnibus, qui ea percepturi ſumus, utila ad obtinendam fidem ſine diſputatione, caritatem abſque hypocriſi, patientiam perfectam, ſpem firmam, fiduciam, protectionem, ſanationem, gaudium, & renovationem animæ, corporis & ſpiritûs, ad gloriam nominis tui ſancti, ad ſocietatem beatam vitæ æternæ, & incorruptibilis, & ad remiſſionem peccatorum.

Populus. Sicut erat &c.

Sacerdos. Ut in hoc ſicut & in omnibus rebus glorificetur, benedicatur & extollatur nomen tuum magnum, ſanctiſſimum, venerandum & benedictum, cum Jeſu Chriſto, Filio tuo dilecto, & Spiritu ſancto.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Iterum gratias agamus Deo omnipotenti &c.

Reliqua petenda ſunt ex Liturgiâ Baſilii.

Oratio fractionis ad Patrem.

DEus qui præelegiſti nos ad dignitatem filiorum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per beneplacitum voluntatis tuæ, ad gloriam & laudem gratiæ tuæ, quam largitus es nobis per dilectum tuum, per quem facta eſt nobis ſalus, & per cujus pretioſum ſanguinem data eſt nobis remiſſio peccatorum: gratias agimus tibi, Domine, Deus Pater omnipotens, quod nos feceris dignos, nos peccatores, ſtandi coram te in hoc loco ſancto, & perficiendi myſterium hoc ſanctum & cœleſte: ut quemadmodum feciſti nos dignos iſta perficiendi, ita etiam digni efficiamur communione & perceptione illorum. Tu qui aperuiſti oculos cœcorum, aperi oculos cordium noſtrorum, ut repellamus à nobis tenebras omnes malitiæ & nequitiæ, quæ maculæ ſimilitudinem habeat: ut poſſimus attollere oculos noſtros ad ſplendorem gloriæ tuæ ſanctæ. Atque ſicut mundaſti labia ſervi tui Iſaïæ Prophetæ, quando Seraphim unus accepit forcipe carbonem deſuper altari, & acceſſit ad eum, dixitque illi: ecce tetigit hoc labia tua, & auferentur ini-

Digitized by Google

quitates tuæ & mundabuntur omnia peccata tua, ita quoque fac erga imbelles peccatores, miſeros ſervos tuos. Dignare ſanctificare animas noſtras, corpora noſtra, labia & corda noſtra: & da nobis carbonem illum verum, qui præſtat vitam animabus, corporibus & ſpiritibus noſtris, qui eſt corpus ſanctum & ſanguis precioſus Chriſti tui: non ad condemnationem, aut ita ut incidàmus in judicium; neque ad confuſionem, aut ad fletum propter delicta noſtra, ut non indignè illis communicemus, & propter illa rei non fiamus: neque multitudo beneficiorum tuorum, Domine, cauſa ſit, nobis gravioris, & majoris judicii, ſi ergà te ingrati ſumus, bonorum auctor. Verùm largire nobis ſpiritum ſanctum tuum, ut cordibus puris, & conſcientiis nitidis, facieque inconfusâ, fide non fictâ, caritate perfectâ, & ſpe firmâ, audeamus eum fiduciâ orare, dicendo orationem ſanctam quam dilectus filius tuus tradidit familiaribus ſuis, ſanctis diſcipulis & Apoſtolis dicens illis, Quotieſcumque precari volueritis, orate in hunc modum, & dicite. Pater noſter qui es in cœlis.

Oratio poſt Pater noſter.

Sacerdos. ROgamus te, Deus Pater omnipotens, ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: actiones diabolicas à nobis remove: inſidias per conſilia improborum hominum, omnes inutiles effice. Protege nos ſemper dexterâ tuâ vivificante, tu qui es adjutor noſter, & auxiliator noſter, per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum cui, &c.

Oratio inclinationis ad Patrem.

Sacerdos. DEus qui ita nos dilexiſti, dediſtique nobis dignitatem filiorum, ut filii Dei vocaremur & eſſemus, hæredes quidem tui, Deus Pater, cohæredes autem Chriſti tui; inclina aures tuas, & audi nos proſtratos coram te: & purifica hominem noſtrum interiorem, ſecundùm ſanctitatem Filii tui unigeniti, quem ſuſcipere animo deſignamus: fugiantque à nobis fornicatio, & omnis cogitatio immunda, propter Deum qui ex Virgine (natus eſt). Gloriatio, & malum antiquum quod eſt ſuperbia, propter eum qui humiliavit ſemetipſum pro nobis: timor, propter eum qui paſſus eſt in carne propter nos, & erexit victoriam crucis: va-

Digitized by Google

na gloria, propter eum qui verberatus & flagellatus est pro nobis, & non avertit faciem suam à confusione sputorum: invidia, homicidium, dissensio, & odium, propter agnum Dei qui abstulit peccatum mundi: ira, & injuriarum recordatio, propter eum qui affixit cruci chirographum peccatorum nostrorum. Fugiant dæmones & diabolus, propter eum qui principes malitiæ disjecit, & potestates tenebrarum palàm triumphavit. Omnes cogitationes malas & terrenas procul rejiciamus à nobis, propter eum qui ascendit ad cœlos, ut ita purificemur, & percipiamus hæc mysteria pura, & perfectè purificati simus in animabus, corporibus, & spiritibus nostris: adeò ut participes simus corporis, sicut & formæ, & partis Christi tui &c.

Alia Oratio gratiarum actionis.

QUam benedictionem aut quam laudem, aut quam gratiarum actionem possumus retribuere tibi, ô Deus amator hominum, quòd cùm essemus projecti per judicium mortis, demersique in profundo peccati, concessisti nobis libertatem, largitusque es nobis hunc cibum immortalem & cœlestem: manifestastique nobis hoc mysterium, prorsus absconditum à sæculis & generationibus, ut appareat nunc principatibus & potestatibus cœlestibus ex Ecclesiâ multiplex sapientia tua. Deus qui opera nostra gubernas per sapientiam, dignare, ut comprehendamus hanc clementiam summam tuam, & magnitudinem paternæ erga nos curæ tuæ, benignitatisque tuæ. Verè tu es cui debetur omnis gloria, majestas, honor & imperium, ante omnia sæcula, Pater, Fili, & Spiritus sancte: nunc &c.

Alia Oratio gratiarum actionis.

RESpice, Domine, ad istos servos tuos qui inclinant capita sua coram gloria tua sancta: concede illis remissionem peccatorum suorum, benedic illos omnibus benedictionibus spiritualibus, & custodi eos dexterâ tuâ potenti. Confirma eos in dilectione tuâ; imprime timorem tuum cordibus eorum; aperi oculos animarum illorum, ut luceat super ipsos lumen divinitatis tuæ: instrue illos donis Spiritûs tui sancti: circumda eos armaturâ tuâ: custodi eos sub umbrâ bonitatis tuæ: libera eos ab operibus ma-

Digitized by Google

lis diaboli, & contere omnia opera ejus, ſub pedibus illorum velociter. Da illis ut perficiant præcepta tua ſancta: inſere illis deſiderium bonorum tuorum æternorum: deduc eos à pace in pacem: robora eos exercitibus Angelorum tuorum ſanctorum: operibus manuum illorum benedic: dirige omnem ſemitam eorum, & rege vitam illorum: jube quæ illis bona & convenientia ſunt contingere; & ut quæ illis concredita ſunt bene vertant: noſque ſimul cum ipſis digni efficiamur gratiâ tuâ; & mittamus ad te ſurſum laudes regales quæ majeſtati tuæ debentur; & concede nobis ut inveniamus fiduciam coram te per interceſſionem &c.

Finis Liturgiæ S. Cyrilli.

DE SEQUENTIBUS BENEDICTIONIBUS

MONITUM.

Liturgiis Copticis iſtas benedictiones adjicere operæ pretium viſum eſt, cùm ad eas quodammodo pertineant, & argumenta perſpicua ſuppeditent fidei Coptitarum circa Euchariſtiæ ſacramentum. Illas deſcripſimus ex Rituali Gabrielis Alexandrini Patriarchæ, cujus libri præcipua eſt apud eos auctoritas. Cùm verò hiſtoria Patriarchalis ad illius uſque tempora non
No. 422. Arab. *perveniat, ſcimus tantùm ex inſcriptione Codicis qui ſervatur in Bibliotheca Regia, Gabrielem* 88um. *numerari in ordine Patriarcharum Coptitarum Alexandrinorum, & Ritualem librum ordinatum & ejus auctoritate confirmatum fuiſſe anno Martyrum* 1127. *qui eſt J. C.* 1411. *non* 427. *ut mendosè editum eſt in Hiſtoria Alexandrina. Eaſdem benedictiones quibuſdam exceptis ediderat anno* 1653. *Leo Allatius in Symmictis, ex verſione Athanaſii Kircheri, vel cujuſdam potiùs advenæ Orientalis qui ſententiam autoris ſæpè non aſſecutus eſt, nec videtur codicem habuiſſe ſatis integrum. Itaque novam verſionem dare viſum eſt ad Regium exemplar factam. In altero quem Kircherus ſecutus eſt, extabat ſubſcriptio, quâ notatur prodiiſſe Ritualem librum tempore Gabrielis nonageſimi quinti Patriarchæ. Sed deceptus eſt libri deſcriptor, aut interpres, ſi quid aliud ſignificare voluit, niſi quòd codex ſcriptus fuiſſet*

Digitized by Google

tempore istius Patriarchæ, qui Gabriel etiam dictus est; & Mischanensis ad alterius differentiam vocatur à Wanslebio, & ab autoribus Historiæ Patriarchalis Bollandianæ: inter quem & Gabrielem Ritualis reformatorem & promulgatorem, sex alii numerantur. Nemo autem, nisi in Orientalis Ecclesiæ historia planè hospes, offendetur istis orationibus, quasi novitatem redoleant, cùm vasorum sacrorum veneratio antiquissima sit in universa Ecclesia, quam religionem Orientales retinuerunt. Hinc miracula multa narrant de Eucharistia in illis facta, & illud præsertim in vita Jacobi Patriarchæ L. de calice ex quo, cùm jussu Muhamedani Præfecti qui Ecclesiam vasis spoliaverat, ab aurifice frangi cœpisset, magna fluxit sanguinis copia. Quæ ad easdem benedictiones illustrandas pertinent in Notis dicentur.

Hist. Patr. Alex. p. 270.

ORATIONES ET BENEDICTIONES AD CONSECRATIONEM OMNIUM Altaris instrumentorum.

Dicet Episcopus.

DEus bone, sancte, in sanctis requiescens, cujus benignitate & præceptis accepit Moyses de sanguine, & aspersit super omnia instrumenta ministerii, petimus coram te prostrati, ô amator hominum bone, ut digneris sanctificare hæc instrumenta per Spiritum sanctum tuum & aspersionem sanguinis Christi tui, ut sint pura, & vasa ministeri sancti & veri, sacramentorum vitam conferentium, quæ sunt corpus & sanguis pretiosus Christi tui, quia sanctum est nomen tuum & gloriâ plenum omni tempore, Pater, Fili, & Spiritus sancte, nunc & semper, &c.

Signat ea, tum dicit. Benedictus Dominus Jesus Christus Filius Dei sancti, & Spiritus sanctus. Amen.

Oratio consecrationis Disci & Velorum ejus.

Dicet Episcopus.

DOminator Dominus Deus, Dominus bonus, extendat brachia sua sancta, & sanctificet discum plenum bonis, quæ præparavit diligentibus nomen suum sanctum, recumben-

Digitized by Google

tibus in convivio annorum mille. Et nunc, Domine, amator hominum, extende manum tuam divinam ſuper diſcum hunc benedictum, quem impleturi ſunt partibus ſive reliquiis corporis tui ſancti, quod offerent ſuper altare Sanctuarii ſanctæ civitatis N. Gloria tibi cum Patre tuo bono, & Spiritu ſancto, nunc & ſemper.

Accipiet Chriſma & diſcum ſignabit, dicetque. Benedictus Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei, & Spiritus ſanctus. Amen.

Oratio pro Calice & Mappulis ejus.

Dicet Epiſcopus.

DOminator Domine Jeſu Chriſte, verax, abſque vitio, Deus ſimul & homo, cujus divinitas diviſa non eſt ab ipſius humanitate, qui ſanguinem proprium effudiſti tuâ voluntate pro creaturâ tuâ, impone manum tuam divinam ſuper hunc calicem, ſanctifica & purifica eum, ut feratur in eo ſanguis ille pretioſus, & ſit remedium & remiſſio iis omnibus qui ex eo verè bibent. Gloria tibi cum Patre tuo bono, & Spiritu ſancto nunc & ſemper.

Accipiet Chriſma quo unget illum intus & foris, & dicet. Sanctitas, puritas, benedictio, & protectio iis omnibus qui bibent ex ſanguine tuo, vero, & pretioſo. Amen.

Oratio pro Cochleari.

Dicet Epiſcopus.

DEus qui ſervum tuum Iſaïam dignum feciſti videndi Cherubim in cujus manu forceps erat, quo accepit carbonem ex altari & in os ejus illud injecit: nunc etiam Deus, Pater omnipotens, extende manum tuam ſuper hoc cochlear, in quo ſuſcipienda ſunt membra corporis ſancti, quod eſt corpus Filii tui unigeniti Domini, Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Benedic illud, ſanctifica illud, da illi virtutem & gloriam forcipis, qui eſt in dextrâ Cherubim, quia tibi eſt poteſtas, gloria, & honor, cum Filio tuo unigenito Jeſu Chriſto, Domino noſtro, & Spiritu ſancto, nunc & ſemper.

Signabit illud & dicet. Fortitudo, gloria, honor, & ſanctificatio Trinitati ſanctæ, in Eccleſiâ unâ ſanctâ civitatis N.

Digitized by Google

Oratio pro Mappâ nigrâ quæ eſt ſuper altare.

Dicet Epiſcopus.

DOminator, Domine, Jeſu Chriſte, princeps lucis, miſerator, qui bona largiris ſperantibus in te, qui cœlos extendiſti cum ſubtilitate, varioſque colores in cœlo & nubibus impreſſiſti, quamvis re ipsâ diverſitas non ſit. Nunc igitur, Domine, amator hominum, ſit potentia tua divina in his inſtrumentis, mappis ſcilicet quibus involvuntur membra, ſeu reliquiæ corporis tui ſancti, ut mittas ſuper eas virtutem linteorum quæ involvebant corpus tuum ſanctum, in ſepulcro, & ſupercœleſtibus ſint ſimiles. Quia tibi eſt poteſtas, & honor, &c.

Signabit eam myro, & dicet. Unus Pater ſanctus, unus Filius ſanctus, unus Spiritus ſanctus, ipſi fortitudo, gloria, & poteſtas Dei. Amen.

Conſecratio tabulæ ut altare fiat.

Epiſcopus dicet facie ad Orientem conversâ.

DOminator, Domine, Deus omnipotens, qui creaſti cœlum & terram verbo & imperio tuo & eam repleviſti Spiritu ſancto tuo, creaſtique Angelos & Archangelos, Cherubim & Seraphim & omnem exercitum cœleſtem, maria & flumina & omnia quæ in eis ſunt. Petimus rogamuſque à bonitate tuâ, ô amator hominum, exaudi nos, extende manum tuam inviſibilem, & benedic huic tabulæ ligneæ, ut fiat altare ſanctum & menſa ſancta, pro altari excelſo & è lapide conſtructo. Tu juſſiſti ſervo tuo Moyſi, ut ſanctificaret tabernaculum ſanctum, & omnia quæ in eo erant: & ipſe benedixit illis, juxta mandatum tuum ad ſe. Et ego ſervus tuus coram te conſiſtens, rogo te, ut exaudias me vilem, pauperem, & indignum qui te rogem, ô amator hominum bone, propter Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & Spiritum ſanctum: benedic iſti menſæ, ut in eâ ſanctificetur quidquid ſuper ipſam poſitum fuerit, & omnia altaris inſtrumenta per gratiam & miſericordiam &c.

Tunc accipiet Chriſma ſanctum & ex eo ſignabit tabulam in modum Crucis in quatuor ipſius lateribus dicens. Benedictus Dominus, Jeſus Chriſtus, Filius Dei ſancti, & Spiritus ſanctus, unicus & vivificus. Amen.

Digitized by Google

Oratio ſingularis pro altari, cùm manibus hæreticorum attrectatum fuerit cujuſcumque generis, aut muris vel alterius animalis ſtercore fuerit inquinatum. Primùm aquâ abluetur, tum recitabuntur preces, adolebitque Epiſcopus incenſum & dicet hanc orationem.

DOminator omnium, quæ ſunt in rerum naturâ, omnium exiſtentium inſtitutor, conditorque omnium creaturarum, benedictionibus omnes homines cumulans omni tempore, propter Salvatorem noſtrum, & bona tribuens humano generi: qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, qui facis mirabilia ſolus. Tu Domine in omni loco & in omni civitate & in omni regione dediſti eis Eccleſias, & conſtituiſti in illis altare & præcepiſti ut offerrentur nomini tuo ſancto, oblationes ſpirituales & ſacrificia incruenta, ad ſalutem animarum humanarum.

Dicet Diaconus, Orate.

Dicet Epiſcopus facie ad Orientem conversâ.

TU nunc, Domine, per amorem tuum erga homines, mitte Spiritum ſanctum tuum & purifica hoc altare ab omni perverſa fide hæreticorum, ab omnibus immunditiis corporeis, & omnibus actibus fœdis & immundis, ut ſit ſpes & ſalus fidei, iis qui accedent ad divinitatem tuam, renovatio animæ corporis & ſpiritûs, & remiſſio peccatorum, quia tu ſolus miſerator & miſericors es, longanimis & multæ miſericordiæ & tibi debetur omnis gloria Patri, Filio & Spiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Et quinquies menſam & ejus quatuor latera Cruce ſignabit.

Finis benedictionum juxta Rituale Anba Gabrielis Patriarchæ Alexandrini.

Monitum de ſequentibus Liturgiis.

SEquentes Liturgiæ Baſilii & Gregorii Theologi ſecundùm ritum Alexandrinum deſcriptæ ſunt, & primùm eduntur ex Codice Bibliothecæ Regiæ Græco & Arabico numero 3023°. *charactere Ægyptiaco; ſcripti cujus formam dedit V. C. D. Bernardus de*
P. 314. *Montfaucon in Palæographia ſua. De illis Liturgiis dictum eſt in Diſſertatione prævia, & in Notis dicetur.*

LITURGIÆ

Digitized by Google

LITURGIÆ GRÆCÆ ALEXANDRINÆ.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ.

* * * * * * * * * *

Ευχὴ τῆ καταπτάσματος

Ο ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ.

ΔΟξάζομέν σε δημιουργὲ καὶ βασιλεῦ τῶν ὅλων, καὶ προσκυνοῦμεν τὸ ἄῤῥητον καὶ σεβάσμιόν σου ὄνομα. Ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐλέησον ἡμᾶς, καὶ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ πάντων πειρασμῶν, ὅτι σοῦ μέν σου βοηθεία καὶ ἀντίληψις. Σῶσον τὸν λαόν σου, ὃν περιεποίησω διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ τιμή.

Ευχὴ ἄλλη ἐκ τῆς θείας λειτουργίας τοῦ ἁγίου καὶ ἀδελφοθέου Ιακώβου.

Ο Θεὸς ὁ διὰ πολλὴν καὶ ἀνεξιχνίαστον σου φιλανθρωπίαν ἀποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν εἰς τὸν κόσμον, ἵνα πλανηθέντα ἐπιστρέψῃ πρόβατον, μὴ ἀποστραφῇς ἡμᾶς τοὺς ἁμαρτωλοὺς, εἰσχωροῦντάς σοι τῷ φοβερᾷ ταύτῃ καὶ ἀναιμάκτῳ θυσίᾳ. Οὐ γὰρ ὅτι τῶν δικαιοσυνῶν ἡμῶν πεποιθότες ἐσμὲν, ἀλλ' ὅτι τῆς ἐλέους σου τῆς ἀγαθῆς,

LITURGIA S. BASILII ALEXANDRINA.

Ex Codice Græco-Arabico.

Deest nonnihil.

Oratio Veli.

Sacerdos dicit secretò.

TE glorificamus opifex & rex omnium, & adoramus ineffabile & venerandum nomen tuum. Respice super nos & miserere nobis, & libera nos ab omnibus tentationibus, quia à te est auxilium, & protectio: salvum fac populum tuum quem adquisivisti per sanguinem Christi tui, per quem & cum quo tibi debetur gloria, &c.

Oratio alia ex divina Liturgia Apostoli & fratris Domini Jacobi.

DEus qui propter multam & inexplicabilem tuam erga homines caritatem, misisti unigenitum Filium tuum in mundum, ut ovem errabundam reduceret; ne repellas nos peccatores, qui offerimus tibi timendum hoc & incruentum sacrificium. Non enim in justitiis nostris confidentes sumus, sed in misericordia tua bona, per

quam genus nostrum adquiris. Deprecamur & rogamus bonitatem tuam, procumbimusque coram te, ut non fiat in condemnationem populo tuo, hoc institutum nobis ad salutem mysterium: sed sit in abolitionem peccatorum, ad renovationem animarum & corporum, & ad beneplacitum tuum Dei & Patris: & unigeniti filii tui: bonique & vivificantis & consubstantialis tibi Spiritus tui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro pace.

Pax omnibus.

ITerum precemur omnipotentem & misericordem Deum, Patrem Domini, Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem obsecramus & rogamus te, Domine, amator hominum bone. Memento, Domine pacis, sanctæ, unius, Catholicæ & Apostolicæ tuæ Ecclesiæ.

Orate pro pace unius, sanctæ Ecclesiæ, &c.

QUæ est à finibus usque ad fines orbis, omniumque populorum, & omnium gregum. Pacem quæ è cœlo est inmitte cordibus omnium nostrûm: sed & vitæ hujus pacem nobis concede. Regem, mili-

δι' οὗ τὸ γένος ἡμῶν περιποιῇ. Ἱκετεύομεν τὴν σὺν ἀγαθότητα, καὶ προσπίπτομέν σοι, ἵνα μὴ γένηται εἰς κατάκριμα τῷ λαῷ σου, τὸ οἰκονομηθὲν ἡμῖν τοῦτο πρὸς σωτηρίαν μυστήριον, ἀλλ' εἰς ἐξάλειψιν ἁμαρτιῶν, εἰς ἀνανέωσιν ψυχῶν καὶ σωμάτων, εἰς εὐαρέστησιν σὴν, τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ μονογενοῦς σοῦ υἱοῦ, καὶ ἀγαθοῦ, καὶ ζωοποίου, καὶ ὁμοουσίου σου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Αμην.

Ευχὴ περὶ τῆς εἰρήνης.

Εἰρήνη πᾶσι.

ΚΑὶ πάλιν παρακαλέσωμεν τὴν παντοκράτορα, καὶ ἐλεήμονα θεὸν, τὴν πατέρα τοῦ κυρίου δὲ, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ, δι' οὗ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ κύριε. Μνήσθητι κύριε τῆς εἰρήνης, τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς σου ἐκκλησίας.

Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τῆς ἁγίας, μόνης, κλ'.

ΤΗς ἀπὸ περάτων τῆς οἰκουμένης, μέχρι τῶν περάτων αὐτῆς, καὶ πάντων τῶν λαῶν, καὶ πάντων τῶν ποιμνίων. Τὴν ἐξ οὐρανοῦ εἰρήνην, βράβευσον τοῦ ἁπάντων ἡμῶν καρδίαις· ἀλλὰ καὶ τοῦ βίου τούτου εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι. Τὸν βασι-

λέα, τὰ στρατιωτικὰ τάγματα, τοὺς ἄρχοντας, βουλὰς, δήμους, γείτονας ἡμῶν, εἰσόδους καὶ ἐξόδους ἡμῶν, ἐν πάσῃ εἰρήνῃ κατακόσμησον. Βασιλεὺς τῆς εἰρήνης, τὴν σὴν εἰρήνην δὸς ἡμῖν, πάντα γὰρ ἀπέδωκας ἡμῖν, κτήσαι ἡμᾶς ὦ θεὸς· ἐκτός σου ἄλλον οὐκ οἴδαμεν· τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν. Ζωοποίησον τὰς ἁπάντων ἡμῶν ψυχὰς, διὰ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος· καὶ μὴ κατισχύσῃ θανατὸς ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν τῶν δούλων σου, μηδὲ κατὰ πάντος τοῦ λαοῦ σου.

tares ordines, principes viros, consilia, plebes, vicinos nostros, ingressus & egressus nostros, omni pace exorna. Rex pacis, pacem tuam da nobis; omnia enim dedisti nobis. Posside nos, Deus: qui præter te alium non novimus: nomen tuum appellamus. Vivifica omnium nostrûm animas, per Spiritum tuum sanctum; neque prævaleat adversùs nos servos tuos, mors peccati, neque adversùs omnem populum tuum.

Ευχὴ περὶ τοῦ Πάπα.

Καὶ πάλιν παρακαλέσωμεν τὸν παντοκράτορα καὶ ἐλεήμονα θεὸν, τὸν πατέρα τοῦ κυρίου δὲ, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ κύριε. Μνήσθητι κύριε τοῦ ἁγιωτάτου, καὶ μακαριώτατου ἀρχιερέως ἡμῶν Αββα Δ'. συντηρήσων συντήρησον ἡμῖν αὐτὸν ἔτεσι πολλοῖς, καὶ χρόνοις εἰρηνικοῖς, ἐκτελοῦντα αὐτὸν τὴν ὑπό σου ἐμπεπιστευμένην αὐτῷ ἁγίαν ἀρχιεροσύνην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριόν σου θέλημα· ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, καὶ ποιμαίνοντα τὸν λαόν σου ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ· σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις Επισκόποις, Πρεσβυτέ-

Oratio pro Papa.

Rursus etiam rogemus omnipotentem & misericordem Deum, Patrem Domini, Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem obsecramus & rogamus, te amator hominum, bone Domine. Memento, Domine, sanctissimi & beatissimi Pontificis nostri Abba N. Papæ & Patriarchæ magnæ urbis Alexandriæ. Conservans, conserva eum nobis, per annos multos & tempora pacifica, perfectè fungentem eo qui illi à te commissus est pontificatu sancto, secundùm sanctam & beatam tuam voluntatem, rectè dispensantem verbum veritatis, pascentemque in sanctitate, & justitia populum tuum: cum omnibus Orthodoxis Episco-

pis, Presbyteris, Diaconis; cum omni plenitudine sanctæ, solius, Catholicæ & Apostolicæ tuæ Ecclesiæ: pacem & sanitatem ipsis & nobis benignè concedens, diebus omnibus. Preces etiam illorum quas faciunt pro nobis & pro omni populo tuo, nosque pro ipsis, suscipe super cœleste & benedictum altare tuum, in odorem suavitatis. Omnem quidem inimicum ipsius visibilem aut invisibilem, contere & subjice sub pedibus ejus velociter: ipsum verò in sancta Ecclesia tua in pace & justitia conserva.

Oratio pro congregatione.

RUrsus invocemus omnipotentem & misericordem Deum, patrem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi per quem oramus..... *Deest ut videtur folium.* facientes voluntatem tuam sanctam, per gratiam & miserationes & benignitatem unigeniti Filii tui per quem & cum quo, &c.

Populus dicit. Credo in unum Deum.

Oratio osculi pacis S. Basilii.

Pax omnibus.

DOmine Deus qui creasti nos & adduxisti in vitam istam, qui demonstrasti nobis vias ad salutem; qui

εσις, Διακόνοις, σὺν πάντι τῷ πληρώματι σῆς ἁγίας, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς σου ἐκκλησίας· εἰρήνην, καὶ ὑγείαν αὐτοῖς τε καὶ ἡμῖν χαριζόμενος ἐν πασῶν τῶν ἡμερῶν. Τὰς δὲ εὐχὰς αὐτῶν ἃς ποιοῦνται ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ὑπὲρ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, καὶ ἡμεῖς ὑπὲρ αὐτῶν, πρόσδεξαι ὅπως τὸ οὐράνιον καὶ εὐλογημένον σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Πάντα τὸν ἐχθρὸν ἀπὸ ὁρατὸν καὶ ἀόρατον σύντριψον καὶ καθυπόταξον ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὅπως τάχει· αὐτὸν δὲ ἐν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ ἐν εἰρήνῃ καὶ δικαιοσύνῃ διαφύλαξον.

Εὐχὴ περὶ τῆς ἐπισυναγωγῆς.

ΚΑὶ πάλιν παρακαλέσωμεν, τὸν παντοκράτορα καὶ ἐλεήμονα θεὸν, τὸν πατέρα κυρίου τοῦ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ δεόμεθα..... τὰς τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον· χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, κτλ.

Ο λαὸς λέγει. Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν.

Εὐχὴ ἀσπασμοῦ τῆς ἁγίας Βασιλείου.

Εἰρήνη πᾶσιν.

ΚΥριε ὁ θεὸς ὁ κτίσας ἡμᾶς καὶ ἀγαγὼν εἰς τὸ ζῆν τοῦτον, ὁ ὑποδείξας ἡμῖν ὁδοὺς εἰς σωτηρίαν

ὁ χαρισάμενος ἡμῖν οὐρανίων μυστηρίων ἀποκάλυψιν. Σὺ εἶ ὁ θέμενος ἡμᾶς εἰς τὴν διακονίαν ταύτην, ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματός σου τοῦ ἁγίου. Εὐδόκησον δὴ κύριε ὅπως γένωμεθα ἡμᾶς διακόνους τῆς καινῆς σου διαθήκης, λειτουργοὺς τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, ἵνα ἄξιοι γενώμεθα τοῦ προσφέρειν σοι δῶρά τε καὶ θυσίας, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων. Καὶ δὸς ἡμῖν μετὰ παντὸς φόβου καὶ συνειδήσεως καθαρᾶς προσκομίσαί σοι τὸ πνευματικὸν τοῦτον καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, ὃν προσδέξαι ἐπὶ τὸ ἅγιον καὶ ὑπερουράνιόν σου καὶ νοερὸν σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. Ναὶ ὦ θεὸς ὑπόβλεψον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἔπιδε ὅπως τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ἡμῶν ταύτην, καὶ προσδέξαι αὐτὴν, ὡς προσεδέξω ἐκ τῶν ἁγίων σου ἀποστόλων τὴν ἀληθινὴν ταύτην λατρείαν· οὕτως καὶ ἐκ τοῦ χειρὸς ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν προσδέξαι τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐν τῇ χρηστότητί σου κύριε, καὶ δὸς γένεσθαι εὐπρόσδεκτα, ἡγιασμένα ἐν πνεύματι ἁγίῳ, εἰς ἐξιλασμὸν τῶν ἡμετέρων πλημμελημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων, καὶ εἰς ἀνάπαυσιν προκοιμηθέντων ψυχῶν, ἵνα καὶ ἡμεῖς οἱ

largitus es nobis cœlestium mysteriorum revelationem: tu es qui constituisti nos ad hoc ministerium in potestate Spiritûs tui sancti. Placeat tibi, Domine, fieri nos ministros, novi tui Testamenti; administratores sanctorum tuorum mysteriorum, ut digni efficiamur offerre tibi dona & sacrificia pro peccatis nostris, & populi tui ignorantiis. Et da nobis ut cum omni timore & conscientia pura, offeramus tibi spirituale hoc, & incruentum sacrificium: quod suscipiens super altare tuum sanctum, supercœleste & spirituale, in odorem suavitatis, mitte invicem nobis gratiam sancti tui Spiritus. Ita, ô Deus, aspice super nos, & intuere rationalem hunc cultum nostrum, & suscipe illum, sicut suscepisti eumdem ab sanctis Apostolis tuis: cultum hunc verum. Ita & ex manibus nostris, (quamvis) peccatorum, suscipe proposita ista dona, per bonitatem tuam Domine; & concede, ut accepta fiant, sanctificata per Spiritum sanctum, ad expiationem delictorum nostrorum, & populi tui ignorantiarum, & ad requiem animarum eorum qui obierunt, ut etiam nos humi-

les, peccatores, & indigni servi tui, digni effecti inculpatè ministrandi ad altare sanctum tuum, accipiamus mercedem fidelium, & prudentium œconomorum, & inveniamus gratiam & misericordiam in die timenda retributionis tuæ justæ & bonæ. Nunc autem da nobis pacem in omnibus, & omni modo; & caritatem tuam concede nobis, Domine Deus noster, ad fraternum amorem neque simulatum, quo possimus ex puro corde nos invicem vehementer diligere. Dignare mundare nos ab omni inquinamento, ab omni dolo, omni malo, & versutia, & mortifera injuriarum recordatione: nosque fac dignos omnes, Domine, salutandi invicem in osculo sancto, ut à condemnatione immunes, participes simus immortalis & supercœlestis doni tui, per miserationes unigeniti Filii tui, per quem benedictus es, & glorificatus cum omnibus sanctis, &c.

ταπεινοὶ, καὶ ἁμαρτωλοὶ καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου καταξιωθέντες ἀμέμπτως λειτουργεῖν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, λάβωμεν τὸν μισθὸν τῶν πιστῶν καὶ φρονίμων οἰκονόμων, καὶ εὕρωμεν χάριν καὶ ἔλεος ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ φοβερᾷ τῆς ἀνταποδόσεως σου τῆς δικαίας καὶ ἀγαθῆς. Καὶ τὰ νῦν, δὸς ἡμῖν τὴν εἰρήνην διὰ παντὸς ἐν πάντι τρόπῳ· καὶ τὴν σὴν ἀγάπην, δώρησαι ἡμῖν κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσασθαι ἐκτενῶς. Χάρισαι παντὸς ἀποκάθαρον μολύσματος, παντὸς δόλου, καὶ πάσης κακίας, καὶ πανουργίας, καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς πάντας δέσποτα, ἀστάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, εἰς τὸ μεταχεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ, καὶ δεδοξασμένος σὺν πάντων ἁγίων.

Oratio alia osculi pacis.

DEus qui es magnus & æternus: qui creasti hominem in incorruptione, & mortem quæ per invidiam Diaboli intraverat in mundum, per vivificam præsentiam unigeniti Filii tui destruxisti: qui pace cœlitus demissâ terram implevisti,

Εὐχὴ ἄλλη τοῦ ἀσπασμοῦ.

Ὁ θεὸς ὁ μέγας, ὁ αἰώνιος, ὁ κτίσας ἐν ἀφθαρσίᾳ τὸν ἄνθρωπον καὶ τὸν εἰσελθόντα φθόνῳ τοῦ διαβόλου θάνατον εἰς τὸν κόσμον διὰ τῆς ζωοποιοῦ παρουσίας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ καθελὼν, καὶ τῆς οὐρανόθεν εἰρήνης ἐμπλήσας τὴν γῆν, ᾗ αἱ τῶν

ἀγγέλων ἐδόξασάν σε στρατιαὶ λέγουσαι δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· εὐδοκίᾳ τῆς σῆς εἰρήνης ἔμπλησον τὰς καρδίας ἡμῶν. Χάρισαι παντὸς ἀποκάθαρον μολύσματος, παντὸς δόλου, καὶ πάσης κακίας, καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ εἰς τὸ μεταχεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοι δόξα καὶ τιμή, κλ'.

Εὐχὴ ἄλλη τοῦ ἀσπασμοῦ.

ΠΑσαν ὑπερεκκύπτει τῶν λόγου δυνάμιν, καὶ νοῦ φαντασίαν, ἡ τῶν σῶν δωρεῶν, ὦ δέσποτα φιλοτιμία. Α γὰρ ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν ἀπέκρυψας, αὐτὰ τοῖς νηπίοις ἡμῖν ἀπεκάλυψας. Καὶ οἱ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἐπιθυμήσαντες ἰδεῖν οὐχ ἑωράκασιν αὐτὰ, διακονεῖν καὶ τούτοις ἁγιάζεσθαι, τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἡμῖν ἐδωρήσω. Τοῦ μονογενοῦς (οὐ υἱοῦ παρέστησας ἡμῖν τὴν οἰκονομίαν, καὶ τῆς θυσίας ταύτης τὴν μυσταγωγίαν, καθ' ἣν οὐ νομικὸν αἷμα, οὐ σαρκὸς δικαίωμα, ἀλλὰ πνευματικὸν μέν ἐστι τὸ πρόβατον, ἡ μάχαιρα δὲ λογική τε καὶ ἀσώματος. Ταύτην οὖν σοι προ-

propter quam te Angelorum exercitus glorificaverunt dicentes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas; bona illa voluntate pacis tuæ, imple corda nostra. Dignare mundare nos ab omni inquinamento, ab omni malo & versutia, & mortifera injuriarum recordatione: Nosque fac dignos salutandi invicem in osculo sancto, ut condemnationis immunes, participes simus immortalis & cœlestis doni tui, in Christo Jesu Domino nostro, per quem, & cum quo tibi gloria & honor, &c.

Alia Oratio osculi pacis.

OMnem superat vim rationis, & intellectus imaginationem, donorum tuorum Domine, magnificentia: quæ enim à sapientibus & prudentibus abscondideras, ea parvulis nobis revelasti. Prophetæ etiam & Reges cupientes ea videre, non viderunt, quæ administrare, & per ea sanctificari dedisti nobis peccatoribus. Unigeniti Filii tui dispensationem nobis exhibuisti, & hujus sacrificii mystagogiam, in qua non legalis sanguis, non carnis justificatio, sed agnus spiritualis est: gladius quoque spiritualis & incorporeus. Hoc

igitur sacrificium tibi offerentes, petimus à te amator hominum, purifica nostra labia, & ab omni mistione materiali mentem nostram libera. Mitte nobis invicem gratiam sancti tui Spiritus, & nos dignos fac, salutandi invicem in osculo sancto, ut condemnationis immunes, participes simus immortalis & cœlestis doni tui, in Christo Jesu Domino nostro, per quem.

Datur osculum pacis.

Diaconus dicit. Stemus decenter.

Sacerdos alta voce. Dominus sit cum vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum habeamus corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum & justum est.

Sacerdos. Dignum & justum: dignum & justum: vere dignum est & justum.

Initium oblationis.

DOmine qui es, Deus veritatis, existens ante sæcula & regnans in sæcula:

κομίζοντες τὴν θυσίαν, αἰτοῦμέν σε φιλάνθρωπε, καθάρισον ἡμῶν τὰ χείλη, καὶ πάσης ὑλικῆς ἐπιμιξίας τὸν νοῦν ἡμῶν ἐλευθέρωσον. Ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, εἰς τὸ μεταχεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, δι' οὗ κλ'.

Καὶ γίνεται ὁ ἀσπασμός.

Ο Διάκων λέγει. Στῶμεν καλῶς.

Ο Ιερεὺς ἐκφωνήσει. Ο κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ανω σχῶμεν τὰς καρδίας.

Ο Λαὸς λέγει. Εχομεν πρὸς τὸν κύριον.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ευχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ.

Ο Λαὸς λέγει. Αξιον καὶ δίκαιον.

Ο Ιερεὺς λέγει. Αξιον καὶ δίκαιον, ἄξιον καὶ δίκαιον, ἀληθῶς ἄξιόν ἐστιν καὶ δίκαιον.

Αρχὴ τῆς προσκομιδῆς.

ΟΩν δέσποτα κύριε, ὁ θεὸς τῆς ἀληθείας, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων, καὶ βασιλεύων εἰς τοὺς αἰῶνας·

αἰῶνας· ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶν. Ὁ ποιήσας οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. Ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησας τά τε ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα. Ὁ καθήμενος ἐπὶ θρόνου τῆς ἁγίας δόξης τῆς βασιλείας σου· ὁ ὑμνὸς πάσης ἁγίας δυνάμεως προσκυνούμενος.

Ὁ Διάκων λέγει. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Ὁ Ἱερεύς. Ὡι παρεστήκασιν ἄγγελοι καὶ ἀρχάγγελοι ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, θρόνοι, κυριότητες καὶ δυνάμεις.

Ὁ Διάκονος λέγει. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

Οἱ παρεστῶτες κύκλῳ σου, τὰ πολυόμματα Χερουβὶμ, καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφὶμ, μετὰ φωνῆς ὑμνοῦντα καὶ βοῶντα καὶ λέγοντα.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν.

Ὁ Λαὸς λέγει Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαὼθ.

Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος εἶ ἀληθῶς, κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν· ὃς ἔπλασας ἡμᾶς, καὶ ἔθου ἡμᾶς ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς· παρέβαντας δὲ τὴν ἐντολήν σου διὰ τῆς ἀπάτης τοῦ ὄφεως, καὶ ἐκπεσόντας ἡμᾶς ἐκ τοῦ αἰωνίου ζωῆς, καὶ ἐξοριωθέντας ἐκ τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς σου ἀπέρριψας ἡμᾶς εἰς τὸν

qui in excelsis habitas in sæculum & humilia respicis: qui fecisti cœlum, & terram, & mare, atque omnia quæ in eis sunt: Pater Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem omnia fecisti visibilia & invisibilia: qui sedes super thronum sanctæ gloriæ regni tui: qui ab omni sancta potestate adoraris.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Cui adsistunt Angeli & Archangeli, Principatus & Potestates, Throni, Dominationes & Virtutes.

Diaconus dicit. Ad Orientem adspicite.

Qui circum te consistunt, Cherubim multi oculi, Seraphim sex alis instructi, semper laudantes, clamantes & dicentes.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth.

Sanctus, Sanctus, Sanctus es vere, Domine Deus noster, qui plasmasti nos, & fecisti nos, & posuisti nos in paradiso voluptatis. Cum verò transgressi essemus præceptum tuum, per deceptionem serpentis, & excidissemus vitâ æternâ, expulsique essemus ex paradiso voluptatis, non

abjeciſti nos uſque in finem, ſed continenter præcepiſti nobis per ſanctos tuos prophetas, & in fine dierum iſtorum illuxiſti nobis per unigenitum Filium tuum Dominum Deum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum: qui ex Spiritu ſancto & ex ſancta Domina noſtra Deipara & ſemper Virgine Maria, carnem aſſumens & homo factus, demonſtravit nobis vias ſalutis, concedens nobis ſupernam regenerationem ex aqua & ſpiritu, & fecit nos ſibi populum adquiſitum: ſanctificavit nos Spiritu tuo ſancto. Qui dilexit ſuos qui erant in mundo, deditque ſeipſum redemptionem, regnanti ſuper nos morti, in qua detinebamur venumdati ſub peccato: cumque deſcendiſſet per crucem in infernum, reſurrexit ex mortuis tertiâ die; & cum aſcendiſſet in cœlum, ſedit ad dexteram tuam Patris, definiens diem retributionis, in quo manifeſtatus judicabit orbem in juſtitia, & reddet unicuique ſecundum opus ſuum.

Populus. Secundùm miſericordiam tuam Deus, & non, &c.

Sacerdos. Reliquit nobis hoc magnum pietatis myſterium. Cum enim traditurus foret

λος, ἀλλὰ διὰ παντὸς ἐπεσκέψω ἡμᾶς διὰ τῶν ἁγίων καὶ προφητῶν, καὶ ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων, ἐπέφανες ἡμῖν τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας σαρκωθεὶς καὶ ἐνανθρωπήσας, ὑπέδειξεν ἡμῖν ὁδοὺς σωτηρίας, χαρισάμενος ἡμῖν τὴν ἄνωθεν ἀναγέννησιν διὰ ὕδατος καὶ πνεύματος, καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον· ἡγίασεν ἡμᾶς τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Ὃς ἠγάπησε τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, ἔδωκεν ἑαυτὸν ἀντίλυτρον τῷ βασιλεύοντι ἡμῶν θανάτῳ, ἐν ᾧ κατειχόμεθα πεπραμένοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ καταλθὼν διὰ τοῦ σταυροῦ εἰς τὸν ᾅδην, ἀνέστη ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ· καὶ ἀνελθὼν εἰς οὐρανούς, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ σου τοῦ πατρός, δείσας ἡμέραν ἀνταποδόσεως, καθ' ἣν ὀφθεὶς κρίνῃ τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ἀποδιδῷ ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.

Ὁ Λαὸς λέγει Κατὰ τὸ ἔλεός σου κύριε καὶ μή, κλ'.

Ὁ Ἱερεύς. Κατέλιπεν ἡμῖν τοῦτο τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Μέλλων γὰρ παραδιδόναι ἑαυτὸν

εἰς θάνατον, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Ο Λαὸς λέγει. Πιστεύομεν.

Ἔλαβεν ἄρτον ἐπὶ τοὺς ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ μακαρίους αὐτοῦ χεῖρας· ἀναβλέψας εἰς τὰ ὕψη τοῦ οὐρανοῦ πρός σε τὸν ἑαυτοῦ πατέρα θεὸν ἡμῶν, καὶ θεὸν ὅλων: Εὐχαριστήσας.

Ο Λαός. Ἀμήν.

Εὐλογήσας.

Ο Λαὸς Ἀμήν.

Ἁγίασας.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Κλάσας, μετέδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις, εἰπών· λάβετε, φάγετε, τοῦτό μού ἐστιν τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Ὁμοίως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, εὐχαριστήσας.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Εὐλογήσας.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Ἁγίασας.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Γευσάμενος, πάλιν ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών· λάβετε, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό μού ἐστιν τὸ αἷμα τὸ τῆς καινῆς

se ipsum in mortem pro mundi vita.

Populus. Credimus.

Accepit panem in sanctas, immaculatas, & beatas suas manus, cumque adspexisset in excelsa cœlorum ad te patrem suum, Deum nostrum & Deum universorum: Et cum gratias egisset.

Populus. Amen.

Benedixit.

Populus. Amen.

Sanctificavit.

Populus. Amen.

Fregit, dedit sanctis suis discipulis & Apostolis dicens: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum quod pro vobis & multis frangitur & datur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.

Similiter & calicem postquam cœnassent, cum miscuisset ex vino & aqua, gratias egit.

Populus. Amen.

Benedixit.

Populus. Amen.

Sanctificavit.

Populus. Amen.

Gustavit, & postea dedit sanctis suis discipulis & Apostolis dicens, Accipite, bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui

pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum : Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducaveritis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis & resurrectionem, ascensionemque meam confitebimini, donec veniam.

Populus. Amen. Amen. Amen. Mortem tuam Domine, &c.

Sacerdos. Memores igitur & nos sanctarum ipsius passionum & resurrectionis à mortuis, atque ad cœlos adscensionis, sessionisque ad dextram tuam Dei & Patris, glorioseque & timendi secundi adventus, tua ex tuis donis tibi offerimus, pro omnibus, propter omnia, & in omnibus.

Populus. Te laudamus : tibi benedicimus.

Diaconus. Inclinamini Deo cum timore.

Sacerdos dicit secretò. Rogamus & deprecamur te amator hominum bone, Domine, nos peccatores & indigni servi tui, & adoramus te cum beneplacito bonitatis tuæ : ut veniat Spiritus tuus sanctus super nos servos tuos, & super proposita hæc dona tua, sanctificetque & efficiat ea sancta sanctorum.

νῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνητε τὸ καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν καὶ ἀνάληψιν ὁμολογεῖτε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθω.

Ο λαὸς λέγει. Ἀμὴν, ἀμὴν, ἀμήν. Τὸν θάνατόν σου κύριε.

Ο ἱερεὺς λέγει. Μεμνημένοι τοίνυν καὶ ἡμεῖς τῶν ἁγίων αὐτοῦ παθημάτων, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδρας, καὶ τῆς ἐνδόξου καὶ φοβερᾶς πάλιν ἐλεύσεως, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δώρων σοι προσφέρομεν, κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα, καὶ ἐν πᾶσιν.

Ο λαὸς λέγει. Σὲ αἰνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν.

Ο διάκονος λέγει. Κλίνατε θεῷ μετὰ φόβου.

Ο ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ. Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλανθρωπε, ἀγαθὲ, κύριε, ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου, καὶ προσκυνοῦμέν σε εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς τοὺς δούλους σου, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενά σου δῶρα ταῦτα, καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι ἅγια ἁγίων.

Digitized by Google

Ο Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ο Ἱερεὺς ὑψηλῇ. Καὶ ποιήσῃ τὸ μὲν ἄρτον τοῦτον, γένεσθαι εἰς τὸ ἅγιον σῶμα, αὐτοῦ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὸν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, τὸ τίμιον αἷμα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης αὐτοῦ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὸν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Καὶ κατάξίωσον ἡμᾶς δέσποτα μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων σου μυστηρίων εἰς ἁγιασμὸν ψυχῆς, καὶ σώματος καὶ πνεύματος, ἵνα γενώμεθα ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, καὶ εὕρωμεν μέρος καὶ κλῆρον ἔχειν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων σοι.

Μνήσθητι κύριε τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς σου ἐκκλησίας, καὶ εἰρήνευσον αὐτὴν, ἣν περιεποιήσω ἐν τῷ τιμίῳ αἵματι τοῦ Χριστοῦ σου.

Ἐν προσώποις μνήσθητι κύριε τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν ἀρχιεπισκόπου Ἀββᾶ Δ. πάπα καὶ πατριάρχου τῆς

Diaconus. Attendamus.

Populus. Amen.

Sacerdos alta voce. Et faciat panem quidem istum, fieri corpus sanctum ipsius Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, & vitam æternam, ex illo participantibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, pretiosum sanguinem Novi Testamenti, ipsius Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum & vitam æternam, ex illo participantibus.

Populus. Amen. Kyrie eleison. *ter.*

Et nos fac dignos Domine, communicandi mysteriis tuis sanctis, ad sanctificationem animæ, corporis, & spiritus, ut efficiamur unum corpus & unus spiritus; & inveniamus partem, consequamurque hæreditatem cum omnibus sanctis qui à sæculo tibi placuerunt.

Memento, Domine, sanctæ, unicæ, Catholicæ tuæ Ecclesiæ, & pacatam fac eam, quam adquisiviisti pretioso sanguine Christi tui.

In primis memento, Domine, sancti Patris nostri Archiepiscopi Abba N. Papæ & Patriarchæ magnæ urbis

Digitized by Google

Alexandriæ, quem dignare sanctis tuis Ecclesiis præstare in pace salvum, gloriosum, sanum, longævum, recte dispensantem verbum veritatis, & pascentem gregem tuum in pace.

μεγαλοπόλεως Αλεξανδρείας, ὃν χαρίσαι τῶν ἁγίαις σου ἐκκλησίαις, ἐν εἰρήνῃ σῶον, ἔντιμον, ὑγιῆ, μακροημερεύοντα, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, καὶ ποιμαίνοντα τὸ ποίμνιόν σου ἐν εἰρήνῃ.

Memento, Domine, Orthodoxorum Presbyterorum, omnisque Ordinis Diaconici, & Ministerii, omniumque virginitatem servantium, & omnis fidelissimi populi tui.

Μνήσθητι κύριε τῶν ὀρθοδόξων πρεσβυτέρων, καὶ πάσης διακονίας, καὶ ὑπηρεσίας, καὶ πάντων τῶν ἐν παρθενίᾳ, καὶ παντὸς τοῦ πιστοτάτου λαοῦ σου.

Memento nostri Domine, ut omnium nostrûm miserearis simul & semel.

Μνήσθητι ἡμῶν κύριε, τοῦ ἐλεῆσαι ἡμᾶς πάντας ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐφάπαξ.

Populus. Miserere nostri Deus Pater omnipotens.

Ο Λαὸς λέγει. Ελέησον ἡμῶν ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ, ὁ παντοκράτωρ.

Sacerdos. Miserere nostri Deus Pater omnipotens. *ter.*

Ο Ιερεὺς λέγει. Ελέησον ἡμῶν ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ. γ'.

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Sacerdos. Memento etiam Domine salutis urbis nostræ hujus, & eorum qui cum fide Dei habitant in ea.

Ο Ιερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε καὶ σωτηρίας τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης, καὶ τῶν ἐν πίστει θεοῦ κατοικούντων ἐν αὐτῇ.

Memento, Domine, aëris & fructuum terræ.

Μνήσθητι κύριε τοῦ ἀερὸς, καὶ τῶν καρπῶν τῆς γῆς.

Memento, Domine, pluviarum, & sementum terræ.

Μνήσθητι κύριε τῶν ὑετῶν καὶ τῶν σπορίμων τῆς γῆς.

Memento, Domine, exundationis aquarum fluvialium juxta mensuram.

Μνήσθητι κύριε τῆς συμμέτρου ἀναβάσεως τῶν ποταμίων ὑδάτων.

Lætifica etiam & renova faciem terræ: sulcos ejus inebria, multiplica genimina ejus. Præsta nobis illam, qualis esse debet ad sementem

Εὔφρανον πάλιν καὶ ἀνακαίνισον τὸ πρόσωπον τῆς γῆς· τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον· πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς. Παράστησον ἡμῖν αὐτὸ εἰς

σπέρμα, καὶ εἰς θερισμὸν, καὶ νῦν εὐλογῶν εὐλόγησον. Τὴν ζωὴν ἡμῶν οἰκονόμησον. Ευλόγησον τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου, διὰ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ σου, διὰ τὴν χήραν καὶ τὸν ὄρφανον, διὰ τὸν ξένον, καὶ τὸν προσήλυτον, καὶ δι' ἡμᾶς πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σοι, καὶ ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον· οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἰς σε ἐλπίζουσι, καὶ σὺ διδοὺς τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ποίησον μεθ' ἡμῶν κατὰ τὴν ἀγαθότητά σου, ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ. Πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες περισσεύσωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, τὸ ποιεῖν τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον.

Ο λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ο Ιερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῶν τὰ τίμια δῶρά σοι ταῦτα προσφερόντων, καὶ ὑπὲρ ὧν, καὶ δι' ὧν, καὶ ἐφ' οἷς αὐτὰ προσεκόμισαν, καὶ μισθὸν οὐράνιον παράσχου πᾶσιν αὐτοῖς. ἐπείδη δέσποτα πρόσταγμά ἐστιν τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τῆς μνήμης τῶν ἁγίων σου κοινωνεῖν ἡμᾶς. Ετι μνησθῆναι καταξιώσον κύριε, καὶ τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων σοι ἁγίων πατέρων, πατριαρχῶν, ἀποστόλων, προφητῶν, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων,

& ad messem: benedicendoque nunc benedic. Vitam nostram guberna. Benedic coronæ anni benignitatis tuæ, propter pauperes populi tui, propter viduam & orphanum, propter peregrinum & advenam, & propter nos omnes sperantes in te, & invocantes nomen tuum sanctum: oculi enim omnium in te sperant, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Fac nobiscum secundùm bonitatem tuam qui das escam omni carni. Imple gaudio & lætitia corda nostra, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, ad faciendam voluntatem tuam sanctam.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Memento, Domine, eorum qui pretiosa hæc dona tibi offerunt, & eorum à quibus, propter quos & per quos ea intulerunt, mercedemque cœlestem illis omnibus tribue: quando quidem Domine, præceptum est unigeniti Filii tui, memoriæ sanctorum nos communicare. Etiam meminisse dignare Domine, eorum qui à sæculo tibi placuerunt, sanctorum Patrum, Patriarcharum, Apostolorum, Prophetarum, Prædicatorum, Evangelistarum, Martyrum,

Digitized by Google

Confessorum, & omnis spiritus justi, qui in fide Christi consummatus est.

Præcipue verò sanctissimæ, gloriosissimæ, immaculatæ, benedictionibus cumulatæ, Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ.

Sancti gloriosi, Prophetæ, Præcursoris, Baptistæ, & Martyris Joannis.

Sancti Stephani primi Diaconorum & primi Martyrum.

Et sancti beatique Patris nostri Marci Apostoli & Evangelistæ: & sancti Patris nostri Thaumaturgi Basilii.

Sancti N. cujus memoriam hodierna die celebramus, & omnis chori sanctorum tuorum, quorum precibus & intercessionibus, etiam nostri miserere, & salva nos propter nomen tuum sanctum quod invocatum est super nos.

Diaconus legit Diptycha.

Sacerdos secretò.

Similiter memento Domine & omnium ex Ordine sacerdotali qui pridem quieverunt, & eorum qui erant in statu sæculari. Præsta, omnium animas requiescere in sinibus sanctorum Patrum nostrorum Abraham, Isaac, & Jacob. Induc & congrega eos in locum herbidum, super aquam

ὁμολογητῶν, καὶ πάντος πνεύματος δικαίου ἐν πίστει χριστοῦ τετελειωμένου.

Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ὑπερενδόξου, ἀσχράντου, ὑπερευλογημένης, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου, βαπτιστοῦ καὶ μάρτυρος Ιωάννου.

Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρωτοδιακόνου καὶ πρωτομάρτυρος.

Καὶ τοῦ ἁγίου μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ· καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν θαυματούργου Βασιλείου.

Τοῦ ἁγίου Δ'. οὗ καὶ τὴν μνήμην ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ ἐπιτελοῦμεν; καὶ παντὸς χοροῦ τῶν ἁγίων σου, ὧν τοῖς εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις καὶ ἡμᾶς ἐλέησον, καὶ σῶσον διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον τὸ ἐπικλῆθεν ἐφ' ἡμᾶς.

Ο Διάκονος λέγει τὰ δίπτυχα.

Ο Ιερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ.

Ομοίως δὲ μνήσθητι κύριε καὶ πάντων τῶν ἱερωσύνῃ προαναπαυσαμένων, καὶ τῶν λαικῶν ταγμάτων πάντων τὰς ψυχὰς ἀναπαύσας καταξίωσον, ἐν κόλποις τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ, καὶ Ιακὼβ. Εκτρεψον, σύναψον εἰς τόπον χλόης, ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως

ἐν

ἐν ᾍδαδείσῳ ζυφῆς, ἔνθα ἀπέδρα ὀδύνη, καὶ λύπη & στεναγμὸς ἐν τῇ λαμπρότητι τῶν ἁγίων σου.

requietis, in paradiso voluptatis, unde fugit dolor, tristitia & gemitus, in splendore sanctorum tuorum.

Καὶ μετὰ τὰ δίπτυχα Ἱερεὺς λέγει.

Ἐκείνους μὲν κύριε τὰς ψυχὰς ἐκεῖ λαβὼν ἀνάπαυσον, & βασιλείας ἐπουρανίων καταξίωσον. Ἡμᾶς δὲ τοὺς ἐνταῦθα παροικοῦντας διατήρησον ἐν πίστει σῇ, καὶ ὁδήγησον ἡμᾶς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου χαριζόμενος ἡμῖν τὴν σὴν εἰρήνην, διὰ παντὸς, ἵνα σου καὶ ἐν τούτῳ καθὼς καὶ ἐν παντὶ δοξάθῃ καὶ ὑψώθῃ, & ὑμνήθῃ καὶ εὐλογήθῃ, & ἁγιάθῃ, τὸ σεπτόν & ἔντιμον, & εὐλογημένον ὄνομα, σὺν Χριστῷ Ἰησοῦ & ἁγίῳ πνεύματι.

Et post Diptycha Sacerdos dicit.

Illis quidem Domine quorum animas accepisti, illic quietem tribue, eosque in regnum cœlorum transferre dignare. Nos verò hic peregre habitantes, conserva in fide tua, & deduc nos ad regnum tuum, concedens nobis tuam pacem omni tempore, ut in hoc sicut & in omnibus, glorificetur, exaltetur, laudetur, benedicatur, & sanctificetur, sanctissimum, gloriosum, & benedictum nomen tuum, cum Christo Jesu & sancto Spiritu.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ὡσαύτως.

Populus. Sicut erat.

Ὁ Διάκονος λέγει. Κατέλθετε οἱ Διάκονοι.

Diaconus dicit. Descendite Diaconi.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Προοίμιον τῆς κλάσεως.

Proœmium fractionis.

Καὶ πάλιν εὐχαριστήσωμεν τῷ παντοκράτορι θεῷ, τῷ πατρὶ κυρίου ἡμῶν & σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι καὶ νῦν κατηξίωσεν ἡμᾶς στῆναι ἐν τῷ ἁγίῳ τόπῳ, καὶ ἐπάραι χεῖρας καὶ λειτουργῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ ὀνόματι. Αὐτὸν οὖν παρακαλέσωμεν, ὅπως καταξιώσῃ ἡμᾶς τῆς

ITerum gratias agamus omnipotenti Deo Patri Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui etiam nunc nobis per gratiam suam præstitit, ut staremus in sancto loco isto, manusque levaremus, & ministraremus nomini sancto ejus. Illum igitur oremus, ut nos dignos.

efficiat communione & perceptione ſanctorum ejus myſteriorum, immaculati corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti ejus, omnipotens Dominus & Deus noſter.

Diaconus. Orate.

Sacerdos. Pax omnibus.

κοινωνίας & μεταλήψεως τ ἁγίων αὐτ μυστηρίων, τ ἀχράντ σώματ, καὶ τ τιμίου αἵματ τ Χριστ αὐτ, ὁ παντοκράτωρ κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν.

Ο Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Oratio ad fractionem, S. Baſilii.

DEus noſter, Deus ſalvos faciendi, tu doce nos gratias agere dignè pro beneficiis tuis, quæ præſtitiſti, & præſtas nobis ſemper. Tu es Deus noſter qui ſuſcipis iſta dona: munda nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, & doce perficere ſanctitatem in timore tuo, ut in puro teſtimonio conſcientiæ noſtræ ſuſcipientes partem ſanctificatorum tuorum, uniamur ſancto corpori, & ſanguini Chriſti tui, ea dignè ſuſcipientes. Teneamus Chriſtum habitantem in cordibus noſtris, & efficiamur templum ſancti tui Spiritus. Ita Deus noſter, neminem ex nobis reum facias tremendorum tuorum iſtorum myſteriorum: neque infirmâ animâ, aut corpore (ſimus) quod ex illis indignè participaverimus. Sed da nobis ad extremum uſque vitæ ſpiritum dignè ſuſcipere ſpem ſanctificationum

Εὐχὴ τ κλάσεως τ ἁγίου Βασιλείου.

Ο θεὸς ἡμῶν, ὁ θεὸς τ σώζειν, σὺ ἡμᾶς δίδαξον, εὐχαριστεῖν ἀξίως τ εὐεργεσιῶν σου, ὧν ἐποίησας, & ποιεῖς ἀεὶ μεθ' ἡμῶν· σὺ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ προσδεχόμενος τὰ δῶρα ταῦτα. Καθάρισον ἡμᾶς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς & πνεύματος, καὶ δίδαξον τελειοῦν ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ σου, ἵνα ἐν καθαρᾷ τ μαρτυρίῳ τ συνειδήσεως ἡμῶν, ὑποδεχόμενοι τὸν μερίδα τῶν ἁγιασμάτων σου, ἑνωθῶμεν τῷ ἁγίῳ σώματι, & αἵματι τ Χριστ σου, ὑποδεχόμενοι ταῦτα ἀξίως. Σχῶμεν τ Χριστὸν κατοικοῦντα ἐν τ καρδίαις ἡμῶν, & γενώμεθα ναὸς τ ἁγίου σου πνεύματος. Καὶ ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ μηδένα ἡμῶν ἔνοχον ποιήσῃς τ φρικτῶν σου τούτων μυστηρίων· μηδὲ ἀσθενεῖ ψυχῇ καὶ σώματι, ἐκ τ ἀναξίως αὐτῶν μεταλαμβάνειν. Ἀλλὰ δὸς ἡμῖν μέχρι & ἐσχάτης ἡμῶν ἀναπνοῆς ἀξίως ὑποδέχεσθαι τὸν ἐλπίδα τῆς

ἁγιασμάτων σου, εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, εἰς ἀπολογίαν εὐπροσδεκτον τὸ ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ σου, ὅπως ἀξιωθῶμεν καὶ ἡμεῖς μετὰ πάντων ἁγίων σου, τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων, χωρήσωμεν μέτοχοι τῶν αἰωνίων σου ἀγαθῶν, ὧν ἡτοίμασας τοῖς ἀγαπῶσί σε κύριε· καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα, μὴ παρρησίας, ἀκαταχρίτως τολμᾶν ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐπουράνιον θεὸν πατέρα, καὶ λέγειν.

tuarum, ad Viaticum vitæ æternæ ad defensionem acceptabilem coram timendo tribunali Christi tui, ut & nos cum omnibus sanctis qui à sæculo tibi placuerunt, fiamus participes æternorum tuorum bonorum quæ præparasti diligentibus te Domine. Et fac nos dignos Domine ut cum fiducia, damnationis immunes, audeamus invocare te cœlestem Deum Patrem, & dicere, &c.

Ευχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

Δέσποτα, κύριε, παντοκράτορ ὁ θεὸς, ὁ μέγας, ὁ αἰώνιος καὶ θαυμαστὸς ἐν δόξῃ· ὁ φυλάσσων τὴν διαθήκην σου καὶ τὸ ἔλεός σου τοῖς ἀγαπῶσί σε. Ὁ δοὺς ἡμῖν λύτρωσιν ἁμαρτιῶν διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἡ ζωὴ τῶν ἁπάντων, ἡ βοηθεία τῶν πρὸς σε καταφευγόντων, καὶ ἐλπὶς τῶν ἐπικαλουμένων σε· ᾧ παρεστήκασι χίλιαι χιλιάδες, καὶ μυρίαι μυριάδες ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων, χερουβὶμ καὶ σεραφὶμ, καὶ πᾶσα ἡ ἐπουράνιος δυναμέων πληθύς. Ὁ ἁγιάσας τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος. Καθάρισον ἡμᾶς ἀπὸ τῶν κρυφίων καὶ φανερῶν ἡμῶν ἁμαρτημάτων· καὶ παῦ

Oratio alia ad fractionem.

DOminator Domine, Pater omnipotens, Deus magnus, & mirabilis in gloriâ: qui custodis testamentum tuum & misericordiam tuam diligentibus te: qui dedisti nobis remissionem peccatorum per unigenitum Filium tuum, Dominum Deum & Salvatorem nostrum Jesum Christum. Vita omnium, auxilium eorum qui ad te confugiunt, & spes invocantium te; cui adsistunt millies millia, & decies millies dena millia sanctorum Angelorum & Archangelorum, Cherubim atque Seraphim & omnis cœlestium virtutum multitudo. Qui sanctificasti proposita dona ista per illapsum sanctissimi tui Spiritus: munda nos ab occultis & manifestis peccatis nostris, & om-

nem cogitationem displicentem bonitati tuæ, longe repelle à nobis. Sanctifica animas nostras, corpora, spiritus & conscientias, ut corde puro, & animâ illuminatâ, audeamus cum fiduciâ, absque timore invocare te cœlestem Deum, Patrem sanctum & dicere, &c.

Alia Oratio ad fractionem.

QUi adoptionis gratiam nobis largitus es per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, nunc etiam præsta ut absque simulatione, vel hypocrisi, corde puro, & conscientiâ fiduciæ plenâ, labiisque non titubantibus invocemus te, Abba Pater: utque Ethnici multiloquii, simulque Judaicæ stultitiæ futilitatem abjicientes, humili voce quæ Christianos deceat, orationis supplicationem tibi offerre, juxta salutarem unigeniti Filii tui institutionem valeamus: atque in sanctificatione animæ, corporis & spiritûs, increatum, sine principio & sine fine, audeamus inclamare omnium Dominum, cœlestem Deum, Patrem sanctum, & dicere, &c.

διανόημα ἀπάρεσκον τῇ ἀγαθότητί σου, μάκραν ἀπόστησον ἀφ' ἡμῶν. Ἁγίασον ἡμῶν τὰς ψυχὰς, τὰ σώματα, καὶ τὰ πνεύματα, τὰς συνειδήσεις, ὅπως ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ψυχῇ πεφωτισμένῃ, τολμῶμεν μετὰ παῤῥησίας, ἅτερ φόβου ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐπουράνιον θεὸν, πατέρα ἅγιον καὶ λέγειν.

Ευχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

ΤΗς υἱοθεσίας τὴν χάριν ἡμῖν παρασχόμενος διὰ λούτρου παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου· καὶ τὰ νῦν ἀξίωσον ἡμᾶς ἀνυποκρίτως, καθαρᾷ καρδίᾳ, συνειδότι πεπαῤῥησιασμένῳ, καὶ χείλεσιν ἀδιαπτώτοις ἐπικαλεῖσθαί σε ἀββὰ, ὁ πατὴρ, ἵνα τῆς ἐθνικῆς βαττολογίας καὶ ἰουδαϊκῆς ἀπονοίας τὸ μάταιον ἀποθέμενοι, ταπεινῇ, καὶ χριστιανοῖς εὐπρεπῶς, ἐν φωνῇ τῆς προσευχῆς ἀναφέρειν σοι τὴν ἱκετηρίαν, καὶ τὴν σωτηριώδη τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ νομοθεσίαν ἰσχύσωμεν· καὶ ἁγιασμῷ ψυχῆς, σώματός τε, καὶ πνεύματος, τὸν ἄκτιστόν τε καὶ ἄναρχον, καὶ ἀτελεύτητον τολμῶμεν ἀφόβως ἐπιβοᾶσθαι τὸν πάντων δεσπότην ἐπουράνιον θεὸν πατέρα ἅγιον, καὶ λέγειν.

Digitized by Google

Ο λαὸς λέγει τὸ Πατὲρ ἡμῶν· ἢ μὴ τὸ Πατὲρ ἡμῶν ὁ ἱερεὺς λέγει.

Populus dicit Orationem dominicam: & eâ dictâ Sacerdos dicit,

ΝΑὶ πατὲρ ἀγαθὲ καὶ φιλαγαθὲ, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, μηδὲ κατακυριευσάτω ἡμῶν πᾶσα ἀνομία· ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἀπρεπῶν ἔργων, καὶ διαβουλημάτων, κινήσεων τὲ καὶ βλεμμάτων, καὶ ἀφῶν. Καὶ τὸν μὲ πειρασμὸν ἀπρόσκοπτον ἀποδίωξον· ὀπτίμησον ἦ, καὶ τοῖς ἐμφύτοις καὶ σωματικοῖς ἐν ἡμῖν κινήμασι καὶ τὰς πρὸς τὸ ἁμαρτάνειν ὁρμὰς, καὶ ὀλικάς τε ὁλικῶς ἀφ' ἡμῶν ἀναχάλασον, διὰ τοῦ κυρίου ἦ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ. κλ'.

ITa Pater bone & boni amator, ne nos inducas in tentationem, neque dominetur nobis omnis iniquitas; ſed libera nos ab indecentibus operibus, cogitationibus, motibus, aſpectibus & tactibus, & tentatorem re infectâ depelle: comprime etiam inſitos nobis naturales motus, & pernicioſos ad peccandum impetus omnino à nobis reprime: per Dominum Deum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & cum quo, & c.

Ο Διάκονος. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν.

Diaconus. Inclinate capita veſtra.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Oratio inclinationis capitis.

ΟΘεὸς ὅτως ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ χαρισάμενος ἡμῖν τὸ τῆς υἱοθεσίας ἀξίωμα, ἵνα τέκνα θεοῦ κληθῶμεν καὶ ὦμεν, κληρονόμοι μὲν σοῦ τοῦ πατρὸς, συγκληρονόμοι δὲ τοῦ Χριστοῦ σου. Κλῖνον κύριε τὸ οὖς σου, καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν ὑποκλινάντων σοι τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς, καὶ ἁγίασον ἡμῶν τὸν ἔσω ἄνθρωπον, καθὼς ἁγνός ἐστιν ὁ μονογενής σου υἱὸς, ὃν μέλλομεν ὑποδέχεσθαι. Καὶ φευγέτω μὲν πορνεία, καὶ ἀκάθαρτος λογισμὸς, διὰ τοῦ ἐκ παρθένου γεννηθέντα θεόν.

DEus qui tantopere dilexiſti nos, ut concederes nobis adoptionis dignitatem, ut filii Dei vocaremur & eſſemus: hæredes quidem tui, Patris, cohæredes autem Chriſti tui. Inclina Domine aurem tuam & audi nos inclinantes tibi capita noſtra; & munda noſtrum interiorem hominem, ſicut purus eſt unigenitus Filius tuus quem ſuſcepturi ſumus. Fugiat fornicatio & immunda cogitatio, per eum qui ex Virgine natus eſt Deum:

Digitized by Google

vanitas & antiquum malum ſuperbia, eum qui pro nobis humiliavit ſemetipſum: timiditas, eum qui paſſus eſt carne, & crucis trophæum erexit: vana gloriatio, eum qui alapis & flagellis cæſus eſt, nec avertit faciem ſuam ab opprobrio ſputorum: livor, homicidium, diſſidium & odium, agnum Dei qui tulit peccatum mundi: ira & injuriarum memoria, eum qui affixit cruci chirographum debitorum: dæmones & diabolus, eum qui malignas poteſtates triumphavit, & tenebrarum principatus ſpoliavit. Omnis terrena cogitatio, eum qui ad cœlos aſſumptus eſt: ut ita caſte, puriſſimi myſterii participes fiamus, ſanctificemurque in integrum, in animâ, corpore, & ſpiritu; concorporei, comparticipes, & uniformes effecti Chriſto tuo: impleaturque os noſtrum laude, & labia noſtra exultatione, ut laudemus gloriam tuam, patris & unigeniti Filii tui æterni, per quem, &c.

Alia Oratio ſancti Baſilii poſt Pater noſter.

QUoniam tuum eſt regnum, tua eſt potentia & gloria Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti nunc, &c.

Τύφος ὁ καὶ ἀρχαῖον κακὸν ὑπερηφανεία, ὁ δι' ἡμᾶς ἑαυτὸν ταπεινώσαντα. Δειλία, ὁ παθόντα σαρκὶ, καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ τρόπαιον ἔστησε. Κενοδοξία, ὁ ῥαπισθέντα, καὶ μαστιχθέντα, καὶ μὴ ἀποστρέψαντα τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων. Φθόνος καὶ φόνος, καὶ διχοστασία, καὶ μῖσος, ὁ ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, ὁ αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου· ὀργὴ καὶ μνησικακία, ὁ προσπλώσαντα τῷ σταυρῷ τὸ τῶν ὀφλημάτων χειρόγραφον· δαίμονες καὶ διάβολος, ὁ τὰς πονηρὰς ἀρχὰς θριαμβεύσαντα, καὶ τὰς τοῦ σκότους ἐξουσίας ἀπεκδυσάμενον. Ἅπαν τὸ γήϊνον φρόνημα, ὁ ἀναληφθέντα εἰς οὐρανοὺς· ἵνα ὕπω καθαρῶς τοῦ καθαροτάτου μυστηρίου μεταχῶμεν, καὶ ἁγιασθῶμεν ὁλοτελεῖ ψυχῇ, σώματι καὶ πνεύματι, σύσσωμοι, καὶ συμμέτοχοι καὶ συμμόρφοι γιγόμενοι τοῦ χριστοῦ σου· καὶ πληρωθήτω τὸ στόμα ἡμῶν αἰνέσεως, καὶ τὰ χείλη ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, ὅπως ὑμνήσωμεν ὁ δόξαν σου τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν. κλ'.

Ἄλλο μετὰ τὸ Πατὲρ ἡμῶν, εἰς τὸν ἅγιον Βασίλειον.

ΟΤι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν. κλ'.

Digitized by Google

Ο Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ θεῷ κλίνατε.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Δέσποτα κύριε, ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως, τοὺς ὑποκεκληκότας σοι τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς εὐλόγησον, ἁγίασον, φρούρησον, ὀχύρωσον, ἐνδυνάμωσον· ἀπὸ πάντος ἔργου πονηροῦ ἀπόστησον, παντὶ δὲ ἔργῳ ἀγαθῷ σύναψον, καὶ καταξίωσον ἀκατακρίτως μεταχεῖν τῶν ἀχράντων τούτων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς πνεύματος ἁγίου κοινωνίαν, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ. κλ'.

Αλλο παρ' αἰγυπτίοις ἀπὸ τῶν προηγιασμένων τοῦ ἀποστόλου Μάρκου μετὰ τὴν μεταλήψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Τελειωθέντα τῆς εὐεργεσίας τὰ χαρίσματα, ἅτινά ἐστιν φοβερὰ καὶ ὑπερευλογημένα μυστήρια τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. Τὰ σωτηριώδη αὐτοῦ παθήματα ὡμολογήσαμεν, τὸν ζωοποιὸν αὐτοῦ θανατὸν ἐκηρύξαμεν· τὴν ἁγίαν τριήμερον αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ἐπιστεύσαμεν. Τὸ μυστήριον τετέλεσται. Εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε, ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ, ὁ παντοκράτωρ, ὅτι τὸ ἔλεός σου μέγα ἐφ' ἡμᾶς, καὶ κατηρτίσω ἡμῖν

Diaconus. Inclinate capita vestra Deo.

Oratio inclinationis capitis.

Dominator Domine, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, inclinantibus tibi capita sua benedic, eosque sanctifica, custodi, robora & virtute confirma. Ab omni opere malo averte illos, & omni operi bono adjunge illos, præstaque ut condemnationis immunes percipiant immaculata ista & vivifica mysteria ad remissionem peccatorum, ad Spiritûs sancti communicationem, per gratiam misericordias & benignitatem, &c.

Alia apud Ægyptios ex Liturgiâ Præsanctificatorum Apostoli Marci post perceptionem sanctorum mysteriorum.

Perfecta sunt beneficentiæ tuæ munera, quæ sunt timenda & superbenedicta mysteria unigeniti Filii tui, Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Salutares ejus passiones confessi sumus, mortem ejus vivificam prædicavimus: sanctam ejus tertia die resurrectionem credidimus. Mysterium completum est: gratias agimus tibi, Domine Deus Pater omnipotens, quoniam misericordia tua magna est super nos, & ea perfecisti nobis, in quæ desiderant An-

Digitized by Google

geli prospicere. Supplicamus & rogamus bonitatem tuam amator hominum, ut purifices nos omnes qui prosternimur coram te, uniasque tibi ipsi per participationem divinorum tuorum mysteriorum, efficiamurque repleti sancto tuo Spiritu, & firmiter stabiliti in tua recta fide. Repleamur desiderio dilectionis tuæ veræ, & glorificantes te ubique in Christo Jesu Domino nostro, per quem & cum quo, &c.

εἰς τὸ ἐπιθυμῆσαι ἀγγέλοις προσκύψαι. Ἱκετεύομεν καὶ παρακαλοῦμεν τὴν σὴν ἀγαθότητα, φιλανθρωπε, ἵνα ἀγνίσῃς ἡμᾶς πάντας τοὺς προσπίπτοντάς σοι, καὶ ἐνώσῃς σαυτῷ διὰ τῆς μεταλήψεως τῶν θείων σου μυστηρίων· χορτασθῶμεν πεπληρωμένοι τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ ἑστηριγμένοι ἐν τῇ σῇ εὐθείᾳ πίστει. Πληθησώμεθα ἐν ἐπιποθήσει τῆς σῆς ἀγαπήσεως ἀληθῶς, καὶ δοξολογοῦντές σε πάντοτε, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ. κλ'.

Diaconus. Attendamus Deo cum timore.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν θεῷ μετὰ φόβου.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

DOminator, Domine Deus Pater omnipotens qui sanas animas nostras, corpora & spiritus. Tu es qui præcepisti Petro principi Sanctorum tuorum discipulorum & Apostolorum, ex ore unigeniti Filii tui Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis ei, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & dabo tibi claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum in cœlis: & quodcumque solveris super terram

Δέσποτα κύριε, ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ, ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἰώμενος ἡμῶν τὰς ψυχὰς, καὶ τὰ σώματα, καὶ τὰ πνεύματα. Σὺ ὁ ἐντειλάμενος τῷ κορυφαίῳ τῶν ἁγίων σου μαθητῶν καὶ ἀποστόλων, ὅπως τὸ σῶμά σου μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ λέγοντος αὐτῷ, σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν

λύσῃς

λύσης ὅτι ἡ γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Εσόμεθα τοίνυν καὶ ἡμεῖς οἱ δοῦλοί σου πατέρες μου καὶ ἀδελφοὶ, ἱερεῖς καὶ λευῖται, καὶ πᾶς ὁ λαός σου ὁ πιστὸς, ὁ προσπίπτων ἐνώπιον τῆς ἁγίας σου δόξης ἐν τῇ ἁγίᾳ ὥρᾳ ταύτῃ, καὶ βαστάζων τὸν τίμιόν σου σταυρὸν, ἔσμεν πάντες λελυμένοι καὶ ἐλεύθεροι ἐκ τοῦ ἐμοῦ στόματος τῆς ἁμαρτωλοῦ, διὰ τῆς παρακλήσεως σου πνεύματος, τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ φιλανθρώπου. Θεὲ, διὰ τοῦτο σὺ τοῦ κόσμου ἁμαρτίαν ἀφαίρων, ἄρξαι τῆς ὑποδοχῆς τῆς μετανοίας τῶν δούλων σου, εἰς αὐτὸν, εἰς φῶς τῆς ὑπογραφῆς, εἰς ἱλασμὸν ἁμαρτιῶν· ὅτι οὐ βούλῃ τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τοῦ ὑποστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν· σὺ γὰρ εἶ κύριος, κύριος ὁ θεὸς οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων, μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, καὶ ἀληθινὸς, ἀφαιρῶν ἀνομίας, καὶ ἀδικίας, καὶ ἁμαρτίας. Καὶ εἴ τί σοι ἡμάρτομεν, εἴτε ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον ἡμῖν, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος θεός. Ἐὰν γὰρ ἀνομίας φυλάξῃς κύριε, κύριε τίς ὑποστήσεται; ὅτι παρά σοι ὁ ἱλασμός ἐστιν, ὅτι σὺ εἶ ἱλασμὸς τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὁ φωτισμὸς καὶ σωτὴρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Ο θεὸς πάντας ἡμᾶς ἐλεύθερωσον, καὶ ἅπαντα τὸν λαόν σου ἐλεύθερωσον,

erit ſolutum in cœlis. Simus igitur omnes ſervi tui, patres mei & fratres, Sacerdotes & Levitæ, omniſque populus tuus fidelis, proſtratus coram ſancta gloria tua in hac hora ſancta, ferens ſimul pretioſam tuam crucem, ſimus omnes ſoluti & liberi ex ore mei peccatoris, per ſanctum tuum Spiritum bonum & benignum. Deus, per Filium tuum qui tulit peccatum mundi, incipe ſuſceptionem pœnitentiæ ſervorum tuorum ab ipſis, ad lucem agnitionis, ad propitiationem peccatorum: quia non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: tu es enim Dominus: Dominus miſerator & miſericors, patiens multæ miſericordiæ & verax, auferens injuſtitias, iniquitates, & peccata. Quod ſi quidquam peccaverimus, tibi verbo aut opere, remitte, dimitte & parce nobis, tanquam bonus & benignus Deus. Si enim iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt: quia tu es propitiatio peccatorum noſtrorum, illuminatio & ſalvator animarum noſtrarum. Deus, nos omnes libera, & omnem populum tuum libera

ab omni peccato, abnegatione omni & blasphemiâ, ab omni maledictione & exsecratione, magia, veneficio, idololatria perjura, perjurio; ab anathemate, & dirarum imprecatione, à discidio formato, à sagitta volante, à lamento justorum & iniquorum, ab omni occursu hæreticorum, & Ethnicorum. Concede nobis Domine mentem, prudentiam, & virtutem ad fugiendum usque in finem ab omni opere malo adversarii, & da nobis ut faciamus semper quod tibi placitum est. Scribe nomina nostra cum omni choro Sanctorum tuorum in regno cœlorum, in Christo Jesu Domino nostro, per quem & cum quo, &c.

ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, ἀπαρνήσεως πάσης καὶ βλασφημίας, ἀπὸ πάσης ἄρας καὶ κατάρας, μαγείας, φαρμακείας, εἰδωλολατρείας ἐπιόρκου, καὶ ἐπιορκίας· ἀπὸ ἀναθέματος καὶ καταθέματος, ἀπὸ χωρισμοῦ γενομένου, ἀπὸ βέλους πετομένου, ἀπὸ στεναγμοῦ δικαίων τε καὶ ἀδίκων, ἀπὸ πάσης ἀπαντήσεως αἱρετικῶν καὶ ἐθνικῶν. Χάρισαι ἡμῖν δέσποτα νοῦν καὶ σύνεσιν, καὶ δύναμιν τοῦ φυγεῖν ἕως τέλος ἀπὸ πάντος ἔργου πονηροῦ τοῦ ἀντικειμένου, καὶ δὸς ἡμῖν τὸ ποιεῖν τὴν σὴν εὐαρέστησιν. Γράψον τὰ ὀνόματα ἡμῶν μετὰ πάντος χόρου τῶν ἁγίων σου ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ. κλ'.

Sacerdos elevat Σπουδικὸν: *hoc est majorem Hostiæ partem, & voce elevata clamat.* Sancta sanctis.

Ο Ιερὺς ὑψοῖ τὸ σπουδικὸν καὶ ἐκφωνήσει. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Amen.

Εἷς πατὴρ ἅγιος· εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον. Αμήν.

Sacerdos. Dominus cum omnibus vobis.

Ο Ιερὺς λέγει. Ο κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Sacerdos. Benedictus Dominus in sæcula.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εὐλογητὸς κύριος εἰς τοὺς αἰῶνας. Αμήν.

Populus. Amen.

Ο Λαὸς λέγει. Αμήν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Digitized by Google

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματι σου.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Ο Ιερεὺς λέγει τὴν Ομολογίαν.

Sacerdos dicit Confeſſionem.

Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον, ἀληθινὸν Ιησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Αμήν.

Corpus ſanctum, & ſanguis pretioſus Jeſu Chriſti filii Dei. Amen.

Ο Λαὸς λέγει. Αμήν.

Populus. Amen.

Ἅγιον τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινὸν Ιησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Αμήν.

Sanctum, pretioſum corpus, & ſanguis verus Jeſu Chriſti filii Dei. Amen.

Ο Λαὸς λέγει. Αμήν.

Populus. Amen.

Σῶμα καὶ αἷμα Εμμανουὴλ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τοῦτό ἐστιν ἀληθῶς. Αμήν.

Corpus & ſanguis Emmanuelis Dei noſtri, hoc eſt verè. Amen.

Ο Λαὸς λέγει. Αμήν.

Populus. Amen.

Πιστεύω, πιστεύω, πιστεύω καὶ ὁμολογῶ ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς, ὅτι αὐτή ἐστιν ἡ σὰρξ ζωοποιὸς τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. Ἔλαβεν αὐτὴν ἐκ τῆς ἁγίας διανοίας ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει. Καὶ ἐμαρτύρησε ὅτι Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν καὶ παρέδωκεν αὐτὴν ὑπὲρ ἡμῶν πάντων, ὅτι τῷ ξύλῳ τοῦ σταυροῦ τοῦ ἁγίου, ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ. Ἀληθῶς πιστεύω ὅτι θεότης αὐτοῦ οὐδ' οὐ μηδέποτε χωρισθεῖσα ἐξ ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ἐν ἀτόμῳ, οὐδὲ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Παρέδωκεν αὐτὴν εἰς λύτρωσιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν

Credo, credo, credo, & confiteor uſque ad ultimum ſpiritum, quod ſit ipſa caro vivifica unigeniti Filii tui, Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Accepit ipſam ex ſancta Domina noſtra, Deipara & ſemper Virgine Maria: & fecit illam unam cum divinitate ſua, non miſtione, confuſione, aut alteratione. Confeſſus quoque eſt ſub Pontio Pilato præclaram confeſſionem: tradiditque pro nobis omnibus, ipſam carnem, ſuper lignum crucis ſanctæ, voluntate ſua. Verè credo, quod ejus divinitas nunquam omnino ſeparata eſt ab ejus humanitate, non momento, aut nictu oculi. Tradidit ipſam ad liberationem; & ad remiſſionem peccatorum, &

vitam æternam illis qui ex ea participant. Credo eam ipſam verè eſſe.

Populus. Amen.

Diaconus. In pace & caritate, &c.

Sacerdos elevata voce. Per quem & cum quo te decet omnis gloria, honor & adoratio, Patri & Spiritui ſancto nunc, &c.

Sacerdos dicit pſalmum Lum. & orationem ad communionem diei convenientem.

Diaconus. Congregamini & intrate Diaconi, cum modeſtia.

Oratio gratiarum actionis, poſt perceptionem ſanctorum myſteriorum.

Diaconus. Ad orationem ſtate.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Diaconus. Orate pro, &c.

Populus. Kyrie eleiſon.

Sacerdos dicit hanc Orationem.

IMpletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione, ob perceptionem ſanctorum tuorum myſteriorum, Domine. Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, ea præparaſti Deus di-

πῶν καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτῆς μεταλαμβάνουσι. Πιστεύω ὅτι αὐτή ἐστιν ἀληθῶς. Ἀμήν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ο Διάκονος λέγει· Εν εἰρήνῃ καὶ ἀγάπῃ.

Ο Ιερεὺς ἀκφωνήσει. Διʼ οὗ καὶ μεθʼ οὗ πρέπει πᾶσα, δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν, κλ'.

Ο Λαὸς λέγει ψαλμὸν ν'. καὶ τὸ κοινωνικὸν τῆ ἡμέρᾳ.

Ο Διάκονος λέγει. Συναχθῆτε καὶ εἰσέλθετε οἱ διάκονοι, μετʼ εὐλαβείας.

Ευχὴ εὐχαριστίας μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Ο Διάκονος λέγει. Επὶ προσευχὴν στάθητε.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ο Διακονος λέγει. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῆς, κλ'.

Ο λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ο Ιερεὺς λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην.

ΕΠλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, ὅτι τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, κύριε. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη ἡτοίμασας ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσι τὸ

ὄνομά σου τὸ ἅγιον, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ τοῖς νηπίοις τῆς ἁγίας σου ἐκκλησίας. Ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου, ἢ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ, κλ'.

ligentibus nomen ſanctum tuum, & revelaſti ea parvulis Eccleſiæ ſanctæ tuæ. Ita Pater, quia ſic fuit beneplacitum ante te. Benedictus es ô Deus, Pater Domini, Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

Ο Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλὰς.

Diaconus. Inclinate capita veſtra.

Εὐχὴ τῆς κεφαλεκλισίας.

Oratio inclinationis capitis.

Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ ὁ παντοκράτωρ, ὁ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας, τοῖς ἐπικαλουμένοις σε ἐν ἀληθείᾳ, ἔπιδε ὑψηνόθεν εὐμενεῖ προσώπῳ, καὶ γαληνῷ ὄμματι ὅτι σοὶ κέκλιναν τοὺς ἑαυτῶν αὐχένας τῶν καρδιῶν, ἀπεκδεχόμενοι τὸ παρά σου μέγα καὶ πλούσιον ἔλεος, τὸ παρά σου εὐλόγιας λαβεῖν. Εὐλόγησον αὐτοὺς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Ἄγγελον εἰρηνικὸν τῇ ἑκάστῃ ἡμῶν ζωῇ παράστησον, φρουροῦντα, διατηροῦντα, διαφυλάσσοντα, φωτίζοντα, ὁδηγοῦντα ἡμᾶς εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Ἀλλὰ ἐλεῶν ἐλέησον, καὶ οἰκτείρων σῶσον, οἰκτείρησον, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεός σου. Τὴν ἁγίαν ἡμέραν ταύτην καὶ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν, δὸς ἡμῖν κύριε ὁ θεὸς ἀναμαρτήτους

DOminator Domine Deus Pater omnipotens, qui facis meſericordiam in millia, invocantibus te in veritate, reſpice de cœlo facie benigna, & oculo ſereno ſuper ſervos tuos: tibi enim inclinaverunt colla cordium ſua, exſpectantes à te magnam & divitem miſericordiam, & à te miſericordiam & benedictionem conſequi. Benedic eos omni benedictione ſpirituali: ſanctifica eos in Spiritu tuo ſancto. Angelum pacificum uniuſcujuſque noſtrum vitæ præfice, cuſtodientem, ſervantem, protegentem, illuminantem, dirigentem nos ad omne opus bonum. Miſerans miſerere, & clementer ſalva & miſerere: in æternum eſt miſericordia tua. Sanctam etiam hanc diem, omneſque dies vitæ noſtræ, da nobis Domine Deus, abſ-

que peccato tranſigere, cum omni gaudio, ſanitate, pace, ſalute, beneficiis, ſanctimoniâque omni, & tuo timore perficere, per gratiam, miſerationes & benignitatem Chriſti Jeſu, cum quo benedictus es & glorificatus cum Spiritu ſancto.

Oratio dicenda per dies quadrageſimales ſancti jejunii.

DOminator Domine omnipotens qui creaturam omnem in ſapientia condidiſti: qui per ineffabilem tuam providentiam, & multiplicem bonitatem adduxiſti nos ad venerabiles dies iſtos, in purgationem animarum & corporum, paſſionum coercitionem, & ſpem reſurrectionis: Qui per quadraginta dies tabulas divinis characteribus inſcriptas dediſti ſervo tuo Moyſi; concede etiam nobis, o bone, certamen præclarum, curſum jejunii perficere: fidem indiviſam ſervare: capita draconum inviſibilium conterere, victoreſque peccati renunciari, & damnationis immunes pervenire ad adorandam ſacram reſurrectionem: quoniam ſanctum eſt nomen tuum Patris, & Filii & Spiritus ſancti nunc &c.

διελθεῖν μὴ πάσης χαρᾶς, ὑγιείας, εἰρήνης, σωτηρίας, ἐνεργείας, παντὸς ἁγιασμοῦ, καὶ τοῦ σοῦ φόβου ἐκτελέσαι, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ, καὶ δεδοξασμένος σὺν πνεύματι ἁγίῳ.

Τυπὴ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν τῶν ἁγίων νηστειῶν.

Δέσποτα κύριε παντοκράτωρ, ὁ πᾶσαν κτίσιν ἐν σοφίᾳ δημιουργήσας· ὁ διὰ τὴν ἄφατόν σου εὐσπλαγχνίαν, καὶ πολλὴν ἀγαθότητα ἀγαγὼν ἡμᾶς εἰς τὰς πανσεπτους ἡμέρας ταύτας, εἰς καθαρισμὸν ψυχῶν καὶ σωμάτων, εἰς ἐγκράτειαν παθῶν, εἰς ἐλπίδα ἀναστάσεως. Ὁ διὰ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν πλάκας χαράξας, τὰ δεκάγραμμα γράμματα τῷ θεράποντί σου Μωσῆ, παίδαξον καὶ ἡμῖν ἀγαθὲ τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν, τὸν δρόμον τῆς νηστείας ἐκτελέσαι· τὴν πίστιν ἀδιαίρετον τηρῆσαι· τὰς κεφαλὰς τῶν ἀοράτων δρακόντων συνθλάσαι, νικητάς τε τῆς ἁμαρτίας ἀναφανῆναι, καὶ ἀκατακρίτως φθάσαι καὶ προσκυνῆσαι τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν. Ὅτι ἅγιον ὑπάρχει, τὸ ὄνομά σου, τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν, καὶ.

Εὐχὴ τῆς ἀπολύσεως, εἰς τὴν χειροθεσίαν.

Τοῖς δούλοις σου κύριε τοῖς ὑμνοῦσί σε καὶ προσκαλουμένοις σε ἡμᾶς, καὶ ὁδήγησον βοηθῶν αὐτοῖς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. Ἀνάπεμψον τὰς ἑαυτῶν καρδίας ἀπὸ τῶν τῆς γῆς ἀτόπων λογισμῶν. Δώρησαι αὐτοῖς τὸ ζῆν αὐτούς, καὶ φρονεῖν τὰ τῶν ζώντων, καὶ συνιέναι τὰ σά. Οἱ εὐλογῶν τοὺς εὐλογοῦντάς σε κύριε, καὶ ἁγιάζων τοὺς ἐλπί σοι πεποιθότας, σῶσον τὸν λαόν σου, καὶ εὐλόγησον τὴν κληρονομίαν σου· τὸ πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας σου φύλαξον. Ἁγίασον τοὺς ἀγαπῶντας τὴν εὐπρέπειαν τοῦ οἴκου σου· Σὺ αὐτοὺς ἀντιδόξασον τῇ θείᾳ σου δυνάμει, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς ὁ θεὸς τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σοι.

Τοὺς νοσοῦντας θεράπευσον.

Τοὺς ἀποδημοῦντας εἰρήνευσον.

Τοὺς ἀέρας ἔκρασον.

Καὶ τοὺς καρποὺς τῆς γῆς εὐλόγησον. Εἰρήνευσον τὸν κόσμον σου δώρησαι, τὴν ἐκκλησίαν σου, τοῖς ἱερεῦσι, τοῖς βασιλεῦσιν ἡμῶν, τῷ στρατῷ, καὶ παντὶ τῷ λαῷ σου.

Τοὺς προκοιμηθέντας ἀνάπαυσον· τῶν προσενεγκάντων τὰ δῶρα καὶ ὑπὲρ ὧν προσήγαγον, μνημόνευσον.

Oratio dimissionis, ad manuum impositionem.

ADesto Domine servis tuis, laudantibus & invocantibus te, & deduc eos auxilium præstans, in omni opere bono. Erige corda eorúm à terrenis omnibus absurdis cogitationibus. Da illis vivere & sapere quæ vivos decent, & tua intellectu percipere. Qui benedicis benedicentes te Domine, & sanctificas eos qui in te confidunt, salva populum tuum, & benedic hæreditati tuæ; & custodi Ecclesiæ tuæ plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuæ. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, & ne derelinquas nos Deus sperantes in te.

Ægrotos sana.

Peregrinantibus pacem tribue.

Aëres tempera.

Et fructibus terræ benedic. Da pacem mundo tuo, Ecclesiis tuis, Sacerdotibus, Regibus nostris, exercitui & omni populo tuo.

Defunctis requiem præsta: eorumque qui dona obtulerunt, & pro quibus obtulerunt, memor esto.

Digitized by Google

Eos qui in quacumque tribulatione & anguſtia ſunt, ſalva.

Et nobis gratiam tuam mitte. In Trinitatis fide, nos uſque ad ultimum vitæ noſtræ ſpiritum, perfice, quoniam omne datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à te Patre luminum. Et tibi gloriam, gratiarum actionem & adorationem mittimus, Patri & unigenito Filio tuo, & Spiritui ſancto tuo nunc, &c.

Diaconus. Gratia Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Ite in pace.

Populus. Kyrie eleiſon. *bis.* Domine benedic. Amen.

Sacerdos dicit benedictionem dimiſſionis.

Diaconus. Iterum, ite in pace.

Diaconi dicunt. Iterum ſalvatus. Domine benedic. Amen.

Sacerdos dicit orationem dimiſſionis Diaconorum.

POſtquam perfecimus ſacram Liturgiam, ſicut juſti ſumus Domine, & perceptione ſanctorum immaculatorum, immortalium, cœleſtium & tremendorum myſteriorum digni facti ſumus,

Τὺς ἐν παση θλίψει κ) ἀνάγκη ὄντας, σῶσον.

Καὶ ἡμῖν τ χάριν σου ἐξαπόστειλον. Ἐν ζιαθήκῃ πίστει ἕως ἐσχάτης ἡμέρᾳ ἀναπτοῆς ἡμᾶς τελείωσον· ὅτι πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, κ) πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθέν ὄζι, καταβαινον ἔκ σου τῦ πατρὸς τ φώτων. Καὶ σοὶ τ δόξαν, κ) τ εὐχαριστίαν κ) τ προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ, καὶ τῷ μονογενεῖ σου υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι, νυν, κλ.

Ο Διάκονος λέγ. Η χάρις τ κυρίου ἡμῶν κ) θεῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησῦ Χριςῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

Ο λαὸς λέγ. Κύριε ἐλέησον. β'. Κύριε εὐλόγησον. Ἀμήν.

Ο Ιερεὺς λέγει τὴν εὐλογίαν τῆς ἀπολύσεως.

Ο Διάκονος λέγ. Καὶ πάλιν πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

Οι Διάκονοι λέγουσιν. Καὶ πάλιν σωθέντες. Κύριε εὐλόγησον. Ἀμήν.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εὐχὴ τ ἀπολύσεως τῶν Διακόνων.

ΤΕλέσαντες τὴν ἱερὰν λειτουργίαν καθὼς προσετάχθημεν κύριε, καὶ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων, ἀχράντων, & ἐπουρανίων φρικτῶν μυστηρίων καταξιωθέντες, ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν

δύναμιν πορευόμεθα, ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ & ἀνάξιοι δοῦλοί σου, οἱ καταξιωθέντες λειτουργεῖν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, & προσενεγκόντες σοι τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, τὸ ἄχραντον σῶμα, καὶ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς δόξαν σου τοῦ ἀνάρχου πατρὸς, καὶ αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, & τοῦ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἀγαθοῦ καὶ ζωοποιοῦ καί σοι ὁμοουσίου. Αἰτούμεθα τυχεῖν καὶ τοῦ ἐκ δεξιῶν σου καταστάσεως, ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου τῇ φοβερᾷ καὶ δικαίᾳ, διὰ τῶν πρεσβειῶν καὶ ἱκεσιῶν, τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου, ὅτι εὐλογητὸς εἶ νῦν, κλ'.

imus de virtute in virtutem nos peccatores & indigni servi tui, digni facti ministrandi altari sancto tuo, qui tibi obtulimus incruentum sacrificium, immaculatum corpus & pretiosum sanguinem magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi: ad gloriam tuam, Patris sine principio, ipsiusque unigeniti Filii tui, & Spiritus sancti, boni, vivificantis & consubstantialis tibi. Oramus ut ad dexteram tuam consistere mereamur in die tua timenda & justa, per intercessiones & supplicationes gloriosissimæ dominæ nostræ Deiparæ semperque Virginis Mariæ, & omnium sanctorum tuorum, quoniam benedictus es nunc, &c.

Ἐτελείωθη ἐν εἰρήνῃ ἡ θεία λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν τοῦ θαυματουργοῦ Βασιλείου.

Explicit in pace divina Liturgia sancti Patris nostri Thaumaturgii Basilii.

Δεῖον εἰδέναι ὅτι τὸ, Ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, ὃ λέγει ὁ ἱερεὺς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ε'. τῇ μεγάλῃ, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῇ τοῦ Ἐπλήσθη.

Sciendum est quod Impletum est gaudio os nostrum, *non dicit Sacerdos feria quinta majori, sed illius Orationis loco dicit.*

Εὐχαριστοῦμέν σοι δέσποτα φιλάνθρωπε εὐεργέτα τῶν ψυχῶν ἡμῶν, ὁ καὶ ὡς ἐν τῇ παρούσῃ σήμερον ἡμέρᾳ, καταξιώσας ἡμᾶς τῶν ἐπουρανίων σου & ἀθανάτων μυστηρίων ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, ἕως οὗ τέλος.

Gratias agimus tibi Domine hominum amator, benefactor animarum nostrarum, qui die huic hodierno simili dignos fecisti nos, cœlestium & immortalium mysteriorum, quæ occulus non vidit *usque ad finem.*

DIVINA LITURGIA SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII.

QUi visitasti nos in misericordia & miserationibus Dominator Domine Jesu Christe, & concessisti fiduciam nobis abjectis, peccatoribus & indignis servis tuis, adstandi sancto altari tuo, & offerendi tibi timendum & incruentum sacrificium, pro peccatis nostris & populi tui ignorantiis: ut sit ad remissionem & requiem eorum qui pridem dormierunt, patrum & fratrum nostrorum, & ad confirmationem omnis populi tui. Respice super me inutilem servum tuum, & dele offensas meas, per benignitatem tuam: & munda labia mea & cor ab omni sorde carnis & spiritus; remove quoque à me omnem cogitationem turpem & imprudentem, & fac me dignum per virtutem sancti tui Spiritus, hoc ministerio. Suscipe etiam me per bonitatem tuam, dum accedo ad altare sanctum tuum, & dignare ut accepta fiant dona quæ tibi mox offerenda sunt,

Η ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ.

Ο Επισκιάζων ἡμᾶς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς δίασοτα κύριε Ιησοῦ Χριστὲ, ὁ χαρισάμενος ἡμῖν παῤῥησίαν, τοῖς ταπεινοῖς καὶ ἁμαρτωλοῖς, καὶ ἀναξίοις δούλοις σου, προσφωνῆσαι τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προσφέρειν σοι τὸ φοβερὸν καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῆς τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων, εἰς ἄνεσιν καὶ ἀνάπαυσιν τῶν προκοιμηθέντων πατέρων ἡμῶν καὶ ἀδελφῶν, καὶ στερεωμὸν παντὸς τοῦ λαοῦ σου. Ἐπίβλεψον εἰς ἐμὲ τὸν ἀχρεῖον δοῦλόν σου, καὶ ἐξάλειψόν μου τὰ πταίσματα, καὶ τὴν εὐσπλαγχνίαν· καὶ καθάρισόν μου τὰ χείλη καὶ τὴν καρδίαν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς τε καὶ πνεύματος· καὶ κατάξιωσον ἀπ' ἐμοῦ πάντα λογισμὸν αἰσχρὸν τε καὶ ἀσύνετον· καὶ ἁγίασόν με τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου σου πνεύματος εἰς τὴν λειτουργίαν ταύτην, καὶ προσδέξαί με διὰ τὴν ἀγαθότητα, προσεγγίζοντα τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ· καὶ εὐδόκησον κύριε δεκτὰ γενέσθαι τὰ μέλλοντα προσα-

γόμενά σοι δῶρα, διὰ τῶν ἡμετέρων χειρῶν, συγκαταβαίνων τῆς ἐμαῖς ἀσθενείαις· καὶ μὴ ἀπορρίψῃς με ἀπὸ τοῦ προσώπου σου· μὴ βδελύξῃς με, τὴν ἐμὴν ἀναξιότητα, ἀλλ' ἐλέησόν με ὁ θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου, καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν σου ἐξάλειψον τὸ ἀνόμημά μου, ἵνα ἀκατακρίτως προσελθὼν κατενώπιον τῆς δόξης σου, καταξιώθω τῆς σκέπης σου, καὶ τῆς ἐλλάμψεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος· καὶ μὴ ὡς δοῦλος ἁμαρτίας ἀποδόκιμος γενώμαι, ἀλλ' ὡς δοῦλος, ὃς εὗρον * χάριν καὶ ἔλεος καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἐν τῷ νῦν καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι. Ναὶ δεσπότα παντόκρατορ, παντοδύναμε κύριε, ἐπάκουσον τῆς δεήσεώς μου. Σὺ γὰρ εἶ ὁ τὰ πάντα ἐνεργῶν ἐν πᾶσι· καὶ τὴν παρά σου πάντει ἐπιζητοῦμεν ἐπὶ πᾶσι βοήθειάν τε καὶ ἀντίληψιν· ὅτι φιλάνθρωπος εἶ, καὶ δεδοξασμένος ὑπάρχεις Ιησοῦ ὁ θεὸς ἡμῶν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ.

per manus nostras, compatiens infirmitatibus nostris: & ne rejicias me à facie tua, neque abomineris indignitatem meam: verum miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam: ut à damnatione immunis, accedens coram gloria tua, dignus efficiar protectione tua, & illuminatione sancti tui Spiritus: neque ut servus peccati, reprobus efficiar: sed ut servus qui invenit gratiam, misericordiam, & remissionem peccatorum, & nunc & in futuro sæculo. Ita Dominator omnipotens, Domine qui potes omnia, exaudi deprecationem meam. Tu enim es qui omnia operaris in omnibus: omnesque à te tuum in omnibus auxilium requirimus, & defensionem, quia benignus es erga homines & glorificatus, Jesu Deus noster, cum Patre tuo initii experte, & sancto tuo Spiritu, nunc & semper.

Εὐχὴ μετὰ τὴν ἑτοιμασίαν τῶν ἁγίου θυσιαστηρίου.

Oratio post præparationem sancti altaris.

Δεσπότα κύριε Ιησοῦ Χριστὲ, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ διὰ τῆς σωτηριώδους παρουσίας σου καὶ τῆς ἐλλάμψεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος καταξιώσας ἡμᾶς τοὺς ταπεινοὺς καὶ

Dominator Domine Jesu Christe Deus noster qui per salutarem adventum tuum & illuminationem sanctissimi Spiritus tui dignos fecisti nos abjectos, peccato-

res & indignos ſervos tuos adſtandi ſancto altari tuo, & offerendi, adminiſtrandique myſteria immaculata novi tui Teſtamenti. Ipſe qui vitam præſtas, & bona ſuppeditas, fac nobiſcum ſignum in bonum & præſta nobis, ut in pura conſcientia cultum exhibeamus tibi omnibus diebus vitæ noſtræ & cum ſanctitate divinum hoc tibi offeramus miniſterium, in remiſſionem peccatorum & in fruitionem futuræ beatitudinis. Memento bone, benefice, rex ſæculorum & creaturæ omnis opifex, eorum qui obtulerunt, & pro quibus obtulerunt: noſque indemnatos conſerva in conſecratione divinorum myſteriorum: quoniam benedictum eſt, ſanctificatum & glorificatum, glorioſiſſimum, & magnificum ſanctum nomen tuum, ſimulque Patris & ſancti Spiritus, nunc, &c.

ἀμαρτώλους καὶ ἀναξίους δούλους σου παρεστῶναι τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προσφέρειν καὶ λειτουργεῖν σοι τοῖς ἀχράντοις μυστηρίοις τῆς καινῆς σου διαθήκης. Αὐτὸς ζωοποιὲ, καὶ ἀγαθῶν χορηγὲ, ποίησον μεθ' ἡμῶν σημεῖον εἰς ἀγαθὸν, καὶ ἀξίωσον ἡμᾶς ἐν καθαρῷ συνειδότι λατρεῦσαί σοι πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν, καὶ ἐν ἁγιασμῷ ταύτην σοι τὴν θείαν προσενέγκειν λειτουργίαν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀπόλαυσιν τῆς μελλούσης μακαριότητος. Μνήσθητι ἀγαθὲ, εὐέργετα, βασιλεῦ τῶν αἰώνων, καὶ τῆς κτίσεως ἁπάσης δημιουργὲ, τῶν προσενεγκάντων, καὶ δι' ὧν προσήγαγον· καὶ ἡμᾶς ἀκατακρίτους διαφύλαξον ἐν τῇ ἱερουργίᾳ τῶν θείων σου μυστηρίων· ὅτι εὐλογητὸς, καὶ ἁγιασθῆναι, καὶ δοξάζεσθαι, τὸ παντίμιον καὶ μεγαλόπρεπες ἅγιον ὄνομά σου, μετὰ τοῦ παναγίου καὶ ἀγαθοῦ πνεύματος νῦν, καὶ

Oratio ſancti Evangelii.

Pax omnibus.

DOminator Domine Jeſu Chriſte Deus noſter, qui ſanctis tuis diſcipulis & ſacris Apoſtolis tuis dixiſti, quoniam multi Prophetæ & juſti cupierunt videre quæ vidiſtis, & non viderunt: & audire quæ auditis & non audierunt: veſtri autem beati ſunt oculi,

Εὐχὴ τοῦ ἁγίου Εὐαγγελίου.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Δέσποτα κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἱεροῖς σου ἀποστόλοις εἰπὼν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον· καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν· ὑμῶν δὲ μακάριοι οἱ

ὀφθαλμοὶ ὅτι βλέπουσι, καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει. Καὶ καταξιωθείημεν ἄρτι τῷ ἀκοῦσαι καὶ ποιῆσαι τὰ ἅγιά σου εὐαγγέλια, διὰ λιταῖς τῶν ἱερῶν σου.

quia vident, & aures veſtræ quia audiunt. Digni quoque efficiamur, nunc audire & facere ſancta tua Evangelia, per obſecrationes, ſanctorum tuorum.

Μνημόνευσον δὲ δέσποτα καὶ νῦν, πάντων τῶν ἐντειλαμένων ἡμῖν ἀναξίοις, τὸ μνημονεύειν αὐτῶν εἰς τὰς δεήσεις ἡμετέρας, καὶ τὰς αἰτήσεις, ἃς ἀναβιβάζομέν σοι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν. Τοὺς προτετελευτηκότας, ἀνάπαυσον αὐτοὺς· κάμνοντας, ἔρρωσον αὐτούς· σὺ γὰρ εἶ ζωὴ ἡμῶν πάντων, καὶ σωτηρία ἡμῶν πάντων· καὶ ἐλπὶς ἡμῶν πάντων, καὶ ἴασις ἡμῶν πάντων, καὶ ἀνάστασις οἰκεία πάντων ἡμῶν· καί σοι τὴν δόξαν, τιμὴν, καὶ προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ παντοκράτορί σου, καὶ παντεπόπτῃ πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωαρχικῷ καὶ ὁμοουσίῳ σου πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ.

Memento igitur etiam nunc Domine, omnium eorum qui nobis indignis præceperunt, ut eorum memoriam haberemus inter ſupplicationes & obſecrationes, quas tibi offerimus, Domine Deus noſter. Qui pridem obierunt, illis requiem præſta: ægrotos ſana; tu enim es vita omnium noſtrûm, ſalus, ſpes, medela & reſurrectio propria omnium noſtrûm, & tibi gloriam, honorem & adorationem ſurſum mittimus, cum omnipotente & omnia vidente genitore tuo, & ſanctiſſimo, vitæque autore principe, tibique conſubſtantiali tuo Spiritu, nunc & ſemper, &c.

Εὐχὴ τῆς κατακλίσεως.

Oratio Veli.

Οὐδεὶς ἄξιος τῶν σωδεδεμένων τῶν σαρκικαῖς ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς, προσέρχεσθαι ἢ προσεγγίζειν, ἢ λειτουργεῖν σοι βασιλεῦ τῆς δόξης. Τὸ γὰρ διακονεῖν σοι, μέγα καὶ φοβερὸν, καὶ αὐταῖς ταῖς ἐπουρανίαις δυνάμεσιν ἀπρόσιτον. Ἀλλ' ὅμως διὰ τὸ ἄφατον καὶ ἀμέτρητόν σου φιλανθρωπίαν, ἀτρέπτως, καὶ ἀναλλοίως γε-

NUllus dignus eſt eorum qui illigati ſunt carnalibus deſideriis & voluptatibus accedere aut miniſterium exhibere tibi, Rex gloriæ. Nam miniſtrare tibi, magnum eſt & timendum, ipſiſque cœleſtibus poteſtatibus impervium. Attamen per inexplicabilem & immenſam benignitatem tuam erga homines, abſque conver-

sione aut mutatione, factus es homo, Pontifexque nobis designatus es, Liturgicique hujus & incruenti sacrificii celebrationem tradidisti nobis, tanquam omnium dominus. Tu enim dominaris in cœlestibus terrenis & infernis: qui super thronum Cherubicum veheris; Dominus Seraphim, & Rex Israël: solus sanctus, & in sanctis requiescens. Te igitur deprecor solum bonum Deum, facilemque ad audiendum: respice super me peccatorem & inutilem servum tuum, & idoneum me fac qui virtute Spiritus sancti gratiam Sacerdotii indutus sum, adstandi sanctæ tuæ huic mensæ, & consecrandi immaculatum corpus tuum, pretiosumque sanguinem tuum. Ad te enim accedo inclinans cervicem meam, precorque te, ne avertas faciem tuam à me, neque me rejicias ex numero puerorum tuorum: sed dignum me fac, ut offerantur tibi dona ista à me peccatore & indigno servo tuo. Tu enim es qui sanctificas & sanctificaris: qui offers & offerris: qui susciпis & susciperis: qui das & daris, & tibi gloriam referimus cum Patre & sancto Spiritu.

γονας ἄνθρωπος, καὶ ἀρχιερεὺς ἡμῖν ἐχρημάτισας, καὶ τὴν λειτουργικὴν ταύτης καὶ ἀναιμάκτου θυσίας τὴν ἱερουργίαν παρέδωκας ἡμῖν, ὡς δεσπότης τῶν ἁπάντων. Σὺ γὰρ (εἶ)* δεσπόζεις τῶν ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων καὶ τῶν καταχθονίων· ὁ ἐπὶ θρόνου Χερουβικοῦ ἐποχούμενος· ὁ τῶν Σεραφὶμ κύριος, καὶ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ· ὁ μόνος ἅγιος καὶ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος. Σὲ τοίνυν δυσωπῶ τὸν μόνον ἀγαθὸν, καὶ εὐκολοεπήκοον θεὸν, ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμὲ τὸν ἁμαρτωλὸν, καὶ ἀχρεῖον δοῦλόν σου· καὶ ἰκάνωσόν με τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐνδεδυμένον τὸν τῆς ἱερατείας χάριν, καταξιῶσαι τῇ ἁγίᾳ σου ταύτῃ τραπέζῃ, καὶ ἱερουργῆσαι τὸ ἄχραντόν σου σῶμα, καὶ τὸ τίμιόν σου αἷμα. Σοὶ γὰρ προσέρχομαι κλίνας τὸν ἐμαυτοῦ αὐχένα· καὶ δέομαί σου, μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σου ἀπ' ἐμοῦ· μηδὲ ἀποδοκιμάσῃς με ἐκ παίδων σου· ἀλλ' ἀξίωσόν με προσενεχθῆναί σοι τὰ δῶρα ταῦτα, ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου. Σὺ γὰρ εἶ ἁγιάζων καὶ ἁγιαζόμενος· προσφέρων τε καὶ προσφερόμενος· ὁ δεχόμενος καὶ δεκτὸς· ὁ δίδους καὶ δοξαζόμενος· καί σοι δόξαν ἀναπέμπομεν, μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Ἑτέρα ἄλλη κατανυκτικὸν παρ' Αἰγυπτίοις.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἐπισκόπτων τὸν νῦν τὸν ἀνθρώπων, ὁ ἐτάζων καρδίας, καὶ νεφρούς· ὁ ἐμὲ τὸν ἀνάξιον καλέσας πρὸς τὴν σὴν λειτουργίαν ταύτην· μὴ βδελύξῃς με, μηδὲ τὸ πρόσωπόν σου ἀποστρέψῃς ἀπ' ἐμοῦ· ἀλλ' ἐξάλειψόν μου πάντα τὰ παραπτώματα, καὶ ἀπόπλυνόν μου τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, καὶ τὸν μολυσμὸν τῆς ψυχῆς, καὶ ὅλον με ἁγίασον, ἵνα μὴ ἱκετεύων σε δῶναι ἄφεσιν ἄλλοις ἁμαρτιῶν, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. Ναὶ κύριε μὴ ἀποστραφείς με τεταπεινωμένον καὶ κατηχυμμένον, ἀλλ' ἐξαπόστειλόν μοι τὴν χάριν, τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ ἀξίωσόν με παραστῆναι, ὅπως τὸ ἅγιον σου θυσιαστήριον ἀπαρεγκλίτως, καὶ προσφέρειν σοι λογικὴν καὶ ἀναίμακτον προσφορὰν ταύτην, μετὰ συνειδήσεως καθαρᾶς, εἰς συγχώρησιν τῶν ἐμῶν ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν παραπτωμάτων· καὶ εἰς ἄφεσιν τῶν τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων εἰς ἀνάπαυσιν καὶ ἀναψυχὴν τῶν προκεκοιμημένων πατέρων ἡμῶν καὶ ἀδελφῶν, καὶ εἰς στηριγμὸν παντὸς τοῦ λαοῦ σου, εἰς δόξαν σὴν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν.

Oratio alia veli apud Ægyptios.

DOmine Deus noſter omnipotens qui cognoſcis mentem hominum, ſcrutans corda & renes: qui me indignum vocaſti ad hoc tuum ſacrum miniſterium; ne rejicias me, neque avertas faciem tuam à me: ſed dele omnia mea peccata, & ablue ſordes omnes corporis mei & maculas animæ, totumque me ſanctifica, ne dum deprecor te, ut concedas aliis remiſſionem peccatorum, ipſe reprobus efficiar. Quæſo Domine ne repellas me humiliatum & confuſum, ſed mitte mihi gratiam ſancti tui Spiritus, & fac me dignum adſtandi ſancto altari tuo inculpatè, & offerendi tibi rationale & incruentum ſacrificium iſtud, cum conſcientia pura, ad remiſſionem peccatorum, & offenſarum mearum, & ad veniam conſequendam ignorantiarum populi tui, ad requiem & refrigerium defunctorum patrum & fratrum noſtrorum, & ad confirmationem totius populi tui, & ad gloriam tuam, Patris & Filii & Spiritus ſancti, nunc, &c.

Digitized by Google

Oratio pacis.

Pax omnibus.

TU qui es, & ab æterno præexistis, & permanes in sæcula, Patri coæternus & consubstantialis, ejusdem throni, & creationis socius. Qui per solam bonitatem ex nihilo ad existendum adduxisti hominem, & eum constituisti in paradiso voluptatis. Eumdem verò cum deceptione inimici, & transgressione mandati tui cecidisset, renovare volens, & ad pristinam restituere dignitatem, non Angelum, non Archangelum, non Patriarcham, non Prophetam elegisti, cui salutem nostram committeres, sed ipse non mutatus, caro factus, hominem assumpsisti, & secundum omnia similis nobis factus es, solo excepto peccato: mediator factus inter nos & Patrem, & medium parietem maceriæ, diuturnamque inimicitiam cum sustulisses, terrena cœlestibus conjunxisti; & utraque in unum conjunxisti, dispensationemque in carne compleviſti. Cumque jam corporaliter in cœlos adscensurus esses, divinitus omnia perficiens, sanctis suis discipulis & Apostolis dixisti, pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis. Eam ipsam pacem nunc

Εὐχὴ τῆς ἀποσμῆς.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ ὢν, καὶ πρὸ τῶν, καὶ διαμένων εἰς τοὺς αἰῶνας· ὁ τῷ πατρὶ συναΐδιος, καὶ ὁμοούσιος, καὶ συνθρόνος καὶ συνδημιουργός. Ὁ διὰ μόνην ἀγαθότητα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παγαγὼν τὸν ἄνθρωπον, καὶ θέμενος αὐτὸν ἐν παραδείσῳ τρυφῆς. Ἀπάτῃ δὲ τοῦ ἐχθροῦ καὶ παρακοῇ τῆς σῆς ἐντολῆς παραπεσόντα, ἀναλαμβάνεσθαι βουλόμενος, καὶ πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἀπαγαγεῖν ἀξίωμα, * οὐκ ἄγγελος οὐκ ἀρχάγγελος, οὐ πατριάρχης, οὐ προφήτην ἢ ἡμῖν ἐπιχείρησας σωτηρίαν· ἀλλ' αὐτὸς ἀτρέπτως σὰρξ γενόμενος, καὶ ἐνανθρώπησας, καὶ πάντα ὁμοιώθης ἡμῖν, ἐκτὸς μόνης τῆς ἁμαρτίας· μεσίτης ἡμῖν γενόμενος, καὶ τοῦ πατρὸς, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, καὶ τὴν χθονίαν ἔχθραν καθελὼν, τὰ ὑπήγεια τοῖς ἐπουρανίοις συνῆψας, καὶ τὰ ἀμφότερα εἰς ἓν συνήγαγες καὶ τὸ ἔνσαρκον ἐπλήρωσας οἰκονομίαν. Καὶ μέλλων σωματικῶς ἐλαύνειν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, θεικῶς τὰ πάντα πληρῶν, τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις ἔλεγες· εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν· εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. Ταύτην καὶ νῦν εἰρήνην

ἡμῖν

ἡμῖν δώρησαι δέσποτα· χάρισαι παντὸς ἀποκάθαρσιν μολύσματος, παντὸς δόλου καὶ πάσης κακίας, καὶ πανουργίας, καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, εἰς τὸ μεταλαχεῖν ἀκατακρίτους τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς· χάριτι τῆς εὐδοκίας τοῦ πατρὸς, καὶ ἐνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Σὺ γὰρ εἶ ὁ χορηγὸς καὶ δοτὴρ πάντων τῶν ἀγαθῶν, καί σοι τὴν δόξαν, τὴν αἰώνιον δοξολογίαν ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι νῦν, καὶ ἀεί.

nobis Domine benigne concede: benignè etiam munda nos ab omni inquinamento, omni dolo, & malitia, & versutia lethalique injuriarum recordatione; & præsta nobis ut salutemus invicem in osculo sancto, ut absque condemnationis periculo participes simus, immortalis & cœlestis doni tui, per gratiam tuam & beneplacitum Patris, & operationem sancti Spiritus. Tu enim es largitor & dator omnium bonorum, & tibi gloriam æternamque laudationem referimus, cum Patre tuo principii experte, & sancto tuo Spiritu, nunc & semper.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς ἀσπασμοῦ.

Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ἡ φοβερὰ καὶ ἀπερινόητος δύναμις τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς· ὁ τῆς φλογίνου θρόνου τῶν χερουβὶμ ὑπερκαθήμενος καὶ ὑπὸ πυρίνων δυνάμεων δορυφορούμενος, καὶ πῦρ καταναλίσκον ὑπάρχων ὡς θεὸς· καὶ διὰ τὴν ἄφατον συγκατάβασιν καὶ φιλανθρωπίαν μὴ φλέξας τῷ προσαγωγισμῷ τὸν δολερὸν προδότην, ἀλλὰ φιλικὸν αὐτὸν ἀσπασάμενος, ἕλκων αὐτὸν εἰς μετάνοιαν καὶ ἐπίγνωσιν τῆς ἰδίας τολμήματος. Καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα ὅπως τῆς φρικτῆς ταύτης ὥρας, ἐν ὁμονοίᾳ καὶ δίχα παντὸς ἐν δόλῳ

Oratio alia osculi Pacis.

CHriste Deus noster timenda & non comprehensibilis potestas Dei & Patris: qui super flammeum thronum Cherubim sedes, qui à potestatibus igneis obsequio coleris, qui es ignis consumens ut Deus: & per ineffabilem benignitatem tuam & amorem hominum, non combussisti in accessu ad te dolosum traditorem, sed amicè eum osculatus es trahens illum ad pœnitentiam, & audaciæ suæ agnitionem. Dignare Domine ut hac tremendâ horâ in concordia, absque ulla animi duplicitate, & reliquiis mali-

tiæ, amplectamur invicem in oſculo ſancto: neque condemnes nos, ſi non perfectè, & ſicut placitum eſt tuæ bonitati, mundi ſumus ab omni fæce peccati, & nequitiæ, mortiferæque injuriarum recordationis. Sed ipſe ineffabili tua & inenarrabili commiſeratione, cognoſcens figmentum noſtrum debile, & ad inferiora proclive, dele omnem maculam offenſarum noſtrarum, ut non in judicium, aut in condemnationem nobis fiat divinum hoc myſterium. Tu enim es potens dimittere quodcumque peccatum, & ſuperare iniquitates, & injuſtitias miſerorum hominum, cum ſis purgatio totius mundi; & tibi debetur ab unoquoque concinenter glorificatio, honor, & adoratio, cum immaculato tuo Patre, & Spiritu tuo vivificante, nunc & ſemper, &c.

θύμυ, καὶ λειψάνυ κακίας ἀπολαβεῖν ἀλλήλυς ἐν ἁγίῳ φιλήματι. Καὶ μὴ κατακρίνῃς ἡμᾶς ὑπὲρ μὴ ὁλοτελῶς, καὶ καθὼς ἀρέσαι τῇ σῇ ἀγαθότητι, καθαρίσωμεν ἀπὸ πάσης τυχὸς ἁμαρτίας καὶ πονηρίας ἢ θανατηφόρυ μνησικακίας· ἀλλ' αὐτὸς τῇ σῇ ἀφάτῳ, καὶ ἀνεκδιηγήτῳ εὐσπλαγχνίᾳ εἰδὼς τὸ πλάσμα ἡμῶν τὸ ἀσθενὲς, καὶ κάτω βρίθον, ἐξάλειψον πᾶσαν κηλίδα τῶν παπωμάτων ἡμῶν, ἵνα μὴ εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα ἡμῖν γένῃ τὸ θεῖον τῦτο μυστήριον. Σὺ γὰρ εἶ ὁ δυνάμενος πᾶσαν ἀφιέναι ἁμαρτίαν, καὶ ὑποβαλέειν ἀδικίας καὶ ἀνομίας τῶν ταλαιπώρων ἀνθρώπων, καθαρισμὸς τῦ κόσμυ παντὸς ὑπάρχων. Καί σοι πρέπει ἡ δόξα παντὸς συμφώνως δοξολογία, τιμὴ καὶ προσκύνησις, ἅμα τῷ ἀχράντῳ συ πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ συ πνεύματι νυν, κλ.

Et datur oſculum pacis.

Et detur osculum pacis.

Καὶ γίνεται ἀσπασμός.

Diaconus. Stemus decenter.

Ο Διάκονος λέγει. Στῶμεν καλῶς.

Populus. Miſericordiam Pacis.

Ο Λαὸς λέγει. Ελεος εἰρήνης.

Sacerdos dicit alta voce.

Ο Ἱερεὺς ἀναφωνέσει.

Charitas Dei Patris, & gratia unigeniti Filii Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: & communicatio donumque ſancti Spiritus ſit cum vobis omnibus.

Ἡ ἀγάπη τῦ Θεῦ πατρὸς, καὶ ἡ χάρις τῦ μονογενῦς υἱῦ, κυρίυ ἡμῶν καὶ Θεῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ· καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ δωρεὰ τῦ ἁγίυ πνεύματος, εἴη μετὰ πάντων ὑμῶν.

Digitized by Google

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας.

Sacerdos. Surſum corda habeamus.

Ο Λαὸς λέγει. Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον.

Populus. Habemus ad Dominum.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Ο Λαὸς λέγει. Ἄξιον καὶ δίκαιον.

Populus. Dignum & juſtum eſt.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ἄξιον καὶ δίκαιον, ἄξιον καὶ δίκαιον.

Sacerdos. Dignum & juſtum eſt, dignum & juſtum.

Ἀρχὴ τῆς προσκομιδῆς.

Initium Oblationis.

Ἀληθῶς γὰρ ἄξιόν ἐστιν, καὶ δίκαιόν σε αἰνεῖν, σὲ εὐλογεῖν, σὲ προσκυνεῖν, σὲ δοξάζειν τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, τὸν φιλάνθρωπον, τὸν ἄφραστον, τὸν ἀόρατον, τὸν ἀχώρητον, τὸν ἀπάρχειν, τὸν ἀιώνιον, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀμέτρητον, τὸν ἀπερίληπτον, τὸν ἀπερινόητον· τὸν πάντων τῶν ὅλων, τὸν λυτρώτην τῶν ἁπάντων· τὸν ἐυιλατεύοντα πάσαις ταῖς ἀνομίαις ἡμῶν· καὶ ἰώμενον πάσας νόσους ἡμῶν. τὸν λυτρούμενον ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν· καὶ στεφανοῦντα ἡμᾶς, ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. Σὲ αἰνοῦσιν ἄγγελοι· σὲ προσκυνοῦσιν ἀρχάγγελοι· σὲ ἀρχαὶ ὑμνοῦσι· σὲ κυριότητες ἀνακράζουσι· τὴν σὴν δόξαν ἐξουσίαι ἀναγορεύουσι· σοὶ θρόνοι τὴν

Vere enim dignum eſt & juſtum, te laudare, te hymnis celebrare, te benedicere, te adorare, te glorificare, ſolum verum Deum, humani generis amatorem, ineffabilem, invisibilem, incircumſcriptum, ſine principio, æternum, ſine tempore, immenſurabilem, immutabilem, nec cogitatione comprehenſibilem: factorem univerſorum, liberatorem omnium: qui propitiaris omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanas omnes infirmitates noſtras, qui redimis de corruptione vitam noſtram, qui coronas nos in miſericordia & miſerationibus. Te laudant Angeli, te adorant Archangeli, te hymnis celebrant Principatus, te Dominationes inclamant: gloriam tuam Poteſtates prædicant, tibi Throni ad-

Digitized by Google

clamationes mittunt ; mille millena tibi adsistunt, & decies mille millena, tibi ministerium offerunt. Te celebrant invisib lia, te adorant ea quæ videntur, facientia verbum tuum Domine.

Diaconus dicit. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Tu qui es, o Deus, Domine vere ex Deo vero, qui Patris lumen nobis demonstrasti, qui nobis sancti Spiritus cognitionem veram concessisti : qui magnum hoc vitæ mysterium ostendisti : qui hominibus instituisti choros incorporeorum, dum seraphicum nobis, qui in terra sumus, hymnum tradidisti, suscipe cum invisibilium voce, etiam nostram. Conjunge nos potestatibus cœlestibus. Loquamur etiam & nos cum ipsis, abjectâ omnium absurdarum cogitationum imaginatione, & clamemus quæ ipsi incessabilibus vocibus proclamant, & indesinenter magnitudinem tuam oribus celebremus.

Diaconus dicit. Ad Orientem aspicite.

Sacerdos. Te enim circumsistunt Seraphim, sex alæ uni, & sex alæ alteri : duabus quidem alis velant facies suas, duabus pedes suos, & duabus

εὐφημίαν ἀναπέμπουσι· χίλιαι χιλιάδες σοι ὑπηρετοῦσι, καὶ μύριαι μυριάδες, σοὶ τὴν λειτουργίαν παρεστήκασι· Σὲ ὑμνεῖ τὰ ἀόρατα· σὲ θεραπεύει τὰ φαινόμενα, πάντα ποιοῦντα τὸν λόγον σου Δέσποτα.

Ο Διάκονος λέγει. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Ο ὢν θεὸς κύριε ἀληθινὲ ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ· ὁ τὸ παντὸς ἡμῖν ἐπιδείξας τὸ φέγγος· ὁ τὸ ἁγίου πνεύματος τὴν ἀληθῆ γνῶσιν ἡμῖν χαρισάμενος· ὁ τὸ μέγα τοῦτο τῆς ζωῆς ἀναδείξας τὸ μυστήριον· ὁ τὸ τῶν ἀσωμάτων τοῖς ἀνθρώποις χορὸν συστήσας· ὁ τὸ τὸ σεραφικὸν τοῖς ἐπὶ γῆς ὑμνῳδίαν, δέξαι μὲ τὸ ἀόρατον καὶ τὸ ἡμέτερον φωνήν. Σύναψον ἡμᾶς τὴν ἐπουρανίοις δυνάμεσιν. Εἴπωμεν καὶ ἡμεῖς μετ' αὐτῶν πᾶσαν ἄτοπον ἔννοιαν ἀποσείλαντες βοήσωμεν ὥσπερ ἐκεῖνοι, τὸ ἀσιγήτοις ἀνακεκράζει φωναῖς, ἀκαταπαύστοις στόμασι τὸ σὸν μεγαλεῖον ὑμνήσωμεν.

Ο Διάκονος λέγει. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Σοὶ γὰρ παρίστηκε κύκλῳ τὰ σεραφὶμ ἓξ πτέρυγες τῷ ἑνὶ καὶ τὰ μὲν δυσὶ πτέρυξι κατακαλύπτουσι τὰ πρόσωπα ἑαυτῶν· ταῖς δὲ δυσὶ τοὺς πόδας ἑαυτῶν καὶ ταῖς

μὲν δυσὶ πετόμενα, καὶ ἐκέκραγον ἕτερον πρὸς ἕτερον.

Ἐκφωνήσει. Τὸν ἐπινίκιον ὕμνον τῶν σωτηριῶν ἡμῶν, μετὰ φωνῆς ἐνδόξου, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ, ὑμνολογοῦντα, ᾄδοντα, βοῶντα, δοξολογοῦντα κεκραγότα καὶ λέγοντα.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαὼθ, πλήρης ὁ οὐρανὸς, κλ.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἅγιος, ἅγιος εἶ κύριε καὶ πανάγιος. Ἐξαίρετόν σου τῆς οὐσίας τὸ φέγγος· ἄφραστός σου τῆς σοφίας ἡ δύναμις. Οὐδεὶς λόγος ἐκμετρήσει τῆς σῆς φιλανθρωπίας τὸ πέλαγος. Ἐποίησάς με ἄνθρωπον, ὡς φιλάνθρωπος, οὐκ αὐτὸς τῆς ἐμῆς ἐπιδεὴς δουλείας, ἐγὼ δὲ μᾶλλον τῆς σῆς χρήζων δεσποτείας. Οὐκ ὄντα με δι' εὐσπλαγχνίαν παρήγαγες· οὐρανόν μοι πρὸς ὄροφον ἔστησας· γῆν μοι πρὸς βάσιν κατέπηξας· δι' ἐμὲ θάλασσαν ἐχαλίνωσας· δι' ἐμὲ τὴν φύσιν τῶν ζώων ἀνέδειξας· παντὰ ὑπέταξας ὑπὸ τῶν ποδῶν μου. οὐδ' ἓν τῶν τῆς σῆς φιλανθρωπίας ἐν ἐμοὶ πραγμάτων παρέλειπας.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερὶς λέγει. Σὺ ἔπλασάς με, καὶ ἔθηκας ἐπ' ἐμὲ τὴν χεῖρά σου· τῆς σῆς

volantes, clamant alter ad alterum.

Alta voce. Triumphalem hymnum salutarium nostrorum voce clara, & nitida celebrant, canunt, clamant, laudant, clamantes & dicentes.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Sanctus, Sanctus; Sanctus Dominus Sabaoth, plenum est cœlum, &c.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus es Domine & omnino sanctus. Eximium est substantiæ tuæ lumen, inexplicabilis est tuæ sapientiæ potentia. Nullus sermo dimetietur benignitatis tuæ erga homines pelagus. Fecisti me hominem, tanquam erga humanum genus benignus, non quod servitio meo indigeres, cùm ego potiùs tuo opus haberem dominio. Me cùm non essem, misericordiâ tuâ produxisti, cœlum mihi quasi tectum constituisti: terram ut in ea ambularem stabilivisti: propter me mare frænasti; propter me naturam animalium creasti; omnia subjecisti sub pedibus meis, neque benignitatis erga me tuæ quidquam omisisti.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Tu formasti me & posuisti super me manum tuam, potestatis tuæ in me

Digitized by Google

imaginem descripsisti: rationis donum indidisti: Paradisum mihi ad oblectamentum meum aperuisti: cogitationis tuæ doctrinam tradidisti: arborem mihi, lignum vitæ ostendisti, & mortis stimulum significasti, unius plantæ fruitionem mihi prohibuisti, ex ea sola dixisti ne comederem: comedi, legem insuper habui, & ex animi sententia præceptum neglexi; ego autem sententiam mortis rapui.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Tu mihi Domine pœnam transtulisti: tu velut Pastor bonus, ad errantem cucurristi; tanquam pater verus, mihi, cùm cecidissem, condoluisti, omnibusque ad vitam remediis confovisti. Ipse ad me Prophetas misisti; propter me ægrotantem, legem ad auxilium dedisti: ipse mihi ad sanandum ea in quibus prævaricatus eram, quæ opus erant administrasti: errantibus lumen exortus es: ignorantibus tu semper præsens advenisti, & in virginalem uterum venisti. Incircumscriptus Deus existens, non rapinam arbitratus es esse æqualem Deo, sed temetipsum exinanivisti formam servi accipiens: meam in te naturam benedixisti: mei causa legem imple-

ἐξουσίας ἐν ἐμοὶ τὴν εἰκόνα ὑπεγραψας· τοῦ λόγου τὸ δῶρον ἐνέθηκας· εἰς τρυφήν μοι τὴν παράδεισον ἤνοιξας· τῆς σῆς γνώσεως τὴν διδασκαλίαν παρέδωκας· ἔδειξάς με τὸ δένδρον τῆς ζωῆς * μοι ξύλον ὑπέδειξας· τοῦ θανάτου τὸ κέντρον ἐγνώρισας· ἑνός μοι φύτου τὴν ἀπόλαυσιν ἀπηγόρευσας· ἐξ αὐτοῦ μόνου οὖν εἶπάς μοι μὴ φαγεῖν· ἔφαγον, νόμον ἠθέτησα· γνώμῃ τῆς ἐντολῆς παρήμελησα· ἐγὼ δὲ τοῦ θανάτου τὴν ἀπόφασιν ἥρπασα·

Ο Λαὸς λέγει· Κύριε ἐλέησον.

Ο Ιερεὺς λέγει. Σύ μοι ὦ δέσποτα τὴν τιμωρίαν μετέβαλες· ὡς ποιμὴν ἀγαθὸς εἰς πλανώμενον ἔδραμες· ὡς πατὴρ ἀληθινὸς ἐμοὶ τῷ πεπτωκότι συνήλγησας· πᾶσι τοῖς πρὸς ζωὴν φαρμάκοις κατέδησας. Αὐτός μοι προφήτας ἀπέστειλας. δι' ἐμὲ τὴν νοσοῦντα, νόμον εἰς βοηθείαν ἔδωκας. Αὐτός μοι * τὰς πρὸς ὑγιείαν ᾧ παρανομηθεῖσας, διηκόνησας· φῶς τοῖς πλανωμένοις ἀνέτειλας· τοῖς ἀγνοοῦσι, ὁ ἀεὶ παρὼν ἐπεδήμησας· ἐπὶ τὴν παρθενικὴν ἦλθες νῆδυν. Ο ἀχώρητος θεὸς ὢν, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσω τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσας μορφὴν δούλου λαβών· τὴν ἐμὴν ἔν σοι φύσιν ἡυλόγησας· ὑπὲρ ἐμοῦ τὴν

νόμον ἐπλήρωσας, τῶν πτώματός μου τὴν ἀνάστασιν ὑπηγόρευσας. Εδωκας τοῖς ὑπὸ τοῦ ᾅδου κρατουμένοις τὴν ἄφεσιν· τοῦ νόμου τὴν ἀρὰν ἀπεσόβησας· ἐν σαρκὶ τὴν ἁμαρτίαν κατήργησας· τῆς σῆς ἐξουσίας μοι τὴν δυνάστειαν ἐγνώρισας· τυφλοῖς τὸ βλέπειν ἀπέδωκας· νεκροὺς ἐκ τάφων ἀνέστησας· ῥήματι τὴν φύσιν ἀνώρθωσας· τῆς σῆς εὐσπλαγχνίας μοι τὴν οἰκονομίαν ὑπέδειξας· τῶν πονηρῶν τὴν βίαν ὑπένεγχας· τὴν νῶτόν σου δέδωκας εἰς μάστιγας· τὰς δὲ σιάγονάς σου ὑπέθηκας εἰς ῥαπίσματα· οὐκ ἀπέστρεψας δι' ἐμὲ τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ὡς προβατὸν ἐπὶ σφαγὴν ἦλθες, μέχρι σταυροῦ τὴν ἐμὴν κηδεμονίαν ὑπέδειξας· τῷ σῷ τάφῳ τὴν ἐμὴν ἁμαρτίαν ἐνέκρωσας· εἰς οὐρανὸν τὴν ἐμὴν ἀπαρχὴν ἀνεβίβασας· τῆς σῆς ἀφίξεώς μοι τὴν παρουσίαν ἐμήνυσας, ἐν ᾗ μέλλεις ἔρχεσθαι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

Ο Λαὸς λέγει. Κατὰ τὸ ἐλεός σου κύριε.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ταύτης μου τῆς ἐλευθερίας προσφέρω σοι τὰ σύμβολα, τοῖς ῥήμασί σου ἐπιγράφω τὰ πράγματα. Σύ μοι τὴν μυστικὴν ταύτην

visti: quomodo à lapsu meo surgerem, suggessisti. Illis quos infernus detinebat, remissionem dedisti, legisque maledictionem abstulisti. In carne peccatum destruxisti; potestatis tuæ autoritatem mihi demonstrasti: cæcis visum restituisti: mortuos ex sepulchris excitasti: verbo solo naturam suscitasti: clementiæ tuæ dispensationen mihi ostendisti: malignorum violentiam sustinuisti: dorsum tuum ad flagella dedisti; maxillas quoque alapis, nec avertisti propter me faciem tuam ab ignominia sputorum.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Tanquam ovis ad immolationem venisti, usque ad crucem mei curam ostendisti; tuo sepulchro meum peccatum interemisti: in cœlum primitias meas elevasti: adventus tui præsentiam mihi significasti, in quo venturus es judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundùm opera ejus.

Populus. Secundùm misericordiam tuam Domine, &c.

Sacerdos. Istius meæ libertatis offero tibi symbola, & verbis tuis res effectas adscribo. Tu mihi mysticam hanc tradidisti, carnis tuæ,

Digitized by Google

in pane & vino participationem.

Populus. Credimus.

Sacerdos. Ea enim nocte qua ipse tradidisti te ipsum ex propria potestate.

Populus. Credimus.

Sacerdos. Accipiens panem in sanctas immaculatas, & intaminatas manus tuas innuisti sursum ad proprium tuum Patrem, Deum nostrum & Deum omnium. Gratias egisti ✠ benedixisti ✠ sanctificasti ✠ fregisti, dedisti sanctis tuis discipulis, & Apostolis, dixistique: accipite, edite, hoc est corpus meum quod pro vobis & pro multis frangitur, & datur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem. Similiter postquam cœnatum est, accepisti calicem, & miscuisti illum ex genimine vitis & aqua, gratias egisti ✠ benedixisti ✠ sanctificasti, ✠ dedisti sanctis tuis discipulis, & Apostolis & dixisti: bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem istum bibetis, mortem

παρέδωκας τ῀ σῆς σαρκὸς, ἐν ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τὴν μάθεξιν.

Ο Λαὸς λέγει. Πιστεύομεν.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Τῇ γὰρ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου * αὐτὸς σεαυτὸν, τ῀ σεαυτῷ ἐξουσίας.

Ο Λαὸς λέγει. Πιστεύομεν.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Λαβὼν ἄρτον ἐν τ῀ ἁγίαις καὶ ἀχράντοις καὶ ἀμωμήτοις σου χερσὶν, ἔνευσας ἄνω πρὸς τὸν ἴδιον σου πατέρα θεὸν ἡμῶν καὶ θεὸν τῶν ὅλων· εὐχαριστήσας ✠ εὐλόγησας ✠ ἡγίασας ✠ ἔκλασας, μετέδωκας τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών. Λάβετε φάγετε τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν κλώμενον, καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ ἐπλήσας αὐτὸ ἐκ γενήματος ἀμπέλου, καὶ ὕδατος· εὐχαριστήσας ✠ εὐλόγησας ✠ ἡγίασας ✠ μετέδωκας τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἰπὼν· Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα, τὸ τ῀ καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν & πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνητε δὲ καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν

ἐμὸν

ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν ὁμολογεῖτε ἄχρις οὗ αὖ ἔλθω.

meam annunciabitis, & resurrectionem ascensionemque meam confitebimini donec veniam.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμὴν. γ'. Τὸν θάνατόν σου.

Populus. Amen. *ter.* Mortem tuam, &c.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Ὥστε ὦ δέσποτα μεμνημένοι τῆς θείας γῆς συγκαταβάσεως, καὶ τῆς ζωοποιοῦ θανάτου, καὶ τῆς τριημέρου σου ταφῆς, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς καθέδρας, καὶ τῆς μελλούσης ἀπ' οὐρανῶν δευτέρας καὶ φοβερᾶς, καὶ ἐνδόξου σου παρουσίας. Ἐκφωνήσει. Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δώρων σοι προσφέροντες, κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν.

Sacerdos. Igitur Domine memores tuæ super terram descensionis, & mortis vivificæ, tuæque triduanæ sepulturæ, & ex mortuis resurrectionis, & in cœlos ascensionis, sessionisque ad dexteram Patris, venturique è cœlis, secundi terribilis, & glorioſi adventus tui. *Alta voce.* Tua ex tuis donis tibi offerentes, secundùm omnia, per omnia, & in omnibus.

Ο Λαὸς λέγει. Σὲ αἰνοῦμέν, σε εὐλογοῦμεν.

Populus. Te laudamus, tibi benedicimus.

Ο Διάκονος λέγει. Κλίνατε θεῷ μετὰ φόβου.

Diaconus. Inclinate capita Deo cum timore.

Ο Ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ κλίνας.

Sacerdos inclinatus dicit secretò:

Αὐτὸς οὖν δέσποτα τῇ σῇ φωνῇ τὰ προκείμενα μεταποίησον· αὐτὸς παρὼν, τὴν μυστικὴν ταύτην λειτουργίαν κατάρτισον· αὐτὸς ἡμῖν τῆς σῆς λατρείας καὶ μνήμην διάσωσον. Αὐτὸς τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον κατάπεμψον, ἵνα ἐπιφοίτησιν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ τὰ προκεί-

Ipse igitur Domine tua voce, hæc proposita transmuta: ipse præsens, mysticam hanc liturgiam perfice: ipse nobis tuæ adorationis & cultus memoriam conserva. Ipse Spiritum tuum sanctum mitte, ut adveniens sanctâ, bonâ, & gloriosâ suâ præsentiâ, sanctificet & transmutet proposita

pretiosa, & sancta dona ista, in ipsum corpus & sanguinem nostræ liberationis.

Populus. Attendamus.

Diaconus. Amen.

Sacerdos alta voce. Et faciat, panem quidem istum fieri sanctum corpus tuum, Domini Dei & Salvatoris, supremique regis omnium nostrûm Jesu Christi, in remissionem peccatorum & ad vitam æternam communicantibus ex illo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Calicem autem istum, preciosum tuum sanguinem Novi Testamenti tui, Domini, Dei Salvatoris, & supremi Regis omnium nostrûm Jesu Christi, in remissionem peccatorum, & ad vitam æternam communicantibus ex illo.

Populus. Amen.

Sacerdos dicit sequentia & populus respondet. Kyrie eleison.

Te obsecramus Christe Deus noster.

Ecclesiæ tuæ Domine fundamentum confirma.

Caritatis nobis concordiam radicitus insere.

Fidei veritatem auge.

Pii tui cultus viam rectam nobis dirige.

μμα, τίμια & ἅγια δῶρα ταῦτα, εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα & τὸ αἷμα τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως.

Ο λαὸς λέγει. Πεσχωμεν.

Ο διάκονος λέγει. Ἀμήν.

Ο ἱερεὺς ἀφωνήσει Καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον * γένηται εἰς τὸ ἅγιον σῶμά σου, τοῦ κυρίου ἡμῶν & θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ παμβασίλεως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, & εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Ο λαὸς λέγει Ἀμήν.

Ο ἱερεὺς λέγει. Τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, τὸ τίμιόν σου αἷμα, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης σου, οὗ κυρίου ἡμῶν & θεοῦ & σωτῆρος καὶ παμβασίλεως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Ο λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ο ἱερεὺς λέγει, ὁ λαὸς ἀποκρίνεται τὸ Κύριε ἐλέησον.

Σὲ δυσωπῶμεν Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν.

Τῆς ἐκκλησίας σου κύριε τὸν κρηπῖδα κατάπηξον.

Τῆς ἀγάπης ἡμῶν τὸν ὁμόνοιαν ῥίζωσον.

Τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν αὔξησον.

Τῆς σῆς εὐσεβείας ἡμῖν τὴν ὁδὸν εὐθυτόμησον.

Digitized by Google

Τοὺς ποιμένας ὀχύρωσον.
Pastores robora.

Τοὺς ποιμαινομένους ἀσφάλισαι.
Eos qui pascuntur, securos præsta.

Δὸς τῷ κλήρῳ τὴν εὐκοσμίαν.
Da Clero morum honestatem,

Τοῖς μοναχοῖς τὴν ἐγκράτειαν.
Monachis temperantiam,

Τοῖς ἐν παρθενίᾳ τὸ σωφρονεῖν.
Illis qui virginitatem servant, temperantiam,

Τοῖς ἐν τιμίῳ γάμῳ τὴν εὐζωίαν.
Illis qui sunt in honorabili conjugio, bonam vitam,

Τοῖς ἐν μετανοίᾳ τὸ ἔλεος.
Illis qui in pœnitentia sunt, misericordiam,

Τοῖς πλουτοῦσι τὴν ἀγαθότητα.
Divitibus bonitatem,

Τοῖς πενομένοις τὴν ὠφέλειαν.
Indigentibus adjutorium,

Τοῖς πτωχοῖς τὴν βοήθειαν.
Pauperibus auxilium.

Τοὺς πρεσβύτας ἐνίσχυσον.
Senes robore accinge.

Τοὺς νέους σωφρόνισον.
Juvenes temperantes effice.

Τοὺς ἀπίστους ἐπίστρεψον.
Infideles converte.

Παῦσον τῆς ἐκκλησίας τὰ σχίσματα.
Comprime Ecclesiæ schismata.

Τῶν αἱρέσεων κατάλυσον τὰ φρυάγματα.
Hæreseon fremitus destrue.

Πάντας ἡμᾶς εἰς τὴν τῆς σῆς εὐσεβείας ὁμόνοιαν σύναψον.
Nos omnes ad pii cultus tui concordiam conjunge.

Ο λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.
Populus. Kyrie eleison.

Ο ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῆς εἰρήνης καὶ ἁγίας, μόνης, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς (καὶ ἐκκλησίας, τῆς ἀπὸ περάτων, ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, τῶν ὀρθοτομούντων τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Sacerdos. Memento Domine pacis sanctæ, unius, Catholicæ, & Apostolicæ tuæ Ecclesiæ, quæ est à finibus usque ad fines orbis, & eorum qui in illa sunt Orthodoxorum Episcoporum, qui rectè dispensant verbum veritatis.

Ἐκφώνησις.

Elevans vocem.

Ἐξαιρέτως τὸν ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἀρχιερέως ἡμῶν Ἀββᾶ

Præcipuè sanctissimi & beatissimi Pontificis nostri Abba

N. Papæ & Patriarchæ magnæ civitatis Alexandriæ, & pro illis qui superstites sunt Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Anagnostis, Psaltis, Exorcistis, monasticam vitam & perpetuam virginitatem profitentibus, continentibus, viduis, orphanis, laicis, & pro omni plenitudine fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ.

Δ'. πάπα καὶ πατριάρχου τῆς μεγαλοπόλεως Αλεξανδρείας. Καὶ ὑπὲρ τῶν περιόντων ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, ἀναγνώστων, ψαλτῶν, ἐξορκιστῶν, μοναζόντων, ἀειπαρθένων, ἐγκρατῶν, χηρῶν, ὀρφανῶν, λαϊκῶν, καὶ ὑπὲρ πάντος τοῦ πληρώματος, τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας τῶν πιστῶν.

Populus. Kyrie eleison.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Sacerdos. Memento Domine eorum qui piè regnant.

Ο Ιερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῶν εὐσεβῶς βασιλευσάντων.

Memento Domine eorum qui sunt in palatio, fratrum nostrorum fidelium & orthodoxorum, & totius exercitus.

Μνήσθητι κύριε τῶν ἐν τῷ παλατίῳ, ἡμῶν ἀδελφῶν πιστῶν, καὶ ὀρθοδόξων, καὶ πάντος τοῦ στρατοπέδου.

Memento Domine eorum qui offerunt, sancta hæc dona, & pro quibus & per quos obtulerunt, mercedemque cœlestem retribue illis omnibus.

Μνήσθητι κύριε τῶν προσφερόντων τὰ ἅγια δῶρα ταῦτα, καὶ ὑπὲρ ὧν, καὶ δι' ὧν προσεκόμισαν, καὶ μισθὸν οὐράνιον παρασχοῦ πᾶσιν αὐτοῖς.

Memento Domine eorum qui sunt in montibus, speluncis, & cavernis terræ.

Μνήσθητι κύριε καὶ τῶν ἐν ὄρεσι, καὶ σπηλαίοις καὶ τῶν ὀπαῖς τῆς γῆς.

Et eorum qui in captivitate sunt, fratrum nostrorum, illisque pacificum reditum ad propria concede.

Καὶ τῶν ἐν αἰχμαλωσίαις ὄντων ἀδελφῶν ἡμῶν καὶ εἰρηνικὰς ἀποκαταστάσεις εἰς τὰ ἴδια χάρισαι.

Diaconus. Orate pro captivis.

Ο Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων.

Populus. Kyrie eleison.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Tunc inclinat Sacerdos caput, dicens secretè.

Τότε κλίνει Ιερεὺς τὴν ἑαυτοῦ κεφαλὴν λέγων καθ' ἑαυτὸν ἐν ἑαυτῷ.

Memento Domine etiam

Μνήσθητι κύριε καὶ τῆς ἐμῆς ἀθλίας

καὶ ταλαιπώρου ψυχῆς, ταπεινώσεώς μου, καὶ συγχώρησόν μοι πάντα τὰ ἐμὰ πλημμελήματα καὶ ὁποῦ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, περίσσευσόν σου τὴν χάριν, καὶ μὴ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας, καὶ τὴν βεβήλωσιν τῆς καρδίας μου, ὑστερήσῃς τὸν λαόν σου τῆς χάριτος, τοῦ ἁγίου σου πνεύματος.

miseræ meæ & infelicis animæ, & humiliationis meæ, & remitte mihi omnia delicta mea & ubi abundavit peccatum, abundantiorem præsta gratiam tuam: neque propter peccata mea & immunditiam cordis mei defraudes populum tuum gratia tui sancti Spiritus.

Ὑψώσει τὴν κεφαλὴν καὶ ἐκφανήσει.

Attollit caput & dicit alta voce.

Ὁ γὰρ λαός σου, καὶ ἡ ἐκκλησία σου ἱκετεύει σε, καὶ διὰ σου καὶ σύν σοι τὸν πατέρα, λέγουσα.

Populus enim tuus & Ecclesia tua deprecatur te, & per te atque tecum Patrem dicens.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν. γ'.

Populus. Miserere nobis Deus Salvator noster. *ter.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν. γ'.

Sacerdos. Miserere nobis Deus Salvator noster. *ter.*

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει Μνήσθητι κύριε τοῦ ἀέρος καὶ τῶν καρπῶν τῆς γῆς.

Sacerdos. Memento Domine aëris & fructuum terræ.

Μνήσθητι κύριε τῆς συμμέτρου ἀναβάσεως τῶν ποταμείων ὑδάτων.

Memento Domine convenientis ascensionis aquarum fluvialium.

Μνήσθητι κύριε τῶν ὑετῶν καὶ τῶν σπορίμων τῆς γῆς.

Memento Domine imbrium, & fatorum terræ.

Εὔφρανον πάλιν καὶ ἀνακαίνισον τὸ πρόσωπον τῆς γῆς.

Lætifica etiam & renova faciem terræ.

Τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον, πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς· παράστησον ἡμῖν αὐτὰ εἰς σπέρμα, καὶ εἰς θερισμὸν, καὶ νῦν εὐλογῶν εὐλόγησον. Τὴν ζωὴν ἡμῶν οἰκονόμησον. Εὐλόγησον τὸν στέφανον τοῦ

Sulcos ejus inebria, multiplica genimina ejus: præbe nobis illa ad semen & ad messem, & nunc benedicens benedicito. Vitam nostram rege: benedic coronæ anni benignitatis tuæ, propter pauperes

populi tui, propter viduam & orphanum, propter hospitem & advenam, & propter nos omnes sperantes in te, & invocantes nomen tuum sanctum. Oculi enim omnium in te sperant & tu das escam illorum in tempore opportuno. Fac nobiscum secundum bonitatem tuam, qui das escam omni carni. Imple gaudio & lætitia corda nostra, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, ad faciendam voluntatem tuam sanctam.

ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου, διὰ τοὺς πτωχοὺς τῶν λαῶν σου, διὰ τὴν χήραν, καὶ τὴν ὀρφανὸν, διὰ τὸν ξένον, καὶ τὸν προσήλυτον, καὶ δι' ἡμᾶς πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σοι, καὶ ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἰς σε ἐλπίζουσι, καὶ σὺ διδοὺς τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ποίησον μεθ' ἡμῶν κατὰ τὴν ἀγαθότητά σου, ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ. Πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα ἐν πᾶσι, πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύσωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, τὴν ποιεῖν τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον.

Populus. Kyrie eleison.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Sacerdos dicit & populus respondet

Ο Ιερεὺς λέγει, καὶ ὁ λαὸς ἀποκρίνεται.

Kyrie eleison.

Κύριε ἐλέησον.

Concede populo tuo concordiam,

Χάρισαι τῷ λαῷ σου τὴν ὁμόνοιαν.

Mundo præclarum statum,

Τῷ κόσμῳ τὴν εὐστάθειαν.

Aëri temperiem,

Τῷ ἀέρι τὴν εὐκρασίαν.

Ægrotantibus salutem,

Τοῖς νοσοῦσι τὴν σωτηρίαν.

Indigentibus refrigerium,

Τοῖς δεομένοις τὴν ἀνάψυξιν.

Illis qui in exiliis sunt, quietem,

Τοῖς ἐν ἐξορίαις τὴν ἄνεσιν.

Orphanis auxilium,

Τοῖς ὀρφανοῖς τὴν βοήθειαν.

Viduis protectionem.

Ταῖς χηραῖς τὴν ἀντίληψιν.

Angustiatis subministra quantum opus est, ut bene sint.

Τοῖς θλιβομένοις ἐπάρκησον εἰς ἀγαθὸν.

Stantes confirma.

Τοὺς ἑστῶτας ὀχύρωσον.

Eos qui ceciderunt erige.

Τοὺς πεπτωκότας ἔγειρον.

Digitized by Google

Τὺς ἑστηκότας ἀσφάλισαι.

Securos præsta eos qui stant.

Τῶν κεκοιμημένων μνήσθητι.

Mortuorum reminiscere.

Τῶν ἐν ὁμολογίᾳ, τὰς πρεσβείας προσδέξαι.

Eorum qui in confessione sunt, intercessiones suscipe.

Τὺς ἡμαρτηκότας & μετανοήσαντας, συναρίθμησον μὴ τῆ πίστων σου.

Eos qui peccaverunt, & egerunt pœnitentiam, adnumera cum fidelibus tuis.

Τὺς πιστὺς συναρίθμησον μὴ μάρτυρσιν σου.

Fideles adnumera cum martyribus tuis.

Μιμητὰς, τοὺς πάροντας ἐν τῷ τόπῳ τύτῳ τῶν ἀγγέλων κατάστησον.

Eos qui in hoc loco præsentes sunt imitatores Angelorum constitue.

Καὶ ἡμᾶς τῇ σῇ χάριτι πρὸς τὴν κεκλημένης διακονίαν ἀναξίους ὄντας ὑπόδεξαι.

Et nos gratia tua, ad tuum vocatos ministerium indignos licet, suscipe.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleison.

Ο Ιερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε καὶ τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης, καὶ τῶν ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει οἰκούντων ἐν αὐτῇ, καὶ πάσης πόλεως καὶ χώρας σὺν παντὶ τῷ κοσμῷ αὐτῶν. Καὶ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ λιμῶ καὶ λοιμῶ, σεισμῶ καὶ καταποντισμῶ πυρὸς, & ἀπὸ αἰχμαλωσίας βαρβάρων, καὶ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων μαχαιρῶν, καὶ ἐπιθέσεως ἐχθρῶν τε, καὶ αἱρετικῶν.

Sacerdos. Memento Domine & urbis nostræ hujus & habitantium in ea in orthodoxa fide, omnis quoque urbis & regionis, cum omni populo ejus: & libera nos à fame & peste, à terræ motu, à submersione, ab igne, à captivitate barbarorum, à gladiis alienis, ab insultu hostium & hæreticorum.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleison.

Ο Ιερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῶν προλαβόντων ὁσίων πατέρων ἡμῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, καὶ πάντων τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων, ἁγίων

Sacerdos. Memento Domine eorum qui dudum obierunt sanctorum Patrum nostrorum; Orthodoxorum Episcoporum, & omnium qui à sæculo tibi placuerunt sanctorum

Patrum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Prophetarum, Prædicatorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, omniſque ſpiritus juſti, in fide Chriſti conſummati.

πατέρων, πατριαρχῶν, ἀποστόλων, προφητῶν, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, καὶ παντὸς πνεύματος δικαίου, ἐν πίστει Χριστοῦ τετελειωμένου,

Alta voce.

Præcipuè ſanctiſſimæ, glorioſiſſimæ, immaculatæ, & benedictionibus cumulatæ, dominæ noſtræ, Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ.

Ἐφώνησις.

Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Sancti glorioſi, Prophetæ, præcurſoris, Baptiſtæ & martyris Joannis.

Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου, βαπτιστοῦ, καὶ μάρτυρος Ἰωάννου.

S. Stephani primi Diaconi & primi Martyris,

Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρωτοδιακόνου, καὶ πρωτομάρτυρος.

Et ſancti & beati Patris noſtri Marci, Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Καὶ τοῦ ἁγίου καὶ μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου, τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ.

Et ſancti Patris noſtri Gregorii.

Καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς Γρηγορίου.

Eorumque quorum hodiè memoriam facimus, & omnis chori Sanctorum tuorum, quorum precibus & interceſſionibus miſerere noſtri, & ſalva nos, propter nomen tuum ſanctum, quod invocatum eſt ſuper nos.

Καὶ ὧν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ τὴν ὑπόμνησιν ποιούμεθα, καὶ παντὸς χοροῦ τῶν ἁγίων σου, ὧν τὰς εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις, καὶ ἡμᾶς ἐλέησον, καὶ σῶσον, διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ἡμᾶς.

Diaconus recitat Diptycha.
Sacerdos dicit ſecretò.

Ὁ Διάκονος λέγει τὰ Δίπτυχα.
Ὁ Ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ.

Memento Domine eorum qui pridem obdormierunt, in orthodoxa fide, patrum & fratrum noſtrorum, & fac animas eorum quieſcere, cum

Μνήσθητι κύριε τῶν προκεκοιμημένων ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει πατέρων ἡμῶν καὶ ἀδελφῶν, καὶ ἀνάπαυσον ταὶς ψυχὰς αὐτῶν ἐν ὁσίοις,

μὴ

μὴ δικαίων. Ἐκθρεψον, σωσον εἰς τόπον χλόης, ὅπου ὕδατος ἀναπαύσεως, ἐν τρυφῇ παραδείσῳ τρυφῆς, καὶ μετὰ τύπων, ὧν εἰπομεν τὰ ὀνόματα αὐτῶν.

sanctis & juſtis. Deduc eos & congrega in locum herbidum, ſuper aquam refectionis, in paradiſo voluptatis, & cum illis quorum nomina recitavimus.

Τότε μνημονεύει ζώντων & νεκρῶν, καὶ μετὰ δίπτυχα ὁ Ἱερεὺς λέγει.

Tunc commemorationem facit vivorum & mortuorum, & poſt diptycha Sacerdos dicit.

Μνήσθητι κύριε ὧν ἐμνήσθημεν, καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν, πιστῶν καὶ ὀρθοδόξων, μετ' ὧν καὶ ἡμῖν σωὶ αὐτοῖς ὡς ἀγαθὸς, καὶ φιλάνθρωπος θεός.

Memento Domine eorum quorum meminimus, & quorum non meminimus fidelium & orthodoxorum, cum quibus & nobis cum ipſis, tanquam bonus & benignus erga homines Deus.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἄνες, ἄφες, συγχώρησον.

Populus. Remitte, parce, condona.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σὺ γὰρ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐλεήμων, ὁ μὴ βουλόμενος τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τὸ μετανοῆσαι καὶ ζῆν αὐτόν. Ὁ θεὸς ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ἐν τῇ σωτηρίῳ σου ποιήσον μετ' ἡμῶν καὶ τὴν ἐπιείκειαν σου, ὁ ποιῶν ὑπὲρ ἐν πολλοῖς ὧν αἰτούμεθα, ἢ νοοῦμεν· ἵνα ᾖς καὶ ἐν τούτῳ καθὼς & ἐν παντὶ δοξάσθῃ & ὑψωθῇ καὶ ὑμνηθῇ, καὶ εὐλογηθῇ καὶ ἁγιάσθῃ τὸ πάναγιον & ἔντιμον, & εὐλογημένον σου ὄνομα, ἅμα τῷ ἁγιωτάτῳ σου πατρὶ & ἁγίῳ πνεύματι.

Sacerdos. Tu enim es Deus noſter, miſericors, nolens mortem peccatoris, ſed potiùs ut convertatur & vivat. Deus viſita nos in ſalutari tuo, fac nobiſcum ſecundùm manſuetudinem tuam, qui facis longe plura quam petimus, aut cogitamus, ut in hoc ſicut & in omnibus, glorificetur & exaltetur, laudetur & benedicatur, & ſanctificetur ſanctum, honorandum & benedictum nomen tuum, cum immaculato tuo Patre & ſancto Spiritu.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ὡς ἦν, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται.

Populus. Sicut erat, eſt, & erit.

Ὁ Διάκονος λέγει. Καταβαίνετε οἱ διάκονοι.

Diaconus. Deſcendite Diaconi.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Proœmium fractionis.

Sacerdos. Jeſu Chriſte, nomen ſalutare, qui divina, immaculata, & cœleſtia hæc myſteria deſignaſti: qui Sacerdotes quidem in ordine miniſtrorum conſtituiſti, per inviſibilem autem tuam potentiam ea transformaſti: qui mundis corde exhiberis & illis qui ſincerè accedunt, per te ipſum ea præbes.

Qui tunc benedixiſti, etiam nunc benedic.

Qui tunc ſanctificaſti, etiam nunc ſanctifica.

Qui tunc fregiſti, etiam nunc frange.

Qui tunc dediſti diſcipulis & Apoſtolis tuis, etiam nunc Domine, da nobis & omni populo tuo, benigne, omnipotens, Domine Deus noſter.

Diaconus. Orate.

Populus. Kyrie eleiſon.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio fractionis.

QUi es, qui eras, qui veniſti & iterum venturus es, qui ad dexteram Patris ſedes: panis qui de cœlo

Ο Ιερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Προοίμιον τ κλάσεως.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ἰησοῦ Χριστὲ, τὸ σωτήριον ὄνομα, ὁ τὰ θεῖα καὶ ἄχραντα καὶ ἐπουράνια ταῦτα μυστήρια δηλοποιήσας· ὁ τοὺς μὲν ἱερεῖς ἐν τάξει ὑπηρετῶν στήσας· δηλοῖ δὲ τ ἀοράτου σου δυνάμεως αὐτὰ μεταστοιχειώσας. Ο τοῖς καθαροῖς τῇ καρδίᾳ ἐπιφαινόμενος, καὶ τοῖς γνησίως προσιοῦσι δηλοῖ σεαυτὸν * παρέχοντος.

Ο τότε εὐλογήσας, καὶ νῦν εὐλόγησον.

Ο τότε ἁγιάσας, καὶ νεῦ ἁγίασον:

Ο τότε κλάσας καὶ νεῦ δίδου θρέψον.

Ο τότε δηλοὺς τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις· καὶ νεῦ δίδου δηλοὺς ἡμῖν, καὶ παντὶ τῷ λαῷ σου φιλανθρωπε, παντοκράτορ, κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν.

Ο Διάκονος λέγει· Πρόσχετε.

Ο λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ευχὴ τῆς κλάσεως.

Ὠν, ὁ ἦν, ὁ ἐλθὼν, καὶ πάλιν ἐρχόμενος· ὁ ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς καθήμενος· ὁ ἄρτος, ὁ κα-

Digitized by Google

ταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ· ὁ μέγας ἀρχιερεὺς, ὁ ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας ἡμῶν· τὸ φῶς ἀληθινὸν τὸ πρὸ πάντων αἰώνων. Ος ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ τοῦ ἰδίου σου πατρός· ὁ εὐδοκήσας καὶ καταξίωσας κατελθεῖν ἐκ τῶν ὑψωμάτων τοῦ οὐρανοῦ, ἐκ κόλπων τοῦ ἀπροσίτου φωτός, καὶ ἀληθινοῦ καὶ ἀοράτου μόνου πατρὸς. Σαρκωθεὶς δὲ ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἐκ τῆς πανενδόξου, ἀχράντου, ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, ἐν τελέως ἐνανθρωπήσας· οὐ κατὰ μετάστασιν, τὴν ἀνθρωπότητα ἀναλλοιώσας· ἑνώσας ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν, ἀφράστως καὶ ἀπερινοήτως, ἀτρέπτως δὲ καὶ ἀσυγχύτως, ψυχὴν ἔχουσαν λογικήν τε καὶ νοερὰν, οὕτως προῆλθες ἐξ αὐτῆς θεανθρωπωθεὶς· ὁμοούσιος πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Οὐ δύο πρόσωπα οὖν, οὐδὲ δύο μορφὰς ἤγουν, οὐδὲ ἐν δυσὶ φύσεσι γνωριζόμενος, ἀλλ' εἷς θεὸς, εἷς κύριος, μία οὐσία, μία βασιλεία, μία δεσπότεια, μία ἐνέργεια, μία ὑπόστασις, μία θέλησις, μία φύσις τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη, καὶ προσκυνουμένη. Σταυρωθεὶς δὲ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ὁμολογή-

descendisti & das vitam mundo: Pontifex magnus, autor & princeps salutis nostræ. Lux vera existens ante omnia sæcula: qui es splendor gloriæ & character substantiæ Patris proprii tui: qui per beneplacitum tuum dignatus es descendere de excelsis cœli, ex sinu luminis inaccessibilis, & veri, invisibilisque solius Patris. Quique incarnatus de Spiritu sancto, & ex gloriosissima, immaculata, sancta, domina nostra, Deipara & semper Virgine Maria, perfectè homo factus es: non per transmutationem, humanitatem mutans, sed uniens tibi eam secundùm hypostasin, modo inexplicabili, & inintelligibili, sed absque mutatione & confusione, animam habentem rationalem & intellectu præditam. Ita ex ea processisti, Deus homo factus, consubstantialis Patri secundùm divinitatem, & consubstantialis nobis secundùm humanitatem. Non duas personas, aut duas formas habens, neque in duabus naturis agnitus: sed unus Deus, unus Dominus: una substantia, unum regnum, una dominatio, una operatio, una hypostasis, una voluntas, una natura Dei Verbi incarnata & adorata. Crucifixus autem sub Pontio Pilato, con-

fessusque præclaram confessionem: passus & sepultus resurrexisti tertia die, & ascendens in cœlum, consedisti ad dexteram magnitudinis Patris, conculcasti mortem, infernum spoliasti, confringens portas æreas, & vectes ferreos rupisti, captivum Adamum revocasti ex corruptione, nosque liberasti à diaboli servitute.

Idcirco rogamus & imploramus te benigne, bone, præstare nobis dignare, ut puro corde audeamus absque timore, invocare omnium Dominum, cœlestem Deum, Patrem sanctum & dicere, &c.

Oratio alia fractionis.

TU enim es Verbum Patris, ante sæcula Deus, magnus Pontifex, qui pro salute generis humani incarnatus, & homo factus es, advocasti ad te ex omnibus gentibus, genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum in adquisitionem. Idcirco rogamus & imploramus te, benigne, bone Dominè, ne in reprehensionem, & confusionem, non in judicium & condemnationem peccatorum nostrorum, fiat hoc sacrificium, quod pro infirmitatibus nostris obtulisti & immolavi: passionem quoque & sepulturam tertia die, & resurrectionem, & ascensionem in cœlum, & sessionem ad dexteram magnitudinis Patris, & mortis destructionem, & portarum æreas confractionem, & vectes ferreos rupturam, & captivum Adamum revocationem, & corruptionis liberationem, & diaboli servitutis.

Idcirco rogamus & imploramus te benigne, bone, præstare nobis dignare, ut puro corde audeamus absque timore, invocare omnium Dominum, cœlestem Deum, Patrem sanctum & dicere, &c.

σας τ καλλω ὁμολογίαν· παθὼν καὶ ταφεὶς ϗ ἀναστὰς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ϗ ἀνελθὼν εἰς οὐρανὺς, καὶ καθίσας ἐν τῇ δεξίᾳ τ μεγαλωσύνης ϑ πατρὸς, πατήσας τ θάνατον, καὶ τὸν ᾅδην σκυλεύσας, σωτηρίας πύλας χαλκᾶς, ϗ μόχλους σιδηρᾶς συνθλάσας, ϗ τ αἰχμάλωτον Ἀδὰμ, ἀνακαλεσάμενος ἐκ φθορᾶς, ϗ ἡμᾶς ἐλευθερώσας ἐκ τ τ διαβόλου δουλείας.

Διὸ ὁ δόμενος ὡς παρακαλῶμέν σε, φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, καταξίωσον ἡμᾶς ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ τολμᾶν ἀφόβως ἐπικαλεῖσθαι τ παίτων δεσπότην ἐπουράνιον θεὸν, πατέρα ἅγιον καὶ λέγειν.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

Σὺ γὰρ εἶ ὁ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ θεοπάτωρ θεὸς, ὁ μέγας ἀρχιερεὺς, ὁ ὅτι σωτηρίας τ γένους τ ἀνθρώπων σαρκωθεὶς ϗ ἐναθρωπήσας, ϗ προσκαλεσάμενος ἑαυτῷ ἐκ πάντων τ ἐθνῶν γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸν εἰς περιποίησιν· Διὸ ὁ δόμεθα, ϗ παρακαλῶμέν σε, φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, κύριε, μὴ εἰς ἔλεγχον ϗ ὄνειδος, μὴ εἰς κρίμα, μηδὲ εἰς κατάκριμα τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν γένηται ἡ θυσία αὕτη· ὑπὲρ γὰρ * τ ἀσθενειῶν ἡμῶν προσ-

νέγχαμεν· ἀλλ' ὥσπερ τὰ πανάγιά σου τιμία δῶρα ταῦτα πάσης ἁγιωσύνης ἐμπλῆσαι κατηξίωσας, διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος ἐπ' αὐτῶν, οὕτως καὶ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν, δούλων σου, ἁγιάσαι καταξίωσον τὰς ψυχὰς, τὰ σώματα, τὰ πνεύματα, τὰς συνειδήσεις, ὅπως πεφωτισμένῃ ψυχῇ, ἀνεπαισχύντῳ προσώπῳ, καρδίᾳ καθαρᾷ, συνειδήσει ἀνυποκρίτῳ, ἡγιασμένοις χείλεσιν, ἀγάπῃ τελείᾳ, ἐλπίδι ἀσφαλεῖ, τολμῶμεν μετὰ παῤῥησίας, ἄνευ φόβου, λέγειν τὴν ἁγίαν προσευχὴν, ἣν μετέδωκας τοῖς ἰδίοις, τοῖς ἁγίοις σου μαθήταις καὶ ἱεροῖς ἀποστόλοις, ὅταν προσεύχησθε, οὕτως προσεύχεσθε ὑμεῖς. Πατὲρ ἡμῶν.

Ο Λαὸς λέγει· Ἁγιασθήτω.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

ΕΥλογητὸς εἶ Χριστὲ ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ λυτρώτης τῆς ἑαυτοῦ ἐκκλησίας· ὦ λόγε, ὃν * προνοοῦσιν αὐτὸν, καὶ ἄνθρωπε ὃν προθεωροῦσιν αὐτὸν. Ο διὰ τῆς ἀκαταλήπτου αὐτοῦ σαρκώσεως, ἑτοίμασας ἡμῖν ἄρτον ἐπουράνιον, τοῦτο τὸ σῶμά σου, ὃν ἔθου ἐν μυστήριον * καὶ πανάγιον ἐν τοῖς ἅπασιν. Εκέρασας ἡμῖν ποτήριον ἐξ ἀμπέλου ἀληθείας, ἐκθείας καὶ ἀχράντου σου πλευρᾶς. Ο καὶ μετὰ δεδωκέναι τὸ πνεῦμα ἐκχέων

mus, sed quemadmodum sanctissima tua hæc & preciosa munera omni sanctitate replere dignatus es, per illapsum sanctissimi tui Spiritus super illa, ita & nostrum peccatorum, servorum tuorum sanctificare dignare animas, corpora, spiritus, & conscientias, ut animâ illuminatâ, facie non confusa, corde puro, conscientia hypocrisis vacua, labiis sanctificatis, caritate perfecta, fide secura; audeamus cum fiducia absque timore, dicere sanctam orationem quam tradidisti sanctis tuis discipulis, & sacris Apostolis, dicendo, quando orabitis in hunc modum orate. Pater noster, &c.

Populus. Sanctificetur, &c.

Oratio alia fractionis.

BEnedictus es Christe Deus omnipotens liberator Ecclesiæ tuæ: ô Verbum quod cogitatione assequuntur, & homo quem intuentur. Qui per incomprehensibilem incarnationem tuam, præparasti nobis panem cœlestem, hoc corpus tuum quod constituisti in Sacramento, sanctissimum in omnibus. Miscuisti nobis calicem ex vite vera, divino scilicet atque immaculato latere tuo. Qui postquam tradidisses spiritum

ex eodem latere effudisti sanguinem & aquam, in quibus sanctificatio esset universo mundo. Posside nos bone Domine, indignos servos tuos: fac nos populum acquisitionis, regale Sacerdotium, gentem sanctam. Sanctifica etiam nos Deus, sicut sanctificasti proposita hæc sancta munera, & fecisti ea invisibilia ex visibilibus, mysteria quæ solus intelligis, Domine Deus & Salvator noster Jesu Christe. Tu igitur Domine per multam tuam misericordiam præstare nobis dignatus es, ut per Baptismum efficeremur filii & hæredes. Docuisti nos formam orationis mysticam, qua oraremus immaculatum Patrem tuum. Tu ergo etiam nunc Dominator Domine dignos effice nos, ut cum conscientia sanctificata, & mente bona qualis filios decet, cum desiderio, & fiducia bona audeamus invocare, qui in cœlis est sanctum Deum Patrem tuum & dicere.

Populus. Pater noster. *& postea quam recitata est oratio dominica Sacerdos dicit.*

Ita Domine: Domine qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes & scorpios, omnemque potestatem inimici, contere & subjice capita inimicorum nostrorum sub pedibus

ἐξ αὐτῆς αἷμα καὶ ὕδωρ, οἷς ἁγιασμὸς τῷ κόσμῳ παντὶ. Κτήσαι ἡμᾶς ἀγαθὲ κύριε τοὺς ἀναξίους δούλους σου· ποίησον ἡμᾶς λαὸν περιούσιον, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον. Ἁγίασον καὶ ἡμᾶς ὁ θεὸς, ὥσπερ ἡγίασας τὰ προκείμενα καὶ ἅγια δῶρα ταῦτα, καὶ ἐποίησας αὐτὰ ἀόρατα ἐκ τῶν ὁρατῶν, μυστήρια ὧν * προνοοῦσιν, αὐτά σοι κύριε ὁ θεὸς, ὁ σωτὴρ ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς. Σὺ οὖν κύριε διὰ τῆς πολλῆς σου εὐσπλαγχνίας κατηξίωσας ἡμᾶς διὰ τοῦ βαπτίσματος γένεσθαι εἰς υἱοὺς καὶ κληρονόμους. Ἐδίδαξας ἡμᾶς τὸν τύπον τῆς προσευχῆς ὃς ἐστὶν ἐμμυστήριος, τοῦ προσεύχεσθαι ἐν αὐτῇ τὸν ἄχραντόν σου πατέρα. Σὺ οὖν καὶ νῦν δέσποτα κύριε καταξίωσον ἡμᾶς ἐν ἁγιασμένῃ συνειδήσει, καὶ λογισμῷ ἀγαθῷ ὃν * πρέπει . . . . . πόθῳ καὶ παῤῥησίᾳ ἀγαθῇ τολμᾶν ἐπικαλεῖσθαι τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἅγιον θεὸν, πατέρα σου καὶ λέγειν.

Ο Λαὸς λεγει· Πατὲρ ἡμῶν. καὶ μετὰ τὸ Πατὲρ ἡμῶν.

Ναὶ κύριε, κύριε ὁ δεδωκὼς ἡμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπιῶν, καὶ ἐπὶ πᾶσαν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, σύντριψον καὶ καθυπόταξον τὰς κεφαλὰς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ὑπὸ

τὰς πόδας ἐν τάχει, καὶ πᾶσαν τὴν κακότεχνον αὐτῶν ὑπόνοιαν, τὴν κατ' ἡμῶν διασκέδασον, ὅτι σὺ εἶ βασιλεὺς ἡμετέρων * πάντων Χριστὲ ὁ Θεὸς· καί σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν καὶ τὴν προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.

noſtris velociter, omnemque doloſam eorum adversùs nos cogitationem diſſipa, quoniam tu es Rex omnium noſtrûm, Chriſte Deus; tibique gloriam, & gratiarum actionem & adorationem quotidie offerimus, ſimulque Patri tuo qui ſine principio eſt, & ſancto Spiritu, nunc, &c.

Ο Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλὰς ἡμῶν.

Diaconus. Inclinate capita veſtra, &c.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Oratio inclinationis capitis.

Ο Κλίνας οὐρανοὺς καὶ κατελθὼν ὅλην τὴν γῆν, εἰς σωτηρίαν τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, ὁ τῆς χάριτος πᾶσαν ἐξαπλώσας τὴν εὐθηνίαν· ὁ ποιῶν πάντα ὑπὲρ ἐν περιοσῷ, ὧν αἰτούμεθα, ἢ νοοῦμεν· φιλανθρωπε, ἀγαθὲ, ἔκτεινόν σου τὴν ἀόρατον, τὴν εὐλογημένην, τὴν μεστὴν ἐλέους καὶ οἰκτιρμῶν, καὶ εὐλογῶν εὐλόγησον τοὺς δούλους σου, καὶ καθάρισον αὐτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος· καὶ ποίησον ἡμᾶς μετόχους καὶ συσσώμους γενέσθαι τῆς σῆς χάριτος, ὅπως ἐν ἁγιότητι καὶ δικαιοσύνῃ σοι τὴν ἱκεσίαν προσφέροντες *, καί σοι πρέπει πᾶσα δόξα, μεγαλοσύνη, κράτος τε καὶ ἐξουσία, ἅμα τῷ ἀχράντῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.

QUi inclinans cœlos deſcendiſti in terram, ad ſalutem humani generis, qui gratiæ tuæ omnem abundantiam explicaſti: qui omnia facis abundantiùs quàm petimus & cogitamus: benigne, bone, extende manum tuam inviſibilem, benedictam, plenam miſericordiæ & miſerationum, & benedicens benedic ſervos tuos, eoſque munda ab omni inquinamento carnis & ſpiritus: & fac nos participes eſſe & concorporeos tuæ gratiæ, ut in ſanctitate & juſtitia tibi ſupplicationem offeramus: & te decet omnis gloria, magnitudo, poteſtas & imperium, cum immaculato tuo Patre & ſancto Spiritu, nunc, &c.

Digitized by Google

Oratio alia similiter dicenda.

ATtende Domine Jesu Christe Deus noster ex sancto habitaculo tuo, & ex throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui inclinamur coram te. Qui sursum sedes cum Patre, & hic nobiscum invisibiliter ades: dignareque potenti manu tua, participes facere nos immaculati corporis tui & precioſi sanguinis, & per nos omnem populum. Tu enim es qui frangis & frangeris, quamvis infractus, & tibi gloriam referimus cum Patre & sancto Spiritu, nunc, &c.

Diaconus. Attendamus Deo cum timore.

Oratio libertatis, seu absolutionis.

Pax omnibus.

AGnus Dei, qui tollis peccatum mundi, qui sanguinem tuum maculæ omnis expertem profudisti ad vitam mundi, & in redemptionem permutationemque omnium tradidisti te ipsum, liberans à morte in qua detinebamur, venundati sub peccato. Qui facis voluntatem timentium te, & orationem eorum exaudis salvasque ipsos: qui justum Job exaudivisti cùm manè surgens, offerret sacrificia pro liberis propriis dicens, ne fortè cogitaverint filii mei mala in

Ευχὴ ἄλλη ὁμοίως.

Πρόσχες κύριε Ιησοῦ Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐξ ἁγίου τοῦ κατοικητηρίου σου, καὶ ἀπὸ θρόνου τῆς βασιλείας σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς τοὺς ὑποκλινομένους σοι. Ὁ ἄνω τοῦ πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών· καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ, μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἁχράντου σώματός σου, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. Σὺ γὰρ εἶ ὁ κλῶν καὶ κλώμενος, καὶ ἄκλαστος· καί σοι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.

Ο Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν θεοῦ μετὰ φόβου.

Ευχὴ τῆς ἐλευθερίας.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Αμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου· τὸ παράσπιλον αὐτοῦ αἷμα ἐξαχύσας ὑπὲρ τοῦ κόσμου ζωὴν, καὶ εἰς λύτρον καὶ ἀντάλλαγμα παντὸς, ἑαυτὸν παρέδωκας, ἐκ θανάτου λυτρούμενος ἐν ᾧ κατειχόμεθα, πεπραμένοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Ο τὸ φοβούμενόν σε αὐτοῦ ποιῶν τὸ θέλημα, καὶ τὴν δέησιν αὐτῶν εἰσακούσων, καὶ σώζων αὐτούς. Ο γὰρ δικαίου Ιὼβ εἰσακούσας ἀνιστάμενος τὸ πρωῒ καὶ ὑπὲρ * παιδίων φιλτάτων θυσίας προσαγαγὼν εἶπεν, μή πως ἐνένοησαν υἱοί μου πονηρὰ ἐν

τῇ

τῇ καρδίᾳ αὐτῶν ἔναντι θεοῦ. Καὶ ἐμοῦ τοῦ ἐλεείνου καὶ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἀχρείου σου δούλου, ἱκετεύω ὑπὲρ τῶν σῶν οἰκετῶν, πατέρων μου καὶ ἀδελφῶν, καὶ ὑπὲρ τῆς ἐμῆς ἀθλιότητος. Εὐμενεῖ προσώπῳ καὶ γαληνῷ ὄμματι, ἔπιδε ἐφ' ἡμᾶς ἐν ταύτῃ τῇ ὥρᾳ· καὶ παρεὶ οὖν ἡμῖν πᾶσαν ἀθετηρίαν, καὶ πᾶσαν παράβασιν, καὶ παρακοὴν νόμου καὶ τῶν σῶν ἐντολῶν· ἔτι δὲ καὶ πᾶσαν συνείδησιν, καὶ πᾶσαν ἐνθύμησιν, καὶ πάσαις * πράξεσι, καὶ πάσαις κινήσεσι γεγωνυίαις ἐν ἑαυταῖς, ἡμερικῶς τε καὶ νυκτερικῶς ἐπιδῆσαι καὶ κατακρατῆσαι κατὰ τῆς ψυχῆς. Καὶ ἀθώοσον αὐτοὺς ἀπὸ πάσης συνειδήσεως πονηρῶν, καὶ πάσης ἀκάρπου πράξεως, καὶ παντὸς λογισμοῦ πεπυρωμένου . . . . * ἐστὶν βεβηλὰ παρὰ τὴν τῆς ψυχῆς καθαρότητα. Χάρισαι αὐτῶν τὴν τῶν ἁμαρτιῶν ἐπιγνωσιν, καὶ τελείως ἀπέχεσθαι ἀπ' αὐτῶν. Δώρησαι αὐτοῖς μετανοίας ἁγνότητος, * καὶ τὴν εἰς σε ἐπιστροφὴν· σὺ γὰρ δέσποτα κύριε ἐπτώχευσας ἑκουσίως ἐν τῷ σε σαρκωθῆναι, διὰ τὴν τοῦ γενοὺς ἡμῶν σωτηρίαν· καὶ διέρρηξας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, διὰ τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τῶν θείων σου παλάμων ἐφάπλωσιν. Φείσαι πάντων δέσποτα φιλόψυχε, ὅτι τὰ σύμπαντα δοῦλα σὰ, καὶ παρά σου ἡμέ-

corde suo coram Deo: exaudi me quoque miserabilem peccatorem, & inutilem servum tuum dum deprecor pro famulis tuis, patribus meis & fratribus, & pro me quoque misero. Benigno vultu & oculo sereno respice super nos hac hora, & dimitte nobis omnem iniquitatem omnemque transgressionem, & inobedientiam contra legem & præcepta tua: omnem quoque reatum conscientiæ, omnem cogitationem, omnes actiones & motus qui in nobis excitantur die ac nocte, ut animam alligent & captivam teneant. Fac eos immunes ab omni conscientia rerum malarum, & omni actione infructuosa, omnique cogitatione sordida eorum quæ profana sint & animæ puritati contraria. Concede ipsis peccatorum agnitionem, utque perfectè ab illis abstineant. Da illis pœnitentiæ castitatem, & ad te conversionem: tu enim dominator Domine pauper factus es voluntariè, dum carnem assumsisti, ad generis nostri salutem, & conscidisti chirographum quod erat adversum nos, per divinarum manuum tuarum in cruce expansionem. Parce omnibus Domine amator animarum, quia omnia tibi serviunt, & à te sunt præmia liberatio-

nis noſtræ, non quidquam vero opus manuum noſtrarum. Idcirco regnum tuum glorificamus, laudamus te Chriſte Deus noſter.

* * * * *

Omnibus diebus *uſque ad* hæreticorum & Ethnicorum.

Imple nos timore tuo, & dirige nos ad bonam voluntatem tuam: tu enim es Deus noſter, & te decet gloria, honor & adoratio.

Sacerdos. Corpus & Sanguis.

Diaconus. Cum timore Deo attendamus.

Sacerdos elevat Διακονικὸν *: ſeu partem Hoſtiæ majorem & alta voce dicit.* Sancta Sanctis.

Populus. Kyrie eleiſon.

Unus Patèr ſanctus; unus Filius ſanctus, unus Spiritus ſanctus. Amen.

Sacerdos. Dominus cum omnibus vobis.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos. Benedictus Dominus in ſæcula. Amen.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos. Corpus ſanctum & ſanguis precioſus, verus, Jeſu Chriſti Filii Dei. Amen.

Populus. Amen.

πᾶσα ἀφροσύνη, ⁊ ἕνωσον τὸ ὑπηκόων τῶν χειρῶν ἡμῶν· ὅτι ὁ σὸς βασιλεύς δυξάζομέν σε ⁊ ἀνυμνοῦμέν σε Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν ἄπνα ν...λυ...ων...θοξον.

Πασαῖς ἡμεραῖς ἕως, αἱρετικῶν ⁊ ἐθνικῶν.

Ἐμπλησον ἡμᾶς τοῦ σοῦ φόβου, ⁊ κατεύθυνον εἰς τὸ ἀγαθόν σου θέλημα· σὺ γὰρ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, ⁊ πρέπει σοι δόξα, τιμὴ ⁊ προσκύνησις.

Ο Ιερεὺς λέγει. Σῶμα ⁊ αἷμα.

Ο Διακὼν λέγει. Μετὰ φόβου θεοῦ προσχῶμεν.

Ο Ιερεὺς ἔλεγε τὸ κοινικὸν ⁊ ἐφωνήσε. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον. Αμὴν.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ο κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εὐλογητὸς κύριος εἰς τοὺς αἰῶνας. Αμὴν.

Ο Λαὸς λέγει. Αμὴν.

Ο Ιερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ο Ιερεὺς λέγει. Σῶμα ἅγιον ⁊ αἷμα τίμιον, ἀληθινὸν Ιησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Αμὴν.

Ο Λαὸς λέγει. Αμὴν.

Digitized by Google

Ο Ιερεὺς λέγει. Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον, ἀληθινὸν, Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Ἀμήν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ο Ιερεὺς λέγει. Σῶμα καὶ αἷμα Ἐμμανουὴλ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τοῦτό ἐστιν ἀληθῶς, Ἀμήν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Πιστεύω, πιστεύω, πιστεύω καὶ ὁμολογῶ ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ σαρξ ἡ ζωοποιὸς, ἣν ἔλαβες Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· καὶ ἐποίησας αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητί σου, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει· καὶ ἐμαρτύρησας ὅτι Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν, καὶ παρέδωκεν * αὐτὴν ὑπὲρ ἡμῶν πάντων .... ἑκὼν ὅτι τῷ ξύλῳ τοῦ σταυροῦ τῇ ἁγίᾳ, ἐν τῷ θελήματί σου.

Ἀληθῶς πιστεύω, ὅτι θεότης σου οὐδ' ὁ μηδέποτε χωρισθεῖσα ἐξ ἀνθρωπότητός σου, ἐν ἀτόμῳ, οὐδὲ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Μετέδωκας αὐτὴν εἰς λύτρωσιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον, τοῖς ἐξ αὐτῆς μεταλαμβάνουσι.

Πιστεύω ὅτι αὕτη ἐστὶν ἀληθῶς. Ἀμήν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Sacerdos. Sanctum corpus, & ſanguis precioſus, verus, Jeſu Chriſti Filii Dei. Amen.

Populus. Amen.

Sacerdos. Corpus & Sanguis Emmanuel Dei noſtri, hoc eſt verè. Amen.

Populus. Amen.

Credo, credo, credo, & confiteor uſque ad ultimum ſpiritum quod hæc ipſa eſt caro vivifica, quam accepiſti Chriſte Deus noſter ex ſancta domina noſtra Deipara, & ſemper Virgine Maria: quamque feciſti unam cum divinitate tua, non per miſtionem, confuſionem, aut alterationem: & teſtatus es ſub Pontio Pilato præclaram confeſſionem; & quam tradidiſti pro nobis omnibus, ſuper lignum crucis ſanctæ, voluntate tua.

Verè credo, quod divinitas tua nunquam ſeparata fuit ab humanitate tua, in inſtanti, aut in nictu oculi. Tradidiſti eam in redemptionem, & in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam, illis qui ex ea communicant.

Credo quod hæc re vera ſit. Amen.

Populus. Amen.

Digitized by Google

Diaconus. In pace & caritate.

Ο Διάκονος λέγει. Ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀγάπῃ.

Sacerdos alta voce. Incomprehensibilis Deus, Verbum incircumscriptum, æternum, suscipe à nobis peccatoribus ex indignis labiis hymnum, cum supernis potestatibus : te enim decet omnis gloria, honor & adoratio cum experte principii Patre tuo, & vivificante tuo Spiritu, in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ο Ἱερεὺς ἐκφωνήσει. Ἀκατάληπτε θεὲ, λόγε, ἀχώρητε, ἀΐδιε, δέχου παρ' ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν, ἐξ ἀναξίων χειλέων, ὕμνον, μετὰ τῶν ἄνω δυνάμεων· σοὶ γὰρ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ & προσκύνησις σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ σου πνεύματι εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Populus dicit Psalmum CL.

Ο Λαὸς λέγει ψαλμὸν. ρν'.

Diaconus. Congregamini & intrate Diaconi cum reverentia.

Ο Διάκονος λέγει. Συνάχθητε καὶ εἰσέλθετε οἱ διάκονοι μετ' εὐλαβείας.

Oratio gratiarum actionis, post communionem sanctorum mysteriorum.

Εὐχὴ εὐχαριστίας μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Diaconus. Ad Orationem state.

Ο Διάκονος λέγει. Ἐπὶ προσευχῆς στάθητε.

Sacerdos Pax omnibus.

Ο Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ο Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Diaconus. Orate pro digna communione.

Ο Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῆς ἀξίας μεταλήψεως.

Populus. Kyrie eleison.

Ο Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Sacerdos dicit hanc orationem.

Ο Ἱερεὺς λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην.

GRatias agimus tibi, Verbum Dei verum, qui es ex substantia Patris principium non habentis, quoniam tantopere dilexisti nos, & dedisti te ipsum pro nobis immolatus. Concede nobis per im-

Ευχαριστοῦμέν σοι, λόγε θεοῦ ἀληθινὲ, ὁ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ ἀνάρχου πατρὸς, ὅτι οὕτως ἠγάπησας ἡμᾶς καὶ ἔδωκας σεαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, *ἰσοφαμάδης. Κεχάρισαι ἡμῖν,

Digitized by Google

διὰ τοῦ ἀχράντου σου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου σου αἵματος, τὴν ἀπολύτρωσιν, ὡς κατηξίωσας ἡμᾶς νῦν φιλάνθρωπε ἵνα λάβωμεν ἐξ αὐτῶν εὐχαρίστια. *Διὸ ἐξομολογοῦμέν σοι νῦν φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, καὶ σοι τὴν δόξαν, καὶ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν προσκύνησιν διηνεκῶς ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι, νῦν.

Ο Διάκονος λέγει· Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ κυρίῳ κλίνατε.

Ευχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον τοῦ φωτίσαι αὐτὸν· ὁ σαρκωθεὶς, ἐνανθρωπήσας, καὶ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, καὶ παθὼν ἑκουσίως σαρκὶ, καὶ μείνας ἀπαθὴς, ὡς θεὸς· καὶ ταφεὶς, καὶ ἀναστὰς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθὼν εἰς οὐρανοὺς, καὶ καθίσας ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλοσύνης τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, τό τε θεῖον, καὶ ἅγιον, καὶ ὁμοούσιον, καὶ ὁμοδύναμον, καὶ ὁμόδοξον, καὶ συναΐδιον πνεῦμα καταπέμψας ἐπὶ τοὺς ἁγίους σου μαθήτας, καὶ ἀποστόλους, καὶ διὰ τούτου φωτίσας μὲν αὐτοὺς, δι' αὐτῶν δὲ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην χριστὲ, ὁ ἀληθινὸς θεὸς ἡμῶν.

.... καὶ Γαβριὴλ καὶ Ραφαὴλ.

Καὶ τῶν ἀγγέλων τετραμόρφων

maculatum corpus tuum, & preciosum tuum sanguinem redemtionem, sicut benignè præstitisti nobis nunc ut ex ipsis Eucharistiam acciperemus. Idcircò confitemur tibi nunc benigne & bone, & tibi gloriam, honorem & adorationem continuè offerimus, cum experte principii Patre tuo, & sancto tuo Spiritu, nunc, &c.

Diaconus. Capita vestra Domino inclinate.

Oratio inclinationis capitis.

QUi es, qui eras, & venisti in mundum ad eum illuminandum, qui carnem assumens, homo factus es, & crucifixus es pro nobis, passusque voluntariè in carne, mansisti impassibilis ut Deus: sepultusque, tertia die resurrexisti, ascendensque in cœlum, sedisti ad dexteram magnitudinis gloriæ Patris: divinum, sanctum, consubstantialem æqualis potestatis & gloriæ, & coæternum Spiritum misisti super sanctos tuos discipulos & Apostolos, atque per eum illos illuminasti & per eos orbem universum; Christe verè Deus noster.

.... Gabriel & Raphael.

Et Angelorum quadrifor-

mium, animalium incorporeorum; & Angelorum, viginti quatuor Seniorum, sanctique gloriosi Prophetæ præcursoris, Baptistæ & Martyris Joannis.

Sancti Stephani primi Diaconi & primi Martyris.

Divinorum gloriosorum sanctorum Apostolorum; Prophetarum qui certamina sustinuerunt, & Martyrum præclaris victoriis insignium.

Et sancti & beati patris nostri Marci Apostoli & Evangelistæ, chororumque omnium Sanctorum tuorum.

Et salva, miserere, benedicque omnemcumque Christianum: tibique gloriam & honorem & adorationem offerimus, cum Patre tuo qui est absque principio, & sancto Spiritu, nunc & semper.

In pace Dei completa est divina Liturgia, ordinata à sancto Patre nostro Theologo Gregorio.

ζώων ἀσωμάτων· καὶ τῶν ἀγγέλων, εἴκοσι τεσσάρων πρεσβυτέρων. Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου, προφήτου, προδρόμου, βαπτίστου, καὶ μάρτυρος Ιωάννου.

Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρωτοδιακόνου καὶ πρωτομάρτυρος.

Τῶν θείων, ἱερῶν, ἐνδόξων ἀποστόλων, ἀθλοφόρων προφήτων, καὶ καλλινίκων μαρτύρων.

Καὶ τοῦ ἁγίου καὶ μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελίστου, καὶ πάντων τῶν χόρων τῶν ἁγίων σου.

Καὶ σῶσον, καὶ ἐλέησον, καὶ εὐλόγησον πάντα χριστιανὸν. Καὶ σοι τὴν δόξαν καὶ τίμην, καὶ προσκύνησιν σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ.

Εν εἰρήνῃ τοῦ Θεοῦ ἐτελειώθη ἡ θεία λειτουργία, ἡ ὡρισμένη τῷ ἐν ἁγίοις πατρὶ ἡμῶν θεολόγῳ Γρηγορίῳ.

Digitized by Google

IN LITURGIAM MARCI GRÆCAM PRÆFATIO.

IN optimo codice Bibliothecæ Regiæ, ex quo superiores Liturgias duas descripsimus, communem scilicet quæ Basilii nomine insignitur, & secundam Gregorii theologi, deerat tertia quæ tamen inter Coptitas, seu Jacobitas Ægyptios conservatur, & quam ex patria traditione Cyrillo Alexandrino attribuunt. At illam esse quæ anno 1583. Lutetiæ edita est à viro clarissimo Joanne à S. Andrea, insignis Ecclesiæ Parisiensis Canonico, aut illi admodum similem, multis & satis solidis argumentis potest demonstrari. Nam autor Ægyptius Abulbircat, & alii qui de Cyrilli Liturgia Coptica mentionem fecerunt, eam aliquando D. Marci nomine appellatam fuisse scribunt; qua ratione constat ternarius Liturgiarum Alexandrinæ Ecclesiæ numerus, qui multorum Jacobitarum testimoniis confirmatur, atque inter alios Christoduli illorum Patriarchæ, qui undecimo vivebat sæculo. Cum verò non planè certa ex titulis solis ratio colligatur, apud eos præsertim qui Criticæ omnis expertes sunt, & Alexandrinis omnibus Liturgiis ob sedis fundatorem, Marci nomen convenire, quodam modo possit, majoris prorsus momenti est, quod ex tribus quæ Coptitis in usu sunt, nulla magis Græca D. Marci, quam Cyrillina respondeat. Itaque cùm Græcum illius textum Manuscriptus codex Regius non repræsentaret, nec unde haberi posset satis sciretur, Marci Græcam qualis Lutetiæ olim edita est subjicere operæ pretium visum est, velut eam ipsam quæ à Coptitis Cyrillo tribuitur.

Codicem ex quo ἀπόγραφον suum à Cardinale Sirleto habuit olim, Joannes à S. Andrea, Romæ anno 1701. tractavimus in Bibliotheca Basilianorum Monachorum Græcorum, isque optimus, integerrimus, & annorum circiter sexcentorum nobis visus est. Fuit autem ex Monasterio Cryptæ-Ferratæ Romam delatus, cùm priùs pertinuisset ad Ecclesiam D. Mariæ Odigitriæ in Calabria: atque inde certum videtur, officium illud Alexandrinis Orthodoxis fuisse proprium, cùm duæ alteræ Liturgiæ Basilii & Gregorii ad Jacobitas certissimè pertineant: ut ex sola Confessione quæ ante communionem præmittitur, animadvertere quisque potest: nam Mo-

Digitized by Google

nophysitarum, de una Christi natura fidem expressis verbis continet. In ista ne verbulum quidem occurrit ab Orthodoxa doctrina alienum. Talis procul dubio esse debebat Liturgia quæ apud Græcos in Calabriæ Monasteriis constitutos atque adeo Orthodoxos usurpabatur forma, in rebus ad fidem spectantibus, etsi circa ritus & orationes, esset inter eam, & usitatas in Ecclesia Constantinopolitana Liturgias, discrimen non mediocre, sed innoxium. Illud nihilominus tanti visum est Constantinopolitanis, à decimo circiter sæculo Patriarchis, ut Alexandrinam Liturgiam prorsus aboleverint, pessimo & à veteris Ecclesiæ moribus alienissimo exemplo. Itaque ista quam Codex Cryptæ-Ferratæ repræsentat Liturgia, ipsa est quæ apud Orthodoxos in usu fuit, sub titulo D. Marci, quia scilicet proprium Alexandrinæ Ecclesiæ, cujus primus Episcopus fuit, ritum continebat: neque aliam videntur tunc habuisse: cùm Jacobitæ tres haberent, cujus differentiæ causa afferri nulla potest: obscurissima enim sunt illius disciplinæ origines.

Unum & idem officium Liturgicum fuisse inter Christianos Patriarchatus Alexandrini, ante sciſsam per Dioscori sectatores Ecclesiam, indubitatum est: neque usque ad captam per Muhamedanos Ægyptum, mutationis ullius occurrit vel leviſsimum indicium. Istud duntaxat discrimen inter Jacobitas & Orthodoxos circa disciplinam animadvertitur, quòd primi, Copticâ solum seu nativâ Ægyptiacâ linguâ Liturgiam celebrant à multis sæculis: isti solâ Græcâ. Hæc porro certa, si quæ unquam, conjectura videbatur, cùm nullius Græci codicis Jacobitarum Liturgici memoria exstaret, adeo ut ea sola ratione quod Alexandrina Liturgia, Græcè scripta esset, demonstrari videretur eam ad Orthodoxos pertinere. Hanc tamen verisimilem & variis argumentis firmatam conjecturam unicus Bibliothecæ Regiæ codex evertit. Ex eo enim intelleximus Jacobitas, etsi non vulgò, alicubi tamen Liturgiam Græcè celebraſse, secundùm eam orationum & rituum formam quæ in Codice Regio continetur. Neque est quòd illam recentiorem esse suspicemur; cùm præter antiquitatem quæ est undecimi aut duodecimi sæculi, & fortaſse superior, certum sit ea ætate, & antecedentibus aliquot sæculis, Coptitas, tantam linguæ Græcæ facultatem non habuisse, ut istas Liturgias composuisse potuerint: cùm etiam vulgatissimas formulas, quæ passim occurrunt in officiis, eos vix intellexisse perspicuum sit. Ita ultimam istam non minùs quàm priores duas, Alexandrinæ Ecclesiæ propriam fuisse non est dubitandum:

dubitandum : istam imò antiquiorem & puriorem existimare oportet , non modò quòd nævis illis quos Monophysitarum hæresis induxit , infuscata non est , verùm etiam quòd illa ipsa videatur esse de qua Theodorus Balsamon absurdè prorsus & iniquè judicavit. Illud saltem ejus testimonio intelligimus , usum illius aliquem in partibus Ægypti, eo quo scribebat tempore viguisse, quod aliundè non satis constat , nisi quod neminem styli exercendi gratiâ tales Liturgias scripsisse, non verisimile modò , sed certissimum videatur. Jur. Orient. t. 52 p. 362.

Habet illa non modò partem officii Eucharistici, quæ Anaphora propriè dicitur , & quæ Canoni Romano aliquo modo respondet , quia scilicet sacram Actionem continet, à Præfatione usque ad communionem , & orationes gratiarum actionis : sed etiam alteram quæ preces & ritus ab initio Liturgiæ usque ad Præfationem repræsentat. Ita enim dispositæ sunt Orientales omnes Liturgiæ , ut cùm Canon Romanus , præter unam aut alteram orationem idem semper esse soleat : quæ Præfationem antecedunt , secundùm dierum festorumque diversitatem variè se habeant : in Oriente prima officii pars , si lectiones ex Veteri Testamento, Evangeliis, Actis Apostolorum, & Epistolis excipimus, perpetuò sit eadem ; altera in singulis Liturgiis sit diversa , ut alibi fusiùs exposuimus.

In Codice Regio Græco-Arabico quamvis initio quædam folia desiderentur, apparet tamen integra prioris officii illius forma , quâ ut in Copticis Codicibus , Basilio tribuitur , & quam inde petere debebant Sacerdotes, cum duabus aliis Gregorii & Cyrilli , sive Marci , ad celebrandum sacrificium utebantur. In secunda , ut in tertia Copticis , nihil simile , sed singulares tantùm quædam orationes ad osculum pacis , & ad Evangelii lectionem : at in Græca Marci , tota prior pars , quæ usque ad Præfationem extenditur , perscripta est. Diversitatis hujus statim occurrit ratio valdè quidem speciosa & probabilis , quòd hæc Liturgia Marci , quam solam , ut significare Balsamon videtur, Græci agnoscebant , sola quoque apud Alexandrinos Græci ritus , usurpabatur : unde ut orationes προπαρασκευαστικαὶ , sive præparatoriæ adjungerentur , necesse erat. Sed obstat huic conjecturæ quòd non modò circa finem, sed multis & præcipuis istius Marci Liturgiæ locis , initia tantùm diversarum orationum occurrunt , certissimo indicio , quod aliundè petendæ forent, atque adeo ex priori aliqua , & quæ aliarum formam complecteretur , Liturgia.

Donec igitur Codices integriores reperiantur, nihil propiùs est quàm ut istam D. Marci eamdem esse judicemus, cùm ea quæ Cyrillo à Coptitis tribuitur, ut suadere potest certiorum testimoniorum defectu, non magni alioqui æstimanda in remotissimis originibus Ecclesiasticis Abulbircati autoritas. Neque sanè absque exemplo est, plures fuisse in eadem Ecclesia Liturgias: cùm nulla sit Ecclesia cujuscumque linguæ, quæ unicam habeat: Græca enim Orthodoxa, Basilii & Chrysostomi Liturgiis utitur, ut antiquitus Hierosolymitana, eâ quæ Jacobi nomen præfert: Syri Orthodoxi præter primariam, Jacobi quoque dictam, non paucas alias usurpant: Jacobitæ longè plures: Nestoriani tres: Æthiopes duodecim.

Versionem Joannis à S. Andrea retinuimus quantum fieri potuit, eam tamen pluribus locis emendavimus, ubi planè necesse fuit: tum in textu Græco nonnulla correximus. Ut etiam quorum cura & labore hæc Liturgia primùm in lucem prodierit, renovetur memoria, Cardinalis Sirleti ad Joannem à S. Andrea, & istius ad illum Epistolas, ad finem adjiciendas curavimus.

Digitized by Google

Ἡ ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελίστου Μάρκου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Πέτρου.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Διάκονος. Πρωτεύξασθε.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ ἢ Ἱερεὺς εὔχεται.

Εὐχαριστοῦμέν Σοι καὶ ὑμνοῦμεν εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πάντα, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν, ὅτι ἐσκέπασας, ἐβοήθησας, ἀντελάβου, καὶ διεφύλαξας ἡμᾶς τὸν παρελθόντα χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν, καὶ ἤγαγες ἡμᾶς ἕως τῆς ὥρας ταύτης, ἀξιώσας πάλιν παραστῆναι ἐνώπιον Σου ἐν τόπῳ ἁγίῳ Σου ἄφεσιν αἰτοῦντες τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ ἱλασμὸν παντὶ τῷ λαῷ Σου. Καὶ δεόμεθα, καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, δὸς ἡμῖν τὴν ἁγίαν ἡμέραν ταύτην, καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν διατελέσαι ἀναμαρτήτως, μετὰ πάσης χαρᾶς, ὑγείας, σωτηρίας, καὶ παντὸς ἁγιασμοῦ, καὶ τοῦ σοῦ φόβου. Πάντα

DIVINA LITURGIA, SEU MISSA, SANCTI APOSTOLI & Evangelistæ Marci, Discipuli sancti Petri.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Orate.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos sic orat.

GRatias agimus tibi, & plus quàm gratias agimus, Domine Deus noster, Pater, & Dei Domini, & Servatoris nostri Jesu Christi propter omnia, & per omnia, & in omnibus: quia protexisti, adjuvisti, fovisti, & deduxisti nos anteactæ nostræ vitæ tempore, & adduxisti nos ad hanc usque horam, dignatus denuò sistere coram te in loco sancto tuo: remissionem petens peccatorum nostrorum, & propitiationem omni populo tuo. Certè precamur & obsecramus te, humani generis amator, bone, da nobis ut sanctum hunc diem, totumque vitæ nostræ tempus sine peccato transigamus, cum omni gaudio, sanitate, salute, & omni sanctificatione, & timore tuo. Omnem au-

Digitized by Google

tem invidiam, omnem metum, omnem tentationem, omnem Satanicam operationem, omnes improborum hominum insidias repelle à nobis, ô Deus, & à sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia. Tu nobis ea largire, quæ honesta & utilia sunt; si quid peccavimus in verbo, vel opere, vel cogitatione, tu tanquam bonus, & humani generis amator non animadvertere digneris, neque deseras nos, ô Deus, sperantes in te, neque inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo, & ab omnibus operibus ejus: gratia & commiseratione, & benignitate unigeniti Filii tui, *Elata voce*, Per quem, & cum quo tibi gloria & imperium in sanctissimo, & bono, & vivifico Spiritu tuo, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Orate pro Rege.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos autem orat.

DOminator, Domine, Deus, Pater Domini, & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, precamur

δὲ φθόνον, πάντα φόβον, πάντα πειρασμὸν, πᾶσαν σατανικὴν ἐνέργειαν, πᾶσαν πονηρῶν ἀνθρώπων ἐπιβουλὴν ἐκδίωξον ἀφ' ἡμῶν ὁ θεὸς, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας σου καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. Τὰ καλὰ καὶ τὰ συμφέροντα ἡμῖν ἐπιχορήγησον· εἴτι σοι ἡμάρτομεν ἐν λόγῳ, ἢ ἔργῳ, ἢ καὶ διανοίαι, σὺ ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος παιδεῦσαι καταξίωσον, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐλπίζοντας ἐπὶ σοι, μηδὲ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, καὶ ἐν τῇ ἐργῶν αὐτοῦ, χάριτι καὶ οἰκτιρμῷ καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, ἐκφώνως. Διὸ οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, ἐν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Ο Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαὸς. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ο Διάκονος. Προσεύξασθε ὑπὲρ τοῦ βασιλέως.

Ο Λαὸς. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.

Ο ἱερεὺς ἐπεύχεται.

ΔΕσποτα κύριε ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δεόμεθα

& δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε, τὸν βασιλέα ἡμῶν ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀνδρείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ διαφύλαξον. Καὶ ὑπόταξον αὐτῷ ὁ θεὸς πάντα ἐχθρὸν καὶ πολέμιον· ἐπιλαβοῦ ὅπλου καὶ θυρεοῦ, καὶ ἀνάστηθι εἰς τὴν βοήθειαν αὐτοῦ. Δὸς αὐτῷ ὁ θεὸς νίκας, εἰρηνικὰ φρονεῖν ἡμᾶς, καὶ πρὸς τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. ἵνα καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ γαληνιότητι τῶν ἡμερῶν αὐτοῦ ἥρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγομεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. Δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νυνὶ καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Διάκονος. Πρόσευξασθε ὑπὲρ τοῦ Πάπα καὶ ἐπισκόπου.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεύς.

Δέσποτα κύριε ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον ἀρχιερέα

& obsecramus te, ut Regem nostrum in pace ac fortitudine, justitiaque conserves. Subjicito ei, ô Deus, omnem inimicum & adversarium: apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium ejus. Da ei, ô Deus, victorias, ut animum ad ea intendat, quæ nobis pacifica sunt, & ad nomen sanctum tuum: ut & nos in tranquillitate dierum ejus quietam & tranquillam vitam degamus, in omni pietate & honestate, gratia & commiserationibus, & benignitate unigeniti Filii tui. *Elata voce*, Per quem & cum quo tibi gloria & imperium, cum sanctissimo & bono, & vivifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Orate pro Papa & Episcopo.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos.

DOminator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini, & Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, precamur & obsecramus te, humani generis amator, bone, ut sanctissimum & beatissimum

Pontificem noſtrum Papam N. & Reverendiſſimum Epiſcopum N. conſerves. Conſerva nobis eos annis multis pacificè, perfungentes ſancto ſacerdotio à te ipſis concredito, ſecundùm ſanctam & beatam voluntatem tuam, verbum veritatis rectè diſpenſantes, cum omnibus Orthodoxis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ſubdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, & laïcis, cum omni plenitudine ſanctæ & ſolius univerſalis Eccleſiæ; pacem & ſanitatem & ſalutem eis largiens. Preces autem eorum, quas pro nobis offerunt, & nos pro ipſis, admitte, Domine, ad ſanctum & cœleſte, rationaleque altare tuum. Omnem autem adverſarium ſanctæ uæ Eccleſiæ pedibus eorum citò ſubjice. Gratia & miſerationibus & benignitate unigeniti Filii tui, *Elata voce,* Per quem & cum quo tibi gloria & imperium, cum ſanctiſſimo, & bono & vivifico Spiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et ſpiritui tuo.

Diaconus. Ad orationem ſtate.

Populus. Kyrie eleiſon, *ter.*

ἡμῶν Πάπαν Δ'. καὶ τὸν ὁσιώτατον ἐπίσκοπον Δ'. σωτηρῶν. Σώσον ἡμῖν αὐτοὺς ἔτεσι πολλοῖς εἰρηνικῶς, ἐκπληροῦντας τὸ ὑπὸ σοῦ ἐμπεπιστευμένον αὐτοῖς ἁγίαν ἀρχιερωσύνην. καὶ τὸ ἅγιον σου καὶ μακάριόν σου θέλημα, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, διακόνοις, ὑποδιακόνοις, ἀναγνώσταις, ψάλταις τε καὶ λαικοῖς, σοὶ παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας, εἰρηνεύειν καὶ ὑγιαίνειν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς χαριζόμενον. Τὰς δὲ εὐχὰς αὐτῶν, ἃς ποιοῦσιν ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἡμεῖς ὑπὲρ αὐτῶν, προσδέξαι κύριε, εἰς τὸ ἅγιον, καὶ ἐπουράνιον, καὶ λογικὸν σου θυσιαστήριον. Πάντα ὑπ' ἐχθρὸν τῆς ἁγίας σου ἐκκλησίας καθυπόταξον ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτῶν ἐν τάχει, χάριτι τῶν οἰκτιρμῶν τῆς φιλανθρωπίας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Μεθ' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ο Λαός. Ἀμήν.

Ο Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ο Διάκονος. Ἐπὶ προσευχὴν σταθῆτε.

Ο Λαός. Κύριε ἐλέησον. τρίς.

Digitized by Google

Ο ἱερεὺς ἐπεύχεται εὐχὴν τῆς εἰσόδου καὶ εἰς τὸ θυμίαμα.

Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὸ δωδεκάφωτον λαμπάδα τὴν δώδεκα ἀποστόλων ἐκλεξάμενος, καὶ ἐξαποστείλας αὐτοὺς, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ κηρύξαι, καὶ διδάξαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας σου, καὶ θεραπεύειν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, καὶ ἐμφυσήσας εἰς τὰ πρόσωπα αὐτῶν, καὶ εἰπὼν αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, τὸ παράκλητον· ἁμαρτιῶν ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας ἀφέωνται αὐτοῖς, ἁμαρτιῶν κρατεῖτε, κεκράτηνται· ὅτως καὶ ἐφ' ἡμᾶς τοὺς φθεισηκότας δούλους σου, ἐν τῇ εἰσόδῳ τῆς ἱερουργίας, τοὺς * τοὺς ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους, διακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας τε καὶ λαϊκοὺς σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας· ῥῦσαι ἡμᾶς κύριε ἀπὸ ἀρᾶς καὶ καθάρας, καὶ ἀπὸ ἀναθέματος, καὶ δεσμοῦ, καὶ ἀφορισμοῦ. καὶ ἐκ τῆς μερίδος τοῦ ἀντικειμένου· καὶ καθάρισον ἡμῶν τὰ χείλη καὶ τὴν καρδίαν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ, καὶ ἀπὸ πάσης ῥαδιουργίας· ἵνα ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ καὶ καθαρᾷ συνειδότι προσφέρωμέν σοι τὸ θυμίαμα τοῦτο, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ σου.

Sacerdos ſubjungit orationem Introitus, & ad incenſum.

DOmine Chriſte Deus noſter, qui δωδεκάφωτον, hoc eſt, duodena luce lucentem lampadem duodecim Apoſtolorum elegiſti, & eos in univerſum mundum miſiſti, ut prædicarent & docerent Evangelium regni tui, & curarent omnem morbum & infirmitatem in populo & inſufflaſti in facies eorum, & dixiſti eis, Accipite Spiritum ſanctum paracletum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt: ita &* in nos inſuffla circumaſſiſtentes ſervos tuos in introitu ſacri miniſterii, Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, & Laïcos, cum omni plenitudine ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Libera nos, Domine, ab execratione, & maledictione, & ab anathemate, & vinculo, & excommunicatione, & à parte adverſarii; & purga labia noſtra & cor noſtrum ab omni inquinamento, & ab omni nequitia: Ut in corde puro & pura conſcientia tibi hoc incenſum offeramus, in odorem ſuavitatis, & in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & totius populi tui. Gra-

Digitized by Google

tia, & commiserationibus, & benignitate, unigeniti Filii tui, *elata voce*, per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum sanctissimo & bono, & vivifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Diaconus. Recti

Et psallunt Unigenitus Filius & Verbum.

Fitque introitus Evangelii, & dicit Diaconus. Ad orationem.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Ad orationem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos dicit orationem trisagii.

DOminator Domine, Jesu Christe, Verbum coæternum principio carentis Patris, qui nobis similis per omnia factus es, excepto peccato, ad generis nostri salutem: qui sanctos tuos discipulos & Apostolos misisti, ut prædicarent & docerent Evangelium regni tui, & mederentur omni morbo, & omni infirmitati in populo tuo: ipse nunc quoque, Domine, emitte lucem tuam & veritatem tuam, & illumina oculos mentis, ut intelligamus sermones tuos divinos: fac ut idonei eorum auditores simus: & non solùm auditores, verùm etiam factores verbi fia-

χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ. Ἐκφώνως. Δι' οὗ, καὶ μετ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ο Λαός. Αμήν.

Ο Διάκονος. Ορθοί.

Καὶ ψάλλουσιν τὸ Μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος.

Καὶ γίνεται ἡ εἴσοδος τοῦ εὐαγγελίου, καὶ λέγει ὁ Διάκονος. Επὶ προσευχήν.

Ο Ιερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ο Διάκονος. Επὶ προσευχήν.

Ο Λαός. Κύριε ἐλέησον.

Ο Ιερεὺς εὔχεται εὐχὴν τῶν τρισαγίου.

ΔΕσποτα κύριε, Ιησοῦ Χριστὲ, ὁ συναίδιος λόγος τοῦ ἀνάρχου πατρὸς, ὁ καθ' ἡμᾶς γενόμενος κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ γένους ἡμῶν· ὁ ἐξαποστείλας τοὺς ἁγίους σου μαθητὰς καὶ ἀποστόλους κηρύξαι καὶ διδάξαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας σου, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ σου, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα ἐξαπόστειλον τὸ φῶς σου καὶ τὴν ἀλήθειάν σου· καὶ καταύγασον τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας, εἰς κατανόησιν τῶν θείων σου λογίων· καὶ ἱκάνωσον ἡμᾶς ἀκροάτας αὐτῶν γενέσθαι· καὶ μὴ μόνον ἀκροάτας, ἀλλὰ

καὶ

καὶ ποιητὰς λόγου, γενόμενοι εἰς τὸ καρποφορῆσαι, καὶ ποιῆσαι καρποὺς ἀγαθοὺς, ἀνὰ τριάκοντα καὶ ἐν ἑκατὸν, ὅπως καταξιωθῶμεν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Εκφώνως. Καὶ ταχὺ προκαταλαβέτωσαν ἡμᾶς οἱ οἰκτιρμοί σου κύριε. Εκφώνως. Σὺ γὰρ εἶ εὐαγγελισμὸς, σωτὴρ, καὶ φύλαξ τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν, κύριε ὁ θεὸς, καί σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν, καὶ τὸν τρισάγιον ὕμνον ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

mus: ut fructificemus, & bonos fructus producamus, à tricenis ad centenos, ut regni cœlorum digni habeamur. *elata voce*, Et citò anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine. *elata voce*, Tu enim es Evangelismus, seu boni Annunciatio, servator, & custos animarum & corporum nostrorum, Domine Deus, & tibi gloriam & gratiarum actionem, & trisagium hymnum offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Ο Λαὸς· Αμὴν.

Populus. Amen.

Αγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.

Καὶ μετὰ τρισάγιον, σφραγίζει τὸ ὁ Ιερεὺς τὸν λαὸν, λέγων. Εἰρήνη πᾶσιν.

Trisagio completo populum cruce signat Sacerdos dicens. Pax omnibus.

Ο Λαὸς. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Populus. Et spiritui tuo.

Εἶτα, τὸ προσχώμεν. ὁ ἀπόστολος, ὁ πρόλογος τῶν ἀλληλούια. Οἱ διάκονοι κατὰ ῥητὸν λέγουσι. Κύριε εὐλόγησον.

Sequitur Προσχώμεν, *hoc est Attenti simus. Apostolus. Prologus Alleluya. Diaconi ex præscripto dicunt.* Domine benedicito.

Ο Ιερεὺς λέγει. Ο κύριος εὐλογήσῃ καὶ συνδιακονήσῃ ὑμῖν, τῇ αὐτοῦ χάριτι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Sacerdos dicit. Dominus benedicat, & vobiscum ministret, ipsius gratiâ, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Ο Ιερεὺς πρὸ τοῦ εὐαγγελίου, βάλλει θυμίαμα, λέγων οὕτως.

Sacerdos, priùs quàm Evangelium recitetur, incensum offert dicens.

Θυμίαμα προσφέρομεν ἐνώπιον τῆς ἁγίας δόξης σου, ὁ θεὸς, προσδε-

Incensum offerimus coram sancta gloria tua, quod assu-

mas in ſanctum & ſupercœleſte, & intellectuale tuum altare. Viciſſim nobis mitte gratiam ſancti tui Spiritus, quia benedictus es: tu quoque gloriam tuam mitte.

Diaconus Evangelium recitaturus dicit. Domine benedicito.

Sacerdos. Dominus benedicat, & fortificet, & auditores nos faciat ſancti tui Evangelii, qui eſt benedictus Deus, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Diaconus. State recti. Audiamus ſanctum Evangelium.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et ſpiritui tuo.

Hinc recitat Evangelium Diaconus. Mox Συναπτὴ *ſeu Collecta orationem ſubjungit Sacerdos.*

ÆGrotos, Domine, populi tui viſitans in miſericordia & miſerationibus, ſana. Peregrè profectos, vel profecturos fratres noſtros, eò quò tendunt, ſingulos deducito. Bonas pluvias mittito, in loca iis opus habentia & egentia. Fluviales aquas ad earum menſuram, tuâ gratiâ ſurſum elevato. Fructus terræ augeto in ſemen & in meſſem. Regnum ſervi tui, quem in terra

ξάμβυος εἰς τὸ ἅγιον, καὶ ὑπερουρανίον, καὶ νοερόν σε θυσιαστήριον. Ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴ χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, ὅτι εὐλογημένος ὑπάρχεις, καὶ σὺ τὴ δόξαν σου ἀνάπεμψον.

Ο Διάκονος ὅτι μέλλει εἰπεῖν τὸ εὐαγγέλιον, λέγει. Κύριε εὐλόγησον.

Ο Ιερεύς. Ὁ κύριος εὐλογήσει, καὶ ἐνισχύσει, καὶ ἀκροατὰς ἡμᾶς ποιήσει τῦ ἁγίου αὐτοῦ εὐαγγελίου, ὁ ὢν εὐλογητὸς θεὸς ἡμῶν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Ο Διάκονος. Στάθητε, ἀκουσώμεν τῦ ἁγίου εὐαγγελίου.

Ο Ιερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Καὶ λέγει τὸ εὐαγγέλιον ὁ Διάκονος, τὴν συναπτὴν, ὁ Ιερεὺς ἐπεύχεται.

Τοὺς νοσοῦντας κύριε, τῦ λαοῦ σου ἐπισκεπτόμενος ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς, ἴασαι. Τοὺς ἀποδημοῦντας ἡμῶν ἀδελφοὺς, καὶ μέλλοντας ἀποδημεῖν, ἐν τῷ τόπῳ κατευόδωσον ἕκαστον εἰς τὸ καιρόν. Τοῖς ἀγαθοῖς ὑετοὺς κατάπεμψον ἐπὶ τοὺς χρήζοντας, καὶ ἐπισκεπτόμενος τόπους. Τὰ ποτάμια ὕδατα ἀνάγαγε ἐπὶ τὸ μέτρον αὐτῶν, καὶ τὸ σὸν χάριν. Τοὺς καρποὺς τῆς γῆς αὔξησον εἰς σπέρμα, καὶ εἰς θερισμόν. Τὴν βασιλείαν τῦ δούλου σου, ὃν ἐδικαίωσας

βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν εἰρήνῃ, καὶ ἀνδρίᾳ, καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ γαληνότητι διαφύλαξον. Τὴν ταπεινὴν, καὶ ἐλεεινὴν, καὶ φιλόχριστον πόλιν ταύτην, ῥῦσαι αὐτὴν, ὁ θεὸς, ἀφ' ἡμερῶν πονηρῶν, ἀπὸ λιμοῦ, λοιμοῦ, καὶ ἐπιστάσεως ἐθνῶν, ὡς καὶ Νινευὶ τῆς πόλεως ἐφείσω· ὅτι ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων εἶ, καὶ ἀμνησίκακος ἐπὶ κακίας ἀνθρώπων. Σὺ διὰ τοῦ προφήτου σου Ησαΐου εἶπας, ὑπερασπιῶ ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης, τοῦ σῶσαι αὐτὴν δι' ἐμὲ, καὶ διὰ Δαβὶδ τὸν παῖδά μου. Δι' ὃ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, ὑπεράσπισαι τῆς πόλεως ταύτης, διὰ τὸν μάρτυρα καὶ εὐαγγελιστὴν Μάρκον, τὸν ὑποδείξαντα ἡμῖν ὁδὸν τῆς σωτηρίας, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

Ο Διάκονος. Ἄρξαι.

Καὶ λέγουσι τὸν στίχον. ὁ Διάκονος λέγει. Τὰς τρεῖς.

Ο Ιερεὺς ἐπεύχεται.

Δέσποτα κύριε, ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε· τὴν ἐξ οὐρανοῦ εἰρήνην βράβευσον ταῖς ἁπάντων ἡμῶν

regnare justum censuisti, in pace & fortitudine, & justitia, & tranquillitate conservato. Humilem & miserabilem, & Christi amantem civitatem istam libera, Deus, a diebus malis, à fame, peste, & gentium incursione, ut & Ninivi civitati pepercisti: quia misericors & miserator es, quique iniquitatum hominum non recordaris. Tu per Prophetam tuum Esaiam dixisti: Protegam civitatem istam, ut salvem eam, propter me & propter David servum meum. Quare precamur & obsecramus te, humani generis amator bone, protege civitatem istam propter Martyrem tuum & Evangelistam Marcum qui nobis viam salutis demonstravit, gratiâ, & miserationibus, & benignitate unigeniti tui Filii. *Elata voce*, per quem & cum quo tibi gloria & imperium, cum sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu.

Diaconus. Incipe.

Hinc dicunt versum. Diaconus dicit τὰς τρεῖς, *hoc est tres.*

Sacerdos hanc subjungit orationem.

DOminator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, precamur & obsecramus te: ut pacem quæ de cœlo est, cordibus nostris infundas, quin

& vitæ hujus pacem nobis dones. Sanctissimum & beatissimum Papam nostrum N. & reverendissimum Episcopum nostrum N. conservans, conservato nobis eos multis annis, pacificè fungentes sancto, quod ipsis concredidisti Pontificatu secundùm sanctam & beatam voluntatem tuam, rectè dispensantes verbum veritatis, cum omnibus Orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, cum omni plenitudine sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Congregationibus nostris, Domine, benedicito: da ut eas liberè, citràque impedimentum celebremus pro sancta tua voluntate. Ædes precibus, ædes eulogiis, seu benedictionibus accommoda, & nobis & successoribus nostris servis tuis in sæculum largire.

Exurge, Domine, & dissipentur inimici tui, fugiant omnes, qui oderunt nomen sanctum tuum. Populo autem tuo fideli & orthodoxo benedic, multiplica eos in millia & decies millia: nec prævaleat mors peccati contra nos, neque contra omnem populum tuum: gratia & miserationibus, & benignitate unigeniti Filii tui. *Elata voce*, per quem, & cum quo, tibi gloria & im-

καρδίαις· ἀλλὰ καὶ τὴν βίου τούτου τὴν εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι. Τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον ἡμῶν Πάπαν τὸν Δ'. καὶ τὸν ὁσιώτατον ἡμῶν ἐπίσκοπον τὸν Δ'. συντηρῶν, συντήρησον ἡμῖν αὐτοὺς ἔτεσι πολλοῖς, εἰρηνικῶς ἐκτελοῦντας τὴν ὑπό σου ἐμπεπιστευμένην ἁγίαν ἀρχιερωσύνην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριον σου θέλημα, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, διακόνοις, ὑποδιακόνοις, ἀναγνώσταις, ψάλταις, σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. Τὰς ἐπισυναγωγὰς ἡμῶν κύριε εὐλόγησον· δὸς αὐτὰς ἀκωλύτως καὶ ἀνεμποδίστως γενέσθαι κατὰ τὸ ἅγιόν σου θέλημα. Οἴκους εὐχῶν, οἴκους εὐλογιῶν ἡμῖν τε καὶ τοῖς μετὰ ἡμᾶς δούλοις σου εἰς τὸν αἰῶνα δώρησαι.

Ἐξεγέρθητι κύριε καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροί σου· φυγέτωσαν πάντες οἱ μισοῦντες τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Τὸν δὲ λαόν σου τὸν πιστὸν καὶ ὀρθόδοξον εὐλόγησον· ποίησον αὐτὸν εἰς χιλιάδας καὶ μυριάδας· καὶ μὴ κατισχύσῃ θάνατος ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν, μὴ δὲ κατὰ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ καὶ μετὰ οὗ σοι ἡ δόξα καὶ τὸ κρά-

τῷ σῷ τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

perium cum sanctissimo, & bono, & vivifico Spiritu tuo.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ο Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ο Λαὸς. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Populus. Et spiritui tuo.

Ο Διάκονος. Βλέπετε μήτις τῶν κατηχουμένων.

Diaconus. Videte, ne quis Catechumenorum.

Καὶ ψάλλουσιν οἱ χερουβὶμ μυστικῶς.

Hinc psallant, Cherubim mysticè.

Ο Ἱερεὺς βάλλει θυμίαμα εἰς τὸ Εἰσόδιον καὶ εὔχεται.

Sacerdos incensum offert ad Eisódion seu majorem introitum & sic orat.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ παντων ἀπροσδεὴς, δέξαι τὸ θυμίαμα τοῦτο, ἐξ ἀναξίων χειρῶν προσφερόμενον, καὶ τῆς σῆς εὐλογίας πάντας ἡμᾶς ἀξίωσον. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν, καί σοι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν.

DOmine Deus noster, qui nullis rebus eges, suscipe incensum hoc, quod tibi ab indigna manu offertur, tuaque benedictione nos omnes dignare. Tu enim es sanctificatio nostra, tibique gloriam sursum mittimus.

Καὶ εἰσέρχονται τὰ ἅγια εἰς τὸ θυσιαστήριον, καὶ ὁ Ἱερεὺς εὔχεται ἑαυτῷ.

Et sancta ingrediuntur ad altare, & Sacerdos sic orat.

Ἅγιε, ὕψιστε, φοβερὲ, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, κύριε, αὐτὸς ἡμᾶς ἁγίασον, καὶ ἀξίωσον τῆς φοβερᾶς σου ἱερωσύνης, καὶ προσάγαγε ἡμᾶς τῷ τιμίῳ σου θυσιαστηρίῳ, μὴ πάσης συνειδήσεως ἀγαθῆς· καὶ καθάρισον ἡμῶν τὰς καρδίας ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ· πᾶσαν αἴσθησιν πονηρὰν ἐκδίωξον ἀφ' ἡμῶν. Ἁγίασον τὸν νοῦν καὶ τὴν ψυχὴν, καὶ δὸς ἡμῖν τὸν τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ὀπτεύειν λατρείαν, μὴ φόβῳ σου, ἐξιλασκόμενοι τὸ πρόσωπόν σου

SAncte, summe, tremende, qui in sanctis requiescis, Domine, ipse nos sanctifica, nosque dignare tremendo tuo sacerdotio, nosque siste venerando altari tuo, cum omni conscientia bona, cordaque nostra purgato ab omni inquinamento, reprobum omnem sensum à nobis expelle. Sanctifica mentem & animam, & da nobis sanctorum Patrum nostrorum cultum observare cum timore tuo, propitiantibus vultum tuum omni tempore.

Tu enim es qui benedicis, & sanctificas universa, & tibi gloriam & gratiarum actionem sursum mittimus.

Diaconus. Salutate invicem.

Sacerdos dicit orationem osculi pacis.

DOminator Domine omnipotens, aspice de cœlo ad Ecclesiam tuam, & ad omnem populum tuum, & totum gregem tuum, servaque nos omnes indignos servos tuos, oves gregis tui: nobisque tuam largire pacem, & tuam caritatem, & tuum auxilium, & mitte nobis donum sanctissimi tui Spiritus, ut in corde puro puraque conscientia salutemus nos invicem in osculo sancto, non in dolo, non in hypocrisi, non alieno adhærentes instituto, sed innocens & immaculatus in uno spiritu, in vinculo pacis & caritatis, unum corpus & unus spiritus in una fide, quemadmodum etiam vocati sumus in una spe vocationis nostræ, ut occurramus omnes in divinum & infinitum amorem in Christo Jesu Domino nostro, cum quo benedictus es.

Tunc Sacerdos incensum offert dicens.

Incensum offertur nomini

διὰ παντός. Σὺ γὰρ εἶ ὁ εὐλογῶν, καὶ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα, καὶ σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν.

Ο Διάκονος. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους.

Ο Ιερεὺς εὔχεται τὴν ἀσπασμόν.

ΔΕσποτα κύριε παντόκρατορ, οὐρανόθεν ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν σου, καὶ ἐπὶ πάντα τὸν λαόν σου, καὶ πᾶν τὸ ποίμνιόν σου, καὶ σῶσον πάντας ἡμᾶς τοὺς ἀναξίους δούλους σου, τὰ θρέμματα τῆς σῆς ἀγέλης· καὶ δώρησαι ἡμῖν τὴν σὴν εἰρήνην, καὶ τὴν σὴν ἀγάπην, καὶ τὴν σὴν βοήθειαν, καὶ κατάπεμψον ἡμῖν τὴν δωρεὰν τοῦ παναγίου σου πνεύματος, ὅπως ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, καὶ συνειδήσει ἀγαθῇ, ἀσπασώμεθα ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, μὴ ἐν ὑποκρίσει, μὴ τὴν τοῦ ἀλλοτρίου κεκτημένοι προαίρεσιν, * ἀλλὰ ἄμωμον, καὶ ἄσπιλον ἐν ἑνὶ πνεύματι, ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς ἀγάπης, ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, ἐν μιᾷ πίστει, καθὼς καὶ ἐκλήθημεν, ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ἡμῶν, ὅπως καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν θεῖαν καὶ ἀπέραντον στοργὴν, ἐν Χριστῷ Ιησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ.

Εἶτα ὁ Ιερεὺς βάλλει θυμίαμα, λέγων.

Θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνό-

μετὰ σου, ἀναληφθήτω δὴ δέομεθα ἐπὶ τὸ πνευματικῶν χειρῶν ἡμῶν τὰ ἁμαρτωλῶν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, εἰς ἱλασμὸν πάντος τοῦ λαοῦ σου. Ὅτι σοι πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ, προσκύνησις, καὶ εὐχαριστία, τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

tuo. Ascendat, quæsumus, è pauperculis manibus nostris, qui peccatores sumus, ad supercœleste altare tuum, in odorem suavitatis, in propitiationem totius populi tui. Quia te decet omnis gloria, honor, adoratio, & gratiarum actio, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Καὶ μετὰ τὸ ἀσπασμὸν, ἐπιφώνως ὁ Διάκονος. Προσφέρειν καὶ τόπους στάθητε.

Et post osculum pacis, Diaconus elata voce. Ad oblationem modestè state.

Ο Ἱερεὺς σφραγίζων τοὺς δίσκους, καὶ τὰ ποτήρια, ἐπιφώνως.

Sacerdos Cruce signans discos & calices, elata voce dicit.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν.

Credo in Deum, &c.

Ο Διάκονος. Επὶ προσευχὴν στάθητε.

Diaconus. Ad orationem state.

Ο Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ο Διάκονος. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῶν προσφερόντων.

Diaconus. Orate pro offerentibus.

Ο Ἱερεὺς λέγει εὐχὴν τῆς προθέσεως.

Sacerdos dicit orationem propositionis.

Δέσποτα Ἰησοῦ Χριστὲ, κύριε, ὁ σύναρχος λόγος τοῦ ἀνάρχου πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὁ μέγας ἀρχιερεὺς, ὁ ἄρτος, ὁ ἐν τῷ οὐρανῷ καταβὰς, καὶ ἀναγαγὼν ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀμνὸν ἄμωμον ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε κύριε φιλάνθρωπε, ἐπίφανον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ

DOminator Domine, Jesu Christe, Verbum coæquale imperio cum Patre absque principio, & Spiritu sancto, magne Pontifex, panis qui de cœlo descendisti, & eduxisti de corruptione vitam nostram, qui dedisti teipsum agnum immaculatum pro mundi vita, rogamus & obsecramus te, hominum amator Domine, ostende faciem tuam super hunc panem, & super

hos calices, quos sanctissima mensa suscipit astantibus ad ministerium Angelis, circumstantibus Archangelorum choris, per sacrum Sacerdotale ministerium in tuam gloriam & renovationem animarum nostrarum, gratia, & miserationibus, & humanitate unigeniti Filii tui, per quem & cum quo tibi gloria & imperium.

ὅθεν τὰ ποτήρια ταῦτα, ἃ ἡ σεπτὴ τράπεζα ὑποδέχεται διὰ ἀγγελικῆς λειτουργίας, καὶ ἀρχαγγελικῆς χορεστασίας, καὶ ἱερατικῆς ἱερουργίας, εἰς σὴν δόξαν καὶ ἀνακαμισμὸν τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, χάριτι, καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δι' οὗ, μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος.

Populoque dicente. Et incarnatus est de Spiritu sancto.

Καὶ ὅταν λέγει ὁ λαός. Καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου.

Crucem facit; eodemque subjungente. Crucifixus etiam pro nobis.

Ποιεῖ σταυρὸν. Καὶ σταυρωθέντα ὑπὲρ ἡμῶν.

Denuo cruce signat. Et in Spiritum sanctum.

Καὶ πάλιν σφραγίζει. Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Itidem & finito Symbolo Sacerdos cruce populum signat elata voce pronuntians. Dominus vobiscum omnibus.

Ὁμοίως καὶ μετὰ τὸ πίστιν, σφραγίζει ὁ ἱερεὺς τὸν λαὸν, ἐκφωνῶν. Ὁ κύριος μετὰ πάντων.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ὁ λαός. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Sacerdos. Sursum nostra corda.

Ὁ ἱερεύς. Ἄνω ὑμῶν τὰς καρδίας.

Populus. Habemus ad Dominum.

Ὁ λαός. Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Ὁ Ἱερεύς. Εὐχαριστῶμεν τῷ κυρίῳ.

Populus. Dignum & justum.

Ὁ λαός. Ἄξιον καὶ δίκαιον.

Diaconus. * * *

Ὁ Διάκονος. * * *

Sacerdos Anaphoram seu Canonem inchoat.

Ὁ ἱερεὺς ἀρχὴν τῆς ἀναφορᾶς.

Verè quippe dignum est & justum, sanctumque & decorum, atque nostris animabus utile, qui es, ὁ Dominator Domine, Deus Pater omnipo-

Ἀληθῶς γὰρ ἄξιόν ἐστιν καὶ δίκαιον, πρέπον καὶ ὠφέλιμον ἡμετέραις ψυχαῖς ἐπιφέλες, ὁ ὤν, δέσποτα, κύριε θεὲ, πάτερ παντοκρα-

tor,

τορ, σὲ αἰνεῖν, σὲ ὑμνεῖν, σοι εὐχαριστεῖν, σοι ἀνθομολογεῖσθαι νύκτωρ τὲ καὶ καθ' ἡμέραν ἀκαταπαύστῳ στόματι, καὶ ἀσιγήτοις χείλεσι, καὶ ἀσιωπήτῳ κάρδιᾳ· σοι τῷ ποιήσαντι τὸν οὐρανὸν, καὶ τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ, γῆν, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, θάλασσαν, πηγὰς, ποταμοὺς, λίμνας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, σοι τῷ ποιήσαντι τὸν ἀνθρώπον κατ' ἴδιαν εἰκόνα, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, ᾧ καὶ ἐχαρίσω τὸν ἐν παραδείσῳ τρυφὴν, παραβάντα δὲ αὐτὸν οὐχ ὑπερίδες, οὐδὲ ἐγκατέλιπες ἀγαθὲ, ἀλλὰ πάλιν ἀνεκαλέσω διὰ νόμου, ἐπαιδαγώγησας διὰ προφητῶν, ἀνέπλασας, καὶ ἀνεκαίνισας διὰ τοῦ φρικτοῦ καὶ ζωοποιοῦ, καὶ οὐρανίου μυστηρίου τούτου· πάντα δὲ ἐποίησας διὰ τῆς σῆς σοφίας, τοῦ φωτὸς τοῦ ἀληθινοῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κύριου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ· δι' οὗ σοι σὺν αὐτῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εὐχαριστοῦντες, προσφέρομεν τὸν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην, ἣν προσφέρει σοι κύριε πάντα τὰ ἔθνη, ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ μέχρι δυσμῶν· ἀπὸ ἄρκτου καὶ μεσημβρίας· ὅτι μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματι ἁγίῳ σου, καὶ θυσία καὶ προσφορά.

tens, te laudibus & hymnis celebrare, tibi gratias agere, tibi confiteri per diem & noctem incessabili ore, non silentibus labiis & corde non tacito; tibi, inquam, qui fecisti cœlum & quæ cœli ambitu continentur, terram quæque in terra sunt, mare, fontes, flumina, lacus, & omnia, quæ in eis sunt; tibique, qui fecisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam, cui Paradisi quoque delicias largitus es, transgressum non aspernatus es, neque deseruisti, ô bone, sed denuò per legem revocasti, per Prophetas erudiisti, denique reformasti & renovasti per hoc tremendum, & vivificum, & cœleste sacramentum. Quæ omnia fecisti per tuam sapientiam, lucem veram, unigenitum Filium tuum, Dominum, & Deum, & Servatorem nostrum Jesum Christum, per quem tibi, cum ipso & Spiritu sancto gratias agentes, offerimus rationabilem & incruentam λατρείαν, seu oblationem hanc, quam offerunt tibi, Domine, omnes gentes ab ortu Solis usque ad occasum; à Septentrione, ad Meridiem: quia magnum nomen tuum in omnibus gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, & sacrificium, & oblatio.

Certè precamur & obsecramus, humani generis amator bone:

Memento, Domine, sanctæ, soliusque Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus terræ ad ejusdem fines ultimos diffunditur, omnium denique populorum, & omnium ovilium tuorum.

Pacem, quæ de cœlo est, largire nostris omnium cordibus, imò & vitæ hujus pacem nobis dona.

Regem, Ordines militares, Principes, Senatus & concilia, populos, vicinias, introitus, & exitus nostros, in omni pace disponito,

Rex pacis, tuam pacem da nobis, in concordia & charitate, posside nos ô Deus: alium præter te non novimus, nomen tuum nominamus: vivifica nostras omnium animas, & non prævalebit mors peccati contra nos, neque contra totum populum tuum.

Ægrotos, Domine, populi tui visitans in misericordia & miserationibus sana.

Averte ab eis, & à nobis omnem morbum & infirmitatem: Spiritum debilitatis effugato ab eis. Valetudinarios diuturnis morbis decubantes exsuscita. Spiritibus impuris vexatos sana. Eorum qui vel

Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθὲ·

Μνήσθητι κύριε τῆς ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἣ ἀπὸ γῆς περάτων μέχρι περάτων αὐτῆς, πάντων τῶν λαῶν, καὶ πάντων τῶν ποιμνίων σου.

Τὴν ἐξ ὕψους εἰρήνην βεβαίωσον ἐπ' ἀπάντων ἡμῶν καρδίαις· ἀλλὰ καὶ τὸν βίον τοῦτον τὴν εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι.

Τὸν βασιλέα, τὰ στρατιωτικὰ, τοὺς ἄρχοντας, βουλὰς, δήμους, γειτονίας, εἰσόδους & ἐξόδους ἡμῶν, ἐν πάσῃ εἰρήνῃ κατακόσμησον.

Βασιλεῦ τῆς εἰρήνης, τὴν σὴν εἰρήνην δὸς ἡμῖν ἐν ὁμονοίᾳ & ἀγάπῃ κτῆσαι ἡμᾶς ὁ θεὸς, ἐκτὸς σοῦ ἄλλον οὐκ οἴδαμεν· τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν· ζωοποίησον τὰς ἀπάντων ἡμῶν ψυχὰς, καὶ μὴ καταχύσῃ θάνατος ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν, μηδὲ καθ' παντὸς τοῦ λαοῦ σου.

Τοὺς νοσοῦντας κύριε τοῦ λαοῦ σου ἐπισκεψάμενος ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς ἴασαι.

Ἀπόστησον ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀφ' ἡμῶν πᾶσαν νόσον καὶ μαλακίαν, τὸ πνεῦμα τῆς ἀσθενείας * ἐξάλειψον ἀπ' αὐτῶν. Τοὺς ἐν μακροῖς ἀῤῥωστήμασι κατακειμένους ἐξανάστησον. Τοὺς ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἐνοχλουμένους, ἴασαι. Τοὺς ἐν φυλακαῖς, ἢ

ἐν μεταλλοις, ἢ δικαις, ἢ καταδικαις, ἢ ἐν ἐξοριαις, ἢ πικρᾷ δουλεία, ἢ φόροις κατεχομένους πάντας ἐλέησον, πάντας ἐλευθέρωσον· ὅτι σὺ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ λύων πεπεδημένους· ὁ ἀνορθῶν τὺς κατερραγμένους, ἡ ἐλπὶς τῶν ἀπελπισμένων, ἡ βοήθεια τῶν ἀβοηθήτων, ἡ ἀνάστασις τῶν πεπτωκότων, ὁ λιμὴν τῶν χειμαζομένων, ὁ ἔκδικος τῶν καταπονουμένων· πάσῃ ψυχῇ χριστιανῇ θλιβομένῃ καὶ ἀπελπιζομένῃ δὸς ἔλεος, δὸς ἄνεσιν, δὸς ἀνάψυξιν. Αλλὰ καὶ ἡμῖν κύριε τὰς καὶ ψυχικὰς νόσους, ἴασαι, τὰς σωματικὰς ἀσθενείας θεράπευσον, ἰατρὲ ψυχῶν καὶ σωμάτων, ἐπίσκοπε πάσης σαρκὸς, ἐπίσκεψαι καὶ ἴασαι ἡμᾶς διὰ τοῦ σωτηρίου σου. Τὺς ἀποδημήσαντας ἡμῶν ἀδελφὺς, ἢ μέλλοντας ἀποδημεῖν ἐν παντὶ τόπῳ κατεύοδωσον, εἴτε διὰ γῆς, ἢ ποταμῶν, ἢ λιμνῶν, ἢ ὁδοιπορείων, ἢ ὁιῳδήποτε τρόπῳ τὴν πορείαν ποιῦντας; πάντας ταναχῦ ἀποκατάστησον εἰς λιμένα εὔδιον, εἰς λιμένα σωτήριον· σύμπλους καὶ σωοδοίπορος αὐτῶν γενέσθαι καταξίωσον. Ἀπόδος τοῖς οἰκείοις αὐτῶν χαίροντας, ὑγιαίνοντας ὑγιάνοντας. ἀλλὰ καὶ ἡμῖν κύριε τὴν παρεπιδημίαν τὴν ἐν τῷ βίῳ τύτῳ, ἀβλαβῆ καὶ ἀχείμαστον μέχρι τέλους διαφύλαξον. Τὺς ὑετὺς ἀγα-

carceribus, vel metallis, vel accuſationibus, vel condemnationibus, vel exiliis, vel amara ſervitute, vel tributis, divexantur, miſerere: omnes liberato: quoniam tu Deus noſter, qui ſolvis compeditos, qui erigis eliſos, ſpes deſperantium, auxilium deſtitutorum, reſurrectio lapſorum, portus naufragantium, ultor afflictorum: omni animæ Chriſtianæ afflictæ & oberranti, da miſericordiam, da remiſſionem, da refrigerium, Quin & nos, Domine, quibus animo laboramus, morbos ſana, corporis infirmitates cura, Medice animarum & corporum, Epiſcope, ſeu Inſpector, omnis carnis, viſita & ſana nos, per ſalutare tuum. Fratres noſtros peregrè profectos, vel profecturos, in omni loco dirige, ſive per terram, ſive flumina, ſive lacus, ſive vias, ſive quovis modo iter facientes, omnes undique adducito ad portum tranquillum, ad portum ſalutarem, ipſe navigationis & viæ comes eis eſſe dignare, ſuis eos redde, gaudentes gaudentibus, ſanos ſanis: quin & noſtram, Domine, hac in vita peregrinationem à damno & tempeſtate immunem, uſque in finem conſervato. Pluvias bonas ex

thesauris tuis in loca demitte iis opus habentia & egentia. Lætifica & renova earum descensu faciem terræ, ut stillicidiis ejus lætetur germinans. Fluviales aquas eleva ad justam earum mensuram. Lætifica & renova earum ascensu faciem terræ. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus. Fructibus terræ, Domine, benedicito, salvosque nobis & incorruptos conservato: exhibe nobis eos in semen & messem. Benedicito etiamnum, Domine, coronæ anni benignitatis tuæ, propter pauperes populi tui, propter viduam & propter pupillum: propter peregrinum, & propter advenam: propter nos omnes sperantes in te, & invocantes sanctum nomen tuum. Oculi enim omnium in te sperant, & tu das escam ipsorum in tempore opportuno. Qui das escam omni carni, imple gaudio & lætitia corda nostra, ut semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro. Rex Regum, & Domine dominantium, regnum servi tui orthodoxi & Christum aman-

θοὺς πλουσίως κατάπεμψον ἐπὶ τοὺς χρήζοντας καὶ ἐπὶ τοὺς δεομένους τόπους. εὔφρανον καὶ ἀνακαίνισον τῇ καταβάσει αὐτῶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ἵνα ἐν ταῖς σταγόσιν αὐτῆς εὐφρανθήσηται, ἀνατέλλουσα. Ποτάμια ὕδατα ἀνάγαγε ἐπὶ τὸ ἴδιον μέτρον αὐτῶν, εὔφρανον καὶ ἀνακαίνισον τῇ ἀναβάσει αὐτῶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. Τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον, πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς. Τοὺς καρποὺς τῆς γῆς κυρίε εὐλόγησον, σώους καὶ ἀκεραίους ἡμῖν διατήρησον· παράστησον ἡμῖν αὐτοὺς εἰς σπέρμα καὶ εἰς θερισμόν. Εὐλόγησον καὶ νῦν κυρίε τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου, διὰ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ σου. διὰ τὴν χήραν καὶ διὰ τὸν ὄρφανον, διὰ τὸν προσήλυτον, δι' ἡμᾶς πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σε, καὶ ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἴς σε ἐλπίζουσιν, καὶ σὺ δίδως τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ, πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, ἐν Χριστῷ Ιησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Βασιλεῦ τῶν βασιλευόντων, καὶ κυρίε τῶν κυριευόντων, τὴν βασιλείαν τῶν δούλου σου τοῦ ὀρθοδόξου καὶ

φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως, ὃν ἐδικαίωσας βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀνδρίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ. * Ὁ θεὸς πάντα ἐχθρὸν καὶ πολέμιον ἐμφυλιόντα καὶ ἀλλόφυλον. ὑπόταξον ὅπλα καὶ θυρεόν, καὶ ἀνάστηθι εἰς τὴν βοήθειαν αὐτοῦ, καὶ ἔκχεον ῥομφαίαν καὶ σύγκλεισον ἐξεναντίας τῶν καταδιωκόντων αὐτόν. Ἐπισκίασον ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου· κάθισον ἐκ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ * ἀγαθὰ κατὰ τὴν ἁγίαν σου καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν καὶ πάντας τοὺς φιλοχρίστους λαούς, ἵνα καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ γαληνότητι αὐτοῦ ἥρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι. Τῶν ἐν πίστει Χριστοῦ κεκοιμημένων πατρῶν τε καὶ ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, μνησθεὶς τοῦ ἀπ' αἰῶνος εὐσπατέρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων, ὁσίων, δικαίων, παντὸς πνεύματος ἐν πίστει Χριστοῦ τετελειωμένων· καὶ ὧν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ τὴν μνήμην ποιούμεθα, καὶ τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, τοῦ ὑποδείξαντος ἡμῖν ὁδὸν σωτηρίας.

Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος

tis Regis noſtri, quem ſuper terram regnare juſtum cenſuiſti, in pace, & fortitudine, & juſtitia, & tranquillitate, conſervato. Subjicito ei Deus, omnem hoſtem & adverſarium, tam noſtratem quàm externum. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium ei: effunde frameam & conclude adversùs eos, qui perſequuntur eum: obumbra ſuper caput ejus in die belli: fac, ut de fructu lumbi ejus ſedeat ſuper ſedem ejus. Loquere ad cor ejus bona, pro ſancta tua Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, & omni Chriſtum amante populo, ut & nos in tranquillitate ejus, tranquillam & quietam vitam degamus, in omni pietate & ſanctitate. Animabus patrum & fratrum noſtrorum, qui anteà in Chriſti fide obdormierunt, dona requiem, Domine Deus noſter, memor majorum noſtrorum, qui à ſæculo ſunt, avorum, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Epiſcoporum, Sanctorum, Juſtorum, omnis ſpiritus in fide Chriſti defunctorum, necnon eorum, quorum hodierno die memoriam agimus, & ſancti Patris noſtri Marci Apoſtoli & Evangeliſtæ, qui demonſtravit nobis viam ſalutis.

Ave gratia plena, Dominus

tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia peperisti Servatorem animarum nostrarum, *Elata voce.* In primis sanctissimæ, intemeratæ, & benedictæ Dominæ nostræ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ.

Diaconus. Domine benedicito.

Sacerdos. Dominus benedicat tibi gratiâ suâ, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Diaconus legit Diptycha defunctorum.

Sacerdos autem se inclinans precatur.

Et horum omnium animabus dona requiem, Dominator domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiens eis promissionum tuarum bona, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti, Deus, diligentibus nomen sanctum tuum. Eorum animabus dona requiem, easque regno cœlorum dignare: nobis autem fines vitæ Christianos, & tibi bene placitos, peccatique immunes largire: & da nobis, ut partem & sortem habeamus cum omnibus sanctis tuis. Eorum qui sacrificia & oblationes offerunt, Eucharisteria, seu gratiarum agenda-

μῆ σε, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σε, ὅτι ἔτεκες σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Ἐκφώνως. Ἐξαιρέτως τῶν πανάγιας, ἀχράντου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Ο Διακονος. Κύριε εὐλόγησον.

Ο Ιερεὺς. Ο κύριος εὐλογήσει σε τῇ αὐτοῦ χάριτι, νυὶ καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ο Διάκονος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων.

Ο δὲ Ιερεὺς κλινόμενος ἐπεύχεται.

Καὶ τούτων πάντων τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐν τοῖς τῶν ἁγίων σε σκηναῖς, ἐν τῇ βασιλείᾳ σε χαριζόμενος αὐτοῖς τὰ τῶν ἐπαγγελιῶν σε ἀγαθὰ, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, οὐδὲ οὐκ ἤκουσεν, καὶ ὅτι καρδίαν ἀνθρώπων οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασας ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσι τὸ ὄνομά σε τὸ ἅγιον. Αὐτῶν μὲν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, καὶ βασιλείας οὐρανῶν καταξίωσον· ἡμῖν δὲ τὰ τέλη τῆς ζωῆς χρισταὶ εὐάρεστα, καὶ ἀναμάρτητα δώρησαι· καὶ δὸς ἡμῖν μετὰ φόβου καὶ πλῆρες ἔχειν μέρος πάντων τῶν ἁγίων σε. Τῶν προσφερόντων τὰς θυσίας, καὶ τὰς προσφορὰς, τὰ εὐχαριστήρια προσάγ-

ξαι ὁ θεὸς εἰς τὸ ἅγιον καὶ ἐπουράνιον καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον, εἰς τὰ μεγέθη τῶν οὐρανῶν, διὰ τῆς ἀρχαγγελικῆς σου λειτουργίας, τῶν τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, κρυφᾶ καὶ παῤῥησίᾳ, βουλομένων, καὶ οὐκ ἐχόντων· καὶ τῶν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ τὰς προσφορὰς προσενεγκάντων, ὡς προσεδέξω τὰ δῶρα τοῦ δικαίου σου Αβὲλ.

Καὶ βάλλει θυμίαμα ὁ Ιερεὺς καὶ λέγει.

Τὴν θυσίαν τοῦ πατρὸς ἡμῶν Αβραὰμ, Ζαχαρίου τὸ θυμίαμα, Κορνελίου τὰς ἐλεημοσύνας, καὶ τῆς χήρας τὰ δύο λεπτὰ, πρόσδεξαι, καὶ αὐτῶν τὰ εὐχαριστήρια, καὶ ἀντιδὸς αὐτοῖς ἀντὶ τῶν ἐπιγείων, τὰ οὐράνια, ἀντὶ τῶν προσκαίρων, τὰ αἰώνια. Τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον Πάπαν Δ'. ὃν προέγνως καὶ * προχειρίσασθαι τὴν ἁγίαν σου καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὸν ὁσιώτατον ἐπίσκοπον Δ'. τὸν ἡμέτερον, συντηρῶν συντήρησον αὐτοὺς ἔτεσι πολλοῖς, χρόνοις εἰρηνικοῖς, ἐκτελοῦντας αὐτοὺς τὴν ὑπὸ σοῦ ἐμπεπιστευμένην ἁγίαν σου ἀρχιερωσύνην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριόν σου θέλημα, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Μνήσθητι δὲ καὶ τῶν ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, ὑποδιακόνων, ἀναγνωστῶν, ψαλτῶν, μοναζόντων, ἀει-

rum munera, suscipe Deus in sanctum, & cœleste, & intellectuale altare tuum, in magnitudines cœlorum, per Archangelicum ministerium tuum: eorum qui multum & parum, clam & palam & liberè, offerre volunt, & non habent: & eorum, qui hodierno die oblationes obtulerunt, ut suscepisti munera justi tui Abel,

Hinc thurificat Sacerdos & dicit.

Sacrificium patris nostri Abrahæ, Zachariæ incensum, Cornelii eleemosynas, viduæ minuta duo. Suscipe insuper eorumdem munera gratiarum actionis, eisque retribue pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna. Sanctissimum & beatissimum Papam N. quem præscivisti recturum sanctam tuam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, necnon sanctissimum Episcopum N. nostrum conservans, conservato eos, ut multis annis pacificis temporibus, sancto tuo fungantur Pontificatu, sibi credito per sanctam tuam beatamque voluntatem, rectè dispensantes verbum veritatis. Memento etiam ubique degentium orthodoxorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, Semper-virginum,

Viduarum, Laïcorum. Memento, Domine, ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis, & civitatis imperialis, & noſtræ hujus, omnis denique civitatis & regionis, & eorum, qui in orthodoxa Chriſti fide eas incolunt, pacis & ſecuritatis. Memento, Domine, omnis animæ chriſtianæ afflictæ & vexatæ, Deique miſericordia & auxilio egentis, necnon converſionis eorum, qui à recta via deerraverunt. Memento, Domine, fratrum noſtrorum, qui captivi tenentur, da eis, Domine, ut miſericordiam inveniant coram omnibus qui eos captivos duxerunt. Memento, Domine, noſtri quoque peccatorum, & indignorum ſervorum tuorum, & peccata noſtra deleto, ut bonus & benignus Deus. Memento, Domine, mei quoque humilis & abjecti peccatoris, & indigni ſervi tui, & peccata mea deleto, ut bonus, benignus Deus. A deſto nobis, qui ſanctiſſimo nomini tuo miniſtramus. Congregationibus noſtris, Domine, benedicito. Idololatriam è mundo radicitus extirpato. Satanam & omnem ejus operationem & nequitiam conterito ſub pedibus noſtris. Inimicos Eccleſiæ tuæ, Domine, ut ſemper, ita etiam nunc humilia. Patefac eorum ſuper-

παρθένων, χήρων, λαϊκῶν. Μνήσθητι κύριε τ ἁγίας Χριςῦ τ θεοῦ ἡμῶν πόλεως κ τ βασιλευούσης, κ τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης, πάσης πόλεως & χώρας, κ τ ἐν ὀρθοδόξῳ πίςει Χριςῦ οἰκούντων ἐν αὐταῖς, εἰρήνης κ ἀσφαλείας αὐτῶν. Μνήσθητι κύριε πάσης ψυχῆς χριςιανῆς θλιβομένης κ καταπονουμένης, ἐλέους θῦ & βοηθείας δεομένης, κ πλάνης τ πεπλανημένων. Μνήσθητι κυρίε τ ἐν αἰχμαλωσίᾳ, τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, δς αὐτοῖς ἐν ἐλέει & οἰκτιρμοῖς ἦ, ἐναντίον πάντων τ αἰχμαλωτευσάντων αὐτούς. Μνήσθητι κύριε & ἡμῶν, τ ἁμαρτωλῶν & ἀναξίων δούλων σου, κ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἐξάλειψον, ὡς ἀγαθὸς & φιλάνθρωπος θεός. Μνήσθητι κύριε κ ἐμοῦ τοῦ ταπεινοῦ, κ ἁμαρτωλοῦ, & ἀναξίου δούλου σου, κ τὰς ἁμαρτίας μου ἐξάλειψον ὡς φιλάνθρωπ θεός. Συμπάρεσο ἡμῖν λειτουργοῦσι τῷ παναγίῳ σου ὀνόματι. Τὰς ἐπισυναγωγάς ἡμῶν κύριε εὐλόγησον. Τὴν εἰδωλολατρείαν τέλεον ἐκρίζωσον ἀπὸ τοῦ κόσμου. Τὸν σατανᾶν κ πᾶσαν αὐτοῦ τ ἐνέργειαν κ πονηρίαν σύντριψον ὑπὸ τοὺς πόδας ἡμῶν. Τοὺς ἐχθροὺς τῆς ἐκκλησίας σου κύριε, ὡς πάντοτε κ νῦν ταπείνωσον. Γύμνωσον αὐτῶν τὴν

τὴν ὑπερηφανίαν· δείξον αὐτοῖς ἐν τάχει τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν, τὰς ἐπιβουλὰς αὐτῶν καὶ τὰς πανουργίας, ἃς ποιοῦσιν κατ' ἡμῶν ἀπράκτους ποίησον. Ἐξεγέρθητι κύριε καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροί σου, καὶ φυγέτωσαν εἰς τὰ ὀπίσω πάντες οἱ μισοῦντες τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Τὸν * δὲ λαόν σου τὸν πιστὸν καὶ ὀρθόδοξον, ἐπ' εὐλογίας χιλίας χιλιάδας καὶ μυρίας μυριάδας, ποιοῦντας τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον.

Ο Διάκονος. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Ο Ιερεὺς λέγει εὐχήν.

Λύτρωσαι δεσμίους, ἐξέλου τοὺς ἐν ἀνάγκαις, πεινῶντας χόρτασον, ὀλιγοψυχοῦντας παρακάλεσον, πεπλανημένους ἐπίστρεψον, ἐσκοτισμένους φωταγώγησον, πεπτωκότας ἔγειρον, σαλευομένους στήριξον, νενοσηκότας ἴασαι, πάντας ἀγαθὲ, εἰς τὴν ὁδὸν τῆς σωτηρίας σύναψον, καὶ αὐτοὺς τῇ ἁγίᾳ σοῦ ποίμνῃ· ἡμᾶς δὲ ῥῦσαι ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν ἡμῶν, φρουρὸς ἡμῶν καὶ ἀντιλήπτωρ κατὰ πάντα γενόμενος.

Ο Διάκονος. Εἰς ἀνατολήν.

Καὶ κλίνει ὁ Ιερεὺς, καὶ εὔχεται.

Σὺ γὰρ εἶ ὁ ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς

biam. Demonstra eis citò eorum imbecillitatem. Insidias eorum, præstigias eorum & versutias, quibus nos adoriuntur, infectas & irritas efficito. Exurge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant retrorsum omnes qui oderunt sanctum nomen tuum. Populo autem tuo fideli & orthodoxo benedic in millena millia, & decies millena millia, facientibus sanctam voluntatem tuam.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos dicit hanc orationem.

Redime vinctos, de necessitatibus suis, afflictos exime, esurientes satia, desolatos consolare, errantes converte, in tenebris sedentes illumina, lapsos erige, instabiles confirma, ægros sana, omnes, ô bone, in viam salutis dirige, eosdemque in sanctum ovile tuum congrega: nos autem ab iniquitatibus nostris libera, protector noster & defensor per omnia factus.

Diaconus. Ad Orientem.

Sacerdos se inclinat & orat.

Tu es supra omne imperium, & omnem potentiam, & virtutem, & domi-

nationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Tibi astant millia millium, & decies millies centena millia sanctorum Angelorum, & Archangelorum exercitus. Tibi astant honoratissima tua duo animalia, nimirum multocula Cherubim, & sex alata Seraphim, quæ duabus quidem alis facies tegunt, & duabus pedes, & duabus volant & clamant alterum ad alterum inessabilibus vocibus, & non tacentibus theologiis, triumphalem & ter-sanctum hymnum, canentia, clamantia, glorificantia, vociferantia, & dicentia, magnificæ tuæ gloriæ.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabbaoth. Plenum est cœlum & terra gloria sancta tua, *Elata voce.* Semper equidem omnes sanctificas, sed & cum omnibus te glorificantibus susci pe, Dominator Domine, nostram quoque sanctificationem, qui cum ipsis te laudamus & dicimus.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.

Sacerdos mysteria sancta signaculo crucis signat, dicens.

Plenum enim re vera est cœlum & terra gloriâ tuâ, per manifestationem Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, fac, ô Deus, ut ple-

ὀνόματος, ὀνομαζομένου, οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. Σοὶ παρεστήκουσι χίλιαι χιλιάδες, καὶ μυριάδες μυριάδες ἁγίων ἀγγέλων, καὶ ἀρχαγγέλων στρατιαί. Σοὶ παρεστήκασι τὰ δύο τιμιώτατά σου ζῶα, τὰ πολυόμματα χερουβίμ, καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα σεραφίμ, ἃ δυσὶ μὲν πτέρυξι τὰ πρόσωπα καλύπτοντα, καὶ δυσὶ τοὺς πόδας, καὶ δυσὶν ἱπτάμενα, καὶ κέκραγμα ἕτερον πρὸς τὸ ἕτερον ἀκαταπαύστοις στόμασι, καὶ ἀσιγήτοις θεολογίαις, τὸν ἐπινίκιον καὶ τρισάγιον ὕμνον ᾄδοντα, βοῶντα, δοξολογοῦντα, κεκραγότα καὶ λέγοντα τῇ μεγαλοπρεπείᾳ σου δόξῃ.

Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαὼθ. Πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τῆς ἁγίας σου δόξης. Ἐκφώνως. Πάντοτε μὲν πάντας ἁγιάζῃ, ἀλλὰ καὶ μετὰ πάντων ἡμῶν σε ἁγιαζόντων, δέξαι δέησιν κύριε καὶ τὸν ἡμέτερον ἁγιασμὸν, σὺν αὐτοῖς ὑμνοῦντων καὶ λεγόντων.

Ὁ λαός. Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος.

Ὁ ἱερεὺς σφραγίζει τὰ ἅγια, λέγων.

Πλήρης γάρ ἐστιν ὡς ἀληθῶς ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ τῆς ἁγίας σου δόξης διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· πλή-

φησιν ὁ Θεὸς καὶ ταύτῃ τῇ θυσίᾳ τὴν εὐλογίαν σου ἐπιδημίᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματός σου. Ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος καὶ ὁ Θεὸς καὶ παμβασιλεὺς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ τὴν ὑπὲρ πάντων ὑψίστατον * θάνατον σαρκὶ, συνανακλιθεὶς μετὰ τῶν ἁγίων καὶ ἀληθινῶν καὶ ἀμώμων αὐτοῦ χειρῶν, ἀναβλέψας εἰς τὸν ἴδιον πατέρα, Θεὸν δὲ ἡμῶν καὶ Θεὸν τῶν ὅλων, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, ἁγιάσας, κλάσας, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις καὶ μακαρίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἰπών. Ἐφάνας. Λάβετε, φάγετε.

num quoque sit hoc sacrificium benedictione tua, per adventum sanctissimi Spiritus tui. Quia ipse Dominus & Deus, & summus Rex noster Jesus Christus nocte qua tradebat seipsum pro peccatis nostris, & mortem pro omnibus subibat carne, recumbens cum sanctis discipulis & Apostolis, accepit panem in sanctas, & immaculatas, & inculpatas manus suas, suspiciens in cœlum ad te Patrem suum, Deumque nostrum & Deum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, fregit, deditque sanctis & beatis discipulis & Apostolis, dicens, *Elata voce*, Accipite, comedite.

Ο Διάκονος. Ἐκτείνατε.

Diaconus: Extendite.

Ο Ἱερεὺς ἐφάνας.

Sacerdos elata voce.

Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον καὶ μεριζόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Hoc enim est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & distribuitur in remissionem peccatorum.

Ο Λαὸς. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ο Ἱερεὺς λέγει ἐπευχόμενος.

Sacerdos orans ait.

Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν, καὶ κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν πρός σε τὸν ἴδιον πατέρα, Θεὸν δὲ ἡμῶν καὶ Θεὸν τῶν ὅλων, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, πλήσας πνεύματος ἁγίου, μετέδωκε

SImiliter & calicem postquam cœnavit accipiens, mixtumque vino & aqua, suspiciens in cœlum ad te Patrem suum, Deumque nostrum, & Deum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, implevit Spiritu sancto, & tra-

didit ſanctis & beatis diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens, *Elata voce,* Bibite ex eo omnes.

τοῖς ἁγίοις καὶ μακαρίοις ἀποστόλοις, εἰπών, Ἐκφάνως. πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες.

Diaconus. Denuò impenſiùs orate.

Ο Διάκονος. Επὶ σπτείνατε.

Sacerdos elata voce,

Ο Ιερεὺς ἐκφώνως.

Hic enim eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum.

Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Populus. Amen.

Ο Λαὸς. Αμὴν.

Sacerdos ſic orare pergit.

Ο Ιερεὺς εὔχεται οὕτως.

Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem meam annuntiabitis, & reſurrectionem meam, & aſcenſionem confitebimini, donec veniam. Mortem tuam, Dominator Domine omnipotens, cœleſtis Rex, unigeniti tui Filii, Dominique & Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, annuntiantes, & triduanam beatamque ejus à mortuis reſurrectionem confitentes, in cœlos quoque aſcenſionem confitemur, tuamque à dexteris Dei tui & Patris cathedram, necnon ſecundum & terribilem & tremendum ejus adventum expectantes, in quo venturus eſt judicare vivos & mortuos in juſtitia, & reddere, &c. Tibi, Domine Deus noſter,

Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Οσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνητε δὲ καὶ ποτήριον τοῦτο, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν καὶ ἀνάληψιν ὁμολογεῖτε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθω. Τὸν θάνατον δέσποτα κύριε παντοκράτωρ ἐπουράνιε βασιλεῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου ἡμῶν καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ καταγγέλλοντες, καὶ τὴν τριήμερον καὶ μακαρίαν αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ὁμολογοῦντες, καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν ὁμολογοῦμεν, καὶ ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδραν, καὶ δευτέραν καὶ φοβερὰν αὐτοῦ παρουσίαν ἀπεκδεχόμενοι, ἐν ᾗ μέλλει ἔρχεσθαι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ἀποδοῦναι. Σοὶ κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν τὰ σὰ ἐκ

τῶν σῶν δώρων προεθήκαμεν ἐνώπιόν σου. Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθὲ, ἐξαπόστειλον ἐξ ὕψους τοῦ ἁγίου σου, ἐξ ἑτοίμου κατοικητηρίου σου, ἐκ τῶν ἀπεριγράπτων κόλπων, αὐτὸν τὸν παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸν ἅγιον, τὸν κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐν νόμῳ καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις λαλῆσαν, τὸ πανταχοῦ παρὸν καὶ τὰ πάντα πληροῦν, ἐνεργοῦντε αὐτεξουσίως, οὐ διακονικῶς, ἐφ' οὓς βούλεται τὸν ἁγιασμὸν εὐδόκιᾳ τῇ σῇ, τὸ ἁπλοῦν τὴν φύσιν, τὸ πλημερὲς τὴν ἐνέργειαν, τὴν τῶν θείων χαρισμάτων πηγήν· τό σοι ὁμοούσιον· τὸ ἐκ σοῦ ἐκπορευόμενον, τὸ συνθρονον τῆς βασιλείας σου, καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. Ετι δὲ ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τοὺς ἀρτοὺς τούτους, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα, τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἵνα αὐτὰ ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ, ὡς παντοδύναμος θεός. Εκφώνως. καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα.

Ο Λαός. Αμήν.

Ο Ιερεὺς ἐκφώνως.

Τοδὲ ποτήριον, αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης, αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ.

quæ tua sunt, de tuis bonis hæc proposuimus coram te. Enimverò te rogamus & obsecramus, generis humani amator bone, ut emittas ex alto sancto tuo, ex præparato habitaculo tuo, ex incircumscriptis sinubus tuis, ipsum Paracletum, Spiritum veritatis, sanctum, Dominum, vivificantem, qui in Lege, & Prophetis, & Apostolis locutus est: qui ubique adest, & omnia replet, & operatur suâ potentiâ, non tanquam minister, in quibus vult, sanctificationem pro beneplacito tuo: simplex naturâ, in plura divisus actu, divinorum charismatum fons, tibi consubstantialis, ex te procedens, in throno regni tui tecum sedens, & cum unigenito Filio tuo Domino & Deo & Servatore nostro Jesu Christo. Emitte præterea super nos, & super panes & calices istos Spiritum sanctum tuum, ut eos sanctificet & consecret, tanquam Deus omnipotens, *Elata voce*, & faciat panem quidem corpus.

Populus. Amen.

Sacerdos elata voce,

Calicem autem, sanguinem Novi Testamenti, ipsius Domini & Dei, & Servatoris, & summi Regis nostri Jesu Christi.

Diaconus. Deſcendite Diaconi.

Sacerdos elata voce.

Ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in ſobrietatem, in medelam, in temperantiam, in ſanctificationem, in renovationem animæ, corporis, & ſpiritus, in communionem beatitudinis vitæ æternæ, & immortalitatis, in glorificationem ſanctiſſimi tui nominis, in remiſſionem peccatorum, ut tuum & in hoc, quemadmodum in univerſo, glorificetur & laudetur, & ſanctificetur ſanctiſſimum & precioſum, & glorificatum nomen tuum cum Jeſu Chriſto & ſancto Spiritu.

Populus. Sicut erat, & eſt.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate.

Sacerdos ſecretè orat.

DEus lucis, genitor vitæ, autor gratiæ, factor ſæculorum, fundator ſcientiæ, dator ſapientiæ, theſaure ſanctitatis, Doctor precum purarum, animæ benefactor, qui puſillanimibus in te confidentibus das ea in quæ deſiderant Angeli proſpicere; qui eduxiſti nos ex abyſſo ad lucem, qui dediſti nobis è morte vitam, qui largitus es nobis è ſervitute libertatem,

Ο Διάκονος. Καταλάβετε οἱ Διάκονοι.

Ο Ἱερεὺς ἐκφώνως.

Ἵνα γένωνται πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν, εἰς πίστιν, εἰς νῆψιν, εἰς ἴασιν, εἰς σωφροσύνην, εἰς ἁγιασμὸν, εἰς ἐπανανέωσιν ψυχῆς, σώματος, καὶ πνεύματος, εἰς κοινωνίαν μακαριότητος ζωῆς αἰωνίου καὶ ἀφθαρσίας, εἰς δοξολογίαν τοῦ παναγίου σου ὀνόματος, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἵνα ζῶσι καὶ ἐν τούτῳ, καθὼς καὶ ἐν πατρὶ, δοξασθῇ, καὶ ὑμνηθῇ, καὶ ἁγιασθῇ τὸ παναγιόν καὶ ἔντιμον καὶ δεδοξασμένον σου ὄνομα σὺν Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.

Ο Λαὸς. Ὡσαύτως καὶ ἔστιν.

Ο Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Διάκονος. Προσεύξασθε.

Ο Ἱερεὺς εὐχὴ καθ' ἑαυτόν.

Ο Θεὲ φωτὸς, γένητορ ζωῆς, ἀρχηγὲ χάριτος, ποιητὰ αἰώνων, θεμελιωτὰ γνώσεως, δωρητὰ σοφίας, θησαυρὲ ἁγιωσύνης, διδάσκαλε εὐχῶν καθαρῶν, ψυχῆς εὐέργετα, ὁ τοῖς ὀλιγοψύχοις εἰς σε πεποιθόσι δίδους ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι προσβλέπειν· ὁ ἀναγαγὼν ἡμᾶς ἐξ ἀβύσσου εἰς φῶς, ὁ δοὺς ἡμῖν ἐκ θανάτου ζωὴν, ὁ χαρισάμενος ἡμῖν ἐκ δουλείας ἐλευθερίαν, ὁ τὸ ἐν ἡμῖν

σκότος τ ἁμαρτίας διὰ τ παρουσίας τ μονογενοῦς σου υἱοῦ λύσας, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα κύριε διὰ τ ὑπεροπτάτου σου πνεύματος, καταύγασον τὰς ὀφθαλμὰς τ διανοίας ἡμῶν, εἰς τὸ μεταλαβεῖν ἀκαταχρίτως τ ἀθανάτου σου ἐπουρανίου τούτης τροφῆς· καὶ ἁγίασον ἡμᾶς ὁλοτελῶς ψυχῇ, σώματι, καὶ πνεύματι, ἵνα μετὰ τ ἁγίων σου μαθητῶν καὶ ἀποστόλων εἰπωμέν σοι τ προσευχὴν ταυτὴν, τὸ,

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἑξῆς.

Ἐκφώνως. Καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα φιλάνθρωπε κύριε μετὰ παῤῥησίας, ἀκαταχρίτως, ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ψυχῇ πεφωτισμένῃ, ἐν ἀπαρχύντῳ προσώπῳ, ἡγιασμένοις χείλεσιν, τολμᾶν ἐπικαλεῖσθαί σε τ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἅγιον θεὸν πατέρα, καὶ λέγειν.

Ο Λαός. Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

qui tenebras peccati, per adventum unigeniti tui Filii discussisti, & ipse nunc, Dominator Domine, per adventum sanctissimi tui Spiritus, illumina oculos mentis nostræ, ad percipiendum sine condemnationis metu, immortalem & cœlestem hunc cibum, & sanctifica nos integrè animâ, corpore, & spiritu; ut cum sanctis tuis discipulis & Apostolis dicamus tibi orationem hanc,

Pater noster, qui es in cœlis, &c.

Elata voce, Et dignare nos, Dominator, generis humani amator, Domine, ut cum libertate, sine condemnationis metu corde puro, anima illuminata, inconfusa facie, sanctificatis labris, audeamus invocare te, qui in cœlis es, sanctum Deum Patrem, & dicere.

Populus. Pater noster, &c.

Ο Ιερεὺς εὔχεται.

Ναὶ κύριε, κύριε, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τ πονηροῦ. Οἶδεν γὰρ ἡ πολλή σου εὐσπλαγχνία, ὅτι ὑ δυνάμεθα ὑπενεγκεῖν διὰ τ πολλὴν ἡμῶν ἀσθένειαν· ἀλλὰ ποίησον σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ ἔκβασιν, τὸ

Sacerdos Orat.

ITa Domine, Domine; ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Novit enim multa tua misericordia, quòd sustinere non possumus, præ multa nostra infirmitate: sed fac etiam cum tentatione proventum, ut possimus susti-

Digitized by Google

nere. Tu enim dedisti nobis potestatem calcandi serpentes & scorpios, & omnem potestatem inimici, *Elata voce*, quia tuum est regnum & potentia.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Capita vestra Jesu Christo inclinate.

Populus. Tu Domine.

Sacerdos Orat.

DOminator Domine Deus omnipotens, qui sedes super Cherubim, & glorificaris à Seraphim: qui ex aquis cœlum condidisti, & astrorum choris eum ornasti: qui in excelsis incorporeos Angelorum exercitus constituisti ad perennes glorificationes: tibi animarum corporumque nostrorum cervices inclinavimus, servitutis obsequium designantes, & rogamus te, ut tenebrosos peccati insultus ex cogitatione nostra depellas, & divinis sancti Spiritus tui splendoribus mentem nostram exhilares, ut cogitatione tui repleti, dignè participemus iis, quæ nobis proposita sunt bonis, immaculati corporis, & preciosi sanguinis, unigeniti Filii tui Domini, & Dei, & Servatoris nostri, Jesu Christi,

δύνασθαι ἡμᾶς ὑπενεγκεῖν. Σὺ γὰρ ἔδωκας ἡμῖν ἐξουσίαν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. Ἐκφώνως. Ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις.

Ο Λαός. Αμήν.

Ο Ιερεὺς Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Διάκονος. Τὰς κεφαλὰς ἡμῶν τῷ Ιησοῦ κλίνατε.

Ο Λαός. Συ κύριε.

Ο Ιερεὺς ἐπεύχεται.

ΔΕσπότα κύριε ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ, καὶ δοξαζόμενος ὑπὸ τῶν σεραφὶμ· ὁ ἐξ ὑδάτων οὐρανὸν σκευάσας, καὶ τοῖς τοῦ ἀστέρων χοροῖς κατακοσμήσας· ὁ ἐν ὑψίστοις ἀσωμάτους ἀγγέλων συστησάμενος στρατιὰς, πρὸς ἀεννάους δοξολογίας· σοὶ ἐκλίναμεν τὴν αὐχένα τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν, τὸ τῆς δουλείας πρόσχημα σημαίνοντες, καὶ δεόμεθά σου, τὰς σκοτοειδεῖς τῆς ἁμαρτίας ἐφόδους ἐκ τῆς ἡμῶν διανοίας ἀπέλασον, καὶ τοῦ ἁγίου σου θεοείδεσιν αὐγαῖς τὴν ἡμέτερον νοῦν καταφαίδρυνον, ὅπως τῇ γνώσει σου πληθυνόμενοι, ἀξίως μετάσχοιμεν τῶν προκειμένων ἡμῖν ἀγαθῶν, τοῦ ἀχράντου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κύριου, καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ,

συγχωρῶν

συγχωρῶν ἡμῖν πᾶν εἶδος ἁμαρτιῶν, δι' ἣ τὴ πολλὴν & ἀνεξιχνίαστόν σου ἀγαθότητα, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς & φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ πνεύματι.

condonans nobis omnem peccatorum ſpeciem, per multam & inveſtigabilem bonitatem tuam, gratia, & miſerationibus, & humanitate unigeniti Filii tui, *Elata voce*, per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum ſanctiſſimo & bono & vivifico Spiritu tuo.

Ο Ιερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ο Διάκονος. Μετὰ φόβου Θεοῦ.

Diaconus. Cum timore Dei.

Ο Ιερεὺς εὔχεται.

Sacerdos orat.

Ἅγιε, ὕψιστε, φοβερὲ, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, κύριε, ἁγίασον ἡμᾶς τῷ λόγῳ τῆς σῆς χάριτος, & τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ παναγίου σου πνεύματος. Σὺ γὰρ εἶπας λέγων, ἅγιοι ἔσεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιος εἰμὶ, κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἀκατάληπτε θεοῦ λόγε, τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ὁμοούσιε, συναΐδιε, καὶ σύναρχε, προσδέξο τὸν ἀνάξιόν σου ὕμνον, σὺν τοῖς χερουβὶμ καὶ σεραφὶμ, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ & ἀναξίου δούλου σου, ἐκ ἀναξίων μου χειλέων βοῶντα καὶ λέγοντα.

SAncte, ſumme, tremende, qui in ſanctis requieſcis, Domine ſanctifica nos verbo gratiæ tuæ, & illapſu ſanctiſſimi Spiritus tui. Tu enim dixiſti, Domine, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, Domine Deus noſter, incomprehenſibile Dei Verbum, Patri & ſancto Spiritui conſubſtantiale, & coæternum, & principio, ut ille carens, ſuſcipe immortalem hymnum, qui cum Cherubim & Seraphim, & à me peccatore & indigno ſervo tuo ex indignis meis labiis, clamat & dicit.

Ο Λαὸς. Κύριε ἐλέησον, Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.

Ο Ιερεὺς ἐκφώνως. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Sacerdos elata voce. Sancta Sanctis.

Ο Λαὸς. Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον, εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου. Ἀμήν.

Populus. Unus Pater, ſanctus: unus Filius, ſanctus: unus Spiritus, ſanctus: in unitate Spiritus ſancti. Amen.

Diaconus. Pro salute & defensione.

Ο Διάκονος. Ὑπὲρ σωτηρίας καὶ ἀντιλήψεων.

Sacerdos cruce signans populum elata voce. Dominus cum omnibus.

Ο Ιερεὺς σφραγίζων τὸν λαὸν ἐκφώνως. Ο κύριος μετὰ πάντως.

Hinc frangit Sacerdos panem & dicit. Laudate Deum.

Καὶ κλάνει ὁ Ιερεὺς τὸν ἄρτον, καὶ λέγει. Αἰνεῖτε τὸν θεὸν ἐν τοῖς.

Panem dividit Sacerdos dicens assistentibus. Dominus benedicat, & vobiscum ministret, per magnam, &c.

Καὶ μελίζει ὁ Ιερεὺς λέγων τοῖς παροῦσιν. Ο κύριος εὐλογήσει καὶ συνδιακονήσει, διὰ τῆς μεγάλης.

Hinc Sacerdos dicit. Jubete.

Καὶ λέγει ὁ Ιερεύς. Κελεύετε.

Clerus. Spiritus sanctus jubeat & sanctificet.

Ο Κλῆρος. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κελεύει καὶ ἁγιάζει.

Sacerdos. Ecce sanctificata sunt & consecrata.

Ο Ιερεύς. Ἰδοὺ ἡγίασται καὶ τετελείωται.

Clerus. Unus Pater sanctus ter.

Ο Κλῆρος. Εἷς πατὴρ ἅγιος. τρίς.

Et Sacerdos dicit. Dominus cum omnibus.

Καὶ λέγει ὁ Ιερεύς. Ο κύριος μετὰ πάντων.

Clerus. Et cum spiritu tuo.

Ο Κλῆρος. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Sacerdos dicit. Ipse benedixit ei.

Ο Ιερεὺς λέγει. Αὐτὸς εὐλόγησεν αὐτόν.

Et communicat Sacerdos.

Καὶ μεταλαμβάνει ὁ Ιερεὺς, εὔχ. τῆς κατὰ φιλανθρώπιας.

Oratio. Secundum benignitatem.

Aut.

Ἄλλως.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, &c.

Ὅν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος ἐπὶ τῆς πηγῆς.

Et cum communionem dat clero dicit. Corpus sanctum.

Καὶ ὅταν μεταδίδει τὸν κλῆρον, λέγει. Σῶμα ἅγιον.

Et ad calicem dicit. Sanguis preciosus Domini, & Dei, & Servatoris nostri.

Καὶ εἰς τὸ ποτήριον λέγει. Αἷμα τίμιον τοῦ κύριου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν.

Hinc sacrificio completo dicit Diaconus. Ad orationem state,

Καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι, λέγει ὁ Διάκονος. Ἐπὶ προσευχὴν στάθητε.

Digitized by Google

Ο Ιερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ο Διάκονος. Προσεύξασθε.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate.

Ο Ιερεὺς εὔχεται τὴν εὐχαριστίαν.

Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis.

Ευχαριστοῦμέν σοι δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὅτι τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων, καὶ ἐπουρανίων καὶ μυστικῶν, ὧν ἔδωκας ἡμῖν ὅτι εὐεργασίαν, καὶ ἁγιασμὸν καὶ σωτηρίαν τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, κύριε, χάρισαι ἡμῖν τὴν κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, εἰς πίστιν ἀκαταίσχυντον, εἰς ἀγάπην ἀνυπόκριτον, εἰς πλησμονὴν θεοσεβείας, εἰς ὑποζοπὴν ἐναντίου, εἰς ἀφεποίησιν τῶν ἐντολῶν σου, εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, εἰς ἀπολογίαν εὐπροσδεκτον τοῦ ὅτι τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ σου. Ἐκφώνως. Δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

GRatias agimus tibi, Dominator Domine Deus noster, pro perceptione sanctorum, intemeratorum, immortalium, & cœlestium mysteriorum tuorum, quæ dedisti nobis in beneficium, & sanctificationem, & salutem animarum & corporum nostrorum. Certè precamur & obsecramus te, generis humani amator bone Domine, largire nobis ut communio sancti corporis & precioſi sanguinis unigeniti Filii tui, ſit nobis in fidem inconfuſam, in caritatem non fictam, in abundantiam pietatis, in averſionem cujuſvis contrarii, in obſervationem mandatorum tuorum, in viaticum vitæ æternæ, in defenſionem acceptabilem, ante tremendum tribunal Chriſti tui. *Elata voce.* per quem & cum quo tibi gloria & imperium, cum ſanctiſſimo & bono & vivifico Spiritu.

Εἶτα ὁ Ιερεὺς στρέφεται πρὸς τὸν λαὸν, λέγων.

Deinde Sacerdos converſus ad populum dicit.

Ἄναξ μέγιστε, καὶ τοῦ πατρὶ σύναρχε, ὁ τοῦ σοῦ κράτει τὸν ἅδην σκυλεύσας, καὶ τὸν θάνατον πατήσας, καὶ τὸν ἰσχυρὸν δεσμεύσας, καὶ

Rex maxime, ,Patrique coæterne, qui potentiâ tuâ infernum ſpoliaſti, & mortem conculcaſti, & fortem vinxiſti,

& Adam è tumulo excitasti, Deifica tua virtute, & lucido splendore ineffabilis tuæ divinitatis, ipse, Domine, per per sumptionem intemerati corporis tui & preciosi sanguinis tui, emitte invisibilem dexteram tuam plenam benedictionum, & omnibus nobis benedic, miserere, corrobora divina tua virtute, & aufer à nobis maliciosam & peccatricem carnalis concupiscentiæ operationem, illumina intellectuales oculos nostros contra circumstantem tenebrarum nequitiam. Conjunge nos beatissimo beneplacitoque tibi conventui, quia per te, & tecum, Patrem & sanctissimum Spiritum omnis hymnus decet, honor, imperium, adoratio, & gratiarum actio, nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Diaconus. Ite in pace.

Populus. In nomine Domini.

Sacerdos elata voce.

Caritas Dei & Patris, gratia Filii Dominique nostri Jesu Christi, communicatio & donum sanctissimi Spiritus, sit cum omnibus nobis nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sit nomen Domini benedictum.

τὸν Αδὰμ ἐκ τάφου ἀναστήσας τῇ θεουργικῇ σου δυνάμει καὶ φωτιστικῇ αἴγλῃ τῆς σῆς ἀῤῥήτου θεότητος, αὐτὸς δέσποτα, διὰ τῆς μεταλήψεως τοῦ ἀχράντου σου σώματος καὶ τοῦ τιμίου σου αἵματος ἐξαπόστειλον τὴν ἀόρατόν σου δεξιὰν, τὴν πλήρη εὐλογιῶν, καὶ πάντας ἡμᾶς εὐλόγησον, οἰκτείρησον, σθένωσον τῇ θεϊκῇ σου δυνάμει, καὶ περίελε ἀφ' ἡμῶν τὴν κακοηθῆ καὶ ἁμαρτάδα σαρκικῆς ἐπιθυμίας ἐργασίαν· καταύγασον τοὺς νοητοὺς ἡμῶν ὀφθαλμοὺς τῆς περικειμένης ζοφερᾶς ἀνομίας, σύναψον ἡμᾶς τῷ παμμακαρίστῳ, τῷ εὐαρεστήσαντι σοι συλλόγῳ, ὅτι διὰ σοῦ, καὶ σὺν σοι τῷ πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ πνεύματι πᾶς ὕμνος πρέπει, τιμὴ, κράτος, προσκύνησις τε καὶ εὐχαριστία, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ο Διάκονος Πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

Ο Λαὸς Εν ὀνόματι κυρίου.

Ο Ιερεὺς ἐκφώνως.

Ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, ἡ χάρις τοῦ υἱοῦ, κύριου δὲ ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, ἡ κοινωνία καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ παναγίου πνεύματος εἴη μετὰ πάντων ἡμῶν, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ο Λαὸς. Αμήν.

Εἴη τὸ ὄνομα κύριου εὐλογημένον.

Ὁ Ἱερεὺς ἐπεύχεται ἐν τῷ Διακονικῷ λέγων.

Ἔδωκας ἡμῖν δέσποτα τὸν ἁγιασμὸν ἐν τῇ μετουσίᾳ τοῦ παναγίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δὸς ἡμῖν καὶ χάριν καὶ δωρεὰν τοῦ παναγίου πνεύματος, καὶ φύλαξον ἡμᾶς ἀμέμπτους ἐν τῷ βίῳ καὶ ὁδήγησον εἰς τὴν τελείαν ἀπολύτρωσιν καὶ υἱοθεσίαν, καὶ εἰς τὰς μελλούσας αἰωνίους ἀπολαύσεις. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπωμεν, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Καὶ ἀπολύων λέγων.

Εὐλογείτω ὁ θεὸς ὁ εὐλογῶν καὶ ἁγιάζων, καὶ σκέπων, καὶ διατηρῶν πάντας ἡμᾶς διὰ τῆς μεθέξεως τῶν ἁγίων αὐτοῦ μυστηρίων, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Sacerdos orat in Diaconico dicens.

DEdisti nobis, Domine, sanctificationem in participatione sanctissimi corporis & precioſi sanguinis unigeniti Filii tui, da nobis gratiam & donum sanctissimi Spiritus, & custodi nos irreprehensibiles in vita, & deduc ad perfectam redemptionem & adoptionem, & ad futuras sempiternas fruitiones. Tu enim es sanctificatio nostra, & tibi gloriam sursum mittimus, Patri & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Et dimittit dicens.

Benedictus Deus, qui benedicit & sanctificat, & protegit, & conservat omnes nos per participationem sanctorum ejus mysteriorum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

JOANNI A S. ANDREA ECCLESIÆ PARISIENSIS CANONICO.

G. SIRLETUS CARD. S.

*Nicolaum Pelleveum.

CUm ex litteris tuis ad Illustrissimum & Reverendissimum dominum meum Cardinalem Senonensem, cognovissem te Sancti Marci Evangelistæ Liturgiam vehementer cupere; dedi operam ut ex vetustissimo codice Monasterii S. Mariæ ὁδηγητρίας, quod Rossani apud Calabros, sub instituto Sancti Basilii regitur, describeretur, & quàm diligentissimè cum exemplari collata, primo quoque tempore ad me mitteretur. Cùmque Illustrissimus, & Reverendissimus Senonensis; ut est tui amantissimus, omniumque bonarum rerum, earum præsertim quæ ad Ecclesiæ Catholicæ antiquitatem pertinent, observantissimus, à nobis flagitaret, ut Liturgiam ipsam mitteremus, non potuimus hoc diutiùs tibi debere. Idque ut libentiùs faceremus, ea res nos maximè adhortata est, quòd ab amplissimo atque optimo Domino Senonensi plenè didicimus, quàm egregia sit in te pietas, illa quidem patria & avita virtus: quanta in propugnanda orthodoxæ fidei veritate alacritas. Sunt hæc quidem semper utilia & laboranti Ecclesiæ necessaria remedia, tum vel maximè hoc tempore, cùm novi, recentesque exurgentes, loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se, magistri mendaces, introducentes sectas perditionis. Quapropter vigilandum est, si nolumus decipi; pugnandum si volumus superare, & divinæ providentiæ majores, in dies, gratiæ sunt agendæ, quæ quotidie nobis arma suppeditat, quibus hostiles acies retundere, impetus repellere, & paternam Catholicæ veritatis possessionem ab adversariorum injuria tuentes, integram inviolatamque fidem servare possimus. Non deerit Dominus Ecclesiæ sanctæ, quam acquisivit sanguine suo, fidelis est ad servandum, potensque ad præstandum quod promisit, fore scilicet ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam: nunquam prævaluerunt, neque aliquando prævalebunt adjuvante Christo Domino, qui assiduis precibus rogandus est, ut mittat operarios plures in vineam suam, quam exterminare aper de sylva, & singularis ferus depasci in dies, magis, magisque conatur. Nostris orationibus excitatus clementissimus Jesus, exurgens im-

perabit ventis, & fiet tranquillitas in mari. Agamus gratias, ut diximus Deo ipsi, quod tela nobis suggerat præsentium temporum vexationi opportuna, & operarios optimos in vineam suam mittat, non tantùm probatæ fidei, vitæ & doctrinæ viros, verùm etiam antiqua Ecclesiæ Catholicæ monumenta atque orthodoxorum Patrum libros, quibus profanæ vocum novitates redargui possint. Ex horum numero esse arbitramur Beati Marci Evangelistæ sacram Liturgiam, paucis antè annis inventam in Abbatia Beatæ Mariæ ὁδηγητρίας; *quæ vulgò dicitur,* De lo patire, *antiquissimo Monachorum Sancti Basilii monasterio, ubi & D. Cyrilli Hierosolymorum Episcopi, Catecheses; Dionysii Alexandrini adversùs Noëtianos, & Hippolyti Martyris adversùs Noëti hæresim, & contrà Paulum Samosatenum opuscula, sunt inventa, quæ omnia curabimus accuratè describenda, ut ad communem utilitatem conferantur. Interea misimus Hierurgiam, quam à Beato Marco traditam Alexandrina accepit Ecclesia. Ex qua doctores Sancti Basilius & Joannes Chrysostomus multa in suas, quas habemus, Liturgias, transtulerunt. Bene vale in Christo frater honorande, Romæ* XVI. *Kal. Maii,* M. D. LXXXII.

GUILLELMO SIRLETO

CARDINALI AMPLISSIMO

J. A S. ANDREA S.P.D.

FRuimur tandem tuâ operâ, sacrâ illâ Liturgiâ D. Marci Evangelistæ, quæ nobis certè gratissima fuit, tum propter Evangelium ejus Evangelistæ, quòd D. Nazianzenus scripsisse Italis dicit, tum etiam quòd ex tua Bibliotheca procedat, quam, ut scribis, ex vetustissimo codice monasterii S. Mariæ ὁδηγητρίας describere jussisti. Sanè quod ad me attinet, χάριν ὑδένα σοι τῶν ἰσόρροπον οὐκ ἂν οἶδ' ὅπως. Etenim si quod ait ille, Νικᾷν δ' εὖ ἔρδοντας θεὸν πλείοσι καθήκει. Quid quæso relaturus sum, quòd tanto tuo in me beneficio par esse possit? tantum abest, ut majus dicam. Per te enim video & habeo quod prope jam habere me posse desperabam. Viginti ab hinc annis feci ut exirent in lucem tres

illæ aliæ Liturgiæ Divorum Jacobi, Basilii Magni, & Joannis Chrysostomi, quibus elisæ sunt miseræ & infœlices nostrorum hæresiarcharum argutiæ, quas Epiphanius in Manich. κυβευτικὰς διδασκαλίας, *vocat. Nostra etiam ope in publicum editum est Missale Gothicum, & magni D. Areopagitæ Liturgiæ, quorum omnia exemplaria vetustissima, nostra Bibliotheca, quantumvis exigua, continet: & hæc deinceps, Deo favente, D. Marci Liturgia accessura est, quam novo isti perditissimo hominum generi intulimus, ut rationibus non modò necessariis adducantur ad id confitendum quod tam pertinaciter impugnant, sed testes etiam habeant sanctissimos & locupletissimos: quibus fidem derogare ut impium est, ita impudens & insanum. Curavi igitur, ut hæc Liturgia tuo in nomine appareat, præfigaturque illis quas ante diximus, jam à multo tempore excusis. Verùm enim cupio, ut hoc tantùm beneficium nostrates ac deinde cæteri à te uno profectum intelligant, ut non mihi tantùm innotescat, sed etiam omnibus; quanta sit in te pietas, quanta doctrina, quantus denique in sanctam Catholicam Ecclesiam zelus. Præterea quod tuis literis tantum mihi laudis tribuisti, non equidem is ego sum, fateor, nec eas unquam in me dotes agnovi, quas dicis. Ad alium ergo quæso spectet illa pars literarum tuarum, qui se ornatiorem, instructioremve sentiat. Tu, ut optimus es, & humanitatis plenissimus, vis aliquid concedere magno illi ardori quo feror in studiosos, & ad investigandum quod nostram hanc sanctissimam religionem, magis magisque exornet. Deus Opt. Max. faveat tuis votis, ac te diutiùs bene superstitem, bonis omnibus & Ecclesiæ nostræ, conservet: nosque ames oro atque obsecro. Datum Lutetiæ* XII. *Kal. Maii* M. D. LXXXIII.

COMMENTARIUS

COMMENTARIUS AD LITURGIAM COPTITARUM SANCTI BASILII.

LITURGIA BASILII. *Pag. 1.*

CUm ea sit hujus nostri in Liturgiam Ægyptiacam commentarii ratio, ut in eum conferre designemus, omnia quæ ad Eucharisticorum rituum disciplinam attinent, adeo ut aliis ejusmodi Officiis illustrandis inservire queat, multa quæ alibi fusiùs tractata sunt, ita delibare conabimur, ut paucis complectamur quæcumque ad illorum Officiorum intelligentiam necessaria videbuntur. Liturgiarum nomine intelligi debent Officia, seu Rituales libri autoritate publica Ecclesiarum scripti, earumque usu comprobati, quibus preces & ritus ad consecrandam & administrandam Eucharistiam continentur. Secundùm hanc definitionem, Liturgiæ nomen dari non potest Officiis omnium Sacramentorum, ut Baptismi, Chrismatis & aliorum, quod tamen à multis, præsertim Protestantibus solet fieri, non alia opinor ratione quàm quòd suas sacras preces, Liturgiam ipsis appellare placuit, absque ullo veterum exemplo. Nam Græcis à quibus hoc nomen acceptum est Λειτουργια vocantur, libri precum rituales qui ad celebrandam Eucharistiam pertinent, quo sensu celebres sunt apud eos Jacobi, Basilii, Chrysostomi Liturgiæ. Magis etiam contra decorum Ecclesiæ peccant, qui Liturgias appellant collectaneas preces Judæorum, Samaritanorum & Muhamedanorum, ut fecerunt recentiores multi Lexicographi, & Bibliothecarii. Neque enim nomen illud, in sacris significatione peculiari usurpatum ad profanas infidelium superstitiones trahi debet. Vide Glossarium Græco-barbarum Viri Clarissimi Caroli Cangii verbo Λειτουργία.

Liturgia quid propriè significet.

Ea vox à Græcis dudum usurpatur, nec aliam à multis sæculis inter eos significationem habet, quamvis ex ipsius linguæ originibus aliæ multæ occurrant. Neque tamen ad Coptitas, qui mixtam ex Græcis vocibus quàm plurimis linguam retinent, ad Officia Ecclesiastica transiit, sed ejus loco utuntur alterâ quæ est Αναφορὰ. Itaque in nostris codicibus & multis quos in versione nostra expressimus, ita appellatur: quæ vox pariter eodem omnino sensu recepta est à Syris, & Æthiopibus; sed in usu vocis illius non levis est inter Græcos & Orientales qui eam ab ipsis acceperunt discrepantia. Nam apud illos proprie est, *oblatio*, *sacrificium Missæ*, ut Αναφοραὶ μυστηρίων, Palladio: Αναφοραὶ ἐν ἀδύτοις ποιούμενος in Vita Ignatii: εὐχαὶ τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς in historia Martyrii S. Marci

Ejus varia nomina.

Pall. Vit. Chrys. p. 88.

& passim alibi. Illis enim locis actum ipsum sacrum oblationis Eucharistiæ significari manifestum est, & aliquando sacra ipsa mysteria, ut cum apud Pachymerem αἱ προηγιασμέναι ἀναφοραὶ vocantur, *præsanctificata*. Aliam quoque vox eadem in Ritibus significationem habet, nempe *veli* quo teguntur oblatæ in disco positæ, aliter dicti Διακονικὰ λυμμα & Αἴρ. de quibus videndi Goarius & Cangius. At pro Rituali Orationes Liturgias continente, frequenter usurpatur apud Coptitas: ea ratione quòd, quia continet omnia ad Oblationem sacrificii Eucharistici necessaria, *Oblatio* non immeritò dici possit: ut aliter apud Syros vocatus est ejusmodi liber *Koudcho*, hoc est *sanctificatio*, seu *sanctum* quia sancta τὰ ἅγια per illas preces consecrabantur. Ita quoque Arabes & Æthiopes ab eadem voce appellaverunt eas *Kadas*, quasi dicerent *sanctificationem* seu *consecrationem oblationis*. Atque hæc de nomine sufficiunt.

L. 7. c. 28.

Autoritas Liturgiarum.

De autoritate ut paucis dicamus, duo spectanda sunt, autoris nomen, & ipsius Officii quale à nobis repræsentatur autoritas, in Ecclesiis quæ illud usurpant. Si Orientales sequimur, quorum res potissimùm agitur, ex utraque æqualem istis Officiis dignitatem tribuunt. Nam existimant non eam modò, sed reliquas omnes à sanctissimis viris quorum nominibus designantur, esse compositas; quodque Græci de sua lingua extantibus firmissime credunt, Proclus in opusculo de Divina Liturgia, Episcopi in Trullo congregati, Cabasilas, Marcus Ephesinus, recentiores tandem omnes uno consensu, scriptas eas esse à Jacobo, Basilio, & Chrysostomo, idem Coptitæ de Ægyptiacis suis: Syri de Syriacis opinantur, neque ab ea se opinione avelli patiuntur. Usus Ecclesiarum certus est: nam ut apud Græcos istæ de quibus diximus, ita apud Coptitas, tres quas commentario illustramus, semper ad altaria usurpatæ leguntur: citantur ex illis sententiæ & orationes, apud melioris notæ Theologos & historicos: quæcumque de ritibus Eucharisticis scripta extant, ad eas referuntur. Ita Tractatus varii de Cœremoniis in Liturgia servandis: Præcepta de iisdem in Rituali Gabrielis Patriarchæ: Expositio ejusdem apud Abulbircat, & autorem Scientiæ Ecclesiasticæ, atque alii passim.

De illarum Autoribus Orientalium traditio.

Ut verò traditionem illam Orientalium propriis eorum verbis exponamus, Severus Episcopus Aschmonin, in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, & in Athanasii vita, loquens de Synodo Ancyræ celebrata adversùs Paulum Samosatenum: *Erat*, inquit, *illic cum aliis Basilius magnus Liturgiæ autor*. Ebnassalus in Collectione Canonum cap. 12. quod est de Missæ sacrificio, ita scribit. *In Ecclesia Coptica tres Liturgiæ ordinatæ, sunt Basilii, Gregorii & Cyrilli, quas sequi solent.* Autor Scientiæ Ecclesiasticæ, cap. 85. *Tres sunt Liturgiæ quæ antiquorum Patrum communi sententia probatæ sunt. Prima & major, seu prolixior autorem habet Basilium Cæsariensem Episcopum, personæ Patris omnipotentis præcipue dicata. Secunda est Liturgiæ sancti Gregorii, singulariter spectans personam Filii unigeniti & æterni, quæ commemorat ejus Incarnationem, Crucifixionem, Passionem, Sepulturam, Resurrectionem à mor-*

Digitized by Google

tuis, Ascensionem ad cœlos, & Adventum ejus ad judicandum vivos & mortuos: & hæ sunt quidem duæ priores. Tertia est Liturgia S. Cyrilli ad Patris quoque personam præcipue spectans, in quo eam quæ à Basilio facta est imitatur, quòd propriè respiciat personam Patris. His tribus Liturgiis potissimùm insistitur, & de illis consentitur, omissis aliis quæ in Ecclesia conservantur, & duodecim dicuntur esse. Gabriel filius Tarich Patriarcha Alexandrinus LXX. in Constitutionibus Synodicis de iisdem ita loquitur. *Pervenit ad mediocritatem nostram esse nonnullos ex Provinciis Sahid, sive Thebaidis, qui Liturgias celebrent, de quibus controvertitur, diversasque à tribus notis, nempe Liturgiâ S. Basilii, & duabus aliis sancti Gregorii & S. Cyrilli. Prohibitum est autem à nobis sub excommunicationis pœna, ne quisquam ita faciat, donec ad Cellam Patriarchalem venerit, & Liturgiæ quas habet examinatæ fuerint.* Abulbircat inter alia Basilii opera primum recenset *Liturgiam ad celebranda mysteria.*

Præter illas nullæ dudum extant apud Coptitas, aut si extant nullum in Ecclesiis usum habent, nullam autoritatem. Severus Aschmoninensis in Vita Petri Moggi inter alia opera ab eo scripta, Liturgiam recenset, sed de ea nihil apud alios autores legitur. Eo nomine Petri unam esse à Coptitis usurpatam scripsit Athanasius Kircherus in Prodromi sui Coptici supplemento, sed quam tamen nemo vidit: neque verum est illam usurpari ad altaris ministeria. Neque magis credendum, quod in eodem Prodromo legitur, extare in Vaticana Bibliotheca Liturgiam Copticam sancti Marci, si quis hæc verba de singulari & ab aliis tribus diversa intelligenda credat. Par codex extat in Regia, cum Marci nomine: sed ipsa est Cyrilli interpolata; quam, ut ex Abulbircat discimus, quidam Marco tribuebant. *Statutum est,* inquit operis sui cap. 29. *in Ecclesia Coptica tres Liturgias usurpari. Una est quæ per omnes jejunii dies, & alios extra jejunium usurpatur, scilicet Liturgia S. Basilii Episcopi Cæsareæ Cappadociæ. Secunda quam Ægyptii consueverunt usurpare tantùm per quadragesimale jejunium, & mensem Cohiac, est Liturgia Marci quam perfecit Cyrillus. Tertia propria est diebus festorum divinorum, & lætitiæ quæ est Liturgia S. Gregorii.* Si quid dubii superesset solvitur autoritate codicis MS. Bib. R. Græci & Arabici, in quo duæ priores extant Basilii & Gregorii nomine. Tertia deest; sed quæ Marci nomine edita est à Joanne à S. Andrea Græcè & Latinè, ea ipsa est quæ Cyrilli titulum habet in Copticis Codicibus.

Præter tres vulgatas nullæ exstant apud Coptitas.

Cùm autem S. Basilii nomine aliæ extent diversis linguis Liturgiæ, quid illæ inter se commune habeant explicandum est. Notissima præ cæteris & antiquissima censeri debet Græca, quam Græci olim in Patriarchatu Constantinopolitano, ut & alteram Chrysostomi usurpaverunt, nunc ubique usurpant, quacumque patet eorum Ecclesia. Alteram Syriacam Latinè edidit vir doctissimus Andreas Masius, sed quæ in multis optimæ notæ codicibus deest, vel aliis tribuitur. Neutra respondet Copticæ hujus nostræ exemplaribus, atque adeo certissimum est, istam ab alio fonte derivatam, atque ex Græco codice. Is huc usque ignotus omnino fuit, sed tandem repertus in Bibliotheca Regia maximam istius Li-

De aliis Liturgiis Basilio adscriptis.

Digitized by Google

turgiæ partem exhibet, cum hoc titulo ἡ Θεία Λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν βασιλίου adjuncta est versio Arabica.

Ex Basilii Liturgia facta est Ætiopica.

Ex illa porrò Liturgia expressa est Æthiopica communis, quæ vulgò appellatur *Canon Generalis Æthiopum*: quia cùm Æthiopes integram subjectionem Alexandrinis Jacobitarum Patriarchis professi dudum fuerint, eorumque hæresim acceperint, quæcumque ad Sacramenta pertinebant ab iisdem acceperunt. Itaque Liturgia, paucis exceptis, prorsus est eadem; nec tamen in codicibus Æthiopicis præfert Basilii, vel alterius ullius autoris nomen.

Liturgiæ hujus dispositio.

Liturgiæ Copticæ dispositio talis est, ut in duas partes dividatur. Prima incipit ab orationibus, quæ statim dicuntur dum paratur altare, atque ita omnes ritus & preces complectitur, tam ad inferendas oblatas, quam ad lectiones sacrarum scripturarum, quarum ultima ex Evangelio est, usque ad Osculum pacis, quod ritu Orientali, datur antequam consecratio incipiatur. Secunda pars, quæ *Anaphora* propriè & strictè loquendo appellatur, incipit ab Oratione Osculi pacis, & ad finem usque Liturgiæ perducitur. Ita postrema pars illa rationem quamdam habet Latini Canonis, quia continet orationes omnes quæ Canone nostro continentur. Verum in eo discrimen est, quod paucis omnino exceptis quæ in eo inseruntur, secundùm diversas majoresque solennitates, unus semper & idem est: apud Orientales aliter omnino fit: quippe pars illa quæ consecrationis preces complectitur, varia est pro diversitate Liturgiarum, ita ut apud Coptitas, in Gregoriana & Cyrillina preces illæ diversæ sint, quamvis in unam formam sententiamque conveniant: prima verò pars semper est eadem, demptis sacræ Scripturæ lectionibus. Ex ea quæ generalis Canonis locum habet, sumi solent omnia, quæ Osculum pacis antecedunt. Itaque quando celebratur Liturgia Gregorii aut Cyrilli, prima illa officii pars ex Basiliana petenda est: ut apud Æthiopes qui duodecim Liturgias habent, petitur ex Canone generali: apud Syros Jacobitas qui triginta & plures numerant, ex Jacobi: apud Nestorianos qui tres tantum, ex Liturgia Apostolorum. Hæc disciplina singularis observanda fuit, quia ex ejus ignoratione sæpe factum est, ut Liturgica quædam Officia, quæ in Codicibus manuscriptis reperiuntur, aut Latinè edita sunt, imperfecta quibusdam visa fueret, quia statim ab Osculo pacis incipiunt, atque adeo multis officii Eucharistici partibus mutilata judicata sunt. Istius verò quam explicamus Copticæ, pars prima προπαρασκευαστικὴ, formata est ex Græca Marci edita: nam in Codice Regio Græco-Arabico initium est ab Oratione veli, seu καταπετάσματος, & quibusdam diversis orationibus ad osculum pacis. Neque pars illa prima magis ad unam ex tribus quàm ad alteram pertinet: est enim communis omnibus. Sed Basiliana, ut ex autoribus Ægyptiacis quorum testimonia retulimus patet, fuit, ut est etiamnum, præcipua & in usu quotidiano.

Autoritas illius.

De αὐθεντίᾳ & autoritate istius Liturgiæ jam paucis explicandum, quod fusius alibi tractatum est. Nullam esse debere Liturgiarum autoritatem, communis fuit aliquando non modò Protestantium, sed etiam quorumdam Catholicorum opinio, ex unica simplicissimaque, ut videtur, ratione,

Digitized by Google

nempe quòd ſuppoſititiæ eſſent, quandoquidem nec à Baſilio, nec ab aliis, quorum nomina præ ſe ferunt, autoribus profectæ fuiſſent, aut ita interpolatæ judicarentur, ut ab archetypi forma longiſſimè recederent: at ſuppoſititiorum ſcriptorum fidem eſſe nullam. Cùm igitur Græcas ipſas tales eſſe probatum videretur, multò minùs Ægyptiacas & aliis linguis extantes ad tanta nomina pertinere cenſuerunt. Ita plerique etiam noſtræ ætatis viri doctiſſimi, quia Liturgias eodem judicio, ac vetera alia monumenta expenderunt: in quo magnopere erraſſe deprehenduntur. Neque enim par eſt ratio, ſed prorſus diverſa. Nam opera ſanctorum Patrum ex autorum nomine & ſanctimonia dignitatem habent, autoritatem non niſi ex reliquorum conſenſu, doctrinæque ſimilitudine, quia quantacumque ſit doctoris Eccleſiaſtici autoritas, inferior tamen eſſe cenſenda eſt eâ, quam totius Eccleſiæ concordia ſtabilivit. Non pendet ab autorum nomine, ſed ab uſu Eccleſiarum. Nihil autem poſt ſacras literas potiorem inter Chriſtianos autoritatem habuit, quam publica Eccleſiarum monumenta, quæ vocem illarum repræſentant, & earum nomine loquuntur quodam modo. Ita Auguſtinum videmus productis ſanctorum Patrum adversùs Pelagianos ampliſſimis teſtimoniis, alia ex precibus Eccleſiaſticis adjungere, ut ex earum ſententia probationibus validiſſimis cumulus accederet. Habebant preces illæ autores ſuos, qui tamen ignorabantur, neque ex eorum nomine, ſed ex uſu Eccleſiæ, quæ preces illas ſacrificio quotidiano conſecraverat, pondus earum teſtimonio accedebat. Secundùm illam igitur regulam de Liturgiis inquirendum erat, & ubi ſemel conſtitiſſet de uſu illarum in celebratione ſacrificii Euchariſtici, nulla de autoribus quæſtio inſtituenda fuit. Eâ enim ſolâ ratione quidquid dignitatis & autoritatis in monumentis publicis Eccleſiarum eſſe poteſt illis aſſerebatur. Exemplum ex Romano Canone ducere licet. Autor ejus non adeo certus eſt: nam alii Muſæum Preſbyterum Maſſilienſem: alii Scholaſticum ignotum: Gelaſium vel Gregorium alii nominant. Ignoti Scholaſtici autoritas in Eccleſia prope nulla: Muſæi mediocris, Gelaſii & Gregorii magna: ſed Eccleſiæ quæ eo Canone utitur, multò maxima. An Ambroſius Miſſam quæ ab eo nomen habet ſcripſerit, dubitatur, neque tamen idcirco Ambroſianæ Miſſæ autoritas nihili eſt, quia certò ſcimus antiquiſſimam Mediolanenſem Eccleſiam eam uſu comprobaſſe: imò major prorſus eſſe cenſenda eſt illius ad aliquod fidei dogma demonſtrandum efficacia, quàm teſtimoniorum ex certis operibus Ambroſii, quia in illis ſuo nomine loquitur; Eccleſiæ nomine in Liturgia. Ita de Gothica, Moſarabica, veterique Gallicana judicandum. Nempe nemo hominum falli non poteſt aliquando, ſed Eccleſia, adversùs quam portæ inferi prævalere non poſſunt, mendacio aut errori non eſt obnoxia. Cùm igitur extra dubium ſit Eccleſiam Hieroſolymitanam exempli cauſâ, aut eaſdem aut ſimiles orationes habuiſſe, illis quæ in Jacobi Græca Liturgia leguntur, (nam eas in Catecheſibus, ſuis Cyrillus ejus Epiſcopus ſatis deſignat: Conſtantinopolitanam pariter ex Chryſoſtomi teſtimoniis, quiſque facilè agnoſcit:) & ab aliis ſæculis ad hæc uſque poſtrema, actis, libris, monumentis publicis, teſtibus tandem

Digitized by Google

oculatis constet eam Eucharistiæ consecrandæ formam à Græcis servatam, quam Liturgiæ repræsentant, nihil refert sintne Jacobi, aut Basilii, aut Chrysostomi, cùm illas Ecclesiæ vocem esse constet, quæ potiorem suâ autoritatem non agnoscit. His ita constitutis, ipsa quibus Critici Liturgias antiquas oppugnatum iverunt argumenta, ut eas suppositionis & falsi condemnarent, summam habent in illarum autoritate stabilienda vim & efficaciam. Observant preces & cæremonias alienas à primis Ecclesiæ sæculis, adeo ut autorum ætati convenire non possint: nempe quia addita sunt ex posteriori disciplina, quam lex credendi exigebat. Observatur inter exemplaria diversitas, quia in diversis Ecclesiis consuetudo sua cuique manebat: atque ita de cæteris. Ex illis igitur principiis de Orientalibus Liturgiis ferendum erat judicium, non ex minutis observationibus criticis, in quibus etiam plerique sæpe hallucinati sunt.

Hæc Liturgia usu antiquissimo Ecclesiæ Copticæ commendatur.

Itaque altera & hanc præcipuè quæ in manibus est, à Basilio scriptam esse non arbitramur, & contrariam opinionem Coptitis relinquimus. Verùm simul constituimus ex omnium Ægyptiacæ Ecclesiæ monumentorum testimoniis certissimum esse illam ipsam Liturgiam, saltem à Muhamedanorum initiis, perpetuum in Ecclesiis Copticis usum habuisse, qui ad hæc usque tempora perseverat. Ex eo usu Ecclesiarum tanta ejus est apud Coptitas autoritas, ut post sacras scripturas, majorem nullam agnoscant. Etsi verò Coptitis ab illo tempore propriæ factæ fuerint, non tamen existimandum est, eas in illorum secta originem habuisse, verùm Basiliana quæ duarum reliquarum Canon, ut diximus, censeri debet, ex antiqua Græca expressa est, unde certum, eam ipsam esse Liturgiæ formam, quæ Alexandriæ sub Christianis Imperatoribus frequentabatur. Neque hæc nostra solum sententia est, cùm de illorum officiorum antiquitate splendidiora etiam testimonia tulerint Josephus Scaliger & Claudius Salmasius, uterque in Protestantium communione.

Ægyptiacè scripta.

Ipsa Liturgia, ut etiam id à nobis observetur, scripta est linguâ Copticâ, hoc est Ægyptiacâ, quæ in usu erat sub Christianis Imperatoribus ante Muhamedana tempora.

Versio ejus Arabicè.

Versio Arabica ab aliquot sæculis ad oram adjungi solet, ex quo Coptica lingua à vulgo intelligi desiit, non quidem ut Liturgia Arabicè celebraretur, quod à nonnullis temerè nimis affirmatum est, sed ut haberent Sacerdotes, unde illam linguâ vernaculâ explicare possent. Omnia enim Copticè canuntur & recitantur, etiam ipsæ sacrarum scripturarum lectiones. Sed adjungitur post istarum lectionem explicatio Arabica, quæ à mille annis in Ægypto vernacula est. Duplex autem habetur versio Liturgiæ Arabica. Nam quæ in Codice Regio Græcis paginis respondet, ab ea quam Coptici Codices repræsentant diversa est, & ab alia manu. Imò quantùm percipere possumus, recentior, & ab iis hominibus facta, quibus Græca lingua minùs familiaris esset, quàm Coptica alteris, qui ex ea interpretationem suam fecerunt. Ista videtur profecta à peritiori interprete, nec una fortassis fuit, multas enim lectionum vel potiùs vocum diversitates manuscripti Codices subministrant, nullo tamen sententiæ detrimento. Atque inde agnosci potest certo atque indubitato argumento

Digitized by Google

conformitas Orientalis disciplinæ cum Romana, quæ tam contumeliosè à Protestantibus exagitari solet. Nam apud Coptitas multò minùs intelligitur Ægyptiaca Liturgiæ lingua, quàm Latina in Occidente, ubi Sacerdotes pauci admodum sunt, qui Latinè nesciant. Inter alios paucissimi Copticè sciunt, plebi lingua illa prorsus est barbara. Tamen eadem lingua, ex antiqui moris veneratione, quamvis non intellecta populo, conservatur in Liturgia, in Psalmodia, in omnibus Sacramentis perficiendis. Nec alia est Syrorum disciplina, inter quos docti Syriacam linguam intelligunt, quæ illiteratis ignota est : nec alia Græcorum, Armenorum & Æthiopum consuetudo est. Huc accedit quòd multa inter sacras preces etiam Græcè dicuntur, ut suis locis notabimus, quæ est antiquitatis nota, tum etiam originis illarum Liturgiarum à Græcis, argumentum certissimum.

Multa sunt hujus Liturgiæ exemplaria.

Extant hujus & aliarum Liturgiarum Copticarum exemplaria in diversis Bibliothecis multa & quidem antiquissima, absque ulla insigni diversitate : neque ullum quod majori præstet vetustate observavimus, in quo deesset Arabica versio. Id autem monendum quia nonnullis, inter quos Isaacus Vossius fuit, hæc nota antiquitatis judicata est, quamvis quidam reperiantur recentissimi absque illa versione, & antiquissimi illam repræsentent. Cùm enim Copticæ solæ orationes recitentur, Arabica versio juvandæ Sacerdotum imperitiæ scripta sit, ut & scripturas & publicas preces interpretari ad populum possint, factæ sunt versiones statim atque Arabum lingua communis per totam Ægyptum esse cœpit, quod ante sæcula prope decem contigit : libros autem qui ad eam ætatem accedant, pauciissimos esse sciunt eruditi. Omnes igitur ferme tàm Liturgici, quàm sacræ Scripturæ, versiones adjunctas habent : quidam non habent, ut insignis Evangeliorum codex scriptus à Michaele Metropolita Damiatensi in membranis ante annos quingentos septuaginta, qui extat in Bibliotheca Regia.

Pauci codices rubricas habent.

Pauci adjunctas habent rubricas seu breves rituum leges : quæ in antiquis prope omnibus desunt ; quam consuetudinem observare licet in Missalibus Græcis & Latinis : nam quæ ad rite fungendum Sacerdotium pertinebant, sero literis consignata sunt. At recentiores codices eas repræsentant, præsertim optimus & integerrimus Bibliothecæ Regiæ, quem interpretando præcipuè secuti sumus, ne quid ad rituum plenam intelligentiam deesset. Verùm aliunde suppletur defectus rubricarum. Nam extant in multis codicibus tractatus, qui accuratè omnes explicant : de quibus etiam reperiuntur apud autores varios integri commentarii. Talis est quem operi suo inseruit Abulbircat : eamdemque disciplinam multis capitibus prosequitur Abuseba in Scientia Ecclesiastica : & Anonymi non pauci. Sed maximam hoc in genere publicamque autoritatem habet Ritualis liber Gabrielis Patriarchæ Alexandrini Jacobitarum 88. editus an. Martyrum 1127. J. C. 1411. in quo omnia accuratissimè perscribuntur, & ex illo pleroſque ritus describimus.

Digitized by Google

Pag. 1.

Oratio præparationis.

Præparatio ad Liturgiam celebrandam.

HÆc Oratio, ut titulus admonet, præparatoria est, diciturque à Sacerdote sacra celebraturo statim atque ad conspectum sanctuarii ingreditur, ubi deposita exteriori toga, procumbens coram altari per aliquod temporis spacium orare solet. Qualiter autem paratus accedere debeat multis verbis autores explicant, tam secundùm exteriorem, quàm interiorem castimoniam, quæ paucis complectemur. Quantùm ad primam attinet, quæcumque conditiones præscribuntur ad communionem percipiendam, easdem in Sacerdote ad celebrandam Liturgiam exigit Coptitarum & omnium Orientalium disciplina. In casto fuisse illum, nocte præcedenti, aut triduo, secundùm Canones oportet, si conjugatus fuerit: si per insomnia ludibrium passus est, celebrare prohibetur. Eapropter solent plerumque Sacerdotes noctem quæ Liturgiam antecedit in Ecclesia transigere, magnamque ejus partem orationibus impendere. Sacerdos pedes & manus lavare debet: jejunasse etiam die præcedenti, & ad vesperam abstinuisse à vino & potu omni, quo caput tentari posset, atque hæc præcipua præcepta sunt, quantum ad exteriorem munditiam. Postea debet examen instituere intra se ipsum, num alicujus peccati reus sit, quo non solum à celebratione Eucharistiæ, sed etiam ab ejus communione arceretur: num alicui injuriam aut damnum fecerit, ut statim proximo satisfaciat, juxta illud Christi præceptum, *si offers munus tuum ad altare, &c. vade priùs reconciliari fratri tuo.* Hæc fusiùs Gabriel Patriarcha, Scientia Ecclesiastica, Canonesque varii repræsentant ex communi non modò Orientalibus Christianis omnibus, sed Græcis etiam, disciplina, à quibus illam acceperunt.

Sacerdos confiteri debet.
Euchol. p. 58. 109.

In recentioribus istorum libris qui modum & leges celebrationis Eucharistiæ continent præscribitur ut Sacerdos Exomologesin faciat, scilicet ex posteriorum temporum consuetudine, quia antiquitus privata illa apud πνευματικὸν seu Confessorem pœnitentia, locum non habebat. Eadem quoque lex primitus apud Orientales fuit, donec mutata multis de causis, præsertim ex Græcorum exemplo, aliam pœnitentialis disciplinæ formam accepit. Contigit id ante annum millesimum, ex quo rarissima sunt depositionis Sacerdotum exempla, ob secretum crimen, sed tantùm ob publicum aliquod, idque gravissimum. Apud Syros Jacobitas, cùm Franci in Palestina regnarent, novam de Sacerdotum pœnitentia regulam viguisse, discimus ex Tractatu de recipiendis pœnitentibus, Dionysii Barsalibi Metropolitæ Amideni, qui tunc magna apud eos doctrinæ famâ florebat. Ea porrò fuit ut ad privatam confessionem & pœnitentiam Sacerdotes & alii ex Clero admitterentur, ita tamen *ut duplicaretur ipsis Canon*, sive pœna canonica, quod in hunc modum fieri præscribitur. Laïcus peccatum commisit, cujus pœna est jejunium per tres quadragesimas, aut per annum: eleemosyna tot aureorum: metanœæ per certos dies centum: si Sacerdos de eodem crimine se accuset apud Pœnitentiarium, imponentur illi sex quadragesimarum, vel biennii jejunia

Tract. de recip. pœnit. MS. Syr.

junia : duplex eleemosyna: metanœæ, seu prostrationes corporis, ducentæ, & sic de reliquis : atque interea abstinebit ab altaris ministerio. Itaque apud Syros Jacobitas, nihil præscriptum legitur de frequenti confessione ante celebrandam vel suscipiendam Eucharistiam, nisi quòd singulis annis, saltem semel, quisque confiteri debet. Apud Coptitas, de quorum disciplina tractatur, alia omnino ratio est. Cùm enim per annos ferme ducentos duodecimo & decimo tertio sæculo, Confessio peccatorum non modò omitteretur, sed etiam per nefariorum Patriarcharum audaciam sublata esset, tandem more antiqto restituto, Confessio tantopere commendari cœpit, ut quotidiana propè fieret, omnesque pietatis studiosi eam assiduè frequentarent, nec auderent, licet lethalium peccatorum immunes, ad communionem nisi prævia Confessione accedere. Ita præcipiunt Michael Antiochenus in Tractatu de præparatione ad Eucharistiam : Paræneſis antiqua ad pœnitentiam Chrysostomi nomine : Ebnassalus, Abulbircat, & præsertim Homiliæ in Evangelia & Epistolas de circulo anni, in Ecclesia Coptica legi solitæ. Ea igitur postmodùm consuetudo apud Coptitas quoque recepta est, ut etiam de venialibus & quotidianis offensis, Sacerdotes confiterentur : legem tamen confitendi nullam vidimus.

Ornamenta ad Liturgiam celebrandam.

Proxima deinde cura est ut ornamenta accipiat ordini suo convenientia : ita Ritùales libri : Scientia Ecclesiastica : Canones varii absque autorum nomine : Epitome doctrinæ Ecclesiasticæ ex sententiis Patrum. Gabriel filius Tarich Patriarcha Alexandrinus in Constitutionibus §. 24. *Nullus è Clero ad oblationes inferendas, aut ad ministerium altaris accedat, cum illis vestibus quibus amictus in publicum prodire solet : sed induet vestes Liturgiæ proprias, & ad hoc officium singulariter destinatas, & tunc sacris operabitur : neque hanc regulam transgredietur.* Ita quoque Ebnassalus, Echmimensis & alii Canonum Interpretes. Nec præcipitur tantùm Clericis ut non accedant ad Ministerium altaris absque ornatu, qui singulis convenit juxta ordinis sui dignitatem, sed ne aliter accedant ad preces publicas, aut ad suscipiendam communionem. Epitome ex sententiis Patrum : *Non licet Sacerdotem orare, aut communionem accipere nisi vestitum χιτῶνι. Aliter res indecora esset, & contra fidei sanctæ Canonem.* Idem præcipit Cyrillus filius Laklaki Patr. Alexandrinus Constitutionum suarum, cap. 34°. *Non accedet Sacerdos ad communionem suscipiendam, super gradus altaris, nisi vestitus Sticharo : qui illud non habet, communicabit extra altare.* In Collectione Ebnassali, cap. 12°. refertur Canon tanquam Basilii magni in hæc verba. *Vestes quibus utendum est ad sacra facienda, albi coloris esse oportet, non alterius, & quæ Sacerdotibus conveniant. Christus enim cum transfiguratus est, vestimenta habuit lucis instar candida.* Idem præscribitur in Canonibus quos Imperiales vocant : *ut vestes Sacerdotales, talares sint, candidæ, non coloratæ, utque adserventur in loco ministeriis Ecclesiasticis destinato, aut in Ecclesiæ repositorio : neque extra hæc loca relinquantur, neque etiam ab ullo intra altare vestiantur.*

Sacerdotales vestes.

Sacerdotalia vestimenta enumerat Gabriel Patriarcha in Rituali.

Digitized by Google

Sunt autem Veſtis longa ſericea : Epomis, ſive amiculum è ſerico candido; Stola, cingulum, manicæ, & pallium ſeu cappa è ſerico candido. Abuſebah in Tractatu de Scientia Eccleſiaſtica, cap. 61. *Veſtimenta Sacerdotalia ſunt ſeptem, juxta numerum ordinum Eccleſiæ.* 1°. *Veſtis longa ſive tunica.* 2°. *Epomis ſive amiculum, inſtar Aaronis Sacerdotis, quem Deus in tabernaculo legali, ſuperhumerali amictum eſſe juſſit.* 3°. *Zona quâ Sacerdos medius præcingitur.* 4°. & 5°. *Manica quibus Sacerdotis manus ad ſuſcipienda ſacra myſteria muniuntur.* 6°. Επιτραχήλιον *ſive ſtola quam ex collo ſuo Sacerdos appendit.* 7°. *Camiſia, ſive Alba, quæ, ſi fuerit Epiſcopus, limbo ad ſummum pretioſo prætexetur, ſecus eo carebit. Induet autem Sacerdos veſtes antequam ad altare accedat : ſi fuerit Epiſcopus, eo tantùm tempore induetur, quo oblationem inferet, ante Abſolutionem, ut ita aliquod diſcrimen intercedat ratione dignitatis, inter Epiſcopos & Sacerdotes.* Partes omnes illas rei veſtiariæ Eccleſiaſticæ accuratè explicare non admodum facile eſt : nam voces quibus deſignantur ſingulæ, vix Lexicographi intelligunt.

גבה
תוניה
Veſtis talaris, ſeu ποδήρης.

Prima quam Abuſebah vocat *Jabat*, hoc eſt longa talariſque veſtis, à Gabriele Patriarcha *Touniat* appellatur, eſtque propriè Græcorum ποδήρης, vel potiùs ποδέρης, ut rectè eam vocat Cyrillus Patriarcha in teſtimonio ſuperiùs adducto. Eſt enim prima veſtis quæ non ſolùm Epiſcopis & Sacerdotibus, ſed Diaconis & Hypodiaconis communis eſt; ſtrictior ſcilicet tunica, eaque alba, ut Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria, Cabaſilas, Symeon Theſſalonicenſis & alii obſervant, quorum & aliorum multorum teſtimonia collecta reperiuntur in Gloſſario Græco-Barbaro clariſſimi Caroli Cangii.

טיילסאן

Secunda Arabicè vocatur *Tilſan*, cui in Gloſſariis Copticis reſpondet ἐπωμὶς, ſed corruptè ſcripta παπιμις, in aliquibus πλοιον, hoc eſt *Rationale*; at hîc intelligi debet veſtis aut ornamentum humeris imponi ſolitum, ita ut ſit Superhumerali, quàm Rationali ſimilius. Sed explicari poſſe non incommodè videtur per Φαινόλιον; veſtis autem eſt talaris abſque manicis, & totum corpus ambiens, ita ut Latinorum antiquæ Caſulæ omnino reſpondeat; ut rectè Cangio obſervatum. Et apud Arabes vox quæ hoc loco uſurpatur togam quamdam hujus generis Religioſis propriam ſignificat, ex Camuſio.

Zona.

Zona ſatis intelligitur, quæ præter communem uſum, quo ab omni retro antiquitate commendatur, multiſque myſticis ſignificationibus exornatur apud autores Eccleſiaſticos, qui de ſacris Officiis ſcripſerunt, habet inter Chriſtianos Orientales ſingularem commendationem, ex ratione quæ illis propria eſt, ex quo ſub Muhamedanorum imperio vivunt. Nam Califæ nonnulli, & alii Principes præſertim in Ægypto, multa ſtatuerunt, ut Chriſtiani notis exterioribus à Muhamedanis diſtinguerentur, tum colore veſtium, cogebantur enim pullas tantùm induere : tum maximè, quia zonâ ſuper togam exteriorem præcingi eos oportebat. Id ſeveriſſimè ab ipſis exactum eſt ab Haxemo Califa Ægypti Fatimida, & à Salaheddino Yubidarum Sultanorum primo : quæ diſtinctio cùm aliquam ignominiam conjunctam habere videretur, gra-

Hiſt. Patr. Alex. p. 293. 390. 426. 450. 540.

Digitized by Google

vissima Christianis judicabatur. Si quis apud Principes gratiâ & autoritate polleret, eâ utebatur, ut immunitatem Zonæ ferendæ obtineret. Istud verò inter Muhamedanos Christianosque ex habitu discrimen, Episcopos non magnopere commovebat, cùm inde minus periculum commercii familiaris cum Infidelibus esset, quod sæpe Christianis & fraudi & exitio erat. Itaque ad istorum consolationem, multa in Homiliis, tractatibusque spiritualibus dicta sunt ad Zonæ dignitatem commendandam, ex Scripturis, Basilii Regulis fusiùs disputatis, & aliis Asceticis. Tum quasi lex constituta, quam refert Ebnassalus in Principiis fidei, ut ad orationem rite faciendam Christiani Zonâ præcincti accederent: quod etiam exposuit Severus Episcopus Aschmoninæ, in Tractatu de exercitiis Christianorum. In alio Opusculo de Agno Paschali. *Sacerdotes*, inquit, *fideles, calceos in pedibus habent, dum consecrant corpus Christi, signum externum rei internæ: sicut etiam quod Zonis præcinguntur, signum est præcinctionis interioris.* Quia verò præ cæteris Orientalibus, Ægyptii Zonâ ab aliis distinguebantur, idcirco à nonnullis ævi sequioris autoribus *Christiani præcinctura*, aut *de cingulo* appellati sunt: cujus denominationis causa non satis intellecta, nugacissimis multis interpretationibus occasionem dedit. *Reg. fus. Disp. c. 22.*

Quarto & quinto loco Manicæ numerantur, qui sunt, ut existimare possumus, Græcorum Επιμανίκια, quæ, ut notat Goarius ad Liturgiam Chrysostomi, soluta gerunt, & fune sericeo per illorum oras transversim acto, brachiis strictiùs alligant: Ea tamen Επιμανίκια quamvis aliam formam habeant, similitudinem referunt manipulorum Ritus Romani. At quemadmodum Manicæ à Coptitis describuntur, alia fortassis earum figura est, sed de qua nihil certi nobis occurrit dicendum. Manicæ. *Euchol. p. 111.*

Sexto loco Stola est quam & nomen ipsum & autoris mox relata verba è collo appendi docent, cujus quidem ex Græcæ linguæ ignorantia mirificam interpretationem dedit Abusebah: ait enim *Bitarchil*, significare *petram & mille*, ex qua illud solùm colligitur, quòd ea voce Coptitæ Επιβαχήλιον intelligant. In Nomenclatore Coptico respondet Arabicæ isti, alia vox Græca Σκόρδιον, cujus tamen nullus est usus in rebus Liturgicis. De Επιβαχηλίῳ multa eruditè congessit autor Glossarii. Stola seu Επιτραχήλιον. בטרשיל

Tandem ultimo loco numeratur *Albornos*, seu, ut Coptitæ eam vocem Arabicam intelligunt, Καμάσιον; quæ quidem vox in quibusdam locis respondet *Camisiæ* seu Albæ Latinorum: sed non hoc loco. Nam intelligenda potiùs est vestis quædam antiquæ casulæ respondens, quæ cæteris superimponatur & totum corpus circumdet. In summo, (limbum habet auro, aut alio opere phrygionico prætextum, τκοκλια dictum Coptitis; *Kaslet* Arabicè dicitur) ut habent quoque Græcorum sacræ vestes de quibus consulendus Goarius qui eas accuratè descripsit. Pleræque sunt, ut diximus, sericeæ: at ex modestia & simplicitate multi Monachi & Sacerdotes ex Kahira, teste Abulbircat, vestem illam superiorem, laneam habebant, albi coloris absque limbo, aut serico prætexto, qualem Cartusiani ad altare usurpant, in ministerio Diaconico. Erat quoque consuetudo apud Monachos S. Macarii, ut ultima illa אלברנס Albornoz seu Catula. קסלה

veste *Albornos*, seu Camasio non uterentur in ministerio Liturgico, sed tantùm in precibus publicis, ex disciplina peculiari; cujus imaginem observare licet apud nostros quosdam Religiosos. Illarum vestium sacras significationes explicant passim autores, eodem propè modo ac Græci suas. De illis Echmimensis ex Canonibus Athanasio, Basilioque tributis, tum ex quibusdam Apostolicis. In illis porrò & aliis testimoniis, non exigua est nominum Arabicorum permutatio, quia vix ullo satis exprimitur, Copticum aut Græcum, cui respondeant. Sed in istis diutiùs immorari non videtur operæ prétium, cùm antiqua forma ex autorum descriptionibus non satis intelligi possit: recentior paulum immutata ab oculatis potiùs testibus, quàm ex libris petenda sit. Omnia autem indumenta illa sacra, Græcis potissimùm respondent. Nam illud quòd postremo loco explicatum est, propriè respondet Φαιονλίῳ seu Φελονίῳ quam vocem exponit Glossarium; ipsam vestis sacræ figuram repræsentat Goarius; estque Casula antiqua seu planeta Latinorum. Prima vestis quæ Albæ nostræ respondet, est propriè loquendo Στιχάριον, quam vocem Arabes Christiani servaverunt, & eam Echmimensis per *Kamis*, sive *Camisiam* explicat loco citato. Manicæ sive Ἐπιμανίκια vinculis sericeis alligantur, ad significanda vincula quibus Christus ligatus est, unde apparet eas ad Græcorum formam factas. *Tilsan* sive Epomis amiculum est, ut diximus, adjunctum habens capucium, ut ait Echmimensis. Stola collo circumponitur, atque in crucis formam circa humeros decussatur, ut repræsentat eam figura apud Goarium. Mentio fit præterea Cidaris quam Sacerdos imponit capiti, & quæ cruciculis ornata est, apud eumdem Echmimensem. Omnes autem illæ vestes, quantùm ferre potest Ecclesiarum facultas, pretiosæ fuerunt olim, & sunt etiamnum. Servantur magnâ curâ, neque extra Ecclesiam aut Secretarium transferri debent, juxta antiquos & sæpe renovatos Canones, qui Apostolis, antiquisque Patribus tribuuntur. Benedictione Episcopali consecrantur, ut omnia quæ ad sacrum ministerium pertinent. Si ab hæreticis, hoc est diversæ communionis hominibus usurpatæ fuerint Sacerdotales vestes, eas profanas existimant, & expiant certis orationibus vel flammis absumunt. Ita in Vita Chailis Patriarchæ Alexandrini LVI. legitur. Jacobitas à Sultano obtinuisse, *ut sex Episcoporum Melchitarum vestes Sacerdotales, igni traderentur.* Inter Episcopales & Sacerdotales ad celebrandam Liturgiam exigua differentia est, & in ipsa forma exteriori, propè nulla: distinguntur circulis, limbis, & crucibus ut apud Græcos.

Cap. 10. §. 5.

Pag. 1. l. 16.

Mitte mihi virtutem ex alto, &c.

IN Codice qui rubricas omnes habet juxta recensionem Gabrielis Patriarchæ, notatur, Sacerdotem cùm ad hæc verba pervenerit, vasa sacra in altari disponere: Discum primò, postquam manu leviter detersit, suo loco constituere, simulque linteolum quod purificatorio nostro respondet: deinde calicem in ea parte quæ *Karsi* sive solium dicitur, cochlearque similiter.

Digitized by Google

Oratio poſtquam præparatum fuerit altare.

P. 2. liñ. 6.

ALtaria apud Orientales omnes Chriſtianos, vocantur ſacræ menſæ in quibus Deo ſacrificium incruentum offertur. Coptitæ voce Græca ΙΑΣΤΗΡΙΟΝ vocant, quamvis in hac Liturgia utantur voce Ægyptiaca antiqua *Pimanerſchoouſchi*, quæ in Pentateuchi, Evangeliorum, Pſalmorumque verſionibus, reſpondet Hebræorum מזבח & Græcorum θυσιαστηρίῳ. Neque mirum eſſe debet, uti illos voce quæ ſacrificio conveniat, cùm verum propriumque novæ legis ſacrificium multis locis Liturgiæ, Euchariſtiæ celebrationem appellent. Vocant etiam quandoque *Menſam Sacerdotalem* aut ſacram τραπέζα ἱερατικὴ, *menſam ſacram, ſpiritualem*, ut pariter omnes qui alterâ voce utuntur.

De Altaribus.

Altaria ut apud veteres Chriſtianos lignea fuerunt, quòd primis Eccleſiæ ſæculis ſolida ob perſecutiones continuas habere vix licebat, ita cùm Chriſtiani libertatem nacti ſunt, fuere duplicis generis: nam in Baſilicis majoribus ſolida fuiſſe, ex marmore, ex lapide alio, ex argento, certiſſimè demonſtratur. Videnda quæ de illis eruditè ſcripſit Cardinalis Bona. Ut autem Romæ, Conſtantinopoli, in Africa, in Syria, in Eccleſiis inſignibus ſolidi operis altaria fuerunt, ita quoque Alexandriæ fuiſſe non eſt dubitandum, in tot magnificis Eccleſiis, quarum celebris in hiſtoria memoria eſt. Quia verò Orientalibus ſub Muhamedana dominatione conſtitutis ſæpe accidit, ut Eccleſiis ejicerentur, eaſque infideles in ſuæ ſuperſtitionis templa converterent, altariaque profanarent, dum in congregatos Chriſtianos impetus fieret, conſuetudo à multis ſæculis invaluit, ut tabulas ſolas ſive menſas haberent, quibus inſternebatur mappa benedictionibus Epiſcopalibus conſecrata, aut tabula ad altaris ipſius longitudinem, aut tandem altaria, ut apud autores noſtros vocantur, portatilia: laminæ ſcilicet aut ſegmenta ex marmore, quæ facile afferri, & removeri poſſent, ut ſi Infideles ſynaxin ſubitò conturbarent, facili negotio ſubtrahi poſſent. Ita non modò Græcorum, ſed etiam Latinorum diſciplinæ de ſacris altaribus convenire deprehenditur Orientalis diſciplina. Ut enim ſolida vulgò apud nos altaria ſunt, multa tamen in Capellis ex tabula lapidea ligneæ inſerta fiunt, ſunt quoque portatilia multa, ita quoque apud Orientales obſervatur. Nam in antiquis Eccleſiis Ægypti, ut ad S. Macarium in Deſerto Scetis, in Maræotide & aliis, ut etiam in ipſa Æthiopia, quæ multis ſæculis tota Chriſtiana fuit, reperiuntur altaria ex ſolido lapide. Jam verò conſecrantur tabulæ & mappæ: & utriſque communis eſt conſecratio eadem, quæ non ab alio fieri poteſt, quàm ab Epiſcopo. Illius ritus ſacri Ordo, extat tam in Rituali Gabrielis Patriarchæ, quàm apud Abulbircat & alios, ita ferente communi Orientalium omnium Eccleſiarum diſciplina, ut nullo in altari Liturgia celebrari legitimè queat, quin priùs conſecratum fuerit ab Epiſcopo, multis orationibus, unctionibuſque ex chriſmate ſeu myro in modum crucis, atque hoc Officium vocatur *conſecrationis altaris*, quod non modò celebratur ad altaris lapidei, ſed

Rer. Liturg. l. 1. c. 20.

Vid. Alvarez. deſcriptionem Eccleſiarum S. Salvatoris, &c.

Digitized by Google

ex tabulis facti consecrationem. Præter illam habent etiam singularem benedictionem mapparum quæ altari insternuntur, respondentque Græcorum Αντιμινσίοις.

Antimensia.

Quæcumque de illis observari possunt ex Responsis Manuelis Charitopuli, Balsamone & aliis autoribus accuratè collecta sunt in Glossario: ex quibus intelligitur Αντιμίνσια esse segmenta panni, vel mappæ, quæ sacræ mensæ insternitur in die Encœniorum Ecclesiæ, quæ precibus & ritu Ecclesiastico consecrata in varias partes discinditur, & quæ altarium ut Latini vocant portatilium vicem præstant, adeo ut in Oratoriorum aut aliarum ædium sacrarum mensis non consecratis, absque ejusmodi Antimensiis, sacras Liturgias peragere non liceat. Est igitur inter Græcos & Orientales, hoc discrimen, quòd tabulæ consecratæ, apud istos Antimensiorum rationem habeant, quòdque etiam in altaribus consecratis eas tabulas ut plurimùm adhibere soleant: communis verò utrisque consuetudo est, quòd in locis aut altaribus non consecratis, absque tabula vel Antimensio consecrare Eucharistiam nefas existiment. Eadem est Syrorum Jacobitarum disciplina, quam in Nomocanone suo explica Abulfaragius, & in qua singulare quiddam observatur. Nam tabulæ aut antimensii defectu dicunt, *Sumendum esse folium ex Evangelio, in eorum vicem, & supra collocandum discum & calicem: tum in loco deserto necessitate urgente manibus Diaconorum uti posse Sacerdotem altaris vice*, quod in Philotheo factum à se Theodoretus observat, in gratiam senis sanctissimi, qui per annos multos, in cella reclusus, sacra, mysteria celebrata non viderat. Citantur eodem loco Constitutiones Ecclesiæ Antiochenæ & Cyriaci Patriarchæ, secundùm quas præcipitur, *ut Sacerdos non celebret absque tabula consecrata ab Episcopo, quæ altari imponatur, quæ si fracta fuerit, debet defodi in loco sacro*, tanta est inter Orientales Christianos altarium veneratio. In iisdem præcipitur quoque *ut reliquiæ martyrum in altaribus deponantur*. Hæc omnia accuratè exponuntur in prædicto Nomocanone, & apud Echmimensem, Ebnassalum, aliosque Canonum collectores aut interpretes, ex quibus liquidò apparet, omnem honorem quem Ecclesia ab initio sacris altaribus tribuit, adeo ut illa nunquam per hæreticos violari aut destrui sine horrore viderit, ut notissima Optati testimonia demonstrant, etiam Orientales iisdem deferre.

L. 3. Jur. Orient.

Cap. 1. n. 7.

Altaria sæpius unica.

Ut id etiam moneamus, altaria in Ecclesiis Orientalibus, ut plurimùm, unica sunt, ex veteri consuetudine, quamvis ut jam à multis sæculis, præter majus, quædam minora habeant in Παρεκκλησίαις, seu ut eas vulgò appellamus *Capellis*. Majus autem, eam fere habet formam quam apud Græcos, nempe ut sit in superiori parte Ecclesiæ versum ad Orientem, & in Chori meditullio. Ambitus autem sive septum, in quo altare collocatum est, à Græcis Ἱερατεῖον seu sanctuarium appellatur, quam vocem ut multas alias Coptitæ retinuerunt, sed corruptam, nam Arabicè scribunt *Ara lion*. Complectitur propriè loquendo omnem illam sanctuarii partem, in qua Sacerdotes & alii Ecclesiastici consistunt, nam illius aditu plebi prorsus interdicitur. In ea parte locus altaris, qui gradibus ali-

Digitized by Google

quot sublimis est, Βῆμα appellatur, ut apud Græcos; Arabicè *Heikel* quasi templum ex Hebræo, sed ita ut ea vox, non pro toto templo, sed sanctuario usurpetur. Quæ de istis sacrorum ædificiorum partibus fusiùs dici possent, reperiuntur in Notis Goarii ad Euchologium cum ichnographia Græcæ Ecclesiæ, cui aliæ in Oriente similes sunt. Videndum quoque Glossarium in voce Βῆμα & aliis, ut Constantinopolis Christiana, & Allatius de Templis Græcorum. Quæ verò postea Guillelmus Beveregius in notis suis ad Canones, Ludolfus in Commentario historiæ suæ Æthiopicæ, & alii de hoc argumento scripserunt, ab illis quos antea laudavimus desumta sunt; & si quando quidquam addidere de suo, plerumque suspectissima sunt, aut ad eruditionis specimen comparata. Cùm autem insignes olim Ecclesiæ multæ in Ægypto essent, jam omnino paucæ supersunt, in quibus primævæ antiquitatis obscura vestigia agnosci possint. Cùm enim capta sæpiùs & vastata Alexandria fuerit, etiam ex quo ab Arabibus occupata est, jamque urbs ea quæ supereſt, antiquæ potiùs cadaver, quàm illa ipsa censenda sit, nihil ex antiquis Christianis ædificiis residuum est, unde conjectura de Ecclesiarum aut altarium forma capi queat; nihilque vero propius, quàm ut illorum forma ex Græcarum lineamentis intelligatur; eadem enim erat utrarumque dispositio.

היכל

Euchol. p. 13.

Igitur Sacerdos cùm ad altare Sacra facturus accedit, dicturusque Orationem quæ præparationis appellatur: tunc paramenta, imponuntur. Ad eam enim Liturgiæ partem hæc ceremonia pertinet, variantque hoc loco rubricæ, cùm aliæ habeant *postquam ornatum fuerit altare*: aliæ *postquam præparata fuerint altaris ornamenta*, quod idem est: tunc enim nec antea, ornatur altare, nempe mappâ nigrâ quæ tabulæ altaris proxima est, tegitur aliâ longissimâ, quæ totam sacram mensam operit: collocantur cruces, reliquiæ, cerei, & omnia tandem quæ ad fungendum sacrum ministerium attinent, afferuntur è secretario per Diaconos, & coram Sacerdote celebraturo collocantur. Ea enim est disciplina totius Orientis, ut altare extra horam sacrificii, nudum sit vasis & omnibus ornamentis, quæ afferri & auferri solent. Gabriel filius Tarich in Constitutionibus Synodicis. *Non celebrabitur Liturgia, nisi postquam altare opertum fuerit operimento alio, quàm quod illud tegit*, ordinario scilicet, & tabulæ proximo, quod Græci καταστρωμα vocant. *Finitâ Liturgiâ aufertur illud tegumentum & ita complicabitur, ut linteum ipsi adjunctum non separetur. Cùm omnia quæ ad Liturgiam necessaria sunt Sacerdos collocata ante se viderit, dicet Orationem præparationis, quâ finitâ, illa disponet, mappamque evolvet & explicabit.* Ritualis liber de rebus in Liturgia observandis. *Non tanget quidquam ex vasis, aut ornamentis altaris, sed ea coram ipso disponentur operimentis suis nudata: manusque expansas tenebit, donec dixerit orationem.* Autor scientiæ Ecclesiasticæ. *Sacerdos operimentum altaris super eo collocabit coram se, & extendens manus suas, dicet orationem operiendi altaris primam: nondum tamen illud operiet: mentem colliget, manusque extensas tenebit usque ad finem orationis primæ, quâ finitâ, teget altare; cùmque Sanctuarii ornatus absolutus fuerit, omnia instrumenta suo loco & ordine.*

Altaris ornatus.

Digitized by Google

disponet, tum dicet orationem secundam. His verbis intelligi debet secunda periodus hujus ipsius Orationis quæ incipit ab eo loco. *Deus gratiæ largitor, &c.* neque enim alia oratio præparationis occurrit, in Codice Scaligerano, quem Maronita secutus est, nec in nostro, nec in Regiis tum antiquis tum recentioribus. Observari quoque oportet & in ista, & in aliis orationibus vertendis, non temere nos ab interprete Maronita recessisse, qui quòd Arabica sola haberet præ oculis, sæpe voces minùs proprias adhibuit: ut cùm vertit *exequamur hoc munus*, cum sit in originali Διακονία quæ propriè ministerium Liturgicum significat. *Hostiam benedictionis* ἁγιασμὸν. *Sacrificium*, & ita semper: nam hostia, non est sacrificium. Malè etiam prorsus in fine doxologiæ vertit, *& Spiritu sancto vivificante, qui æqualis est tibi*: nam hic & alibi Coptitæ semper adhibent ⲛ̀ ⲟ̀ⲙⲟⲟⲥⲓⲟⲛ ⲛⲉⲙⲟⲩⲥⲓⲟⲥ ⲛⲉⲙⲙⲁⲩ, *consubstantiali tecum*, cùm sensus, *æqualis* & *consubstantialis* sint magnopere diversi. Illud verò à multis aliis interpretibus peccatum admissum est, dum verborum Syrorum & Arabicorum originem, magis quàm sententiam attenderunt.

P. 2. l. 21.

Oratio Gratiarum Actionis.

Oratio Gratiarum actionis.

JAm incipiunt orationes, quarum prima, secundùm Canonem ex Didascalia seu Constitutionibus Apostolicis Ebnassalo relatum, hæc est. *Incipiet*, inquit, *Sacerdos celebrans ab oratione Gratiarum actionis, quam postmodum sequetur sacra Scriptura interpretatio.* Ita vocatur hæc oratio, ob prima ipsius verba. Gravissime autem erravit Maronita, dum vertit *Orationem ad cingulum* nullo sensu: nam Coptica & Arabica vox nihil minus significant: & ut ex antea observatis manifestum est, Sacerdos vestimenta jam accepit, atque adeo cingulum, quando hanc orationem pronunciat. Adjunxit eo loco & aliis ad marginem Græca quædam ut ὁ Ἱερεὺς, ὁ Λαὸς, &c. προσέχωμεν quæ formulæ nisi explicentur, quo pertineant in obscuro est. Primæ quidem nihil aliud sunt quàm ex antiqua lingua quæ Græca fuit, indicatio earum partium quæ à Sacerdote, Diacono, populo dicendæ erant. Secundarum alia ratio est: nam hortationes sunt & commonitiones Diaconi ad populum ut oret, designatâ simul causâ. Cum verò ex communi illius linguæ apud Alexandrinos usu hæc pauca verba quæ quotidie in Ecclesiis audiebantur omnes intelligerent, conservata fuerunt etiam in Coptica Liturgia: præcipue celeberrimæ illæ de quibus infra dicetur. Atque vel ex hoc unico argumento demonstratur origo Græca Copticorum rituum, etiam si multæ aliæ illius originis probationes non suppeterent. Statim igitur post primam istius Orationis periodum, Diaconus dicit Προσέχωμεν *Orate*, & ut in aliis codicibus εἰς ἀνατολὰς βλέψατε: *ad Orientem adspicite.* Is enim antiquissimus Christianorum mos est, multis Liturgiæ locis confirmatus, & de quo, præter infinita antiquorum testimonia Græcorum & Latinorum, extant multa apud Severum Opusculo de Exercitiis Christianorum, Ebnassalum de Oratione, Abulbircat; Autorem scientiæ Ecclesiasticæ: anonymos varios & Nestorianum Amrum Mathæi filium.

Oratio

Digitized by Google

Oratio Oblationis, &c.

Pag. 3. l. 14.

TItulus hujus Orationis variè se habet in optimis codicibus. In quibusdam Bibliothecæ regiæ Ευχη ντης προθεσεως: in aliis Ευχη ντης προσφορας, in nostro Περθιος, quæ tres diversæ lectiones, totidem sensus diversos efficiunt: quarum versio Arabica, quæ significat *Oblationem*, si Maronitæ credimus: meliùs tamen *illationem* oblatæ consecrandæ, & calicis. Primus sensus est ut verba purè Græca significant, *Oratio propositionis*; sive *protheseos*, nam utramque significationem ea vox habere potest: secundus *Oratio proœmii*: tertius nostri Codicis *Oratio super protheſin*. Arabes ut multa alia Περθιον intellexerunt grammaticè, potiùs quàm Liturgicè, ita ut *propositionem* seu *illationem munerum* consecrandorum significare voluerint, quam etiam designat Rubrica Codicis Regii alterius Coptica, in quo legitur Ο ευχη ντης προθεσις ντης παιωκ, *Oratio propositionis panis*. Sed hæ lectiones diversæ conciliari possunt. Prima quæ est *Oratio proœmii*, etsi deterior reliquis, stare tamen potest, quia hæc oratio præparatoria quodammodo est, ad oblationem munerum: tum quòd inter diversas preces Ecclesiasticas, numerantur etiam *Proœmia* in Collectione Canonum Africanorum, ut apud nos *Præfationes*, sed diverso tamen sensu. Nam apud Latinos propriè intelliguntur Orationes illæ solennes, quæ paulò ante Canonem recitantur, & in hymno Cherubico desinunt. Syris & Ægyptiis, ut apparet tum ex isto loco, tum ex Syriaca Jacobi Liturgia, *Proumion*, ut efferunt, aliter intelligitur, nempe pro quadam Oratione, ut sæpe occurrit in Liturgiis Syris, *Proœmium ad Deiparam*. Itaque Ægyptii ex voce proœmii quam in quibusdam codicibus repererunt, Arabicam deduxerunt, quæ & *oblationem* & *illationem munerum*, & Περθιον significare ex suæ originis natura æqualiter posset, ut faciliùs intelligetur ex ipsius ritus in quo versamur explicatione.

Collect. Afric. n. 103.

Is est, ut Sacerdos panem Eucharisticum & calicem deferat ex *Protheſi* sive *Credentia*, ut vulgò appellatur. Est autem in Græco ritu *Protheſis*, pars illa ad dextram *Bematis* sita, in qua Missam auspicaturus Sacerdos, quæ ad sacrificium peragendum necessaria sunt disponit ac præparat, sacrasque vestes induit, indeque ad altare solenni quodam ritu procedit. Ita paucis rem optimè explicavit Carolus Cangius, atque ita autores antiqui, Germanus Constantinopolitanus & alii, quorum testimoniis utitur: inter recentiores, præcipuus hoc in genere Jacobus Goarius. Quod autem processionem ad altare à Protheſi vocare possumus, id Græci vocant μεγαλην εισοδον. Ea fit majori apparatu quàm μικρὰ εἴσοδος in qua Evangelium deferri solet: post lectum Evangelium Sacerdote sacra dona nondum consecrata ad altare deferente, præcedentibus Lectoribus, Diaconis & Sacerdotibus cum cereis; ut idem ait. Cabasilas. Ο δ' Ιφευς βοᾷ δ' ἀνὰ δοξολογίας, ἵνα τε ἐπὶ τὰ δῶρα ἡ ἀνελόμενος ἐπὶ τ' κεφαλῆς μάλα κοσμίως ἔξιοι, καὶ ὅπως αὖπὰ καιόζων ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἐσάγει, πελάγων ἐπίπλους ὁ πᾶς ναὸς, χορὸς καὶ βάθρα, καὶ ἀναλοὶ ᾄδουσι καὶ σεσιγήκασιν αὖπᾶ σὺν αἰδοῖ πάσῃ καὶ εὐλαβείᾳ, δεόμενοι μνήμης παρ' αὐτῶν τυχεῖν ἐν τῇ τῶν

Ritus in quo consistat.

Digitized by Google

δώρων προσαγωγῆ, καὶ αὐτὸς χωρεῖ πεμπόμενος ὑπὸ λαμπάσι καὶ θυμιάμασι καὶ οὕτως ἔχων τὸ θυσιαστήριον εἰσέρχεται. *Sacerdos magnâ voce Doxologiâ ad Deum dictâ, venit ad dona sancta, eaque rite super caput attollens progreditur, & ita illa gestans ad altare infert, datâ operâ in Ecclesia lentè & sensim per circuitum ambulans: illi autem canunt & procidunt coram eo cum reverentia & honore maximo, rogantes ut in oblatione donorum memoriam sui habeat: Ipse deductus cum lampadibus & odoribus, hunc in modum ad altare ingreditur.* Quod igitur circa tempus quo hæc oratio dici debet, observatur à Coptitis, simile est Græcorum cæremoniæ quæ *magnus Introitus* dicitur, eo tantùm discrimine, quòd isti eam differunt usque ad perfectam Evangelii lectionem, illi præmittunt. De ea à multis scriptum est, tum olim, tum isto sæculo: olim quia jam ex quo Florentiæ laboratum est de sancienda inter Græcos & Latinos concordia, à quibusdam ex Latinorum parte Theologis, accusati sunt Græci, quòd sacra dona antequam per consecrationem transmutata fuissent in corpus Christi & sanguinem, illis honoribus prosequerentur, qui nudis elementis convenire non poterant. Alii negabant dona se ante consecrationem adorare, sed venerari: non ut corpus Christi, cui verus λατρείας cultus debebatur: neque honorare tantùm ut sacras imagines, sed anticipatâ quâdam veneratione prosequi, tanquam transmutanda mox in Christi carnem & sanguinem. Alterius vero sæculi initio Apologiam illius ritus edidit Venetiis, Gabriel Severus Philadelphiæ Metropolita, quæ à viro doctissimo ante annos aliquot Græcè & Latinè iterum edita est, cum notis fusissimis. Qui plura volet præter Germani Constantinopolitani de hoc argumento expositionem, legat Simeonem Thessalonicensem lib. de Templo & de sacris Ordinationibus cap. 3. Allatium de Missa præsanctificatorum num. 7. Goarium in Notis ad Euchologium & Glossarium, ubi multa præterea de illo ritu observata sunt; qui quantùm ad Græcos attinet satis explicatus est. Cum verò doctissimi illi viri scripserint quando Orientalis disciplina, Liturgica præsertim, in magna obscuritate jaceret, quid apud Syros, Coptitas aut alios circa hanc ejus partem servaretur, nondùm satis expositum est.

P. 131. 132.

Ritus ille communis est Ægyptiis.

Editor Opusculorum Gabrielis cùm illam exponeret: de Ruthenis quidem ex Alexandro Guagnino & aliis, de Æthiopibus ex Alvarezio constare docuit eos simile quiddam habere suis in Liturgiis; de aliis Christianis nemo quod sciam, tale quidquam memoriæ prodidit. Verùm ex autoribus certissimis quorum mox à nobis testimonia proferentur discimus, Coptitas eâdem veneratione dona sacra, antequam perfecta consecratio sit, prosequi, quod paucis est ostendendum. Autor Scientiæ Ecclesiasticæ. *Post ea quæ superius dicta sunt, Sacerdos progredietur ad altare parvum prothesis,* (utitur autor voce Arabica *Takaddamet* quæ eadem usurpatur in istius orationis titulo, propositionemque significat, atque adeo Πρόθεσιν) *ex quo accipiet Agnum,* hoc est panem Eucharisticum, *quem attentè dispiciet ne fortè fissus sit: fissura autem vitium est: & scriptura præcipit ut agnus sit absque vitio. Oblata porro, sive Eucharistia, est agnus anniculus in veteri lege præceptus, in quo vitium*

תקדמה

esse nullum debet ; & fissura vitium est. Si ergo oblata fuerit fissa, aut fracta, non licet eam offerre legitimè, & quando tota fissa fuerit, vinumque in acetum ita versum ut planè corruptum sit, illud offerre nequaquam licet. Et paulò post. *Cùm Sacerdos reperit quecumque opus sunt ipsi, oblatam, vinum, thus, carbones & omnia vasa & instrumenta sacri ministerii, rectèque ut oportet omnia se habere comperit, accipiet oblatam, eamque leviter absterget, sicut Christus Dominus aquis primò absterstus est, antequam Simeoni Sacerdoti traderetur: deinde super manus eam circumferet, sicut eum Simeon in templo circumtulit. Tandem deponet eam Sacerdos & in discо seu patena collocabit ; qua præsepe significat, & linteo velo eam involvet, sicut fecit Virgo in ejus nativitate. Discus autem primò præsepium significat, & postremò sepulcrum.* Sed accuratiùs ritum explicat Gabriel Patriarcha. *His peractis involvit panem Eucharisticum serico panno, illumque attollit super caput suum, precedente Diacono cereum gestante. Similiter alius Diaconus elevatam tenet ampullam vini super caput suum, sericeo velo involutam : & coram eo Diaconus cereum præferens, circumeuntque altare semel : atque interea aliquot Orationes linguâ Copticâ recitantur. Circuitu peracto, stat in loco suo facie ad Orientem conversâ : Diaconus similiter suo in loco ad Occidentem conversus : Sacerdosque oblatam suam imponit manui sinistræ, eamque simul cum ampulla vini ter cruce signat, Diacono eam velo sericeo involutam tenente.* Eumdem quoque ritum circumeundi altaris cum pane consecrando notat idem Gabriel, in Officio quod celebrari debet ad ἐνθρονισμὸν novi Episcopi. Ita etiam Abulbircat cap. 19. Ex his testimoniis intelligitur, ritum fuisse, ut Sacerdos ad Prothesin seu altare parvum iret, atque ex eo acciperet Oblatam consecrandam, quam circuitu peracto ad altare deferret, nec sine pompa, cùm Diaconi cereos gestare jubeantur. De veneratione quæ donis nondum sanctificatis defertur nihil legimus, sed ipsa pompa & processio satis eam designant.

Ne quis autem existimet Ægyptiis solis communem hanc cum Græcis esse consuetudinem, testis est Dionysius Barsalibi in Commentario ad Jacobi Liturgiam, idem apud Jacobitas suos observari. *Deferri* enim ait *Sacramenta ab altari parvo in gyrum circa altare majus, ante oblationem sacrificii, quo ritu significari* dicit *Christi in terras descensum totiusque ejus in terris divinæ conversationis sive* τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας *periodum : illationem ad altare, significare elevationem ejus in crucem.* Apud Æthiopes planè ut inter Coptitas, idem ritus observatos fuisse, docet ejus descriptio ab Alvarezio, ubi non solùm processionem sive circumgestationem oblatæ notat, sed adjungit pulsari campanulas, & statim omnes in genua procumbere, qui honor ipse est, quem Græci sacris muneribus deferunt. Cùm verò Æthiopes omnium suorum rituum Liturgicorum autores agnoscant Ægyptios, quin ab ipsis iste derivatus sit, non est dubitandum. Neque quòd in Codicibus non adscribuntur minutatim omnia quæ observanda sunt, ea idcirco ignorari est existimandum. Porrò quantus honor Sacramentis deferatur, hinc licet existimare, quòd non modò postquam consecrata novam dignitatem acceperunt, sed etiam

Syris & aliis Orientalibus.

Alvar. c. 11.

Digitized by Google

quo momento destinata sunt sacrificio Eucharistico, statim omnes illa speciali quodam cultu, & majori quàm est imaginum, prosequuntur. Unde in historia Ecclesiastica Alexandrina eorum ante consecrationem profana conculcatio piaculo grandi accensetur, ut constat exemplo cujusdam Episcopi Saca, qui cum Δῶρον, hoc est oblatam jam altari illatam fregisset & conculcasset, depositus est.

Rituum sequentium expositio ex Gabriele.

Ubi verò ad altare rediit Sacerdos, omnia sacra vasa altaris manu tractabit, ut notat Gabriel, *constituetque discum in loco suo: calicem in suo, postquam solium seu partem tabulæ altari impositæ scrutatus fuerit*, nempe ne moveri aut effundi possit, calix in eo collocandus. *Eoque ipso loco* λαβίδα, *seu cochlear collocabit, mappulas quoque*, sive ea quæ dicimus purificatoria lintea. *His peractis absolvet orationem præparationis & sequentem. Tum osculabitur altare, respicietque ad Occidentem, ut eligat panem Eucharisticum seu Agnum, qui est panis propositionis, quem diligenter expendet, num sit Agnus integer, recens, absque vitio. Et accipiet eum postquam ita expenderit, ejusque aversam partem panno mundo leviter absterget, osculabitur eum, collocabitque ad dextram altaris partem, velo sericeo tectum. Explorabit quoque vinum an rectè se habeat, quem in finem aliquis non jejunus, cava manu ex eo gustabit. Vinum quippe si saporem mutat, acetum fit: Oblata si alia non reperiatur ex necessitate offerri potest, modò naturam suam panis non amiserit.* Hæc Gabriel, in quibus multa complectitur quæ non eodem loco & tempore fiunt: Nam ut ex superiùs dictis patet, ad Prothesin fiebat experimentum Oblatæ & vini: sed cùm alia esse potuerit ratio solennissimi cæremoniarum apparatus, & ritus quotidiani in minoribus Ecclesiis, complectitur hæc regula quæcumque ab Oratione præparationis, usque ad collocationem Disci & Calicis in altari, observanda sunt. Jam igitur apparet origo diversarum illarum lectionum, quas initio hujus notæ retulimus. Recta & antiqua est quam Cod. Regius & noster exhibent, *Oratio protheseos*, aut *super prothesin*; nempe ad mensam seu altare minus, ut illud vocant, quamvis improprie, cùm in ea sacrificium non offeratur. Tunc enim dicitur hæc Oratio, cùm ad eam Sacerdos accedit, offerunturque ipsi à Diaconis panis cum disco, & vinum in ampulla, quæ cùm illic expenderit, eâ quam descripsimus pompâ, ad altare deferuntur. Quia verò Πρόθεσις *propositionem* significat, & *illationem*; Arabes interpretes vocem adhibuerunt usui potiùs quotidiano, cujus testes erant, quàm origini Græcæ accommodatam, nempe *Illationis* seu Oblationis, quia tunc à Prothesi ad altare procedebat Sacerdos, & dona inferebat. Alia denique lectio quæ Προοίμιον habet, magis ad Orationis genus, quàm ad ipsum ritum referenda est: verè quippe procemialis quædam Oratio est, ante eas dicenda quæ ad sacrificium propriè pertinere censendæ sunt, quæ etiam duplicis generis observantur. Nam quæ ad consecrationem efficiendam spectant, & in quibus illa præcipuè consistit, illæ incipiunt ab ea Liturgiæ parte quæ Præfationem & hymnum Angelicum *Sanctus*, sequitur: aliæ ut illæ in quibus versamur Προπαρασκευαστικαὶ sunt, & ad consecranda mysteria, non nisi per præparationem pertinent.

Digitized by Google

Panis & calicis.

P. 3. l. 14.

ANtequam ad alia progrediamur, obſervare oportet quæ ſit Orientalium omnium diſciplina circa panem Euchariſtiæ conficiendæ deſtinatum: in qua tantus honos ipſis elementis conſecrandis adhibetur, tanta cura ad illorum præparationem, ut inde ſatis intelligatur quæ ſit illorum de hoc Sacramento fides, neque eos ſine ſumma ratione poſt conſecrationem maximo divinoque cultu eadem elementa jam mutata proſequi, qui ex futura mox ſanctificatione tantum ipſis honorem deferant. Nomina quibus panis Euchariſticus deſignari ſolet, varia ſunt: Coptitæ ſingulare nullum habent in Liturgiis, ſed appellant *dona*, *munera*, *oblationem*, utentes Græcis vocibus Δῶρον, προσφορᾶς & ſi quæ ſunt aliæ. Cùm Arabicè ſcribunt, primò ſimpliciter panem appellant, aut *panem Euchariſtiæ* ſive *Oblationis* & aliquando etiam per קרבאן deſignant, ac ſi dicerent *Oblatam* ſive *ſacrificium*, aut *Euchariſtiam*, quæ vox eadem prorſus ſignificatione, ab Ægypto in Æthiopiam tranſiit, ad ſignificandas Oblatas: eas enim *Korban* appellari teſtatur Alvarezius, & Liturgici libri confirmant. Vocibus quoque Græcis utuntur ad Oblatam ſignificandam, eaſque Arabicè ſcribunt Δῶρον, in vita Michaëlis Patriarchæ LXVIII. & Προσφορᾶ, ſed ſcribunt אברסמורא צורון in verſione Arabica Canonis Trullani 28. Utriuſque vocis frequentiſſimum apud Græcos ſcriptores uſum fuiſſe oſtendunt teſtimonia plurima in Gloſſario repræſentata. Propria Orientalibus alia ſunt plerumque Μεταφορικά. Autor Scientiæ Eccleſiaſticæ, Abulbircat, Gabriel Patriarcha, ſæpe uſurpant vocem חמל quæ propriè *Agnum* ſignificat, quia panis mutandus eſt in carnem Agni veri, immaculati. Neſtoriani בוכרא appellant *primogenitum*: ad Chriſti primogeniti omnis creaturæ perfectam ſimilitudinem: alii vocant קורבנא *Kourbono*, Oblationem ſeu ſacrificium לחמא דארזא *Panem myſteriorum*, uno ſenſu omnes, ut aliud nomen habeat ante conſecrationem, aliud eâ jam peractâ.

Oblatæ quibus nominibus deſignentur.

Debet panis Euchariſticus fieri ex ſimila pura, cujus etiam conficiendæ curam Canones quidam anonymi, Sacerdotem habere volunt, adeo ut grana triticea ſeligat, tum coram ſe moli, furfureſque ſecerni curet. Sed hæc lex non ubique obtinet: verùm quæ ſequuntur obſervari accuratè huc uſque ſolent. Primò, ut præcipiunt Conſtitutiones Cyrilli filii Laklaki Patriarchæ Alexandrini. *Oportet ut panis Euchariſticus non coquatur alibi quam in furno Eccleſiæ, ſed neque pinſet eum aut coquet femina: qui contra fecerit excommunicetur.* In Codice quem ſecuti ſumus unius puncti diſcrimen, ſenſum variat, ſed abſque magna mutatione; ſcribitur enim קרן quod *cornu* ſeu *angulum* Eccleſiæ: aliter תנור quod *furnum* ſignificat: utrumque verum. Nam coquitur panis in latere Eccleſiæ & in quodam ſecretario, ut de Æthiopibus notat Alvarezius, & ita fieri in pleriſque Orientalibus docent Relationes Itinerariæ variæ, & ab advenis Syris multis didicimus. Furnus quem deſignant authepſa quædam eſt, in qua placentulæ in quarum figuram finguntur.

Panis Euchariſticus qualis eſſe debeat.

Itin. Æth. cap. 12.

Digitized by Google

ſubjecto igne ſtatim excoquuntur. Sed neque minor olim fuit in Latinis Eccleſiis cura & diligentia, ut panis & vinum ex quibus ſacrificium offerebatur, ſummo ſtudio pararentur, præſertim in Monaſteriis. Inſigne hujus religioſæ diſciplinæ teſtimonium continent Conſuetudines Cluniacenſes. Quoties igitur Liturgia celebranda eſt, ipſo die oblata paratur; nam ſi præcedenti cocta fuiſſet, eam ad altare offerre religioni ducerent. Echmimenſis in Collectione Canonum cap. 14. *Offerri ad altare debet panis hornus, quemadmodum in poſtremo Conſtitutionum capite ſtatuerunt Apoſtoli. Athanaſius etiam cap. 14. ait: non inferetur ad altare panis heſternus, aut fiſſus: atque ita pariter conſtituit Baſilius.* Id confirmat Canon eorum qui Apoſtolis tribuuntur 30. in ampliſſima Coptitarum Collectione, quem citat Abulbircat, tanquam 29. ejuſque ſententiam ita exprimit. *De Pane Euchariſtico, utque oblatio ejus fiat ipſa hora qua coctus eſt.* Eorumdem Canonum autoritatem appellat Dionyſius Barſalibi dum ait: *Statuerunt Apoſtoli, ſicut in Canonibus ſcriptum eſt, panem oblationis, eodem die quo coctus eſt, offerri ad altare.* Ebnaſſalus cap. 12. *Panis oblationum qui offertur ad altare ipſo die coctus ſit, non in craſtinum reſervetur.* Ita obſervant omnes tam Coptitæ quàm Syri, Jacobitæ, Melchitæ, & Neſtoriani cujuſcumque linguæ. Inter alia quæ Francis objicit Petrus Melichæ Epiſcopus, tanquam contra regulas Eccleſiaſticas & illud reperitur, *quòd panem ante plures dies coctum ad altare offerant.*

Fermentato utuntur Orientales exceptis Armenis.

Omnes autem illi, ſi Armenos excipimus, fermentato utuntur, ex Græcæ Eccleſiæ, è qua prodierunt, exemplo. Iidem in Armenis ac in Francis culpant, quòd Azymis utantur, qua de re præter Petrum Melichenum, de quo mox dictum eſt, multi ſcripſerunt, interque omnes accuratiùs anonymus quidam Syrus in Codice Colbertino. Sed quia nihil in eo tractatu aut aliis occurrit, quod à Græcis centies dictum non fuerit, & pariter refutatum, illum indicaſſe ſufficit. Major his diſputationibus apud ignaram Sacerdotum Orientalium plebem, autoritas adjungitur, ex ſententiis aliquot Baſilii & Joannis Chryſoſtomi adversùs Judæos, quas interpolatas, & tanquam adversùs Azymorum uſum pronunciatas, Canones appellant. Sed in illis de Azymo quæſtionibus non videtur immorandum, cum illæ propriè ad Græcos pertineant. Armeni dudum accuſantur, quòd à communi eorum uſu receſſerunt, tum quòd aquam vino non admiſcent: qua de re quantùm ad antiquos ſpectat, præter Niconem, Theorianum & quoſdam alios eruditis notiſſimos, ex ineditis quibuſdam Græcis, intelligimus ſingularem hanc diſciplinam Armenorum ab Orthodoxis vexatam fuiſſe, tanquam ex Monophyſitarum hæreſi natam, quo in judicio illos magnopere falli certum eſt. Nam Petrus Melichæ, & alii anonymi, Jacobitæ erant, atque adeo ejuſdem cum Armenis ſectæ, quantùm ad unius in Chriſto naturæ confeſſionem attinet; neque tamen minùs acriter adversùs Armenos invehuntur ob Azymorum, & meri uſum in Euchariſtiæ celebratione, multaque alia in illis non probant.

De Syrianorum

Sed magis adhuc mirum eſt eſſe communionem Eccleſiaſticam inter

Coptitas, Alexandrinos & Jacobitas Antiochenos à multis ſæculis, præſertim à Severi tempore, cujus ſepulchrum in Ægypto magna veneratione colitur, & tamen iſtos ritum habere ſingularem circa panis Euchariſtici confectionem, quem alii majorem in modum condemnant. Nam Syri præter fermentum quod omnes admiſcent, ſalis & olei parum adjiciunt, cujus conſuetudinis Apologiam allegoriis inaniſſimis refertam exhibet idem Codex Colbertinus. Ea verò adversùs Latinos inſtituta non eſt, ſed adversùs Jacobitas & alios, qui hanc novitatem magnopere averſabantur, tanquam abſque Eccleſiæ, aut ſanctorum Patrum autoritate factam, nullaque idonea ratione ſtabilitam. Exemplum extat & quidem inſigne in vita Chriſtoduli Patriarchæ Alexandrini LXVI. qui ordinatus eſt anno J. C. MXLVII. Habebant Syriani, ita vocant Syros Jacobitas, Eccleſiam Miſræ; cùmque illic Chriſtodulus ad ſancti Mercurii, Miſſas celebraret, Laicique ex more oblatas offerrent, Abulbecher quidam, vir inter eos primarius & Principis Archiater, unam obtulit, ſed Syrorum more cum oleo & ſale confectam, quam Patriarcha rejecit, & hominem malè tractatum Eccleſiâ pelli juſſit. Ille graves ad Joannem Antiochenum Patriarcham contra Alexandrinum literas ſcripſit; qua occaſione editus videtur Tractatus ille Apologeticus, nam Joanni Patriarchæ attribuitur: neque dubitandum quin adversùs Ægyptios ſcriptus fuerit.

ritu ſingulari dum oleum & ſal admiſcent.

Hiſt. Patr. Alex. p. 425.

Hujus ſuperſtitionis imitatores, aut fortaſſe primi autores fuerunt Neſtoriani qui ritum eum ſervant, ut patet ex illorum ſingulari officio, quod vocant *Innovationem fermenti ſancti*. Sed illud ipſis proprium, quod quando oblatas parant, (id autem fit inter eos ſimili planè ratione ac in Sectis reliquis,) non omne fermentum admiſcent, ſed ſacrum ut exiſtimant, & de quo multa nugantur, tanquam ad deceſſores eorum Hieroſolymis delatum fuerit, ex particula illius quod ad parandum panem quo Chriſtus in ultima cœna uſus erat, uſurpatum fuit. Porrò Abrahamus Echellenſis in notis ad Hebed Jeſu, & in Eutychio vindicato, Jacobitis atque illorum præcipuo Jacobo Baradæo, quem Nicephorus Zanzalum appellatum dicit, iſtam olei ſaliſque in pane Euchariſtico miſtionem attribuit: vel Joanni Barſuſſan quam opinionem ultimò aſſeruit Fauſtus Naironus Maronita Romæ profeſſor in opere quod inſcriptum *Evoplia fidei Catholicæ* editum ibidem anno 1694. *Jacobitæ*, inquit *cenſent oleum & ſalem triticeo ſeu fermentato pani conſecrando eſſe admiſcendum. Hujus opinionis autor & innovator fuit Joannes Barſuſſan Monophyſita Pſeudo-Patriarcha Antiochenus.* Refert in eam ſententiam verba Catecheſis Jacobitarum. *Orta eſt*, inquit, *inter Coptitas & Syros diſſenſio, quia Syri ponunt in ſua oblatione ſalem & oleum, & ſcripſit Pater noſter Joannes Barſuſſan libellum in quo demonſtravit veriſicationem poſitionis ſalis & olei in Euchariſtia*: vel ut meliùs verti poteſt, *ſcripſit Epiſtolam in qua oſtendit rectè adhiberi ſal & oleum in parandis oblatis Euchariſticis.* Numquam tamen abruptam idcirco inter Ægyptios & Syrianos communionem fuiſſe legimus, quamvis Petrus Melichæ Epiſcopus, id quoque in illis condemnet, cujus ſententiæ accedit Abulbircat, qui verba illius refert. Qui hanc conſuetudinem excuſant Neſtoriani

Neſtorianorum ritus proprius.

Digitized by Google

& Syri Jacobitæ, inaniſſimis rationibus omiſſis, dicunt non majorem olei quantitatem admiſceri, quàm neceſſe ſit, ut oblata dum formatur, manui Sacerdotis non adhæreat: ſalis tantillum, ut guſtu explorari vix queat. Abhorrent tamen ab illa novitate Ægyptii Jacobitæ, nec panem alium adhibent, quàm qui ſecundum veterem diſciplinam ex puriſſimo frumento paratus eſt. Formam illarum oblatarum dedit Vir Clariſſimus Jacobus Sirmondus in ſua de Azymo Diſquiſitione, ſub titulo Alexandrinorum. Sunt in modum placentarum majorum, cum multis cruciculis, quarum una in medio tullio major, atque ea pars oblatæ vulgò accipitur ad conſecrandum. Refert Wanſlebius eos minutiores quaſdam Dallerorum magnitudine oblatas ad altare offerre, quod jam fortaſſe in uſu eſt: verùm quantum ex eorum libris cognoſcere potuimus, unam tantùm olim majoremque uſurpabant ut Græci faciunt: de quorum pane Euchariſtico videnda ſunt quæ doctè & accuratè obſervavit ad Euchologium eorum Jacobus Goarius: particularum ſimilem diviſionem Orientales non agnoſcunt.

Ib. p. 3.

Calicis.

De vino ad Liturgiam.

DE calice primùm, de vino poſtea dicendum eſt. Vaſis ſacri illius quo Sanguis Chriſti continetur ſumma apud Orientales omnes dignitas & reverentia ſemper fuit. Paratur ex pretioſiſſima materia, quantùm Eccleſiarum affligtiſſimarum patiuntur anguſtiæ: ſed ubique ferme in hiſtoria Alexandrina, mentio eſt calicum aureorum & argenteorum. In vita Alexandri Patriarchæ inter ſacra vaſa recenſentur *calices in quibus ferebatur ſanguis ſanctus.* In Rituali Gabrielis extat officium ſingulare ad calicem conſecrandum. In Codicibus Liturgicis variis extat Oratio ad eandem conſecrationem, in qua oratur Deus *ut imponat manum divinam ſuam ſuper illum calicem, conſecret & ſanctificet illum, ut feratur in eo ſanguis ſanctus & pretioſus: tum ungitur calix chriſmate intus & foris.* Itaque quodcumque antiqua primitivæ Eccleſiæ pietas nobis conſtituit obſervandum, circa calicis venerationem & conſecrationem, ob ſanguinis Chriſti qui in eo conficitur ſacramentum, illud idem ſervat Eccleſia Jacobitica Ægypti, omneſque tandem Orientales. Eadem benedictio extat in Liturgia Æthiopica. Neque talibus modò teſtimoniis efficitur, credere Orientales, ex contactu ſanguinis Chriſti ſanctificari calices, ſed ex miraculis quæ ab illis referuntur. Nam in Alexandrina Patriarchali hiſtoria legitur raptum à Muhamedanis inter alia vaſa ſacra calicem, dum ab aurifice frangeretur, ſanguinem fudiſſe. Sanatum hominem ruinâ muri prope oppreſſum & ſemivivum, ſtatim atque aquâ calici immiſsâ perfuſus fuiſſet, narrat Hiſtoria Neſtorianorum.

Quomodo præparetur.

Vinum Euchariſtiæ conficiendæ deſtinatum, ſummâ diligentiâ parari & explorari jubetur. In Canonibus anonymis ex doctrina Patrum hæc conſtitutio legitur. *Non oportet omnino Sacerdotem ad altare deferre vinum, in eo vaſe quod fidelis quiſque laicus vir aut fœmina attulerint, ſed deferet illud in vaſe quod in Eccleſia peculiariter ad hunc uſum deſtinatum ſit.*

In

Digitized by Google

In Canonibus Athanasio tributis numero 107. *Vinum quod ad Eucharistiam consecrandam offertur, nemo gustabit nisi completo Sacrificio. In singulis porro domibus, dum cados vini aperiunt, nemo ex eo gustabit, donec accepta fuerint ex eo primitiæ: cùmque illæ in benedictionis modum acceptæ fuerint, indeque in calicem infusum fuerit, tunc aliud vinum promet in vase mundo, & effundent super illud hanc benedictionem.* In Tractatu Arabico excerpta continente ex Dionysio Barsalibi de modo celebrandæ & suscipiendæ Eucharistiæ, præscribitur ut *uvæ mundæ seligantur ad vinum conficiendum, illæque manibus exprimantur, non pedibus conculcentur:* quæ tamen regula non est, verùm pia ad Sacerdotes admonitio. Neque enim quidquam in Orientalium monumentis occurrit, quod hanc disciplinam legis vim habuisse ostendat, ut quemadmodum panis Eucharistiæ, ita vinum à Sacerdotibus, parari intra Ecclesiæ septa deberet. Factum id tamen, sed apud solos Æthiopes, qui aliter vinum non exprimunt, quam ex passis uvis, ut mox explicabitur. Ita quoque aliquando apud Ægyptios in summa necessitate factum docet Historia Patriarchalis in vita Cosmæ LIV. Scribit autor ejus tempore circa annum Martyrum DLXVII. qui respondet anno Christi DCCCLI. extitisse in Ægypto Præfectum, qui Christianis infestus, eos multis & eo usque inauditis injuriis oppressit: nam Ecclesias claudi jussit, ne ad publicas preces, synaxesque convenirent, cruces & imagines frangi: tandemque vetuisse sub capitis pœna, ne qui venderet vinum, aut apud se haberet. *Hæc omnia*, inquit Historicus, *ab eo fiebant, ut vinum ad Liturgiam celebrandam deficeret, & ita contigit. Nam Christiani cùm eo carerent, coacti sunt palmites vitis accipere, quibus aquâ maceratis & succo expresso, operam dederunt ne Eucharistiæ oblatione privarentur.* Per palmites, intellige uvas ex illis pensiles, quales in Oriente, præsertim in Æthiopia asservantur, ut ex illis vinum fiat. *Vnum*, inquit Alvarezius, *quo celebratur Missa, ita paratur. In Ecclesiis & Monasteriis habent uvas passas non planè siccas, quæ in Secretario seu Sacristia asservantur: eas diebus decem, aquâ macerant: cùmque humore distentæ fuerint, siccari sinunt: mox torculari impositas premunt, succumque eliciunt, atque hoc vino utuntur ad missam celebrandam.* Illud tamen vinum non nisi in summa necessitate usurpatum fuisse, & communiter prohibitum, docet Michaël Episcopus Melichæ in Responsis Ecclesiasticis art. 13. *Licetne Eucharistiam offerre ex picato aut resinato vino, vel eo quod maceratione exprimitur?* Responsio. *Picatum quidem adhiberi potest, quia medicamento quodam è genere picis præparatur, in eoque non est aqua, verùm odor tantùm & fumosum quid: sed quod maceratione exprimitur, cùm in eo aqua sit, illud omnino usurpare non licet ad Liturgiam celebrandam.* Picatum seu resinatum hoc loco intelligendum est, illud quod picatis doliis aut utribus infusum, odorem tantummodo contraxisset, & *saporis quædam* ut ait Plinius lib. 14. cap. 20. *acumina, ex aspera picis, aut crudo flore resinæ.*

Cod. Colb. 4684.

Hist. Patr. Alex. p. 297. t.

Cap. 11.

Multò magis cavetur ne acidum offeratur. Idem Episcopus Melichæ eodem loco art. 31. *Panis Eucharisticus fixus est aut ruptus: potestne offerri ex eo?* R. *Eligendus est melior & integer: tamen ob earum rerum de-*

Canones varii de vitio in pane aut vino.

Digitized by Google

fectum quæ ad melius conducunt, non eſt abſtinendum ab Euchariſtia celebranda. Sed quando vinum in acetum mutatum eſt, Liturgia cum eo non eſt celebranda, etiamſi aliud non reperiatur. Etenim Scriptura divina panem & vinum adhiberi præcipit: panis autem Euchariſticus, cum fiſſus eſt, non amittit panis naturam, ſaporem, appellationem, aut utilitatem. Contra vinum ſuam prorſus naturam amittit, quando in aceti ſaporem nomen & uſum verſum eſt: atque ita illud offerre omnino non licet. Eamdem diſciplinam atque iiſdem verbis exprimit Echminenſis in Collectione Canonum cap. 14. §. 4. Gabriel Patriarcha in Rituali. Anonymus de ritibus in Miſſa ſervandis & multi alii. Præcipuè verò omnia, paucis verbis complexus eſt Barſalibi, ut docet nos Tractatus Arabicus de iis quæ ad Liturgiæ celebrationem obſervari debent: ubi, contra ſententiam Michaëlis Epiſcopi Melichæ ſuperiùs relatam, ſuccum ex uvis exprimi, & ex illis Euchariſticum calicem offerri, licere exiſtimat. *Oblata obſervetur, ita ut neque fiſſa ſit neque adusta, ſed integra: neque paretur ita ut vel fermentata non ſit, vel fermentum acorem contraxerit. In neceſſitate porrò celebrari Liturgia poteſt cum oblata quæ fiſſa erit, modò de cætero integra ſit, ab azymo aut acore. Nam aduſtio quæ fiſſuram gignit, eam non mutat à natura panis. Obſervet quoque Sacerdos diligenter vinum, ne in acetum verſum fuerit, aut ſaporem ſuum amiſerit. In neceſſitate autem ſumatur uvarum ſuccus, aut ex uvis paſſis liquor expreſſus, modò expers ſit ignis aut alterius hujuſmodi excoctionis: cùm enim vinum bonum deeſt, cum iſto Liturgia celebrari poteſt. Vinum acidum ſi fuerit, aut ſaporem alienum contraxerit, odoremque amiſerit, cum eo conſecratio fieri non poteſt, eo enim modo exuit vini naturam, & cùm deſunt iſta conditiones, omittenda eſt Liturgiæ celebratio.* Hæc Barſalibi, quæ conciliari poſſunt cum alia ſententia, quia uſus paſſi permittitur tantùm in extrema neceſſitate. Adeo autem non obliterata eſt cura hæc ſumma, quam Coptitæ adhibent in præparandis elementis ad conſecrationem deſtinatis, ut, quod Wanſlebius notavit, huc uſque ad altare non offerant vinum ex œnopolio petitum, tanquam miſtioni obnoxium, aut non ſatis decenter habitum. De Æthiopibus in quorum diſciplina major difficultas videtur, eo quòd uvas prope ſiccas aquâ macerare contenti, ex illo ſucco, qui plus aquæ habere videtur, ſacrificium offerunt; aut etiam, ſi non falſus fuit Abuſelah Armenus, *ex aquâ ſolâ calicem miſcent*, quod tamen à nemine præter illum idoneo autore memoriæ proditum eſt: ſi hæc faciunt, peccare illos in materia neceſſaria certum eſt.

Aquæ miſtio. Supereſt aquæ miſtio, quam omnes Eccleſiaſticæ Orientalium leges præſcribunt; quâ etiam ratione in Liturgiæ oratione, per quam invocatur Spiritus ſanctus, quod calice continetur, non vinum, ſed miſtum appellatur, in pleriſque Syriacis Jacobitarum Liturgiis, & in ea Oratione apud Coptitas quæ paulò poſt in Liturgia ſequitur. Armenis quoque vitio vertitur, quòd vino conſecrando aquam non admiſceant. Conſuetudo autem omnium illarum Eccleſiarum eſt, ut pars aquæ admiſceatur, eâ proportione quam ita deſcribit Echmimenſis. *Aquæ ad vinum proportio, ſit à tertia parte uſque ad decimam, ita ut ſi vinum*

Digitized by Google

generosius omnino sit, ita temperetur, ut aquæ tertia pars admisceatur: si imbecillius minuatur usque ad decimam, si mediam vim habeat, adhibeatur secundùm eamdem proportionem. Extat in Nomocanone Græco Cotelerio Constitutio quædam satis absurda quæ huc referri potest. *Dum* inquit, *necessitas non est, Sacerdos cum aceto Liturgiam ne celebret. Sed ut dicitur felle & aceto propter me potatus es, ex quadam oratione depromtum videtur. Sed uvam exprime, si fortè necessitas premit & ita sacrificium fiat, quia tunc mutatio fit legis.* Hæc attulimus ne existimetur consuetudinem uvas ad sacrificium offerendum exprimendi, solis Orientalibus usurpatam esse: simulque observetur minùs adhuc errare istos, Græculis recentioribus; cùm acetum, & vinum quod acescere cœperit, non usurpari posse ad altare statuant, Græci verò permittant, etsi omnes hac opinione implicatos non fuisse maximè verisimile sit. Nam Nomocanon ille, & similes quidam, tam editi quàm Manuscripti, absurda tam multa continent, ut ex illis vera disciplinæ forma delineari nulla possit. *Monum. Eccles. Gr. T. 1. p. 82.*

Ut Calix vino, ita *discus* seu patena pani Eucharistico adjungitur, estque ut nomine, ita & formâ, Græcorum disco similis, nam eam vocem cum aliis Ecclesiasticis multis Coptitæ retinuerunt. Latior est, multòque capacior quàm Latinorum patena, ita ut calix & oblata in eo simul collocari possint. Consecratur apud Coptitas ab Episcopo singulari benedictione, & ad eam perficiendam extat oratio in multis Liturgiæ codicibus. In ea rogatur Deus, *ut extendat brachium suum sanctum, & sanctificet discum plenum bonis, quæ præparavit diligentibus nomen suum sanctum, scilicet corpus & sanguinem pretiosum Christi sui.* Nempe ita loquuntur non modò in precibus Ecclesiasticis, sed etiam in tractatibus Theologicis, & præsentem localiter quodammodò, Christum in disco Eucharistico intueri jubent. Severus Episcopus Aschmonin, ait *eum sindone* hoc est velo quo tegitur sacramentum, *involvi, & esse positum in disco, sicut in sepulchro, & in præsepio collocatus olim fuit.* Homiliæ in Ecclesia Alexandrina legi solitæ dicunt, *quotidie exoriri nobis Christum incarnatum in disco eucharistico & in calice: videri à Christianis porrectum corpus ejus in disco, sicut in sepulchro.* Ea verò verba non semel occurrunt, sed reperiuntur diversis locis, ne quis existimet, ea incauto oratori excidisse, non ab attento Theologo esse perscripta. In alia oratione ad benedictionem disci. *Extende manum tuam divinam super hunc discum benedictum, qui implendus est partibus corporis tui sancti, quod offerent super altare sanctuarii, hujus sanctæ civitatis.* In historia Ecclesiæ Alexandrinæ eo loco ubi narratur miraculum apparentis Jesu Christi in Eucharistiæ celebratione sub forma pueri, quod alibi retulimus, dicitur in disco apparuisse. Ad eum spectat benedictio quæ prima inter alias occurrit in Canone Generali Æthiopum. Paratur sicut & calix ex auro, argento, atque alia preciosa materia, nisi obstent afflictissimarum Ecclesiarum angustiæ. Discus seu patena. *Hist. Patr. Alex. p. 378.*

Adjungitur his vasis sacris cochlear, quod habent Græci pariter & Coptitæ Ἅγιον λαβίδα vocant, quia scilicet typus est *forcipis* quo Seraph carbonem accepit de altari & Isaiæ labia tetigit. Christum enim vocant *carbo-* Cochlear.

Digitized by Google

nem vivum, igne divinitatis plenum. Forma eadem quæ apud Græcos, nempe cochlearis manubrium in cruciculam desinit; unde ab Æthiopibus *Cochlear crucis* appellatur. Consecratur non minori apparatu quam Discus & Calix: rogaturque Deus in hunc modum. *Extende manum tuam super hoc cochlear, in quo suscipienda sunt membra corporis sancti, quod est corpus Filii tui unigeniti.* Figuram dedit Goarius in Notis ad Missam Chrysostomi: & multa de cochleari annotavit, ut & Clarissimus Cangius in Glossario. De ejus usu plura dicentur, ubi communionis ritus erit explicandus:

Euchol. p. 152.

Thuribula & cerei.

Quæ spectant apparatum cæremoniarum ad Liturgiam celebrandam, communia sunt omnibus Ecclesiis: præparatur thuribulum & in majoribus Ecclesiis plura, ad adolendum incensum: cruces, reliquiæ martyrum, libri Evangeliorum, & alii sacræ Scripturæ, ex quibus lectiones fieri debent, afferuntur à Sacerdotibus & Diaconis, & in Prothesi collocantur: accenduntur que cerei: quorum sæpe mentio fit in pompis, solennibusque processionibus Christianorum, quarum memoria est in Historia Alexandrina. Gabriel filius Tarich Patriarcha in Constitutionibus ita definit; *Liturgia non celebretur absque cereis duobus majoribus aut minoribus, qui circa altare luceant.* Idem præcipiunt Autor Scientiæ Ecclesiasticæ, Abulbircat, omnesque Liturgiarum expositores.

Pag. 3. lin. 20.

Ostende faciem tuam super hunc panem, &c.

Invocatio Spiritus sancti prima, super dona proposita.

HÆc prima oratio est, in qua finis totius Liturgici officii perspicuè significatur, nempe transmutatio elementorum propositorum panis & vini aquâ temperati, in corpus & sanguinem Christi Domini. Notanda verò sunt verba quibus Orientales significare solent sanctificationem rerum corporearum & sensibilium, quam in Orationibus suis à Deo postulant, nempe ut mittat Spiritum sanctum, qui est omnis sanctificationis autor, & Dei digitus. Invocatur autem super omnia quæ ad sacrum usum destinantur, qua invocatione significatur consecratio rei ipsi inhærens, etiam absque usu sacro, materiæque dignitatem tribuens. Ita in orationibus quarum particulas retulimus ad vasa sacra benedicenda, invocatur Deus, ut ea consecret, eo fine ut in illis conficiantur Sacramenta. Inde verò, eadem vasa sancta habentur, nec profanis manibus absque crimine tractari possunt. Invocatur quoque ut mittat Spiritum sanctum super aquas baptismales, ut in illis baptisati accipiant regenerationem, omniumque peccatorum remissionem: super oleum & chrisma, ut gratiam baptisatis novam conferant: super ordinandos, ut accipiant sanctimoniam, & potestatem ad sacra ministeria sanctè exercenda: super oleum infirmorum, ut ejus unctio prosit infirmis, ad salutem animæ & corporis, quæ omnia clarè & perspicuè per easdem orationes explicantur. Verùm in Eucharistia consecranda, aliud quiddam se petere designant, nempe illapsum efficacem Spiritus sancti in dona proposita, ut mutentur & transferantur in corpus & sanguinem Christi: quod de aqua, chrismate, oleoque in aliis,

Digitized by Google

Sacramentis nunquam poſtulaſſe Orientales reperiuntur. Igitur ex ſolis illorum precibus conſtat certiſſimè tranſmutationem ab ipſis agnoſci : nam præcipua eſt, ut ex Auguſtino conſtat ad cognoſcendam Eccleſiæ fidem, publicarum orationum autoritas. Quod verò hæc quam hîc Coptitæ poſtulant tranſmutatio, ad ipſam elementorum ſubſtantiam naturamque pertineat, alibi probatum eſt, & fuſiùs demonſtrabitur in notis ad Invocationem Spiritus ſancti & ad Confeſſionem. Duo tantùm hoc loco monebimus. Primum eſt vocem, *transfer ea* in omnibus linguis, non minùs quàm in Latina & Græca, integram perfectamque mutationem ſignificare. De Ægyptiacis quidem facilè id demonſtratur ex collatione variorum Scripturæ ſacræ locorum : de Arabica & aliis linguis æquè conſtare certum eſt.

Secundum obſervationis noſtræ caput, Orationes ipſas ſpectat & earum efficaciam, de qua amplior erit poſtea diſſerendi locus. Illis ad Sacramenta efficienda plurimùm tribuunt Orientales Theologi, ſed quod in illis ſolis Euchariſtiæ conſecrationem non conſtituant, ſatis hæc una oſtendit. Nam quamvis oretur Deus, ut mittat Spiritum ſuum ſanctum ſuper dona propoſita, & ea tranſmutet in corpus & ſanguinem Chriſti, nemini inter eos Theologo venit in mentem, ex illa oratione ſequi conſecrationem ſaltem inchoatam, quamvis ſecundùm antiquorum Patrum doctrinam, credant Eccleſiam non fruſtra orare, ſemperque exaudiri. Igitur & orationem dicunt, & eam non fruſtra dici exiſtimant, ſecuri de illius effectu, quando verba dominica & omnia rite facienda ſecuta fuerint. Pari quoque ratione cùm videmus eos poſt eadem verba pronunciata, invocare Spiritum ſanctum, ut eadem dona commutet per efficacem operationem ſuam, non ſtatim judicandum, eſt conſtare ex illa invocatione quod per præcedentia verba Chriſti Domini nihil effectum fuiſſe exiſtiment, abſunt enim longiſſimè ab iſta ſententia. Verùm ut conſecrationem, antequam facta cenſeri queat, poſtulant iiſdem orationibus, quibus eam obtineri certò credunt, ubi peracta ſunt quæ rite peragi debent : ita preces plane ſimiles adhibent, etiam quando illa facta judicari debet, neque tamen idcirco eam factam negant, aut credunt ſe orare inaniter, quia de momento conſummatæ elementorum conſecrationis, nulla quæſtio unquam inter eos fuit. In hujus autem orationis verſione, Maronita vocem *Oblationi* inſeruit quam contextus Ægyptiacus & Arabicus non agnoſcunt. Notandum quoque hoc loco, ut in multis aliis iſtorum Officiorum locis occurrere vocem *purificare*, & cum alia eſſe conjunctam quæ eſt *ſanctificare* ; quarum ſignificatio valde proxima eſt, ſi non planè eadem, ut ſanè prorſus eadem eſt infinitis locis : ut cùm dicitur *pura & ſancta Maria* : *puri & ſancti Apoſtoli*. Ita quippe interpretes vertunt ut plurimùm, origines potiùs nominum, quam ipſorum vim & uſum attendentes. Nam ut proprium קדש, & ab eo derivata ex Hebræa lingua propriè ἁγιάζειν ſignificant, tam in Arabica quam in Syriaca & aliis, ita illa טהר quæ propriè *purificare*, mundareque ſignificat, eodem ſenſu prorſus accipitur in omnibus libris Chriſtianis Arabicè ſcriptis. Hujus ſynonymiæ rationes, fortaſſe ingenioſæ magis

Orationibus non omnem conſecrationem tribuunt Orientales.

quàm veræ excogitari poſſunt, quæ ut in ejuſmodi conjectaneis frequenter accidere ſolet, non rarò veritatis hoſtibus, cauſas leves quidem & nullas, ſed quibus incauti lectores decipi poſſunt, præbent ad aliquarum inſigniorum orationum ſententiam circumveniendam. Sed ratio vera hujus tam frequentis ſynonymi ſimpliciſſima eſt. Coptitæ, ut alibi explicatum eſt, ita veterem linguam Ægyptiacam retinent, ut eam multis vocabulis Græcis miſcuerint, præſertim Eccleſiaſticis, quæ ſæpe per alias vulgares explicata ſunt. Ita retinuerunt voces ἁγιος, ἁγιαζειν, & multas alias; ſed cum additæ eſſent Ægyptiacæ ⲟⲩⲁⲃ & ⲧⲟⲩⲃⲟ, quarum erat vis eadem, Arabes utraſque verterunt, & vocibus non plane ἰσοδυνάμοις expreſſerunt, quod interpres Maronita qui ad Ægyptiacum exemplar non attendit, imitari conatus eſt, ſed neque feliciter, neque neceſſariò. Si utraque vox eo loco verti debet, meliùs exprimentur in hunc modum, *benedic, ſanctifica & conſecra illa*, & ⲁⲅⲓⲁⲍⲱⲛ ſcilicet.

P. 3. l. 36.

Oratio abſolutionis.

Quid ſignificet hæc abſolutio.

INſignis eſt & notiſſima in Ægyptiaco ritu hæc Oratio, cujus titulus in edita Maronitæ verſione corruptus eſt: vertit enim *Orationem Glorificationis filii*, ex vitioſa vocis Arabicæ punctatione: cum vertendum ſit ex Coptico, *Oratio abſolutionis filii*, hoc eſt, quæ ad filium dirigitur. Ipſa enim totius orationis ſeries ſatis oſtendit, nullam in ea ἐξομολογίαν contineri, ſed eſſe orationem pro obtinenda remiſſione peccatorum: unde *Abſolutionis* nomen deductum eſt: & vox Coptica abſolutionem ſignificat. Ex Collatione cum Græca Baſilii & Marci, ſatis apparet utramque ex eodem fonte prodiviſſe, quamvis eo loco hiatus in Græco iſtius exemplari, textum interturbet. Habet autem illud ſingulare Eccleſiæ Copticæ diſciplina, quòd hæc oratio non recitatur à Sacerdote ſacra faciente, ſed ab alio, ſive is adſiſtens ſit, ut aliquis plerumque hoc miniſterio fungitur, cùm unica tantum uno die Liturgia celebretur: vel quod frequentius eſt, ab Archimandrita ſeu Hegumeno. Cyrillus Patriarcha filius Laklaki in Conſtitutionibus Synodalibus, inter alia Hegumeni munera recenſet *jus pronunciandi abſolutionem ſuper Sacerdotem ſacra facientem.* Abulbircat in Epitome cæremoniarum Liturgiæ. *Si adſit Sacerdos alter, qui ſimul miniſtret, leget ſuper Sacerdotem & Diaconum, orationem abſolutionis: ſi non adſit, pronunciabit eam Sacerdos celebrans pro ſe, & ſuper Diaconum: qui proſtratus erit: Sacerdos verò ſtabit: ſi Patriarcha adfuerit, ipſe Abſolutionem pronunciabit, ſuper Sacerdotem & Diaconum: atque ita faciet Epiſcopus in ſede ſua.* Obſervat idem autor, Sacerdotem & Diaconum, proſtratione ſeu metanœâ factâ, ſe invicem ſalutare, poſtea deſcendere infra gradus altaris, ibique ſedere capite ad terram uſque inclinato, dum recitatur Abſolutio. Confirmat eamdem diſciplinam Gabriel Patriarcha, additque, *interea dum legitur, circumſtantes Sacerdotes, Diaconos & omnem Clerum, nudato & inclinato capite eſſe, uſque ad orationis finem.* Illa verò non abſimilis eſt formulis illis abſolutionum generalibus, quæ in Latina Eccleſia uſurpantur ad

Digitized by Google

Officium Feriæ V. in Cœna Domini : tum etiam proximè reſpondet abſolutioni illi generali quæ apud nos poſt *Confiteor* pronunciari ſolet. Porrò quamvis hæc oratio, abſolutionis Sacramentalis locum habere nequeat, valere tamen exiſtimatur ad levia & quotidiana peccata purganda, imò dedit occaſionem ſuperſtitioni maximæ apud Ægyptios & Æthiopes, quando Patriarcharum aliquot negligentiâ, & aliorum temeritate factum eſt, ut Confeſſio peccatorum apud eos aboleretur. Tunc enim multi audita abſolutione quæ publicè recitabatur, peccata ſua ſecretò intra ſe Deo confitebantur eaque maximè immurmurabant, cùm incenſum adoleretur, ut mox videbimus, atque ita abſolutos ſe à graviſſimis peccatis, abſque confeſſione & pœnitentia ſtultè exiſtimabant. De ea re dicetur fuſiùs in Diſſertatione de pœnitentia, & jam dictum eſt alibi. In Conſtitutionibus Cyrilli præcipitur *ne hæc oratio legatur ſuper populum Feria VI. majoris hebdomadæ.* *Perp. T. 5. p. 243.*

Forma ejus orationis in Liturgia Marci.

In Codice Græco Marci Liturgia qui majorem antiquitatem præ ſe fert quam antiquiſſimi Coptici, brevior omnino hæc oratio eſt, factaque mentione poteſtatis remittendi peccata datæ Apoſtolis, petitur quoque remiſſio πᾶς ἐπισκόπης, πρεσβυτέρης, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, &c. cum omni plenitudine ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ : nam πᾶς ubi hiatus eſt in codice Sirleti, quo uſus eſt ad editionem ſuam adornandam Joannes à S. Andrea Canonicus inſignis Eccleſiæ Pariſienſis, ἁμαρτίας, vel ſimile quid exigit : nihil verò minùs, quàm ea verba quibus illum ſupplere conatus eſt, *ita & in nos inſuffla circumaſſiſtentes ſervos tuos in introitu ſacri miniſterii Epiſcopos, Preſbyteros*, &c. Nihil enim alienius quàm interpoſitio ſententiæ, cui parem nemo in tota Eccleſiaſtica antiquitate reperiet. Non enim à Deo poſtulatur, ut det Epiſcopis & Sacerdotibus, quòd Apoſtolis dedit, cum inſufflavit & dixit *Accipite Spiritum ſanctum.* Quippe certum eſt talem eſſe in Eccleſia poteſtatem, quam Epiſcopi & Sacerdotes in perſona Apoſtolorum acceperunt : & oratio ipſa ad plenitudinem Eccleſiæ Catholicæ, hoc eſt non minùs ad Laïcos quàm ad Sacerdotes pertinet : rogare ut ad illos talis autoritas perveniret, non tam oratio foret, quàm ridicula blaſphemia. Generalis igitur hic venia & abſolutio poſtulatur per autoritatem Apoſtolicam & Sanctorum merita, qua occaſione addiderunt Coptitæ de ſuo, commemorationem ſancti Marci tanquam primi Alexandrinorum Epiſcopi, qui Ægyptios per Evangelium in Chriſto genuerat : tum Sanctorum propriorum ſectæ Jacobiticæ, hoc eſt hæreticorum Severi, Dioſcori & aliorum : tandem Synodorum. Porro ſingularis ritus iſtius apud Alexandrinos, ut ante inchoatam Liturgiæ partem quæ Canoni reſpondet, commemorationes faciant, tanquam noti ſibi meminit Jacobus Edeſſenus cujus verba refert Abulfaragius in Nomocanone part. 1. cap. 7. *In Græcia*, inquit, *idem quod nos, Græci quoque obſervant : Alexandriæ verò primò faciunt commemorationem Patrum, Fratrum, Regum, &c. deinde incipiunt Oblationem.* P. 10.

Digitized by Google

Pag. 4.

Oratio thuris.

Thuris usus apud Orientales multiplex.

EJus usus in Ecclesiis Orientalibus perpetuus, & prope quotidianus: nec enim absque thure Liturgiam celebrant, nisi summa necessitas premat: illud adhibent in Officiis Sacramentalibus omnibus, in precibus nocturnis diurnisque, nihil ut possit esse frequentius. Observantur autem apud Coptitas eædem quæ apud alios Christianos cæremoniæ, nempe ut thus adoleatur circum altare & per Ecclesiam: Sacerdotes, & qui in sublimiori dignitate sunt, eo perfundantur, imagines, vasa sacra, ambitus Ecclesiæ. Autor Scientiæ Ecclesiasticæ. *Cùm Sacerdos ad altare venerit, afferet naviculam incensi ad eum, qui dignitate superior est, ut benedicat illud, antequam thuribulo imponatur. Si verò nullus major eo præsens fuerit, benedicet ipse crucis signo naviculam, antequam thus imponatur.* Antiquum esse thuris in hunc modum adolendi apud Alexandrinos morem, docet illorum historia in vita Sanutii Patriarchæ: *Inchoavit*, inquit, *Liturgiam, circumeundo cum incenso altare & gradus ejus.* Quàm verò accuratè præscribant omnes etiam minutissimas cæremonias, ne de quibusdam, quæ majoris ad fidem eorum probandam momenti erunt, dubitetur, dabimus è Codice manuscripto quæ ad primam illam thurificationem servari jubent Coptitæ. *Sacerdos osculabitur gradus altaris; ad quod ascendet, & illud quoque osculabitur. Tum accipiet thuribulum à Diacono, capietque acerram seu naviculam, conversusque ad Sacerdotes & Clerum, dicet* εὐλόγησον: quod Arabes vertunt, *benedicite. Respondetur ipsi* Θεὸς εὐλογήσει, *tu ipse benedic: postea benedicit incensum, facto signo crucis super acerram, dicitque Copticè.* In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti unius Dei. *Tunc incensum adolet quinquies dicendo.* 1°. Benedictus Dominus Deus pater omnipotens. Amen. 2°. Benedictus Filius ejus unigenitus Jesus Christus Dominus noster. Amen. 3°. Benedictus Spiritus sanctus Paraclitus. Amen. 4°. & 5°. Gloria, laus, honor, & glorificatio Trinitati sanctæ, Patri, Filio & Spiritui sancto, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen. His expletis, ut fusiùs in eodem ordine præscribitur, recitat orationem in qua versamur; & postea, *ascendens iterum ad altare rursus thurificat ter, dicens*, Adoramus te Christe: *tum* Ego in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, & adorabo coram templo tuo sancto: *tandemque*: In conspectu Angelorum psallam tibi, & adorabo coram templo sancto tuo. *Deinde ter incensum coram imagine Deiparæ, dicens simul Copticè.* Ave Maria, &c. Quæ peperisti nobis Deum Verbum, &c. *Tum incensat alias imagines Sacerdotes, reliquum Clerum & populum.*

In Codice Regio recentiori, sed accuratam cæremoniarum seriem continente, adjiciuntur ea quæ Sacerdotem celebrantem dicere oportet dum Patriarcham & reliquos incensat. Ad illum quidem dicit 1°. *Deus conservet vitam Patris nostri venerabilis Archiepiscopi Abba N.* 2°. *Conservando conserva illum nobis per annos multos & dies pacificos.* 3°. *Conterat hostes ejus omnes sub pedibus ejus velociter.* Ad Episcopum, cùm ter incensatur,

incenſatur, dicit ſacerdos 1°. *Memento Domine Patris noſtri Epiſcopi Abba N.* 2°. *& 3°. ſicut ad Patriarcham.* Hegumeno ſeu Archimandritæ bis datur incenſum. 1°. dicitur. *Benedictionem peto à te Pater mi Hegumene Abba N. memento mei in tuis orationibus.* 2°. *Conſerva eum in pace, & perfectione.* Reſpondet Hegumenus. *Dominus conſervet Sacerdotium tuum, ut Melchiſedeci, Aaronis, Zachariæ & Simeonis Sacerdotum Dei excelſi.* Sacerdoti, cùm datur incenſum, dicit celebrans. *Benedictionem peto à te, Pater mi Preſbyter: memento mei in tuis orationibus.* Reſpondetque iiſdem verbis, quibus Hegumenus.

Statim iterum datur incenſum versùs populum, diciturque prima benedictio ante lectionem Epiſtolæ S. Pauli in hunc modum. *Benedictio Pauli Apoſtoli Jeſu Chriſti: ejuſque benedictiones ſanctæ ſint cùm omnibus nobis. Amen.* Thus quoque ſimiliter datur, quod in iſtis ritibus eſt frequentiſſimum. Patriarchæ, Epiſcopis, Sacerdotibus, Clericis datur in Sanctuario, ubi proprius eorum locus eſt: Laïcis ut ad eos thurificatio pertineat, hunc in modum thus dari ſolet.

Poſtquam Patriarchæ, Epiſcopis, Sacerdotibus & Clero thus datum eſt, quod multoties in Liturgia fit apud Coptitas, ut ex ſuperioribus Rubricis manifeſtum eſt, Sacerdos celebrans ad fores Sanctuarii progreſſus, Laïcos circuitu per Eccleſiam facto incenſat, ut notatur in Codice Regio recentiori, ut etiam in Rituali Gabrielis Patriarchæ, Abulbircat, Autore Scientiæ Eccleſiaſticæ & aliis. Similis cæremonia ubique prope obſervatur, nec apud Orientales ſolùm, ſed apud Græcos & Latinos, ut Chriſtiana plebs in communionis ſignum, per quam, ſuo modo, precibus & Sacrificio participat, honoris quoque partem habeat, & ad orandum attentiùs excitetur. Id omnibus Eccleſiis commune eſt; verùm Copticis ſingularis quædam fuit conſuetudo, hac in Liturgiæ parte, quæ in teterrimam ſuperſtitionem degeneravit. Nempe cùm Sacerdos thus adolens in Eccleſiam progrederetur, ſolebant olim Coptitæ ejus precibus commendare ſe, ſimulque confiteri ſe peccatores, & confeſſionem quamdam verbis generalibus pronunciare, illi non abſimilem quam initio Miſſæ recitat Latina Eccleſia, cujus antiquæ formulæ breviores aliquot occurrunt, ut fuerunt aliæ prolixiores.

Superſtitio inde orta.

Cùm interea Sacerdos orationem diceret quæ videbatur pertinere ad remiſſionem peccatorum, exiſtimaverunt, quod in promtu erat, eam non fruſtra pronunciari, ut ſimiles benedictiones & abſolutiones valere judicatæ ſunt ad abolenda peccata, quæ per fragilitatem humanam, a piis etiam quotidie committuntur. Sæculo demum undecimo & ſequenti præter calamitates innumeras quas ab Infidelibus Eccleſia Alexandrina ſuſtinuit, maximum ab ipſis Eccleſiaſticis & Patriarchis in Pœnitentiali diſciplina vulnus accepit. Ad communionem quippe myſteriorum admittere cœperunt, eos qui graviorum criminum rei, illa Sacerdotibus confiteri, & Canonem ſeu pœnitentiam ſubire negligebant, cùm, ſi diſciplinam Eccleſiaſticam erga eos exercuiſſent, timerent ne calumniam ipſis aliquam obdurati peccatores apud Muhamedanos impingerent, aut fidem abnegarent. Alii longiùs progreſſi, ut inter alios Joannes f. Abugaleb Patriarcha

Digitized by Google

Hist. Patr. Alex. Coptitarum, & Marcus filius Zaraa, confessionem penitus sustulerunt,
p. 550. ut fusiùs alibi expositum est : & illo Alexandrinam sedem occupante, Michaël Damiatensis opusculum insulsissimum edidit, quod tamen ex parte servatum est in Collectione Canonum Alexandrina, laudaturque ab Abulbricat, & Autore Scientiæ Ecclesiasticæ. Summa vero novæ illius doctrinæ hæc fuit, Christum vetuisse ne magistros nobis constitueremus super terram, cùm unus ipse sit magister noster : neque Marcum Ecclesiæ Alexandrinæ fundatorem, simile quidquam instituisse. *Mohallem*, vulgari inter Christianos Ægyptios usu, Sacerdotem à pœnitentia seu Confessionibus significat, quem Græci πνευματικὸν vocant. Quia porrò vox eadem in Arabica Evangelii versione usurpatur, aliâ omnino significatione, ex ὁμωνυμία, præclarus ille doctor argumentum firmissimum haberi existimavit, ad evertendam pœnitentialem omnem disciplinam. Cùmque favitorum, ut olim dictum est, satis habeat, qui rectè facit, plures adhuc habent, qui peccatoribus malè palpantur : & sanè multos habuerunt nefarii illi Antistites, neque enim error ille planè sublatus est. Sed de illa innovatione dicetur alibi ; & jam nonnulla dicta sunt in Historia Patriarchali. Itaque ex pessima illa institutione multi existimare cœperunt, sufficere ad expianda peccata, ut, cùm Sacerdos thuribulum circumferret, inclamareturque à populo *Kyrie eleison*, adjicerentur hæc verba post illud, *Domine miserere* quod Arabicè quoque dicitur multoties. *Suscipe Domine hoc incensum, quod offertur tibi à Sacerdote tuo pro peccatis nostris.* Tunc unusquisque animo revolvens peccata sua, ea secretò coram Deo confitebatur, atque ita illa sibi remitti stultè existimabant. Neque illic constitit superstitio : sed tandem fuerunt qui posito coram se thuribulo domi, absque Sacerdotis ministerio, thus injicientes & fumo peccata sua immurmurantes, illa sibi plenè remissa crederent : quod ab Æthiopibus factum testatur Abuselah, & à Nestorianis Malabarensibus
l. 2. *c.* 17. Historia Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi. Illam brevem formulam agnoscendi se peccatores coram Deo, *Confessionem* vocaverunt ; de qua intelligi oportet quæ sequuntur hoc loco tam in Rituali Gabrielis, quàm in Codice Regio recentiori, in quo ritus accuratè præscribuntur. Post benedictionem ad Pauli Epistolarum lectionem, occurrit hæc rubrica. *Postquam suscepit Sacerdos Confessionem populi, reditque cum incenso, ascendit ad altare, & conversus ad Orientem, dicit. Deus qui suscepisti Confessionem Latronis super Crucem gloriosam, suscipe ad te Confessionem populi tui, & parce illis omnia peccata eorum, propter nomen tuum sanctum quod invocatum est super eos.* Porrò hæc benedictio non legitur in antiquioribus codicibus, neque istius Confessionis mentio in illis est. Cùm tamen illius meminerit Michaël Damiatensis qui sub Marco filio Zaraæ scribebat anno circiter J. C. 1171. antiquam superstitionem esse oportet : sed nihilo minùs à veteri disciplina abit longissimè. Rituales quoque vetustis aliquot exemplaribus adjuncti illius non meminerunt.

Quale incensum usurpent Orientales. Antequam ista de thure nota finiatur, observabimus apud Coptitas & alios ferme omnes Orientales Christianos, thuris loco diversi generis suffimenta adhiberi, quibus illæ gentes magnopere delectantur : præser-

tim ubi Eccleſiæ opulentiores ſunt. Ita in Hiſtoria Patriarchali legitur de quodam Metropolita in Æthiopiam miſſo, tam inſigni pompa exceptum illum fuiſſe, ut qua die primam Liturgiam celebravit, agallochum, quod aromata omnia apud Orientales pretio ſuperat, thuris loco uſurparetur. Extitit autem 12. ſæculo Marcus Elkonbari filius qui adversùs Sacramentalis confeſſionis omiſſionem acerrimè diſputavit, & ab Eccleſia Jacobitica ſe ſubtraxit ea occaſione, cum magno diſcipulorum ſuorum numero. Is quoque inter alia quæ condemnabat, thuris legitimi immutationem Coptitis objecit, cujus loco alia aromata ſubſtituerent. Negabat autem id licere, ſed thure tantùm ſupplicandum aſſerebat, eo quòd cum auro & myrrha Chriſto fuiſſet oblatum. Rem narrat Abuſelah, refertque ad an. Martyrum DCCCLX. qui eſt J. C. MCXLIV. Honoris quoque gratia coram Patriarchis & Epiſcopis thuribula fumantia deferri, multis exemplis probari poteſt.

Vide notas Beveregii ad Can. III. Apoſt. p. 16.

Cum lecta fuerit lectio Pauli Copticè. P. 6. l. 1.

JAm ad ſacrarum Scripturarum lectionem pervenimus, quæ incipit ab aliqua ſectione Paulinarum Epiſtolarum, quas Græcorum exemplo Coptitæ ſimpliciter vocant Απόστολος, quæ vox characteribus quoque Arabicis non rarò expreſſa reperitur apud autores rerum Liturgicarum. Legitur autem Epiſtola primò Copticè, ut in rubrica notatur: poſtea Arabicè, quod mox lectum fuit, explicatur. De illa ſcripturarum lectione Cyrilli filii Laklaki Patriarchæ hæc habetur Conſtitutio. *Oportet Epiſcopum de ſtatu Sacerdotum in monaſteriis & in aliis locis inquirere, quave ratione in ſacris obeundis ſe gerant: utque non omittant lectionem librorum quinque in quavis Liturgia, nempe Pauli, Catholici, Actuum, Pſalmorum & Evangelii, & ad uniuscujuſque lectionem adjungatur oratio, neque ex illis quidquam omittatur. Qui verò in Liturgia celebranda aliquid ex illorum librorum lectione omiſerit, anathemati ſubjiciatur.* Ita quoque Ebnaſſalus in Canonum Collectione cap. 12. notat, poſtquam Sacerdos ter cum thuribulo altare circumierit: illudque alteri Sacerdoti dederit, qui per totam Eccleſiam circa populum adolet incenſa, ſequi cantum, nempe reſponſorum aliquot, & Hymnorum breviorum; quo expleto *legent Diaconi ſectiones ex verbis Apoſtolicis; quo nomine comprehenduntur Pauli Epiſtolæ, Catholicæ, Actaque Apoſtolorum: tum ex Pſalmis canetur aliquid, & poſtea Sacerdos leget ſanctum Evangelium.* Porrò hæc diſciplina cùm apud Eccleſias omnes Orientales communis ſit, de ea ſingulare nihil habemus notandum, ſed de more tantùm legendi ſcripturas utrâque linguâ.

Lectiones Scripturæ.

Copticè quidem ut legerentur, conſuetudo antiquiſſima eſt, cujus certam ſeriem agnoſcimus ſaltem à Muhamedanorum initiis, ad hæc uſque tempora nunquam interruptam, hoc eſt ab annis mille & ampliùs. Nam Benjaminum Jacobitarum Patriarcham Alexandrinum, cùm per annos circiter duodecim in Monaſteriis Thebaïdis delituiſſet, ubi vix alterius linguæ quàm Ægyptiacæ, in ſacris & in vita quotidiana uſus erat, ut

Linguâ Ægyptiacâ factæ.

Digitized by Google

Copticè sacra officia Alexandriæ celebrarentur instituisse, si quis existimet, difficile erit omnino ut contrariis rationibus hæc conjectura evertatur. Saltem ab eo aut proximo sæculo, cùm lingua Græca in Ægypto prope penitus obsoleviſſet, succeſſiſſetque Arabica in ejus locum, vulgaris consuetudo introducta est ut inter Coptitas, hoc est nativos Ægyptios, qui plerique Jacobitæ erant, neque aliam præter suam linguam noverant, sacra Officia in eadem ipsa lingua celebrarentur. Neque enim dubitari potest quin antiquitùs linguæ vernaculæ usus in Ecclesiis fuerit, nec de ea re quæritur. Certum autem & extra omnem controversiam esse debet, ab ea quam designamus Epocha, seu sæculo proximo post occupatam Ægyptum à Saracenis, Alexandriæ & in tota ferme Provincia, præter quàm in Thebaïde, ita amissàm esse linguæ Ægyptiacæ apud Christianos, qui soli ea utebantur cognitionem, ut non nisi inter doctos supereſſet, quibus etiam ad eam comparandam via non aliter patebat, quàm ut eam studio addiscerent. Verùm apud plebem incognita prorsus remansit, non minùs quàm Græca, & tamen ubi post centum annos aut circiter Melchitis seu Orthodoxis quædam Ecclesiæ redditæ sunt, suumque Patriarcham ipsis habere concessum est, redintegrata sunt inter eos Officia sacra, prout ante Arabum invasionem celebrabantur, hoc est Græcâ linguâ, quam adhuc retinent, quamvis vulgo ignota foret: simulque Coptitæ Jacobitæ Ægyptiacam retinuerunt, etsi eâdem apud populum illiteratum obscuritate laboraret. Quin ita fiat saltem a nongentis annis dubitari non potest; neque interitus linguæ dudum prorsus ignotæ eos ab antiquo suo instituto revocavit. Verùmtamen ut plebis commodo consuleretur, institutum fuit ut postquam scripturarum lectio antiquo idiomate Coptico facta esset, statim explicarentur quæ lecta erant per interpretem, lingua vulgari Arabica, quod huc usque observatur.

Interpretatio vulgaris quomodo facta sit.

Olim quantum ex variis historiæ Patriarchalis locis conjicere possumus, hæc interpretatio ad populum non ex libro fiebat, sed viva voce: suadet id locus ex Constitutionibus Cyrilli Patriarchæ supra citatis. *Munus*, inquit, *scripturas Arabicè interpretandi in Ecclesia, ad singularem aliquem Ordinem non pertinet, sed quicumque facultatem habet dicendi, ad rectè interpretandum, sive Presbyter, sive Diaconus, eo officio fungi potest.* Nihil verò significasset ista Constitutio, si jam cùm promulgata est, labente duodecimo sæculo, interpretationes, ut nunc fieri solet, fuissent ex codicibus recitatæ: tunc enim legere tantùm & elementa Coptica nosse satis fuisset, ut nunc apud Coptitas sufficit. Id confirmatur ex eo quod legitur in vita Cyrilli II. qui cùm illiteratus omnino foret, postquam ad Patriarchalem dignitatem evectus est, *magnam in studio Copticorum librorum operam impendit, ut scripturas ad populum posset interpretari.* In Historia Vazæ filii Rejah qui miraculo ad fidem Christianam conversus est, scribitur Sacerdotem, quo catechisante, ejus mysteria edidicit, *scripturas ipsi ex Coptica lingua Arabicè interpretatum fuisse.* Ita de Marco filio Elkonbari, qui tam vehementer errores Ecclesiæ Alexandrinæ varios insectatus est, & de quo dictum tam in Epitome Historica, quàm in Dissertatione de Pœnitentia, legimus, quòd apud plebem summæ ad-

mirationi esset, dum scripturas sacras ipsis ex Coptico interpretaretur. Ex his exemplis aliisque rationibus, verisimile omnino est, primò sacræ scripturæ lectiones à Sacerdotibus memoriter fuisse interpretatas in Arabicam linguam, antequàm, ut factum est ab annis ut minimùm quingentis, versiones ipsæ accuratiùs compositæ & à viris doctis recensitæ ad oram codicis Ægyptiaci apponerentur : atque adeo deinceps nihil Sacerdotibus Coptitis operæ superfuit, quàm eas legendi labor : unde jam pauci admodum reperiuntur, qui Ægyptiacè sciant.

Præter rationes & autoritates quibus confirmatur factam esse viva voce, non ex scripto, lectionum interpretationem, occurrit aliud argumentum petitum ex antiquissimis Glossariis. In illis enim glossæ Arabicæ non veluti apud Græcos & Latinos ordine Alphabetico distributæ sunt, neque ut quædam per certa capita, ut nomenclatores, & vocabularia, verùm omnino secundùm sacrorum librorum ordinem, difficiliores voces explicantur, qualia multa extant Glossaria ad sacram Scripturam Latinam in Bibliothecis, quæ explicationes continent vocum obscuriorum, per notiores aut vernaculas. Nempe facta illa tunc fuerunt, dum esset adhuc aliquis in Europa Latinæ linguæ usus, sed jam semi-barbaræ, & ut in Capitularibus Regum nostrorum appellatur *Rustica Romana*, in quam Homilias aliquot SS. Patrum transferri sapientissimi Principes jusserunt. Tunc enim erant multa vocabula quorum significatio ex communi sermone etiam illiteratis nota erat : abstrusiora explicari oportebat : pari prorsus ratione in Ecclesia Ægyptiaca, præsertim in Thebaïde, res se habebat. Multi enim Christiani linguam Copticam adhuc servabant, sed vulgarem, & corruptiorem, quàm ut illius solo subsidio sacræ Scripturæ versiones, officiaque Ecclesiastica intelligere, aut aliis explicare possent. In Sacerdotum igitur gratiam institutæ sunt collectaneæ illæ glossæ, quæ difficiles voces explicarent : & tales sunt multæ quas repræsentant Codices Manuscripti Bibliothecæ Regiæ.

De antiqua versione Scripturarum Ægyptiaca.

An verò antiquitus extiterit aliqua Ægyptiaca Scripturarum versio quæ publicè in Ecclesiis legeretur, ut dubitare vix licet, ita an ex libris recitata, an eo, quo diximus, modo facta fuerit viva Sacerdotum voce, conjicere difficile est. Lectas fuisse quidem eâ linguâ scripturas satis probat vel unicum ex S. Antonii vita exemplum. Testatur Athanasius eum audita lectione Evangelii, tanquam verba illa ; *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus*, soli sibi dicta fuissent, omnibus renunciasse. At Antonius, ut ex Hieronymo, Palladio, aliisque autoribus manifestum est, Græcè nesciebat : & peregrinos alloquebatur per interpretem. Insignis ille sermo qui illius vitæ insertus est, Ægyptiacè habitus fuit : Epistolæ eâdem linguâ scriptæ, teste Hieronymo. Joannes Lycopolitanus & alii non pauci sanctitate celebres monachi, Græcæ quoque linguæ ignari fuerunt : & ita non solùm plerique in Nitriæ & Scetis Monasteriis, sed Tabennesiotæ in extrema parte Provinciæ, & qui erant ex Antonii disciplina in deserto ad Mare Rubrum Ascetæ, non nisi Ægyptiacè loquebantur : tamen in continua psalmodia & lectione scripturarum, quas multi memoria tenebant, dies noctesque transigere erant soliti. Sed, quod majoris

T. 2. N. Ed. p. 276.

metrii accuſetur eo nomine Origenes, quod *antiquas de Chriſto Prophetias evacuaverit; quod tandem ad Judæos ſe tranſtulerit, poſtquam ab Epiſcopo ſuo excommunicatus eſt*, ſtudium ejus ad diſcendam Hebraïcam linguam, à quo ſatis laudari non poterat, tanquam apoſtaſiam calumniati.

De verſionibus Arabicis.

Verſio Arabica quæ in omnibus ferme codicibus adjuncta reperitur, ad Copticum facta credi poteſt, cùm Græcam repræſentet, qua ratione melior eſt aliis quibuſcumque Arabicis, quarum ſumma diverſitas eſt. Nam cùm multa exemplaria inter ſe comparantur, major omnino adhuc illa animadvertitur, quam ſtatuit vir Clariſſimus Edwardus Pocockius, & cum ſecutus Brianus Waltonus Editor Bibliorum Polyglottorum; & utriuſque obſervationibus, multas adjungere neceſſe erit, antequam illarum Arabicarum verſionum vera Critice poſſit inſtitui. Quippe omnes quibus Syri, Jacobitæ, Melchitæ, & Neſtoriani utuntur, verſionem continent ex Syriaca expreſſam, quæ Hebræum exemplar ſequitur, & poſt Græcas, omnium videtur antiquiſſima. Etſi vero aliam Syri habent ſecundùm Græcos codices, ejus tamen neque in Officiis Eccleſiaſticis, neque inter Theologos uſus eſt, niſi cùm ſcripturas interpretando, diverſis lectionibus ſuas expoſitiones illuſtrant. Alia eſt Arabica, facta ut dicitur, κατὰ τοὺς Ο, autore Haretho filio Senan; inter cujus diverſa exemplaria tanta eſt tamque inſignis diſſimilitudo, ut conciliari non poſſint. Iſtius verſionis uſus non adeo communis eſt, ſed hæret in quibuſdam Melchitarum ſeu Græcorum Orthodoxorum Eccleſiis, ubi Græcè ſacra fiunt: tamen quantum adipiſci potuimus, publicè inter Officia non legitur, ſed tantum privatim ab illis Chriſtianis, qui Græcæ linguæ ignari, Arabicam vernaculam habent. Ea verò quam Coptitæ uſurpant meliùs omnino repræſentat Codicem Græcum, licet occurrant non pauca, in quibus neque ſatis Copticæ verſioni cum Græca, neque Arabicæ cum utraque conveniat. Sed hæc vitia non tam in autores verſionum, quam in librarios rejicienda ſunt, quibus in Oriente familiare eſt immutare abſque ratione & judicio quidquid deſcribunt, ſi fortè in aliis exemplaribus aliqua occurrat ipſis lectio, quæ melior eſſe judicetur. Nec tamen diſſimulandum Arabicam Scripturæ verſionem quæ occurrit in optimis & antiquis codicibus, videri factam potiùs ex Græca, quam ex Coptica: ſed utraque ex Græco exemplari expreſſa eſt. Omnes porrò verſiones Arabicæ commune nihil habent cum ea quæ primum Lutetiæ in Bibliis Polyglottis, tum in Londinenſibus edita eſt: & quod magis mirum, nulla eſt in Oriente Eccleſia, quæ ſuam in talibus editionibus verſionem Arabicam agnoſcat. Quippe illa Pentateuchi interpolata eſt ex ea quam Rabbi Saadia Gaon, Ægyptius Fiumenſis, in Judæorum gratiam fecerat ex codice Hebraïco. Ea ſæpius deſcripta & interpolata à Chriſtianis adoptata eſt, non quidem ut ex ea lectiones in Eccleſiis fierent; ſed ut privatim deſcriberetur & legeretur: & talem codicem ſecutus eſt Gabriel Sionita Maronita, qui Pariſinæ editionis præſes fuit. Eam nonnulli emendaſſe & meliorem facere conati ſunt ex comparatione aliquot diverſorum exemplarium quæ differentes illas verſiones continerent, de quibus dictum mox à nobis eſt. Extat ipſius collationis,

Tom. VI.

lationis ſpecimen in Codice Colbertino, ex quo editio procurata eſt, ſed ad pauciſſima capita perducta eſt. In ea verò non modò præcipuas illas verſiones, ſed Samaritanis propriam aliam adhibuit, quiſquis conferendi laborem ſuſcepit. Ita ex tot verſionum Arabicarum farragine, natæ ſunt editiones Pariſienſis & Londinenſis, quarum nulla eſt inter Chriſtianos Orientales autoritas, multò minor earum quæ ab aliis Judæis factæ in Bibliothecis deliteſcunt, ut illa quæ edita eſt ab Erpenio, Lugduni Batavorum, Pentateuchi Arabica interpretatio. Atque hæ obſervationes verſionem veteris Teſtamenti ſpectant, quæ eodem modo Copticè & Arabicè leguntur in Eccleſiis, apud Ægyptios.

Verſiones Novi Teſtamenti.

De novo Teſtamento minor eſt difficultas, licet etiam nonnulla nondum dicta, circa illius verſiones obſervari debeant. Coptica quæ in Ægypto legitur, antiqua eſt, & quantum judicari poteſt, reliquas vetuſtate adæquat. Inter omnes Orientales, Syriaca vetuſtiſſima creditur: Coptica ætate haud multùm inferior eſt, non quòd eam à Marco Evangeliſta factam exiſtimemus, juxta popularem traditionem, ſed quòd ut ſuperius obſervatum eſt, etiam antè pacatam per Conſtantinum Eccleſiam, lectas fuiſſe linguâ vulgari, ſacras Scripturas ab Antonio & aliis ſanctis Anachoretis certiſſimum ſit: neque minùs certum, non potuiſſe aliter quàm patriâ linguâ legi, memoriæque commendari, & in ore haberi ab illis hominibus qui Græcè neſciebant; ut neque explicari ad populum è ſuperiore loco, ab illis Epiſcopis, quibus Græcarum literarum non ſatis erat, ut nomen ſuum ſubſcribere in Conciliis, aliter quàm Ægyptiacè poſſent. Igitur Coptica verſio Muhamedana tempora aliquot ſæculorum antiquitate ſuperat: Arabica ejuſdem verſio, ea eſt quæ legitur publicè in Synaxibus, Coptitiſque propria eſt. Syri tam Jacobitæ, quàm Neſtoriani, non minùs quàm Melchitæ aliam habent ex antiqua Syriaca verſione factam, ex qua etiam Perſica prodiit, eaque multiplex. Græcum codicem exprimentes Arabicæ novi Teſtamenti verſiones, ſunt illæ quæ Melchitis potiùs quàm aliis propriæ ſunt; pleræque tamen ita interpolatæ ex aliarum verſionum comparatione, ut inter eas diverſitates, Græcum exemplar primitivum agnoſci non facilè poſſit. Omnia verò quæ huc uſque de iſtis ſcripturæ lectionibus dicta ſunt, occaſione Paulinarum Epiſtolarum, de reliquis libris & de Evangelii lectione ſunt quoque intelligenda.

De interpretationibus in modum homiliarum.

Supereſt ut de *Tafaſſir* ſive interpretationibus per Homiliarum modum, dicatur aliquid. Origo earum prima & ſimpliciſſima à ſermonibus petenda eſt, quos poſt ſcripturarum lectionem ſancti Patres, præſertim Epiſcopi, habebant ad populum, ſumto ex iiſdem Homiliæ argumento. De ea communi omnium Eccleſiarum conſuetudine extat Conſtitutio quam inter Canones Baſilii Magni numerant, & quam refert Ebnaſſalus in Collectione ſua cap. 12. *Cùm abſoluta fuerit lectio, Epiſcopus ſi adſit, verba faciet ad populum, interpretando caput quod modò lectum fuerit: Epiſcopo abſente, Sacerdos peritus id faciet.* Poſtea quàm verò rarior fuit apud Orientales doctrina, paucique id præſtare poterant, verſæ ſunt in vulgarem linguam breves Patrum Homiliæ, vel potiùs Ἀναγνώσματα, ut Græci vocant, quæ poſt ſcripturas legerentur: tandem aliquæ ſtylo ſimpliciori

& magis ad populi captum accommodatæ conſcriptæ ſunt, quales extant multæ in variis Codicibus. Inſignes hoc in genere ſunt præ cæteris, quas ex Colbertina Bibliotheca nacti ſumus in Epiſtolas & Evangelia de Circulo anni, in quibus non contemnenda doctrina, præſertim verò quæ ad Ethicam Chriſtianam pertinet, tum inculcata ſæpiſſime præcepta de neceſſitate confeſſionis peccatorum, & pœnitentiæ apud Sacerdotes faciendæ; tum eximia multa teſtimonia circa fidem Euchariſtiæ. Patrum Homiliæ quas eo loco legere ſolent, ſunt ut plurimum ex Chryſoſtomo, Baſilio, Gregorio Nyſſeno, Cyrillo & paucis aliis: multas adjungunt Severi Antiocheni, & ex recentioribus, Jacobi Serugenſis, & Edeſſeni, quorum, quamvis Syriacè ſcripſerint, multa extant Arabicè in Ægyptiacis Eccleſiis. Alias Severi Epiſcopi Aſchmoninæ qui multa ſcripſit eruditè, & ad communem utilitatem appoſitè.

P. 6. l. 23.

CATHOLICON.

ITa vocantur apud Orientales Epiſtolæ Jacobi, Petri, Joannis & Judæ, quæ Catholicæ appellantur: quia ad omnes ſcriptæ ſunt, ex quibus unum volumen conficitur quod Catholicon dicitur. Itaque cùm Theologi laudant aliquam ex iſtis Epiſtolis ſententiam, dicunt *Jacobus in Catholico, Petrus, &c.* Eam lectionem ſequitur alia ex Actis Apoſtolorum.

P. 7. l. 13.

Oratio Evangelii Sancti.

Ritus legendi Evangelii.

HIs quæ ſuperiùs expoſuimus peractis, legitur Evangelium, juxta omnium Eccleſiarum conſuetudinem, de qua hæc Conſtitutio extat in Collectione Ebnaſſali. *Poſt Hymnos è Pſalmis, legetur ſanctum Evangelium à Sacerdote vel Diacono, omnibus interea ſtantibus & ſilentibus.* De cæremoniis verò quæ ad hanc Liturgiæ partem obſervandæ ſunt, fusè ſcribit Abuſebah in Tractatu de ſcientia Eccleſiaſtica cap. 68. Ait autem priùs recitari varias ad Deum orationes, quibus rogatur ut ita auditores diſponat ad auribus & corde excipiendum ſanctum Evangelium, ut illud opere exequi valeant. Id expreſsè ſignificant orationes variæ ante, vel poſt lectionem Evangelii in omnibus Liturgiis. Idem Autor ſubjungit poſtea dici Hymnos & Pſalmos varios, ſecundùm feſtorum diverſitatem: tum ita proſequitur. *Circuit Sacerdos altare, & Diaconus ſimul progreditur cum Evangelio glorioſo, & ex iis Clericis qui ad altare miniſtrant aliqui, cereos accenſos præferentes. Diaconus librum geſtat, & cùm deſcenderint de Sanctuario, populus canit,* Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam, quia in te ſperavi. *Diaconus ſecretò apud ſe dicit.* Notam fac mihi Domine viam, in qua ambulem. *Tum Evangelium geſtans, deſert illud, tranſiens per medium populum. Circuitus autem ille unicus, qui fit circa altare intrà Sanctuarium, ſimilitudo eſt circuitûs Evangelii per univerſum orbem: circuitus illius peregrinatorii qui univerſam terram implevit. Paulò poſt, Sacerdos Evangelii librum aperit, atque illum apertum altari imponit, in ſignum quòd hæc ſcriptura promanavit ex verbis Chriſti, qui ſuper hoc ipſum altare ponitur.* Et cap. 69. *Sacerdos advocat ſacerdotes alios circumſtantes, ut inſpiciant verbum eo in libro exaratum,*

Digitized by Google

deque eo certiores ſint, teſteſque fiant hunc librum apertum, eſſe verè Evangelium. Poſt ejus inſpectionem, certamque agnitionem, oſculabuntur librum apertum, ut oſculo illius aperti, juxta ſacerdotalem dignitatem ſuam, à Laïcis diſtinguantur. Poſtea ſi vult Sacerdos legere Evangelium, officium illud, ad ipſius ordinem pertinet, omnibus aliis exceptis: eſt enim è ſucceſſoribus Apoſtolorum, qui Evangelium prædicaverunt. Si Sacerdos nolit ipſe legere, poteſt Diacono permittere ut illud legat, qui ita ab aliis Diaconis diſtinguetur, manebitque cum ſingulari quadam prærogativa, appellabiturque Diaconus Evangelii. Tandem Evangelii lectio ex Ambone fiet, qui eſt ſublimis, juxta illud quod ait Dominus, quæ in aure audiſtis prædicate ſuper tecta. *Tectum enim eſt Ambon, quem ita Salvator deſignavit cùm ſit ſublimis, inſtar tecti. Deinde poſtquam deſcenderit is qui Evangelium legit, & ejus interpres,* is ſcilicet qui illius verſionem vulgarem legit, *perfecta ſcriptura lectione & interpretatione, accedent omnes Sacerdotes adſtantes, & oſculabuntur illud, ad fidei & certitudinis quam de eo habent teſtimonium, ſicut in oſculo primo factum eſt.* Tandem cap 70. *Deferet Subdiaconus librum Evangelii ad populum, involvetque illud velo ſericeo, circumferetque per mediam multitudinem, ut omnes librum clauſum oſculentur, ſequentes Sacerdotum exemplum in ejus veritate & certitudine approbanda.* De eodem ritu, ita Gabriel Patriarcha in Rituali. *Evangelium defertur primo circum altare, geſtante illud Diacono, reliquis præcedentibus, cereoſque geſtantibus. Tum incenſatur ter, dicitque Diaconus,* hoc eſt Evangelium Jeſu Chriſti Filii Dei. *Poſtea accipit librum & ab altari progreditur: tunc Sacerdotes & Epiſcopi adſtantes capita detegunt, baculoſque deponunt, & venerantur Evangelium inclinatione capitis: deferturque cum pompa ad Ambonem, ubi præmiſſis aliquot precibus & acclamationibus, quæ in Liturgia annotantur, legitur Copticè, & poſtea Arabicè. Lectione completa, liber refertur ad ſacerdotem, qui illud ter incenſat, & manibus ſuſtinens, oſculandum ſingulis ſacerdotibus præbet. Illi verò accedunt detecto capite, dimiſſiſque baculis: poſtremò oſculatur ipſe, & Diacono reponendum tradit in locum ſuum.* In alio codice manuſcripto, & in Regio recentiori cæremoniali legitur, ſacerdotem dum incenſat Evangelium dicere. *Adoro Evangelium filii Dei vivi Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

In eodem codice totus ille legendi Evangelii ritus accuratè deſcribitur, eodem ferme modo: nempè Sacerdos incenſat Evangelium, deferente illud Diacono circum altare: poſtea deſcendit ad portam Sanctuarii, quâ ad ambonem itur, ubi iterum incenſat dicendo: *Adoro Evangelium D. N. Jeſu Chriſti Filii Dei vivi:* accipit librum ex manu Diaconi, converſusque ad Occidentem, oſculandum illum præbet Sacerdotibus omnibus ſuo ordine: tum librum Diacono reddit, qui Evangelium legit, modò probè legere ſciat; ſin minùs, legetur à Sacerdote. Finita lectione Sacerdos inclinabit ſe cum libro coram altari: ſi adfuerit Epiſcopus, ſolus illum oſculabitur: ſi nullus adſit, Sacerdotes. Tum iterum adoletur incenſum, & Diacono dicente, *State cum timore*, ſubjungit Sacerdos, *In nomine Dei.* Iterum incenſat Sacerdos dicente Diacono,

Digitized by Google

Εὐλόγησον, *Benedic*: & dicit, *Initium Evangelii secundùm Matthæum, Marcum*, &c. *Lectio sancti Evangelii*, quæ verba Græce dicuntur, ut annotatur in omnibus codicibus. Ἀρχὴ εὐαγγελίου κατὰ Μάθθαιον, κατὰ Μαρκὸν, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. Ἁγίου εὐαγγελίου ἀνάγνωσμα. Sed verba mire corrupta, sunt, ut Græca omnia.

Tum adhuc incensat, & dicitur Coptice, *Verbum Evangelii D. N. J. C. filii Dei vivi, qui est usque in æternum Dominus noster*. Incensat deinde Sacerdotes & dicit, *Beati oculi vestri quia vident, & aures vestræ quia audiunt. Digni efficiamur audire, & obedire faciendo Evangelium tuum sanctum per preces omnium sanctorum tuorum*. Tum ad locum Diaconorum conversus & thure dato dicit, *Adorate Evangelium Domini nostri Jesu Christi*. Postea stat ad latus altaris, usque dum finita fuerit lectio Evangelii Coptice: tuncque incensabit sicut priùs: iterumque altare incensabit, cùm interpres dicet, *Domini & Dei nostri*: tandem circumferetur Evangelium sicut priùs, & dicentur orationes. Eadem ferme leguntur apud Abulbircat, quæ iterum ejus verbis reponere necesse non est: observat tantùm, Diaconum quando legit, vertere se ad Orientem: Sacerdotem qui ad altare stat, verti ad Occidentem. In antiqua Canonum diversorum Collectione notatur, pulsari campanas, ligneas nempè illas quarum in Oriente apud Christianos usus est. De lectione per Diaconum, ita scribit Gabriel Patriarcha. *Legem nemo legebat nisi Sacerdos, aut Propheta: atque ea propter Patres constituerunt, ut Evangelium non legeretur nisi à Sacerdote, quod etiam apud omnes nationes fuit observatum. Jam verò usu receptum est ut illud legat Diaconus, atque intereà stat Sacerdos, facie ad Occidentem conversa.*

Ritus ille respondet Græcorum. μικρὰ εἰσόδου.

Porrò ex illis quæ huc usque autorum ipsorum verbis exposita sunt, statim agnoscitur ritus ille quem Græci appellant Μικρὰν εἴσοδον. Is est autem, circumlatio Codicis Evangelici cum pompa, cereis & thure, procumbentibus intereà, qui in Ecclesia sunt, coram codice, qui verba Christi continet. De ea videndum Græcorum Euchologium, & quæ ad num. 74. notarum in Chrysostomi Liturgiam Goarius observavit, ut & Glossarium Græco-barbarum in voce Εἰσόδος.

Euchol. p. 124.

Libri Evangeliorum.

Quæ porrò ad posteriorem, istorumque temporum disciplinam circà Evangelii lectionem pertinent, ea tam accurate explicant rubricæ codicis Regii, quas interpretatione nostra retulimus, ut adjici nihil queat. Qualis esset librorum Evangelii forma major, eorum præsertim qui ad altaria usurpantur judicari potest, ex inspectione talis codicis qui extat in Bibliotheca Regia majoribus literis scriptus in membrana cum figuris, manu Michaëlis Metropolitæ Damiatensis, & oblatus Marco filio Zaraæ, Patriarchæ Alexandrino, qui ordinatus est an. Martyrum DCCCLXXX. Jesu Christi MCLXIV. Neque ut plerique alii codices, adjunctam habet è regione versionem Arabicam. Observandum quoque est consuetudinem fuisse in Ecclesia Alexandrina, ut in publicis supplicationibus, cum crucibus, imaginibus, & thuribulis, deferrentur libri Evangeliorum, ut patet ex multis Historiæ Patriarchalis locis.

Digitized by Google

Memento Domine aquarum fluminis.

P. 8. l. 33.

De Nilo.

IN illis Orationibus quas Græca Marci Lirurgia continet circa lectionem Evangelii, magna cum Copticis similitudo statim agnoscitur, præsertim verò ritus ἐσόδου, seu delationis Evangelii. Quæ verò sequuntur orationes pro diversis, eædem quoque sunt in ea ipsa Liturgia, ut in Græca Basilii Alexandrina; adeò ut satis appareat, non modò Jacobitas, sed Orthodoxos etiam, quorum prior fuit, singularem præter alias Ecclesias consuetudinem habuisse, ut ante quàm Oblatio inferretur, & Canon propriè dictus inciperet, diversæ orationes fierent. Porrò pro aquis Nili, certissima nota est, eam pertinuisse ad Ægypti Ecclesias. Τὰ ποτάμια ὕδατα ἀνάγαγε ἐπὶ τὸ μέτρον αὐτῶν κατὰ τὴν σὴν χάριν. *Fluviales aquas ad earum mensuram, tuâ gratiâ sursum elicito.* Ita legitur in Græca Liturgia: aquæ verò fluviales, nullæ aliæ sunt præter Niliacas, quas ad publicam utilitatem excrescere à Deo petitur. Brevem igitur illam orationem auxerunt Coptitæ, & diversas ejus formas addiderunt. Cùm enim ab exundatione Nili, qui *viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ*, fertilitas, aut sterilitas pendeat, semper oratum apud Christianos Coptitas pro aquis Nili, utque olim sacerdotibus Ægyptiacis *Nilotica incrementa* sacra habebantur, ita Christiani vocant *Nilum benedictum*. Accuratissimi semper fuerunt Ægyptii in observanda accretione Nili, cujus mensura famosa extat propè Memphin, quam si Arabes sequimur; primus excogitavit & erexit Joseph Patriarcha, cùm Ægyptum administraret: ea autem non semel refecta, puteum quemdam habet in quem Nili aqua per canalem derivatur. In medio columna est, per cubitos & digitos divisa, ad quam æstimatio fit, quantum creverit Nilus, aut decreverit. Olim dictus fuit puteus ille Νειλομέτειον: vocant Arabes דיר אלמקואס *Dir el mekias*; mensuræ locum. Descriptio illius, tum omnium quæ ad cæremonias aperiendi canalis quem *Halige* vocant, & reliqua alia Nilum spectantia, optima reperitur in Itinerario primo Thevenoti junioris; & passim alibi. Apud Arabes Ægyptum incolentes præter multos & varios de Nilo libros, unum præ cæteris commendant, qui dicitur *Tarich el Nil*, seu Historia Nili; in quo à primis eorum Imperii annis recensetur, quantum quoque anno creverit, quove die, & ad quantam mensuram, quæque deinde fertilitas, aut sterilitas consecuta fuerit. In Historiis generalibus, quales sunt multæ rerum Ægypti, ut sunt per annos digestæ, ad finem singulorum, incrementi Nilotici ratio redditur.

Solennes supplicationes pro ejus exundatione.

Certum porrò, non modò in publicis privatisque precibus suis orasse Christianos pro exundatione Nili, verum etiam, si quando tardior eveniret, cogebantur processiones facere suo more, præsertim cum Muhamedanos suas supplicationes nullo successu facere contigisset. Tunc enim maximè superstitiosa illa gens, omnes cujuscumque Religionis homines orare seorsim, suoque die jubebat: In Historia Patriarchali narratur Judæos aliquando pecuniâ redemisse jus primarum supplicationum, rati ex diversis indiciis futuram mox inundationem, quæ ideò ipsis honori

Hist. Patr. Alex. p. 229, 311. 482. 606.

foret, quasi ipsorum precibus impetrata : sed cùm contra Nilus decrescere visus esset, non solùm gravi mulcta damnati sunt, sed etiam interdictum, ne per multos dies precarentur. De publicis supplicationibus illius exundationis causâ factis, aliquot exempla sunt in eadem Historia : superstitio deinde successit cujus testem tamen alium laudare non possumus, quàm Makrizium Muhamedanum. Ait enim eam inter Christianos consuetudinem fuisse, ut arcam in qua continebatur digitus cujusdam Martyris, in aquam demitterent, existimantes non futuram exundationem, si id omitteretur. Anno tamen Hegiræ DCCII. regnante Nasser, Muhamede filio Kelaoun ex Mamalukis, vetitum ne id fieret, quamvis instarent semper Christiani ut licentiam obtinerent : anno demum DCCLIII. J. C. MCCCLII. dirutâ Ecclesiâ, capsa cùm reliquiis consumta est. Sed hujus moris vestigium nullum est in antiquioribus libris.

Hist. Patr. Alex. p. 606. 610.

Makriz. Ann. Æg. ad hunc annum.

P. 9. lin. 7. *Memento Domine Patrum & Fratrum qui obdormierunt.*

Commemoratio mortuorum & oratio pro illis.

ORationis pro mortuis, eorumque inter Officia sacra commemorationis, perpetua communisque inter Orientales Christianos observatio est, eamque ad Apostolos referunt. Nam illis attribuunt Constitutionem illam ex Clementinis depromtam, quæ extat in Collectione Ebnassali cap 12. *Congregamini absque scandalo in Ecclesiis & legite scripturas sanctas, & orate super eos qui dormierunt sanctos, Martyres, aut fratres vestros credentes in Deum. Tum offerte Liturgiam Gratiarum actionis, corpus sanctum & sanguinem pretiosum Regis Christi.* Et sanè nulla quâcumque in Ecclesia Liturgia est, in qua pro mortuis oratio non fiat : quotidiana quoque officia nulla sunt, quæ eorum commemoratione careant. Neque solùm oratur pro illis, sed offertur sacrificium eorum causâ, sepulturæ ipso die, tum aliis. In illis quas modò laudavimus Constitutionibus : *Celebrabitis diem tertium cum Psalmis, & orationibus : septimo etiam agetis commemorationem vivorum & mortuorum : rursus finem mensis celebrabitis ad illorum dierum formam, tandemque anniversarium diem, in fine anni.* Præter infinita testimonia quæ ex Liturgiis, Euchologiis, & aliis officiis colligi possunt, extant integra officia exequiarum quas *Tageniz* vocant, quæ nihil nisi tales orationes continent. In Historia Patriarchali ubique ferme mentio est Liturgiæ celebratæ pro defunctis Patriarchis, non solùm in sepulturæ die, sed in anniversario : imò communis erat dies, in quo omnium Patriarcharum memoria in Ecclesia Coptica celebrabatur. Ita apud Syros Jacobitas, Melchitas, Nestorianos : neque enim ulla unquam de hac disciplinæ parte controversia fuit. Illud solùm observari oportet, ipsos ita Sacrificium & preces offerre pro mortuis, ut non sicuti apud nos solet, immutetur totum quotidianum officium & aliud adhibeatur ; sed Liturgiam diei convenientem ita celebrant, ut præter lectiones quasdam ex scripturis, & orationes quæ suis locis inseruntur, reliqua ex communi ipsius diei officio continuentur. Ea occasio fuit nonnullis existimandi Missas illos non celebrare pro mortuis, quia qualem in Ecclesiis nostris, lugubrem appa-

Digitized by Google

ratum nullum videbant. Orationes etsi pertineant ad petendam pro defunctis remissionem peccatorum, plus tamen Christianæ spei de resurrectione & beatitudine, quàm luctus & terroris offerre solent. Illud verò præcipuè, non sine admiratione in istis officiis ubique ferme animadvertitur, spem maximam resurrectionis, & liberationis à gehenna collocari in sanctificatione quàm corpora fidelium contraxerunt, per susceptionem Eucharistiæ. In Euchologio Jacobitico Syro. *Præsta Domine fili Dei, requiem & memoriam bonam mortuis, qui comederunt corpus tuum, & biberunt sanguinem tuum cum fide, dormitionemque acceperunt*: & postea. *Arrhabonem quippe vitæ novæ dedit Salvator noster fidelibus, transseundi de morte ad vitam, per corpus & sanguinem, quæ beatitudinem conferent mortuis, qui illa perceperunt, & quorum beneficio suscitabuntur.* In officio Paschali. *Beati eritis ô mortui in die resurrectionis, corpus enim vivum quod edistis, & sanguis propitiatorius quem bibistis, constituet vos ad dexteram.* In Liturgia quæ in edito Romæ Missali Syro, Xysti nomen, aliud, nec unum in manuscriptis præfert, tanquam ex persona Christiani dicitur: *Timebit ignis membra mea, quia repellet eum odor corporis & sanguinis Christi.* In alia Joannis Barsusan. *Domine Jesu Christe qui es agnus sine macula pro nobis immolatus, ex quo epulati sumus, custodi corpora nostra quæ corpori tuo sancto commista sunt, & obsigna labia nostra, quæ sanguine tuo sancto peructa sunt.* Nempe quia, ut in Liturgia Mathæi Pastoris & multis aliis orationibus legitur, *Eucharistia fermentum est vitæ: pignusque beatæ resurrectionis.* Severus Episcopus Aschmonin, idem explicat in Opusculo de Agno Paschali, dicens sanguinem Christi in Eucharistia perceptum, *signum esse super ostia spiritualia domus fidelium, quod cùm vident Angeli exterminatores, fugiunt.* Nempe, eadem omnino doctrina est quam paucis sed eximiis verbis Martyr Irenæus complexus est: *corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Sed de Oratione pro mortuis alibi. Interea legi non inutiliter possunt, quæ de hoc argumento commentario suo in Bibliothecam Syriacam Hebed Jesu inseruit Abrahamus Echellensis: quæ auctiora reposuit in Eutychio vindicato adversus Joannem Seldenum, tum ejus in Professione Romana successor Faustus Naironus, in Evoplia Catholica, quæ multa continet scitu dignissima: tum Officia exequiarum Coptica & Syriaca, & ex istis officium Syriacè Romæ editum, quod manuscriptis codicibus conforme est.

Oratio veli.

Pag. 9. lin. 25.

HÆc Oratio ita appellatur, quia dici solet cùm Sacerdos ingreditur intra Βῆμα, sive solium altaris, circa quod velum prætenditur, apud Orientales, ut etiam apud Græcos; ne vulgi oculis sacra mysteria exponantur. Videndum Glossarium in voce Καταπέτασμα. Respondet hæc oratio, illi quæ in Chrysostomi Liturgia dicitur Πρώτη τῶν πιστῶν *Prima fidelium*: quia tunc soli *fideles*, hoc est Christiani qui mysteriorum participes esse poterant, in Ecclesia erant, ejectis Catechumenis

Digitized by Google

& Pœnitentibus. Aliam etiam titulus iste significationem habet : nam Καταπέτασμα vocatur etiam velum illud, quòd εἰλητὸν Græci vocant, quo scilicet Discus & Calix simul teguntur, & Corporali Latinorum aliquatenus respondet, illius potissimum formæ antiquæ, quo & Patena & Calix tegebantur, quam Carthusiani retinuerunt. Tunc enim cùm Oratio τοῦ καταπετάσματος pronunciatur, sacra munera, quæ statim atque deposita in altari fuerant isto velo tegebantur, eo sublato Sacerdos detegebat : quod in Græcis Liturgiis dicitur ἐξαπλοῖ τὸ εἰλητόν.

Pag. 10.

Oratio pro Pace, &c.

Orationis pro Regibus formæ diversæ.

SAtis ex hujus orationis contextu apparet desumtam eam esse ex antiquo Ritu Alexandrino, quem Græca repræsentat. Tota scilicet hæc oratio Græcè legitur & eodem ordine, paucis mutatis in Codice Regio : pro pace, pro Ecclesia, Rege, Principibus, Papa, hoc est Patriarcha Alexandrino, &c. Τὸν βασιλέα simpliciter nominat. In Marci Liturgia. Τὴν βασιλείαν τοῦ δούλου σου ὃ ἐδικαίωσας βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀνδρείᾳ καὶ γαληνότητι διαφύλαξον· τὴν ταπεινὰν καὶ ἐλεεινὴν, καὶ φιλόχριστον πόλιν ταύτην ῥῦσαι αὐτὴν ὁ θεὸς, ἀφ' ἡμερῶν πονηρῶν, &c. *Regnum servi tui quem in terra regnare justum censuisti, in pace & fortitudine, & justitia & tranquillitate conservato. Humilem & misericordem & Christi amantem civitatem istam, libera Domine à diebus malis.* Ita vertit interpres, non planè accuratè : Neque enim, quantum judicare possumus, ad Christiana tempora hæc oratio pertinet, sed ad infelicem jam Arabum dominorum tyrannidem. Quippe legitur in Liturgia Chrysostomi ὑπὲρ σωτηρίας τῶν εὐσεβεστάτων καὶ θεοφυλάκτων βασιλέων ἡμῶν. *Pro salute piissimorum & à Deo custoditorum Imperatorum nostrorum :* & in Basiliana. Μνήσθητι κύριε τῶν εὐσεβεστάτων καὶ πιστοτάτων ἡμῶν βασιλέων : & in eo exemplari quod servatur in Bibliotheca Regia. Ὑπὲρ σωτηρίας, κράτους, νικῆς, καὶ διαμονῆς τῶν εὐσεβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων. *Pro salute, victoria, potentia, conservatione piissimorum & Christi amantium Imperatorum nostrorum :* quæ formula quantum à Marci Græca diversa sit, nemo non videt. Nam in primis verbis agnoscitur infidelem, non Christianum principem designari, cùm de eo dicitur, *quem justo judicio tuo super hanc terram regnare voluisti.* Nihil hîc ad laudem illius fidei, quæ tamen nunquam omittitur, quoties de Christianis Imperatoribus verba fiunt. Accedit etiam sequentis orationis forma : nam de urbe sub Christianis Imperatoribus, liberam habente veræ Religionis professionem, nunquam ista verba usurpantur; afflictæ autem & sub Barbarica tyrannide gementi ταπεινῆς & ἐλεεινῆς, *humilis & miserabilis* nomina maximè conveniunt; talis enim fuit tunc Alexandriæ conditio. Verùm Christiani non destiterunt idcircò, orare pro Regibus, etiam infidelibus. In vita Dionysii Patr. Alexandrini de Gallo Imperatore scribitur, *eum occidiss. Sacerdotes qui pro ejus salute Deum interpellabant.* In vita Zachariæ LXIV. inducitur Jacobitarum Patriarcha Joannes, Romanum Imperatorem Melchitam, atque adeò secundùm illius sectæ præjudicia Hæreticum, ita alloquens

Euchol. p. 99.

alloquens. *Domine Imperator, Deus imperium tuum & majestatem tuam conservet: novit autem ille me indesinenter orationes precesque facere pro imperio tuo potenti, sicut nobis scripturæ sanctæ præcipiunt.* Nec dissimilia in vita Cyrilli. Elias Hierosolymitanus & postea Nisibenus Metropolita Nestorianus, in Homilia de Nativitate Domini, *Regem & principem nostrum Deus in septis adyti muniti collocet.* In Euchologio Arabico Melchitarum, Fani Fortunæ edito an. 1514. *Reges nostros fideles instrue armatura tua cœlesti, & da illis victoriam de illorum hostibus.* Nempè Melchitæ, qui diutiùs quàm alii, multis in Provinciis sub Christianis principibus vixerunt, veterem quoque formulam servaverunt, qualis extat adhuc in Nestorianorum Liturgiis, ut orarent *pro Regibus fidelibus*, quæ tamen ultima vox sublata est: quando periculum aliquod ab infidelibus timebatur. Itaque hoc loco orant Coptitæ simpliciter, *pro Rege terræ*, sed ut in Orationibus sequentibus patet, servaverunt antiqui moris vestigia, dum orant *pro Regibus Orthodoxis*: quales sanè non sunt Muhamedani: neque tales habentur apud Jacobitas alii, quàm qui eorum hæresin profitentur. Non occurrit autem in commemorationibus Regum titulus ille frequenter, alibi quàm in istis Liturgiis Jacobiticis, sed ut de Græcis mox observavimus, *piissimi, fidelissimique* appellantur Reges Christiani pro quibus orant, non *Orthodoxi*.

In ea porrò affectata appellatione est causa quædam secretior, ad Jacobitas propriè pertinens. Nam à Marciani Imperatoris tempore, perturbatâ per eorum factiones Ecclesiâ, præsertim Ægyptiacâ, omnes fere Imperatores Græcos infensissimos experti sunt, præter eos qui hæresin defendebant; Zenonem & præcipuè Anastasium, quos in cœlum ferunt, & in Kalendariis suis consignatos, ad annuam commemorationem habent. En homines à quibus Orthodoxi primùm Reges, inter Orationes Ecclesiasticas appellati sunt, quamvis aliis in locis, præsertim in Diptycho, sub ea classe contineantur antiquiores Imperatores Constantinus, & Theodosius senior, quòd eorum operâ Nicænum & Ephesinum Concilia, Arii & Nestorii hæreses condemnaverunt. Postea verò cùm Arabes rerum potiti sunt, orandi pro Christianis Imperatoribus causa nulla erat, à quorum dominatione distracti erant, & quos ut Calchedonenses, Hæreticorum loco habebant. Cùm igitur pro Orthodoxis Regibus orationes reperiuntur inter Jacobitarum Ægyptiorum officia, duo designantur, Rex Æthiopiæ & Rex Nubiæ, qui ab eo ferme tempore quo Muhamedani Ægyptum subegerunt, ad Jacobiticam sectam translati, in ea huc usque perseveraverunt. Ambo quippe sedi Alexandrinæ Jacobiticæ subjecti, eam matrem agnoscunt, nec aliunde Metropolitas aut Episcopos accipiunt. Quocirca Orthodoxorum Regum titulus illis tribuitur ab autoribus Historiæ Patriarchalis, Abuselah Armeno, & aliis. Eo autem nomine præcipuè gloriantur Alexandrini Jacobitarum Patriarchæ, quòd soli in Muhamedanorum Imperio, Reges Christianos habeant suæ sedis autoritati subjectos, qua dignitate carebat Antiochenus ejusdem sectæ. Qui enim in vastissima illa diœcesi Christiani principes superfuerunt aliquando, aut ex Græcæ Ecclesiæ communione, aut ex Latinæ post bella

Per Reges Orthodoxos qui nam intelligendi.

Transmarina fuerunt, quibus cum Jacobitis commune nihil unquam fuit. Nestoriani seriùs, cùm apud Turcas & Cataïos Religionem Christianam, sed sua hæresi infectam propagassent, habuerunt quoque more suo *fideles Reges* hoc est suæ sectæ, qualis fuit famosus ille Ungchanus, quem Presbyterum Joannem plerique fuisse volunt, is scilicet qui à Ginghizchano Mogolici Imperii fundatore, vitâ regnoque spoliatus est. Fuerunt alii quoque, ante & post Ginghizchanum Christiani in Tartaria principes, qui Hordis ampliſſimis imperarent; de quibus dicemus alibi.

Quid in Jacobitis culpandum circa obedientiam Principibus debitam.

Porrò quamvis Christianæ Religionis præcepta & exempla Jacobitæ Ægyptii non minùs in libris suis consignata habeant, de obedientia erga Principes etiam infideles, eamque metu & malis subacti Muhamedanis abjectissimam semper præstiterint, attamen hac in parte Christiani officii, dupliciter peccasse & quidem gravissimè deprehenduntur. Primum quidem peccatum & in Christianis inexcusabile fuit petulantia & libido calumniandi Marcianum & Pulcheriam, de quibus, regum majestate insuper habita, multa mentiuntur, & conviciorum in eos plaustra effundunt. Omnia quæ per scelus & seditionem à Dioscori sectatoribus & successoribus gesta sunt, probant & collaudant: tandem quod caput scelerum fuit, cùm Arabes Ægyptum invaserunt, non modò Jacobitæ reipublicæ defuerunt, sed contra Imperiales præfectos, cum Amro & aliis hostium ducibus coitionem fecerunt, & excusso Christianorum principum legitimo dominio, Barbaris se tradiderunt. Hæc non negant illorum meliores Historici, etiam Ecclesiastici, nam ex Eutychio & autoribus rerum Ægyptiacarum multis, discimus Coptitas omnes, sive nativos Ægyptios, quia plerique Jacobiticam sectam perditè tuebantur, ad Arabes statim defeciſſe, & Melchitas qui Græci erant & Orthodoxi, ex illa defectione coactos fuisse ad deditionem faciendam. Hæc fuit Hæreticorum illorum adversùs legitimos principes suos fides: majori verò adhuc scelere, cujus non unus aut alter insimulari poterant, sed tota Ecclesia Jacobitica, sub Patriarcharum suorum autoritate, Græcos Orthodoxos qui pauciſſimi & absque Episcopo remanserant, in extrema sæpe pericula adduxerunt, calumniis suis eos apud gentem suspicioſiſſimam traducendo, quasi novas res in favorem Græcorum Imperatorum molirentur, quia in eadem religione erant. Neque meliores in hoc officii genere Melchitæ fuerunt, quamvis minor esset fidei, aut propè nulla inter eos Francosque Hierosolymis regnantes diversitas, tamen cùm eam urbem Salaheddinus obsessam teneret, nec obsidio ex voto omnino succederet, eam omittere cogitabat, nisi Melchita quidam, omnes suæ religionis homines, simul cùm Jacobitis conjuratione illigasset, qua Franci adeo perterriti sunt, ut statim deditionem fecerint. Tanta est hæresis & rebellionis affinitas.

Severus in Hist. Concil. Elmac. Hist. 1. p. Ms. Tavich. Armeni Hist. Patr. Alex. p. 163.

Hamad Ispahanensis in vita Salaheddini.

Illorum nimia erga Muhamedanos Principes adulatio.

Alterum caput in quo Orientales culpâ non vacant, nimiam adulationem spectat, qua Muhamedanis Sultanis, præter preces, quas ex officio debebant, multa detulerunt, quæ non licebant. Non modo publicas supplicationes coram ipsis faciebant, sed cum omni ornatu Ecclesiæ, & sacris

etiam vasis & Evangeliis ad Palatium ibant, præsertim in Patriarcharum inaugurationibus : multas causas Ecclesiasticas ad eorum tribunalia deferebant, tandemque eorum metu, non modò adversùs Muhamedanam impietatem ne hiscere quidem audebant, sed etiam ipsum impostorem Muhamedem absque honoris præfatione non nominabant, & sæpe laudibus prosequebantur, ut fecit inter alios Amrou Mathæi filius Nestorianus, qui illum magnopere commendat, quòd *Idololatriam sustulerit, uniusque Dei cultum propagaverit.* In eo modum omnem excesserunt Nestoriani, in quorum libris Theologicis post scripturæ testimonia, occurrunt petitæ ex impurissimo Alcorani cœno autoritates, ut in Tractatu de Fide Christiana Eliæ Metropolitæ Nisibeni, postea Catholici : in aliis sectis tale quid non facilè occurrit.

Dicet populus Fidem Orthodoxam. *Pag.* 12. *lin.* 1.

UT apud Græcos πίστις, ita apud Orientales *fidei* vocabulum, Symbolum Nicænum in communi usu Ecclesiastico significat, quod Coptitæ vocant, *Fidem Orthodoxam.* Hujus exemplaria Græcè exarata, cum versione Arabica, ad antiquitatis memoriam, repræsentat Codex Canonum antiquus Bibliothecæ Regiæ. Apud Coptitas an olim Græcè dictum fuerit potest dubitari ; sed dudum est cùm Arabicè dicitur : suntque illius diversæ versiones ; nam antiquior & melior ex Græco exemplari, quæ passim extat in Euchologiis, & aliis libris Ecclesiasticis, facta est ; aliæ ex Syriaca versione, & quidem duplices, nam est discriminis nonnihil inter eam qua Nestoriani utuntur, & alias. Eo nomine ipsos vehementer exagitat Severus Episcopus Aschmonin, singulari opusculo adversùs Ebn Obeid Metropolitam eorum Damascenum. Notat præcipuè quòd omittant hæc verba *cæli & terræ* : legantque ita, *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem omnium visibilium & invisibilium.* Tum *& in unum Dominum filium Dei unigenitum, primogenitum omnis creaturæ : ex patre natum ante sæcula, non creatum.* Neque habent, *lumen de lumine* : addunt etiam post ea verba *& homo factus est, conceptus in ea & natus ex Virgine :* reliqua minoris momenti sunt. In eo autem Symbolo, ut olim Christiani omnes, ita sectæ Orientales paucis syllabis exceptis conveniunt. Pariter etiam non modò inter se ipsæ, sed cùm Græcis consentiunt, in exagitanda additione à Latinis facta circà Spiritus Sancti processionem, per illa verba *qui ex patre filioque* procedit.

Symbolum recitatum olim Græcè.

Mſ. B. R. Nestoriani singulare ejus versionem habebant.

Eam quippe additionem condemnant, non modò quasi temere factam, & absque legitima autoritate contra Constantinopolitani Concilii & aliorum definitionem, sed etiam quasi novum dogma contineat, de processione sancti Spiritus à Patre & Filio, de qua nihil Symbolo adjectum velint : si quid alibi explicationis gratiâ addendum sit, nihil aliud quàm scripturæ verbis dicitur, *qui à patre procedit & à filio accipit*, ut in Liturgia Syriaca Dionysii : aut sicut in alia Jacobitis quoque propria Mathæi Pastoris. *Ipse à te, ô Pater, ab æterno procedit, & à filio tuo*

De additione *& filioque.*

Digitized by Google

quæ essentialia sunt accipit. Illius igitur additionis causâ, accusantur *Franci*, hoc est Latini à Severo Episcopo Aschmonin, & Ebnassalo Collectionis Principiorum fidei cap. 24. in quo adversùs eos, contra hanc additionem disputat, ut Petrus Melichæ Episcopus, de sectis: Paulus Seidæ sive Sidonis in Tractatu de eodem argumento: Abulbircat duobus in locis, non modò ubi loquitur de sectarum differentia, sed in expositione Symboli, ut etiam Autor scientiæ Ecclesiasticæ. Cùm verò multæ ejusmodi expositiones extent in Codd. MSS. breves aliæ, & quasi simplices Paraphrases, prolixiores aliæ, nix ulla talem observationem adversùs Latinos non habet. Neque ipsius symboli antiquum aliquod exemplar, aut recentius, cujus aliqua autoritas censeri possit, hanc additionem Latinorum more factam exhibet, nisi interpolatum manu recenti, ut sunt edita officia ad usum Maronitarum, ex quibus nulla adversùs communem usum Orientalium testimonia duci possunt. Occurrunt enim codices aliquot non valde antiqui, sed sinceri, pro ipsis Maronitis scripti, diu postquam ad Ecclesiæ Romanæ unitatem redierunt, in quibus hæc additio desideratur. In Euchologiis Melchitarum Arabicis, Symbolum descriptum est, ut vulgò apud Græcos legitur: *& in Spiritum sanctum Dominum; vivificantem; qui è Patre procedit.* Ita quoque in ejusdem Euchologii Melchitarum Arabici editione Fanensi an. 1514. Ut in antiquissimo Syriaco Codice Mediceo Collectionis Canonum. De Nestorianis certum facit consensus codicum illorum qui preces continent, eos sequi pariter Græcam lectionem: ita quoque Coptitæ. Nam in Codice qui *Theotokia* & diversas alias orationes Copticè & Arabicè scriptas continet, Symbolum legitur absque additione, ut in aliquot aliis, tam antiquis quàm recentioribus exemplaribus.

Echellensis notatus.

Temerè igitur omnino Abrahamus Echellensis in Notis ad Præfationem Arabicam Nicæni Concilii, in editione magna Parisiensi cum aliis ejus de hoc argumento opusculis recusam, scripsit. *Symbolum Nicænum cum particula*, filioque, *expressè habetur in editione Coptitarum cujus extat exemplar in Bibliotheca Ill. viri D. Gilberti Gaulmini.* Temerè, inquam, omnino, nam Codex Regius fuit olim Gaulmini, cujus omnes manuscripti in Regiam Bibliothecam translati sunt. Quòd si ut idem Echellensis subjungit, habetur eadem additio in Maronitarum exemplaribus, emendata illa fuerunt procul dubio per recentiores manus, ut in editione Liturgiæ Æthiopicæ, post Novum Testamentum factum est, & in omnibus ferme libris aliis qui aut Romæ, aut sub Romanorum Censorum oculis editi fuerunt. Nihil est enim certius, quàm ignorari penitus illam additionem, ab Ecclesiis quæ à Romana eam non acceperunt. Frustra etiam invocabuntur adversùs hanc observationem indubitatam, testimonia quæ postea adjungit Abrahamus, ex autoribus quos nemo præter eum unquam aut vidit, aut appellavit, & quos recentissimos esse dubitare non possumus. Unum habemus codicem ex quo excusari aliquatenus posse videretur, & is est Collectionis Canonum Coptitarum amplissimæ, in quo legitur Symbolum, cum additione verborum, *filioque*. Verùm annotat simul scriptor, illud esse secundùm

Francorum Codices ; quâ solâ notâ testatur, eadem verba à popularibus suis Christianis ignorari. Attamen licet ea sit Orientalium opinio, in sua traditione fundata, quòd nihil Symbolo adjiciendum sit, ignorant tamen contentiosam illam omnem Græcorum posteriorum de hoc argumento Theologiam, breviterque admodum in ea versati sunt.

Quamvis autem Symboli inter sacra mysteria recitatio non ab initio instituta fuerit, statim postquam ejus formula in Nicæno Concilio stabilita est, communis tamen Orientalium traditio, illud recitandi morem illis Patribus attribuit. Isa f. Zaraa Jacobita insignis Theologus, ita scribit in opusculo de Conciliis. *Præceperunt CCCXVIII. Patres ut istud fidei Symbolum recitaretur in omni Liturgia & oratione, utque illud ediscerent viri & fœminæ, juvenes & senes, servi & omnes fideles, illudque memoriâ tenerent, ut ad stata orationum divinarum & vespertinarum tempora illud recitarent.* Ebnassalus in Canonum Collectione cap. 14. *Recitetur Symbolum fidei Catholicæ in omni oratione* : alter quoque Ebnassalus in principiis fidei cap. 9. idem docet, ut etiam Severus opere de Synodis & Symbolo. Ebneltaïb Nestorianus Tractatu de Incarnatione. *Patres qui fidei Orthodoxæ Symbolum ediderunt, jussere ut illud memoriæ mandaremus ; utque illud in omni oratione & Liturgia recitaremus.* Ita omnes passim : neque enim in antiquis originibus Ecclesiasticis quidquam sciunt, præter communem & disciplinæ, quam oculis observant, conformem traditionem. Ita facilè crediderunt recitatum fuisse Symbolum jam à Nicænis temporibus, quia à Schismatum initiis aut circiter, talis erat Græcorum consuetudo. Theodorus lector anno DX. Timotheum Patriarcham statuisse scribit, ut per singulas Synaxes recitaretur : neque antiquiorum temporum autoritates certæ suppetunt : nam quæ ex fallis Decretalibus adducuntur, nullius momenti sunt. Petrum Gnapheum, Nicephorus recitationem Symboli instituisse scribit : & inde forte conjectura non inverisimilis duci potest, Hæreticos priùs incœpisse quàm Orthodoxos. Nam Nicænum Concilium semper in ore habent, quasi illorum novitatibus quidquam præsidii ab illo accederet. *Sanè seriùs omnino & non nisi post annum M. XIV. sub Benedicto VIII. Romæ cœpit cantari Symbolum, & ideò nec in Ordine Romano, nec in priscis Sacramentorum codicibus, nec apud Amalarium, Alcuinum, Rabanum, Remigium, & alios qui ante prædictum annum Romanæ Missæ Ordinem explanarunt, ulla Symboli mentio reperitur, cùm tamen multò ante in Hispania, Gallia & Germania cantaretur.* Verba sunt Cardinalis Bona, apud quem plura de hoc ritu legere quisque poterit, ut etiam apud Hugonem Menardum in Notis ad Sacramentale Gregorianum. Concilii Toletani III. an. D. LXXXIX. habiti Canon II. in re obscura lumen præferre videtur maximum : *Ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel Galliciæ, secundùm formam Ecclesiarum Orientalium, Concilii Constantinopolitani Symbolum fidei recitetur.* Jam igitur ante illam ætatem certa erat & usque in Hispanias pervulgata Symboli recitatio, in Orientalibus Ecclesiis, neque noviter introducta. Non alia igitur origo quærenda est inter Syros, Ægyptios, & alios qui ab Ecclesia recesserunt, quam imitatio consuetudinis Ecclesiasticæ, neque

Morem recitandi in Liturgia Symboli, Orientales Nicænis Patribus attribuunt.

Rerum Liturg. l. 2. c. 8.

Digitized by Google

postulandum ut Symbolum cum additione recitarent, quæ facta nondum fuerat, cùm ut omnes agnoscunt, in Hispania cœperit Priscillianistarum causâ, & non nisi post aliquot sæcula in Romanam Ecclesiam inducta fuerit.

Oratio osculi pacis.

P. 12. *l.* 11.

De osculo pacis.

OSculum sanctum, quod ex vetustissima Ecclesiarum consuetudine dare invicem Christiani inter sacra solent, Ἀσπασμὸς apud Græcos appellatur, quam vocem Coptitæ, Arabesque, ut & multas alias retinuerunt : itaque titulus istius Orationis est in eorum exemplaribus Εὐχὴ τοῦ ἁσπασμοῦ. Neque solùm eâ utuntur quando Copticè scribunt, sed etiam Arabicè. In Historia Patriarchali ad annum Martyrum CCCXXXIII. *quando adfuit tempus* ἀσπασμοῦ, *hoc est pacis.* Nempe eam retinuerunt ex Paulinis Epistolis ubi non semel occurrit Ἀσπάζεσθε ἀλλήλους, ἐν φιλήματι ἁγίῳ, *salutate invicem in osculo sancto.* In Syriacis Liturgiis *Pax* tantùm appellatur nempe שלמא, Arabicè سلام, eodem sensu, ut etiam apud nos. Ritus ille ab omnibus Ecclesiis retinetur : cum aliqua differentia : nam Latino ritu juxta illam Innocentii III. sententiam Ep. 1. *cum post omnia quæ aperire non debeo*, inquit, hoc est post mysteriorum consecrationem *pax sit necessario indicenda.* Attamen etiam inter Latinos, Ambrosianus & Mozarabicus Ritus, osculum pacis ante consecrationem præscribunt. Nota sunt quæ in Clementinis Constitutionibus, occurrunt de antiquo illo ritu l. 8. c. 11. & Concilii Laodiceni can. 19. *ut tres à fidelibus orationes fiant, prima silentio, dua elata voce, tum pax detur.* Ex antiquis illis monumentis petita sunt quæ habet Ebnassalus in Collectione Canonum cap. 12. *Diaconus stans cum Episcopo (aut Sacerdote) ad ministerium, edicet plebi, ut nullus inter se & fratrem suum dolum aut hypocrisin foveat : tum viri se invicem osculabuntur : mulieres verò alias mulieres osculabuntur, nec illis viri osculum dabunt.* Idem præscribit Abulbircat in Expositione Liturgiæ, Gabriël Patriarcha & alii rituum interpretes. Illud tiam non prætereundum est, quòd ex antiquitatis veneratione, Diaconus osculum pacis denuncians, adhuc populum Græcè alloquitur dicens: Ἀσπάζεσθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ : quæ verba leguntur apud Abulbircat, ut alibi. Ubi tamen observandum est Græcum exemplar editum, Liturgiæ D. Marci, hoc loco transpositione turbatum esse: sequitur quippe osculum pacis, Oratio Προθέσεως, de qua initio diximus. At ejus sensus & verba satis ostendunt, eam non suo loco esse positam, sed ad initium Liturgiæ revocandam : neque minùs turbatus ordo videtur, dum Symbolum in eâdem Marci, osculo pacis subjungitur : nisi hæc disciplinæ diversitas locum aliquando apud Græcos Alexandrinos habuerit, de qua tamen non liquet, aut suspicandi locus est. Verùm hæc difficultas facile solvitur : nam Orationes in codicem transcriptæ, non omnes dicuntur, sed aliæ atque aliæ, pro temporum diversitate. Itaque & ista Προθέσεως, & aliæ positæ locis non suis, recitandæ sunt juxta communem ordinem : neque di versi ritûs indicia sunt.

Digitized by Google

Eo autem Liturgiæ loco, diversi ritus veteres proprium locum habebant, qui dudum non adscribuntur in Codicibus, quia obsoleverunt. Tunc enim significabat Diaconus : *Ne quis ex Catechumenis : ne quis ex Infidelibus : ne quis ex hæreticis : ne quis contra quempiam, ne quis in hypocrisi*, & alia quæ exprimuntur ultimo Constitutionum Apostolicarum libro, Jacoboque attribuuntur : quæque leguntur in Marci Græca, & aliis Liturgiis. In Copticis nullum jam istorum apparet vestigium : supereſt tamen obscurum aliquod in Liturgia Æthiopica, quæ dicitur Domini nostri Jesu Christi, ubi circa Præfationis initium Diaconus dicit. *Si quis hypocrisin cogitavit intra cor suum, confiteatur : qui incidit in peccatum, ne obliviscatur illud, ut non oblivioni tradatur. Qui vitio aliquo mentis laborat, ne accedat : qui pollutus, qui impurus est, abeat.* Eo verò testimonio capi leve saltem indicium potest, has Diaconorum obnunciationes, quæ antiquitus communes toti Ecclesiæ fuerunt, in Ægyptiaca non omissas fuisse : verùm cùm à Muhamedanorum temporibus, maximum disciplina detrimentum ceperit, inseri codicibus desierunt, quæ ex quotidiano usu sublata fuerant. Neque enim jam Catechumeni publici, multò minùs pœnitentes, ulli supererant. Hujus mutationis, antiquæque pariter disciplinæ testimonium insigne habetur in Jacobitarum Syrorum Nomocanone verbis Jacobi Edesseni. *Olim*, ait, *post scripturarum lectionem, recitabatur oratio super audientes, & alta voce denunciabat Diaconus* : abite audientes : *atque ita transibant sub manu Episcoporum aut Sacerdotum : & abibant, simul etiam, Energumeni, Catechumeni, & Pœnitentes, super quos oratio peculiaris recitabatur à Sacerdote, post admonitionem Diaconi : cùmque benedictionem accepissent, exibant. Jam verò, cùm hæc sublata sint, post lectionem scripturarum dicitur Oratio Introitus* (seu εἰσόδου μεγάλης : nam est, ut diximus, delatio donorum consecrandorum à Prothesi ad altare, quæ ut apud Græcos ita & apud Syros non nisi post scripturas lectas perficitur : apud Coptitas, antea quàm legantur) *deinde dicitur Symbolum fidei, quod ab omni populo pronunciatur. Sequuntur tres orationes, Pacis, impositionis manuum, & ablationis anaphoræ, seu veli. Tum Sacerdos ter cruce signat populum dicens* : Charitas Dei Patris, &c. *Deinde incipit Oblationem priùs admonens & dicens* Sursum corda. Quàm verò hæc omnia Liturgiæ huic nostræ conveniant, patet, simulque Syriacum ritum, aut Græcum, ab Ægyptiaco non differre, nisi in illis quæ mutatio disciplinæ omittere coegit, ut est Catechumenorum & Pœnitentium dimissio.

Ritus diversi ad eam Liturgiæ partem olim observati.

Ms. Syr. Bib. Colb.

Porrò illa benedictio, *Charitas Dei Patris, gratia Filii, & communicatio Spiritus sancti* desumta est ex 2. ad Corinthios cap. 13. §. 13. quam esse ἐν πάσαις τῶν ἁπλουστέρων τῆς μυστικῆς λειτουργίας θεσμίοις, *in omnibus Ecclesiis mystica Liturgiæ proœmium*, scribit Theodoretus ad Joannem Oeconomum. Extat in omnibus Græcis & Orientalibus, Syris, Armenis; neque satis intelligere possumus, cur in hac Basilii Coptica hoc loco non reperiatur. Etsi enim multos optimæque notæ codices illius tractaverimus, in nullo à nobis observata est : neque in Æthiopico generali Canone qui ex ea expressus est. Sed nec illius meminit Abulbircat, dum singulas

Benedictionis formula antiquissima.

Theod. Ep. 146.

Digitized by Google

Liturgiæ partes explicat, quæ ratio cùm aliis conjuncta, facit ut dubitanter affirmemus, benedictionem illam prætermissam esse in codice Basilianæ Liturgiæ. Attamen reperitur in Græco Codice Regio Liturgiæ Alexandrinæ S. Basilii, ut in altera Gregorii. Ejusdem tituli Coptica eamdem habet & quidem Græcè; ut etiam à Maronita Interprete observatum est, qui verba Græca ad oram apposuit.

Notandum porrò in codice Coptico, primam orationem osculi pacis eam esse quæ ita incipit. *Deus magne & æterne qui hominem absque vitio condidisti.* Ea verò in Cod. Gr. Regio ita se habet. Ὁ θεὸς, ὁ μέγας, ὁ ἀίδιος, ὁ κτίσας ἐν ἀφθαρσίᾳ τὸν ἄνθρωπον. Eam sequitur altera. *Superant omnem vim sermonis:* quam Codex idem repræsentat Γᾶσαν ὑπερκειμένη τῇ λέξει δύναμιν. Sed in Græco exemplari prima est, cujus hoc initium. Κύριε ὁ θεὸς, ὁ κλίνας ἡμᾶς, καὶ ἀγαγὼν εἰς τὸν ζωὸν τοῦτον. *Domine Deus qui creasti nos & adduxisti in vitam hanc:* dicitur autem in titulo, esse S. Basilii: atque ea ipsa legitur in Græca vulgari Basilii Liturgia. In codice meo manuscripto Coptico-Arabico, duæ aliæ occurrunt: una titulo Joannis Bostreni in Coptico textu; at in Arabico qui est è regione dicitur sancti Joannis Chrysostomi. Incipit: *Deus Charitatis qui das cor unum.* Huic subjungitur alia Oratio pacis ad Patrem: *Deus omnium Domine, fac nos dignos hoc salutari,* &c. Quis sit iste Joannes Bostrenus huc usque agnoscere non potuimus. Bostra eadem urbs, quæ ab Arabibus postmodum, Basora appellata est; itaque illum eumdem esse non dubitamus qui alibi Joannes Basorensis dicitur, & cujus nomine extat Liturgia Syriaca, in codice Colbertino, ad usum Jacobitarum. Nam initio ejusdem occurrit statim hæc oratio, cum levi tamen, & quæ sententiam non interturbet, diversitate. Titulo מרי *Mar*, hoc est *Sancti* seu *Beati*, honestatur in codice Syriaco.

Hinc porrò manifestum est id quod semper in memoria haberi oportet cùm Orientalium ritus examini subjiciuntur, codices progressu temporis, ex descriptorum obscura diligentia, multas orationes quæ primitus non exstabant accepisse, ut ad arbitrium Sacerdotum dicerentur: & ex aliorum ignorantia titulos augustiores aliquando tulisse, qui deinde lectoribus fraudi fuerint. Ea oratione & altera breviori quæ subjungitur, carent Regii codices melioris notæ quam noster, qui non admodum antiquus est, ut non legebatur in Scaligerano; & aliis quos Maronitæ Romæ consuluerunt.

Anaphora sancti Basilii.

Pag. 13. *l.* 14.

Anaphora propriè dicta quid significet. *Euchol. Goar. p.* 136.

TItulus hic secundo loco repetitus, alio sensu accipiendus est quàm initio Liturgiæ, ubi integrum illius officium significat, hic verò secundam primariamque simul illius partem, in qua oblatio fit donorum, eorumque consecratio & distributio, quæ gratiarum actione concluditur. Ea propter ἀναφορὰ propriè appellatur, quia, ut in Missa Chrysostomi legitur, tunc ἀναφορὰ προσφέρεται, *Oblatio offertur*: & ut in Clementis Constitutionibus, est propriè tempus oblationis καιρὸς ἀναφορᾶς, quo appetente

Digitized by Google

appetente, portas claudi jubetur. Eo sensu etiam Προσφορὰ dicitur in Collectione Canonum sæpius laudata. *Diaconus afferet aquam, lavabuntque Sacerdotes manus suas, & dicetur* Προσφορὰ. Ita hæc officii pars Canoni nostro respondet, quòd intelligendum tamen ea ratione, quam hujus commentarii initio exposuimus. Nam propriè loquendo, hic incipit Liturgia, cum reliquæ orationes & cæremoniæ ad hunc usque locum, προπαρα κευαστικαὶ censendæ sint: atque ea fuit communis Expositorum Missæ Romanæ antiquiorum sententia. Florus Magister. *Antiqui autores ita sentiunt, Missam à præfatione incipere, præcedente lectione Apostolorum & Evangeliorum: præcedente nonnunquam etiam allocutione magistrorum, subjuncta quoque Symboli confessione, & oblatione populorum & initiata consecratione Sacramentorum.* Antiqua Expositio autoris anonymi. *Missa vocatur ab eo loco, ubi incipit Sacerdos Sacrificium Deo offerre, usque ad Ite Missa est.* In antiquissimis codicibus ante præfationem adscribitur titulus *Immolationis & Illationis*: de qua Isidorus l. 1. c. 15. *infertur illatio in sanctificatione oblationis*, In Missali Gothico & Gallicano. *Immolatio Missæ.*

Cùm igitur significatam rem habeamus ex communi omnium Ecclesiarum Orientalium Occidentaliumque disciplina, atque certum sit Oblationem hoc loco incipere, facilè intelliguntur verba semi-græca quæ hoc loco Codices Coptici repræsentant, quæque Arabes interpretes fefellerunt. Ita legitur προσφερὶν κατὰ τρόπον ἡμῶν Σταθητεὶς ἀνατολὰς βλέπετε: at versionis Arabicæ talis est sensus. *Accedite ô homines, state, ad Orientem, aspicite & respondete.* Maronita. *Accedite, sistite vos, & Orientem versus aspicite.* Nempe in Codice Scaligerano talis fuit Scriptura προσφερήματα σταθῆτε εἰς ἀνατολὰς βλέψατε. Sed hæc sunt planè nihili. Itaque primò legendum προσφέρειν: quæ vox titulus est sequentis officii quòd προσφορὰν & ἀναφορὰν vocari dictum est: inde formata, quia paulò ante in Græcis Liturgiis legitur, Πρόσχωμεν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐν εἰρήνῃ προσφέρειν, *attendamus ad sanctam oblationem in pace offerendam.* Hanc ultimam vocem ignari linguæ Græcæ facilè pro προσφορᾷ acceperunt; idque eo certiùs asserimus, quòd Arabes eam scribunt *Ebrosforin.* Ex voce Προσφέρειν Arabes verterunt, quasi initium orationis foret תקדמו, quæ est ambigua: significatque *accedite*, vel potius *offerte*: nullo etiam planè sensu. Neque enim Diaconus populum alloquitur, ad quem adhortatio accedendi vel offerendi, nulla ratione pertinet, quia nec accedunt ad altare Laïci, ut oblatas offerant: neque ipsi offerunt eas Deo per Sacrificium, nec inferunt ad altare, ut eas Sacerdos consecret; sed hæc sunt sacerdotalia munia. Neque etiam ad Sacerdotes aut Diaconos verba fiunt pro afferendis muneribus, jam enim facta est ἡ μεγάλη εἴσοδος, seu *munerum illatio*: multò minùs ad sacerdotem celebrantem. Nullum igitur illa vox sensum habet, alium quàm designatum à nobis, nempè ut significet *Prosphoram* sive oblationem hic incipere.

Sequitur μετὰ, ut in Codice Scaligerano, in nostro, κατὰ τρόπον ἡμῶν σταθῆτε. *State juxta morem nostrum vel vestrum*: aut post μετὰ subintelligendum φόβου: *stemus decenter, stemus cum timore*: εἰς ἀνατολὰς βλέψατε.

Hæc, inquam, omnia ſunt adhortationes ordinariæ Diaconorum ante diverſas orationes. Notantur autem vocibus tantùm initialibus, ut in Græcis Syriaciſque codicibus obſervatur. In omnibus verò Orientalibus Græcæ multæ ejuſmodi voces occurrunt: aut initiales tantùm, aut integræ, quæ ſæpè moleſtiam ingnem dederunt interpretibus, dum ex illis ſenſum continuum efficere niſi ſunt: quòd infeliciter præſertim tentavit Guido Fabricius Boderianus in verſione Officii Baptiſmalis Severi Patriarchæ Antiocheni, quem reclamantibus manuſcriptis codicibus Alexandrinum appellavit: neque enim Syriacæ linguæ uſus in ſacris aliquando Alexandriæ magis, quam Gothicæ fuit. In Græco Regio codice quæ antiquitatis nota certa eſt, nihil occurrit, niſi quòd Diaconus dicit Σὺν πνεύματι σου.

Ibid. l. 22.

Surſum corda, &c.

Hujus formulæ antiquus & generalis uſus.

HOc loco incipit Præfationis, ut noſtro more loquamur, antiquiſſimum & apud omnes Eccleſias receptum officium: nemini quippe in Eccleſiaſtica antiquitate vel leviter verſato ignota ſunt tam multa ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ ad hanc hortationem manifeſtè referuntur. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 5. Myſtagogica. Chryſoſtomus multis locis ut hom. 2. & 18. in 2. ad Corinthios. Auguſtinus, de bono viduitatis cap. 16. de vera religione cap. 3. In expoſ. Pſalmi 85. Epiſt. ad Dardanum & ad Probam: de bono perſeverantiæ cap. 13. §. 25. novæ edit. ut & 53. & 346. tum alibi. Nihil porrò frequentius apud ſanctos Patres occurrit, quàm ut ex notiſſima illa inter fideles adhortatione eos excitarent ad terrena deſpicienda, & cor in cælis habendum. Omnes igitur quotcumque extant, aut quarum memoria ſupereſt, Liturgiæ, eamdem formulam repræſentant, non modò Orthodoxorum Græcæ & Syriacæ, ſed Neſtorianorum tres: Jacobitarum Syrorum triginta ſex aut ampliùs, antiquæ aut recentiores: Ægyptiacæ tres, Græcæ ritus Alexandrini totidem: Æthiopicæ decem: Armenica: omnes tandem. Porrò id ſingulare habent Ægyptiacæ, quæ antiquitatis nota certiſſima eſt, quòd omnis illa adhortatio Græcè dicitur, etiam ex quo totum officium linguâ vernaculâ cœpit celebrari. Orationes primæ, & tota hæc formula extant in Liturgiis Græcis, ex quibus deſumtæ ſunt. Abſurdè igitur faciunt qui ex alio quàm ex Græco fonte illas interpretantur: ut Maronita qui Ἄλλος εἰρήνης, & quæ ſequuntur, ita cum primis verbis conjunxit ut ſenſum confici exiſtimaverit, ſed omnino falſum. *Afferte miſericordiam & pacem, & præclaram venerationem*: aut ut ex alio codice ad marginem adpoſuit. *Populus. Miſericordiam & pacem & Oblationem perfectam.* Ita quidem Arabes expreſſerunt, ſed quos ſequi non oportebat in errore tam manifeſto: nam quæ conjuncta ſunt quaſi ſententiam efficerent, diſtingui oportuit, cùm prima verba dicantur à Diacono: reſpondeat populus. Ἄλλος εἰρήνης θυσίαν αἰνέσεως. *Miſericordiam pacis, ſacrificium laudis*, nempe quaſi dicerent, ita, ô Diacone, attenti ſumus ad Oblationem, quæ eſt miſericordiæ & pacis obtinendæ efficax; laudiſque

Euchol. Goar. p. Bona Lit. l. 2. c. 10. Menard ad Sacr. Greg. p. 8.

Digitized by Google

Sacrificium : quod autem Arabes verterunt *Sacrificium perfectum*, ex vitiosa lectione ἀνίσιος factum, quòd intellexerunt quasi esset ἄνιος. At si Græcarum Liturgiarum lectionem sequimur, plana faciliaque sunt omnia. Ita quoque dicendum de subjunctis particulis : *Ubi sunt mentes vestræ* : quem sensum unde acceperit interpres divinare non possumus : nam in codicibus aliis multis legitur. *Levate corda vestra* : quod idem esse ac *Sursum corda*, vel *Sursum cor*, ut sæpè scribitur apud Augustinum, satis quisque intelligit. Tandem illa ultima periodus *Dignum & justum est* ; quæ à Sacerdote resumitur Præfationis initio, malè vertitur *Dignus & justus*, quasi ad sequentia verba pertineret ; quæ in unam sententiam Interpres conjunxit, in hunc modum *Dignus & justus est, qui permanet princeps*, &c. Cùm procul dubio vertendum sit, *Dignum & justum est*, quæ verba secundùm rubricam ter repetuntur : & postea comma figendum ; ut oratio à sequentibus verbis incipiatur. Quod verò ut apud Græcos & Latinos ab ea parte, Liturgia propriè dicta, sive oblatio incipiat, etiam ex Coptitarum sententia, probat Historia Patriarchalis in vita Sanutii LII. in qua de Abrahamo viro primario qui ad eum conquirendum Misram seu Cahiram venerat, ita scribitur. *Ingressus est in Ecclesiam S. Sergii, in qua congregati erant ; reperitque illos Liturgiam inchoantes, dicebatque plebs : Dignum & justum est.* In codice Regio recentiori scribitur hic esse initium Liturgiæ Basilii. In Rituali Gabriëlis Patriarchæ notatur *Sacerdotem, quando pronunciat Sursum corda, ter facere signum crucis*, 1°. *super se ipsum*, 2°. *super Diaconos ad altare ministrantes*, 3°. *super populum.*

In Regio codice Græco-Arabico hæ formulæ rectè expressæ sunt : at Arabs qui eas interpretatus est, aliis vocibus usus est quàm qui Coptica verterunt. In Græca Marci quædam vocum diversitas : & mox ὁ Ἱερεὺς ἄρχεται τῆς ἀναφορᾶς : *Sacerdos oblationem seu illationem incipit*, quòd in Græca Regii ἀρχὴ τῆς προσκομιδῆς. Malè Latinus interpres *elevationem inchoat.* Nam nunquam eo sensu accipitur vox Ἀναφορά, neque elevationi locus, ante consecrationem.

Qui sedetis surgite.

Ibid. l. 33.

ILla etiam verba Græcè extant ex antiquitatis, reverentia, in codicibus Ægyptiacis, ut & sequentia *ad Orientem adspicite*, & multa alia, quorum aliqua jam notavimus. Cum prolixissima sit celebratio Liturgiarum in Oriente, per intervalla sedere licet, at in certis orationibus stare admonentur omnes, ex vetusta consuetudine ; nam olim stantes & expansis manibus orabant Christiani, ut ex multis monumentis appareat quæ passim Romæ extant in Martyrum cæmeteriis, quorum multa typis descripta sunt in Roma subterranea. Ea ratione vetitum est Apostolicis & aliis antiquis canonibus, ne Dominicis & toto Paschali tempore genua flecterentur. De veteri more ad Orientem aspiciendi inter orandum, testatur Basilius de Spiritu sancto, atque illum inter traditiones non scriptas recenset. Autor Quæstionum ad Orthodoxos inter

Digitized by Google

opera Justini quæst. 118. Tertullianus in Apologetico. Aug. l. 10. de sermone Domini in monte, *cùm ad Orationem stamus, ad Orientem convertimur* : præter recentiores innumeros, totamque utriusque Ecclesiæ traditionem. Vid. Hugonis Menardi notas ad Librum Sacramentorum S. Gregorii. Adde Liturgias veteres Græcas omnes, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Marci, & Orientales cujuscumque linguæ. De eo ritu Ebnassalus in Collectione principiorum fidei cap. 13. & Jahia sive Joannes filius Isa Girjanensis ab eo laudatus, Abulfedail Ebnassalus prædicti frater in Canonum Collectione cap. 15. Autores anonymi varii, Abulbircat, Abusebah Tractatu de scientia Ecclesiastica, Amrus Mathæi filius Nestoriarus, qui fusiùs de hoc argumento tractat. Originem verò repetit usus orandi ad Orientem, ab Adamo, qui paradiso pulsus, cùm sub vesperam pararet se ad oratio: em, vidit ad Orientem circa locum paradisi, lucem magnam. Patriarchas deinde morem hunc servasse scribit, postea Apostolos: omnia altaria etiam antiquissima Antiochiæ & Modaïnæ ad Orientem versa fuisse. Ea porrò qualiacumque sint reperiuntur passim in libris Orientalibus; sed Nestorianus autor plus adhuc operæ impendit, quia cùm vulgo Nestoriani se Christianos Orientales appellari velint, ad suæ sectæ dignitatem pertinere arbitratus est omnia quæ ad Orientis honorem spectare viderentur.

P. 69. & seq.

P. 14. l. 3.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

De hymno ter Sanctus.

HYmnus notissimus qui in omnibus Ecclesiis hoc loco canitur, & quem Græci ὑμνικὸν appellant, ut Arabes etiam, eodem sensu. Nam ut Goario & aliis observatum, quatuor hymnos Græci distinguunt, Angelicum, Cherubicum, Trisagium & illum Triumphalem. Illos, cùm accuratiùs loquuntur, distinguunt: ita ut Angelicus sit *Gloria in excelsis*: Cherubicus, qui habetur in Euchologio p. 106. incipitque ab illis verbis Οἱ τὰ χερουβὶμ μυστικῶς εἰκονίζοντες. *Qui Cherubin mystice repræsentant*: Trisagius is propriè sit, qui ita concipitur, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, &c.* Triumphalis verò, is in quo explicando sumus. Attamen, ut ipse Goarius agnoscit, non tam certa est illa distinctio, quin etiam hymnus ὑμνικὸς, & Angelicus & Cherubicus, imò & τρισαγικὸς appelletur à probatissimis scriptoribus. Eam sententiam confirmat multis autorum testimoniis Carolus Fraxineus Cangius in Glossario Græco-Barbaro, voce Τρίμιος. Imò & Seraphicus appellatur sive Ἡ ὑπὲρ τὸ σεραφὶμ δοξολογία à Cyrillo Hierosolymitano & βοάμεν τὸ σεραφὶμ ὕμνον ab Aretha in cap. 1. Apocalypseos. De eo videndi Germanus Patriarcha, Cabasilas, Symeon Thessalonicensis, Goarius in Notiis ad Euchologium & Menardus ad Sacramentarium Gregorii. Sed hæc Græcos spectant, Syri tam Jacobitæ, quàm Nestoriani & Melchitæ, Coptitæ, & Orientales tandem omnes, duos tantum hymnos seu *sanctificationes*, ut vocant, agnoscunt, istum qui simpliciter, *Sanctus* dicitur à prima voce, & *Trisagium* propriè dictum. Cherubicum non habent: *Gloria in excelsis*, non alibi quàm in precibus extra Liturgiam, recitare solent. Alium verò qui propriè Τρίμιος appellatur,

Cyr. Cath. Myst. 5. Euchol. p. 135. Menard p. 10. & seq.

dicunt Syri ante præfationem ; quidam non nisi post lectum Evangelium. In officio Coptico, ex quo excerpsimus omnia ferme disciplinæ capita, quæ in aliis codicibus non reperiuntur, præceptum reperimus, ut ille hymnus dicatur ante Orationem, quam proximè sequitur Evangelii lectio. In ea verò disciplina sequuntur eam quam Marci Græca Liturgia præscribit. Nam ante Evangelium lectum, statim atque Sacerdos pronunciavit Orationem, quæ idcirco Trisagii appellatur ; (ea verò sequitur Εισόδο. Evangelii seu solennem ejus illationem) dicitur *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* In Copticis exemplaribus, vulgò non assignatur hic Hymnus. Cùm verò duo illi hymni ter sanctum contineant, de utroque ad hunc locum dicere distulimus.

De primo quidem observandum, antiquum illum omnino esse, atque si non illum ipsum, saltem ejus vestigia apparere in vetustis Judæorum precibus, quarum, ut eruditi sciunt, summa vetustas est, & si paucas excipimus, reliquæ è veteri Synagoga acceptæ sunt, adeo ut cum primis Christianorum precibus aliquam habere queant affinitatem. Ista igitur Δοξολογία similis est alteri quam in Judaïcis Ritualibus legimus. *Angeli omnes aperiunt ora sua in sanctitate & puritate, cantico & hymno benedicunt, laudant, extollunt, sanctificant, fortitudinemque & imperium tribuunt nomini Dei, regis magni, potentis, terribilis, sancti illius. Omnes in se jugum regni cœlorum suscipiunt, unus ab altero : dantque potestatem sibi invicem sanctificandi factorem suum, tranquillo spiritu, labio puro, & voluptate sancta : omnes unius instar respondent, cum terrore & cum timore dicunt : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum ; plena est omnis terra gloria ejus.* Hunc porrò hymnum Επινικον, non modò in Liturgia, Christiani Orientales ad hunc locum recitant, sed etiam in quotidianis precibus quæ Euchologio continentur, tam secundùm codices manuscriptos quàm secundùm antiquam editionem Fanensem, ubi ita legitur. *Sex alis instructi, labiis incorporeis indesinenter loquuntur, offerunique tibi laudem ter repetitam : & nos in terra constituti offerimus tibi gloriam & dicimus, sanctus &c.* Cùm verò omnes illæ formulæ in unam eamdemque sententiam conspirent : ut in Græcis, ita in Ægyptiacis, sed maximè in Syriacis Liturgiis magna est illarum, quoad verba orationisque elegantiam, varietas ; & recentiores autores in illis maximè locis amant rhetoricari. *Horol. Arab. Fanii editum 1514.*

De Trisagio. De Trisagio propriè dicto pauca jam observanda sunt. Hymnus ita Græcè se habet Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Illius originem Græci autores omnes referunt ad Procli Constantinopolitani Patriarchæ tempora, cùm scilicet, urbe magno terræ motu concussa, puer in sublime raptus, illum edoctus est omnemque plebem eum canere hortatus est, atque ita calamitati finis fuit. Ita Jobius apud Photium, Joannes Damascenus, Theophanes, & omnes ferme recentiores, tum historici, tum rituum interpretes. Illorum testimonia & quacumque ferme de Trisagio dici possunt, compendio explicavit vir Clarissimus in suo Glossario Hymno, cujus simplex hæc primùm forma fuit, Petrus Gnapheus Antiochenus- *Cod. 222. L. 3. de side Orth. & Opuscul. de Trisagio. n. ed. T. 1. p. 480.*

Episcopus addidit hæc verba *qui crucifixus es pro nobis* : quæ cùm memoriæ plebis mandata supprimere difficile foret, Calandion Orthodoxus, ut ea ad sententiam innoxiam reduceret, hæc adjunxit Χριστὲ βασιλεῦ, *Christe rex*, ut ad Christum referrentur : sed reclamavit semper adversùs pium Calandionis, Ephræmii (qui de his apud Photium multa notatu digna refert,) aliorumque Orthodoxorum consilium, factio Gnaphei sequax. Ita factum, ut Monophysitæ tanquam communi tessera, hoc hymno per Gnapheum corrupto, non alio uterentur. Extant de hoc argumento aliquot insignes Epistolæ Felicis III. Romani, Acacii Constantinopolitani, Quintiani Acullianarum, Justini Episcopi in Sicilia, Asclepiadis Trallium, Antheonis Arsinoes, Fausti Apolloniadis, Pamphili Abydorum, de quibus varia sunt doctorum virorum judicia. Anastasius Imperator quem Jacobitæ ob partium suarum studium, quasi novum Constantinum venerantur, additionis Gnaphei acerrimus defensor fuit, ut ex Theophane, Cyrillo Scythopolitano in vita S. Sabæ, Marcellino Comite, Victore Tononensi & aliis observavit Cangius, qui pariter ex Græcis autoribus probat eam additionem à Monophysitis conservatam fuisse ; quod ut istorum autoritate, quantum opus erat, probavit, de Jacobitis eorum successoribus, idem omnino statuendum est. Sed de illis videndæ sunt præfatio & notæ doctissimi P. Michaëlis Lequien qui omnia quæ apud Græcos autores referuntur de hoc argumento, accuratè explicavit.

Vit. S. Saba. c. 32.

Quomodo recitetur à Jacobitis.

In Euchologiis Melchitarum manuscriptis & in eo quod Fani editum fuit, hymnus absque illa additione reperitur, sicut Orthodoxa ab initio illum recitavit Ecclesia. Ita & in Nestorianorum sacris officiis, eumque purum & absque tali lacinia refert Amrus Mathæi filius. *Alia*, inquit, *oratio, est hymnus trium verborum, aut tripartitus, qui auditus fuit in sanctuario Ecclesiæ majoris Constantinopoli ex ore Angeli, quando accidit continuus per quadraginta dies terræ motus, qui conquievit statim atque magna voce cani hymnus cœptus est. Is autem ita habet : Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Jacobitæ porrò cujusdam manu ad marginem adjunctum est, *qui crucifixus es pro nobis.* Et sanè Jacobitæ, Syri & Ægyptii aliter eum non recitant, nisi cum additione illa antiqua & breviori, vel cum ampliori, & quæ ad eamdem sententiam explicandam adhiberi potest, paraphrasi, cujus etiam non una forma est. In Euchologio Coptico. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis ; qui natus es de Virgine, miserere nobis. Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis : qui surrexisti à mortuis & adscendisti in cælum, miserere nobis* : Et ut in alio Codice quo Theotokia continentur : *Sanctus Deus, sanctus fortis, &c.* ad singulas illas additiones repetitur.

Illius diversæ paraphrases, & explicationes.

Aliæ diversæque ejusdem paraphrases occurrunt in Jacobitarum Syrorum libris Ecclesiasticis, ex quibus intelligi volunt, hymnum totum ad Christum referri ; quod si fieret, carere illum omni pravæ doctrinæ suspicione judicavit olim Calandion Antiochenus, qui *Christe Rex* initio addi jusserat: & postea ejus successor, fideique imitator Ephræmius, qui in

Cod. 228.

Digitized by Google

ſuis excerptis apud Photium, (nam liber ipſius intercidit,) Orientales qui hymnum ad Chriſtum referendum certis verbis determinant, ab omni erroris ſuſpicione abſolvit. In eadem prorſus ſententia ſunt Theologi Jacobitæ qui de eodem hymno ſcripſerunt, Dionyſius Barſalibi Amidæ Metropolita, in Commentario ad Jacobi Liturgiam, & in Apologia adversùs Calchedonenſes, ſeu Orthodoxos. *Dicimus*, inquit, *ad illum* (Chriſtum) Sanctus Deus, *quia licet pauper factus ſit cùm incarnatus eſt, non eſt tamen immutatus, ſed eo ipſo quo incarnatus eſt, Deum eſſe ſe oſtendit. Cùm dicimus* Sanctus fortis, *intelligimus Deum Verbum, qui carnem accipiendo pro nobis, infirmus apparuit, fortem eſſe duplici ratione: & quia manſit impaſſibilis, & quia ſatanam devicit. Cùm dicimus* Sanctus immortalis, *laudamus Verbum, quia poſt incarnationem & pugnam cum morte, manſit immortale quatenus Deus: Tandem addendo* qui crucifixus es pro nobis, *gratias ipſi agimus, quod ad crucem & mortem in carne perferendam, noſtri causâ devenerit.* Sed fuſiùs de hoc argumento ſcripſit Abu Raitha Takritenſis in opere ſingulari, ubi inter alia hæc leguntur. *Cùm Neſtoriani & Melchitæ audiunt à nobis hymnum quem ter dicimus, Sanctus Deus: ſanctus fortis: ſanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis; extollunt voces ſuas adversùm nos, noſque ſectæ Jacobiticæ Orthodoxæ ſequaces graviter inſectantur. Verùm faciunt id immeritò, dum opinantur, quòd ſanctus Deus, cadat in Patrem: ſanctus fortis, cadat in Filium: ſanctus immortalis, cadat in ſpiritum ſanctum. Cùm verò ea diximus verba, concludimuſque per crucis commemorationem, exiſtimant illa ultima referre nos ad Trinitatem ſanctam. Verùm res non ita ſe habet, quemadmodum judicant, neque vera eſt illorum adversùs nos criminatio. Hujus autem hymni hæc interpretatio eſt. Sanctus Deus qui incarnatus es pro nobis abſque immutatione, permanens in ſtatu divinitatis tuæ: ſanctus fortis qui oſtendiſti quàm magna poteſtas tua eſſet, exhibendo infirmitatem. Sanctus immortalis qui crucifixus es propter nos; qui mortem volens ſuſcepiſti, & ſuſtinuiſti eam in corpore tuo ſuper crucem: mortuus viſus, nec tamen moreris, miſerere nobis. Reſpondemus igitur, quantum ad opinionem illam quam de nobis habent, nos talem blaſphemiam non credere, neque vel cogitando ad eam inclinare. Verùm eo hymno laudamus unam trium perſonarum divinarum, Deum Verbum incarnatum & hominem factum propter nos, abſque immutatione, aut alteratione à divinitate ſua, aut diviſione, qua cadat in eum qui pro nobis crucifixus eſt.* Eamdem prorſus explicationem afferunt autor Scientiæ Eccleſiaſticæ, Abulbircat, & omnes tandem qui de Triſagio ſcripſerunt Jacobitarum Theologi, quos Ephræmio judice excuſare facile foret, niſi novitati importunæ pertinacia acceſſiſſet in retinenda additione, quæ ſolâ ſuâ novitate Eccleſiam conturbaverat. Verùm quamvis culpâ non careant, abſunt tamen à Patripaſſianorum hæreſi, de qua vulgò à noſtris autoribus poſtulantur.

Digitized by Google

P. 15. l. 10.

Hoc est enim corpus meum, &c.

Præfationis expositio.

ORationis, quæ à Sacerdote post hymnum triumphalem à plebe dictum pronunciatur, communis est in omnibus Officiis forma : nisi quòd in antiquis brevior, in aliis aliquanto prolixior est. Omnium sententia eadem, nempe beneficiorum Dei erga humanum genus enumeratio à creatione : tum ex caritate, qua post Adami lapsum homines à perditione revocavit, mittendo Patriarchas, & Prophetas & legem dando : tandemque per Incarnationem unigeniti filii sui, totamque ejus in terris dispensationem, mortemque salutarem, liberando à servitute diaboli. Cùm verò ante passionem, Christus Sacramentum corporis & sanguinis instituerit, jusseritque Apostolis & per eos Ecclesiis omnibus, ut illud in sui memoriam celebraretur, ab illorum usque temporibus, Ecclesiasticæ disciplinæ perpetua lex fuit, ut ejusdem institutionis memoria repeteretur, & eadem ipsa verba adhiberentur quibus in ultima cœna Christus corpus suum & sanguinem discipulis tradens, usus fuerat. Quippe Liturgia vetus nulla verbis illis caruit, quæ, ut illa Dei *crescite & multiplicamini* initio rerum creatarum prolata, huc usque operantur, ita quotidie à sacerdotibus prolata, producunt efficaciter id quod significant ; ut Chrysostomus scripsit, piè juxta & eleganter. Omnes igitur illarum Orationum formulæ de divinis beneficiis sunt, deque ultimo illo passionis, & sacramenti instituti, ad peccatorum remissionem, vitamque æternam præstandam. Hæc verò omnia in hac Coptica Liturgia referuntur oratione continua, ut apud plerosque Orientales, qui preces varias pro vivis & mortuis, sanctorumque commemorationes non interponunt, sed differunt usque ad Invocationem Spiritus sancti. In tertia tamen Liturgia quæ Cyrilli dicitur, inseruntur ante pronunciationem verborum Christi orationes multæ pro diversis, quod etiam observatur in Liturgiis Nestorianorum. Idem observatur in Græca Marci, in qua paucis verbis post hymnum triumphalem, ad sacrorum Christi verborum pronunciationem pergitur.

Verba Christi quomodo pronunciantur.

Ea autem, alta voce dicuntur à Sacerdote, ut populus audiat : & assensum fidemque suam testetur, ut facit dicendo & quidem Græcè, quod majoris antiquitatis indicium est, Πιστεύομεν, *Credimus.* Ad singulas quoque orationis partes acclamatur, *Amen* ; ut ex rubrica, quam ex Codice Regio transtulimus, manifestum est. Ea verò acclamatio, assensum fidei religiosum exprimit, circa omnia quæ ex Evangelica historia mox proferuntur, tandemque Sacerdos pronunciat hæc sacra verba. *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur & pro multis datur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem.* Græca Marci Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum.* Illud *enim*, ut formulam per partes explicemus, non habet Liturgia quæ subjungitur Clementinis Constitutionibus : non Jacobi, non Basilii tam vulgaris, quam Alexandrina. Sed Coptica, vocem ipsam Græcam

Græcam habet, quæ in illam alteram linguam migravit Φαι γὰρ πνευμα: Syri, quorum primaria Liturgia ex Jacobi Græca expreſſa eſt, γὰρ non habent, etſi in Syra non minùs quàm in Ægyptiaca lingua uſurpatum. Verùm in omnibus manuſcriptis atque inter alios, membranaceo uno vetuſto Colbertino, legitur: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis & pro multis frangitur & datur in remiſſionem peccatorum & vitam æternam.* Ita quoque in Gregorii Liturgia Coptica, in Æthiopicis & in multis Syriacis. Nempe illis verbis, fractio corporis Chriſti in Euchariſtia, fractionem ejus, lacerationemque in paſſione ſignificat, quæ per panis Euchariſtici diviſionem repræſentatur. Unde non ſolùm vox κλώμενον occurrit, ſed & alia θρυπτόμενον, quæ utrumque ſenſum complectitur.

Omnes porrò, quas unquam videre licuit, Liturgiæ, quâcumque linguâ, formam verborum Chriſti eo ferme modo, quo hæc Baſiliana, exhibent: neque ulla ſimpliciter Latinam refert, niſi recentiores & reformatæ. Qui verò aliquando exiſtimaverunt periculum aliquod in diverſis ab ea formulis deliteſcere, dubitarique poſſe de verborum Chriſti efficacia, ſi quid adderetur vel minueretur, atque ea ratione formas mutandas cenſuerunt, fecerunt id, quantum perſpicere potuimus, privato judicio ſuo, non legitimâ Pontificum autoritate. Quis enim unquam dubitavit de efficacia & integritate formæ, quam Liturgiæ Baſilii, Chryſoſtomique continent, quamque Eccleſiæ Græcæ omnes per multa ſæcula, cum Orientalium & Occidentalium ſumma concordia foret, ad altaria uſurpaverunt, cùm vigeret inter omnes arctiſſima omnes communio.

De adjuncto *Amen* & illius ſignificatione.

Eſt autem aliqua circa illam acclamationem populi in Codicibus differentia: Codices enim antiqui *Amen* habent, nihil præterea; ut etiam recentiores non pauci. Regius qui cum cæremoniis omnibus accuratiſſimè deſcriptus eſt, habet hæc verba: *Hoc verè ita eſt.* Quæ pariter recitanda præſcribuntur, poſt calicis benedictionem. Inde quæſtio naſcitur de illorum ſenſu, qui duplex eſſe poteſt. Primus ut ad hiſtoriam inſtitutionis ſacramenti referantur, de qua particulatim per *Amen* pronunciatum, teſtentur credere ſe Coptitæ, facta eſſe à Chriſto omnia, quæ Sacerdos recitavit; atque ita agnoſcere ſe, Chriſtum panem accepiſſe, benedixiſſe, fregiſſe, & corpus ſuum feciſſe, Apoſtoliſque ſuis diſtribuiſſe dicendo: *Hoc eſt corpus meum.* Ita hæc verba explicavit autor ſcientiæ Eccleſiaſticæ. *Dicat populus*, Credimus, confitemur & laudamus. *Idem eſt ac ſi diceretur, firmiſſimè tenemus, certi ſumus & confitemur quidquid modò dixiſti, ô Sacerdos, de hiſtoria Evangelica quam recitaſti nobis, nempe quòd Chriſtus acceperit panem in manus ſuas*, &c. Et ſanè quæ huic opinioni faveant rationes, multæ ſunt. Nam ut confeſſio ad veritatem corporis Chriſti in altari jam præſentis referatur, neceſſe non eſt ad ſingula quæ Chriſtus in ſacramento inſtituendo fecit immorari, & *Amen* inclamare: neque duplex eſſe videtur in eadem Liturgiâ, fidei de Euchariſtia confeſſio. Ea autem quæ propriè ita appellatur, & quæ dicitur ante communionem, talis eſt tamque perſpicua, ut alteram non deſideret.

Digitized by Google

An referendum sit ad veritatem narrationis Evangelicæ, an ad fidem realis præsentiæ.

Eò igitur inclinare videntur omnia rationum momenta, ut acclamatio τὸ *Amen*, magis pertineat ad agnoscendam veritatem eorum quæ ex Evangelica historia Sacerdos pronunciavit circa institutionem sacramenti, quàm ad singularem de veritate corporis & sanguinis Christi confessionem. Obstat Liturgiæ Æthiopicæ autoritas, quæ cùm ante aliquot sæcula ex Coptica expressa fuerit, hunc locum ita exprimit, ut ad Eucharistiam, non ad institutionem ejus, referatur: *Credimus & confidimus, & laudamus te: hoc est in veritate corpus tuum*: ita vertit Kircherus, ea verba referens in Prodromo Coptico. In Romana editione *Amen, Amen, Amen. Credimus & confidimus & laudamus te, Deus noster; hoc verè est corpus tuum.* Accuratiùs ex Æthiopico vertas. *Credimus, & certi sumus, & laudamus te Domine Deus noster; hoc est verè, & ita credimus, corpus tuum.* Ita quoque post calicis benedictionem. Ea verò tam perspicuè ad fidem ipsius mysterii, non ad institutionem ipsius pertinent, ut nullâ, nisi violentâ interpretatione, in contrariam sententiam duci queant. Cùm igitur Liturgiæ Æthiopicæ autores, qui vel erant ipsi Patriarchæ Alexandrini, vel Metropolitæ ab illis missi, hanc orationem ex Coptico exemplari expresserunt, eam ita sunt interpretati, ut ad Eucharistiæ fidem referri censuerint, illam tali sensu à Coptitis intellectam fuisse, non temeraria prorsus conjectura est. Eamdem confirmant aliæ Æthiopicæ Liturgiæ. Quæ cùm ita sint, neque satis determinari possit, quo sensu hæc confessio intelligenda sit, rem in medio relinquimus. Neque enim magnopere refert in quo accipiatur; cùm fides Coptitarum atque Æthiopum, ex aliis Liturgiæ locis tam perspicuè probata sit, ut de ea ne levis quidem causa dubitandi esse queat.

Fides realis præsentiæ aliis locis significatur.

Tribus quippe locis mutatio elementorum in corpus & sanguinem Christi manifestè significatur: Oratione quæ post præparationem altaris dicitur: Invocatione Spiritus Sancti, & Confessione præscripta ante communionem. Illud modò superest, quòd, si hæc quam exponimus, τὸ *Amen* acclamatio pertineat, ad agnoscendam veritatem corporis Christi in Eucharistia, sed ad solam rerum ex Evangelio recitatarum historiam sequi videtur Coptitas, ut etiam Græcos, etsi Invocationi spiritus sancti multum tribuant, & eam ex simplici verborum sono intelligendam arbitrentur, agnoscere tamen præcipuam in Christi verbis efficaciam, quod postea probabitur. Quibus enim incommoda multa ex Invocatione sequi creduntur, adversùs doctrinam de consecratione elementorum per verba Christi Domini, ut Bessarion, & Petrus Arcudius; illi in acclamatione τὸ *Amen* confessionem de reali præsentia corporis Christi contineri pertendunt. *Hoc ostendunt*, inquit Bessarion, *populi ad ea verba responsiones. Sacerdote enim illa verba, ut vos Græci soletis, pronunciante, assistens populus in utraque parte respondet* Amen, *quasi dicat, vere ita est ut dicis... Amen igitur ad ea verba respondens populus: certè, inquit, corpus & sanguis Christi sunt munera ista proposita, ita credimus, ita confitemur.* Confirmatur etiam hæc sententia per orationem quam Græci inter hæc verba pronunciant, cùm *Amen* dictum est Πιστεύω κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι ὧν πρῶτος

ἀμὴ ἐγώ. *Credo Domine atque confiteor, quoniam tu es Christus filius Dei vivi, qui in mundum venisti peccatores salvare, quorum primus ego sum.* Ex ea quippe Arcudius elicit, confessionem breviorem, quæ per *Amen* explicatur, ad consecrationis factæ veritatem pertinere; atque ad eam opinionem accedit Jacobus Goarius. Et sanè quandoquidem ex vetustissima Ecclesiæ disciplina scimus, fideles, cùm illis Eucharistia distribueretur, sacerdotesque dicerent *Corpus Christi*, nihil aliud respondisse quàm *Amen*; & in illa tamen simplici responsione contineatur confessio de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia exhibiti, eadem affirmandi formula, quam Liturgiæ Copticæ repræsentant, similem sensum initio habere potuit: neque enim ullum alium pati posse videtur in Græca Marci Liturgia, ubi *Amen* non multoties reperitur post singula verba, ut in Coptícis exemplaribus, sed semel tantùm post verba, quæ ad panis consecrationem pertinent. Quòd verò multiplicatio acclamationis *Amen*, hanc peperierit ambiguitatem manifestum est. Ea si desit, nulla difficultas supereſt quin, ut apud antiquos Christianos, ita & apud Coptitas de veritate narrationis, non magis, quàm de veritate mysterii possint intelligi; præsertim cùm Liturgia Coptica, quæ dudum facta est ex Codicibus qui vulgares Græcos antiquitate superant, aliam earum acclamationum dispositionem habeat, integramque de veritate corporis Christi confessionem. Saltem ex innoxia illa lectionum diversitate agnosci potest alterum illum sensum non ita excludi, quin etiam commodè Coptitarum acclamationibus adjungi queat: id si fiat, nihil novum aut inauditum postulabitur, dum asserimus eos ipsis, quibus antiqua Ecclesia, verbis fidem explicasse suam. Lectio Græca Codicis R. opinionem firmat.

Arcud. l. 3. c. 26. *Euchol. p. 138.*

Hic est enim Sanguis meus, &c. *Ib. l. 23.*

Forma benedicendi calicis.

HÆc forma benedicendi calicis eodem modo se habet in Codice manuscripto Græco Cod. R. Ομοίως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν, κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, εὐχαριστήσας. Ο λαὸς. Ἀμήν. Εὐλογήσας. Ο λ. ἀμήν. ἁγιάσας. Ο λ. ἀμήν. Γευσάμενος, πάλιν, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς. *Similiter & calicem postquam cœnavit miscens & vino & aqua, gratias agens* Pop. *Amen: benedicens* P. *Amen. Sanctificans* Pop. *Amen, gustans iterum dedit sanctis suis discipulis, &c.* Ea verba accuratè reddit textus Copticus, qui rectè ἁγίοις, quos ut Latina, ita Ægyptiaca lingua non habet, per præteritum interpretatur. Gratias egit, *Amen*: benedixit eum, *Amen*. Sanctificavit eum *Amen*. *Gustavit*. Ita Græca Marci inqua ita legitur, Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν, καὶ κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, αἰωρήσας εἰς τὸν οὐρανὸν πρὸς σὲ τὸν ἴδιον πατέρα, θεὸν τῶν ὅλων, καὶ σὸν τῶν ὅλων, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, ἁγιάσας πνεύματος ἁγίου, μετέδωκε τοῖς ἁγίοις μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις αὐτοῦ· πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ο λαὸς, ἀμήν. *Similiter & calicem, postquam cœnavit, accipiens & miscens vino & aqua, aspiciens ad cœlum, ad te patrem suum, nostrum autem & omnium Deum,*

Digitized by Google

gratias agens, benedicens, replens Spiritu ſancto, dedit ſanctis & beatis ſuis diſcipulis & Apoſtolis, dicens: bibite ex eo omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Populus. *Amen.* Omnes verò Orientales formulæ, Syriacæ, Ægyptiacæ, Æthiopicæ, iiſdem prope verbis conſtant. Solæ Maroniticæ recentiores, ſcilicet quæ in Miſſali Chaldaïco Romæ edito leguntur, Latinam formam exprimunt, contra manuſcriptorum omnium fidem. Neque enim ulla Græca aut Orientalis alia Liturgia, agnoſcit hæc verba, *æterni* Teſtamenti, neque illa *myſterium fidei*: neque Eccleſia Romana ex illorum defectu unquam judicavit deeſſe aliquid Orientalibus ad Euchariſtici ritus integritatem: neque Græcos aut alios Chriſtianos peregrinos, quando ad Catholicam unitatem reverſi ſunt hortata eſt ad illa in Codices Liturgicos ſuos recipienda, multò minùs ut id facere cogerentur, unquam cogitavit. Alio ritu ſæpe mutatur ordo verborum, ut *Hic eſt calix ſanguinis mei*: aliàs *Hic eſt ſanguis meus*, ut in Cyrilli Syriaca: *qui teſtamentum mortis meæ obſignat.* In primaria, quæ eſt Jacobi. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis fidelibus effunditur & datur in remiſſionem peccatorum & vitam æternam.* In Æthiopica generali. *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effunditur in remiſſionem ſeu veniam multorum, Amen.* Sequiturque, ut ad priora verba quæ ſuper panem dicuntur, ſimilis confeſſio *Amen: verè hic eſt ſanguis tuus, & ità credimus.*

Additio *æterni* & *myſterium fidei*: non eſt in Mozarabicis & aliis manuſcriptis.

Quamvis verò Miſſa Latina vulgaris, habeat hæc additamenta *æterni* & *myſterium fidei*, quorum verborum antiquior eſt uſus, quàm ut illa neceſſe ſit, autoritate alia, quàm vetuſtiſſima Eccleſiæ Romanæ traditione confirmare, obſervandum tamen eorum causâ, qui illa Liturgiis Orientalibus adjici vellent, carere illis antiquam Miſſam Mozarabicam, ubi ita legitur. *Hic eſt calix novi Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* ſicut & in Ambroſianæ antiqua legebatur tantùm: *Hic eſt enim ſanguis meus*: quemadmodum ad primam partem formæ dicebatur: *Hoc eſt enim corpus meum quod pro vobis confringetur.* Eam verò formam Gallicanæ fuiſſe ſimilem judicat doctiſſimus Joannes Mabillonius ex Miſſali Gothico, ubi in Miſſa de Nativitate Domini *poſt ſecreta*, id eſt poſt conſecrationem, hæc leguntur: *Corpus tuum in remiſſione peccatorum confractum* &c. quæ verba proximè relatis conſecrationis verbis reſpondent. Admonet autem ad hæc verba Autor ſcientiæ Eccleſiaſticæ, ſacerdotem, dum illa pronunciat, calicem leviter inclinare, ad deſignandam effuſionem ſanguinis Chriſti: populum verò ſicut priùs dicere, *credimus & confitemur & laudamus.*

De Liturg. Gall. l. 1. c. 5.

De additione vocis *guſtavit.*

In hoc verò Liturgiæ loco ad ea quæ ex Evangelica hiſtoria deſumta ſunt, adjectum eſt in forma calicis benedicendi, *guſtavit*, ut in duabus aliis ejuſdem linguæ, Gregorii & Cyrilli. In Neſtorianis tribus, ut in Jacobitica Syra manuſcripta, quæ nomen habet Petri Principis Apoſtolorum, in priori parte additur poſt verba *fregit*, & *comedit*, nempe ex communi Orientalium traditione ſecundùm quam credunt Chriſtum

Digitized by Google

Dominum in ultima cœna, cùm sacramentum instituerat, utrumque degustasse, juxta illa verba Hieronymi ad Hedibiam, *ipse conviva & convivium*. Irenæus lib. 5. c. 33. *Propter hoc autem ad passionem veniens ut evangelisaret Abraha & iis qui cum eo, apertionem hæreditatis, cùm gratias egisset, tenens calicem, & bibisset ab eo, & dedisset discipulis, dicebat eis : bibite ex eo omnes.* Chrysostomus Homil. 82. in Mathæum. Ἵνα οὖν μὴ τότε ταραχθῶσι, πρῶτος αὐτὸς τοῦτο ἐποίησεν, ὁρῶν αὐτοὺς ἀπρόσχως εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων· διὰ τοῦτο ἔπιε τὸ ἑαυτοῦ αἷμα αὐτοῖς ἔπιε. *Ut illi tunc temporis non turbarentur, primus ipse hoc fecit, incitans eos securè ad sacramentorum communionem : ea propter suum ipsius sanguinem ipse bibit.* Chrysostomi sententiam expressit Commentarius Arabicus ex eo desumtus in Harmoniam Evangelicam. *Si quærat aliquis, num ederit Christus de corpore suo & de sanguine suo biberit, respondemus ita esse, atque id ex istis ejus verbis probatur, non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Gregorius Abulfaragius in compendio quodam Theologico quod appellavit *Demonstrationes intellectuales. Quæritur num Christus ederit ex pane & biberit ex vino, quæ fecerat corpus & sanguinem suum ? Respondemus edisse, cujus rei probatio inde petitur quod dixerit non edam ex hoc pane, nec bibam ex hoc calice, donec bibam illum vobiscum in regno patris mei.* Ita quoque Dionysius Barsalibi Commentario in Liturgiam S. Jacobi cap. 13. *Quæritur an Christus ederit ex corpore suo, necne. Dicimus autem illum ex eo edisse, & bibisse ex sanguine suo, ait enim non bibam vobiscum de hoc genimine vitis,* &c. *S. Ephrem ait, discipulos edisse ex ejus corpore, eumque simul cum ipsis comedisse : bibisse illos sanguinem, & ipsum simul bibisse. Ita & Joannes Chrysostomus asserit illum, postquam gustasset, dedisse discipulis suis. Jacobus Edessenus eum edisse, & bibisse ex sanguine suo vero. Idem etiam docent Cyriacus Patriarcha Antiochenus & Moses Barcepha.* Idem Barsalibi cap. 18. operis ejusdem docet *Sacerdotem primum communicare sacris mysteriis, quia Christus in cœnaculo primus communicavit corpori & sanguini suo, quæ postea aliis distribuit.* Vide D. Thomam 3. p. 4. 87. & in eum locum affert Vasquesius, communem hanc esse Theologorum opinionem, quod à nobis observatur, ne quis Orientales Theologos singularis in hoc argumento opinionis insimulet.

Mortem tuam annunciamus Domine.

Ib. l. 33.

ANtiqua & pia forma confessionis, qua post eam quæ mox pronunciata est de veritate institutionis Sacramenti, deque ejus vera & certa repræsentatione, juxta præceptum Jesu Christi, annunciatur mors ejus & resurrectio. In Græca Arabica Τὸν θάνατόν σου κύριε, *Mortis tuæ Domine meminimus*, postquam ter dictum est, *Amen*. confessio extat in Græca Marci Liturgia, sed paraphrasi prolixiore exposita. Τὸν θάνατον μνήσαντα κύριε παντοκράτορ, ἐπουράνιε, βασιλεῦ τῶν μοσχθὺς σου κύριε καὶ θεὲ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καταγγέλλοντες, καὶ τὴν ζωηφόρον σου ἀνάστασιν ὁμολογοῦντες, καὶ τὴν ἐκ δεξιῶν σου τοῦ πατρὸς καθέδραν, καὶ τὴν δευτέραν καὶ φρικτὴν σου φοβερὰν ἐκείνην παρουσίαν ἀπεκδεχόμενοι, &c. *Mortem, Do-*

Confessio de mysteriis Christi.

Digitized by Google

mine omnipotens, Rex cœlestis, unigeniti filii tui, Domini autem Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi annunciantes: triduanamque & beatam ejus à mortuis resurrectionem confitentes, confessionemque ad dexteram tuam Dei & Patris; secundumque, timendum & terribilem ejus adventum exspectantes. At in hac Liturgia, multò brevior occurrit hujus professionis formula; & ipsa, ut multæ officii partes, quæ præcipuam dignitatem habent, Græcè à populo dicitur. Ita autem verba exprimuntur in antiquo codice Regio, licet corrupta ob librariorum imperitiam. Τὸν θάνατόν σου κύριε καταγγέλλομεν καὶ τὴν ἁγίαν σου ἀνάστασιν, καὶ ἀναλήψιν ὁμολογοῦμεν, σε αἰνοῦμεν, σε εὐλογοῦμεν, σοι εὐχαριστοῦμεν: atque ita habebat codex Scaligeri ex quo Latina versio facta est, nisi quod additur σε πιστοῦμεν, σε εὐλογοῦμεν, καὶ εὐχαριστοῦμεν, καὶ δεόμεθά σου ὁ θεὸς ἡμῶν: Et sanè in Codice Regio, formula illa græca tanquam notissima & in ore plebis, non integra adscribitur: in nostro autem prima tantùm verba designantur: In altero Regio manuscripto verba Copticè apponuntur. In Jacobi Syra. *Mortis tuæ Domine memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur, & adventum tuum secundum exspectamus: misericordiam & gratiam à te postulamus, remissionem peccatorum deprecamur; misericordiæ tuæ sint super nos omnes.* Illa autem ipsa verba, eodem modo absque immutatione ulla, leguntur in Syriacis omnibus Liturgiis: neque magnum discrimen est inter illas, & alias cujuscumque linguæ, quæ hanc commemorationem exhibent, licet non verbis populi, sed Sacerdotis. In Missa enim Chrysostomi ita, post *Amen* inclamatum à populo, Sacerdos prosequitur: Μεμνημένοι οὖν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς, καὶ πάντων τῶν γενομένων ἡμῖν, τοῦ σταυροῦ, τοῦ τάφου, τῆς τριημέρου ἀναστάσεως, τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως, τῆς ἐκ δεξιῶν καθέδρας, τῆς δευτέρας καὶ ἐνδόξου πάλιν παρουσίας τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν. *Memores igitur salutaris hujus mandati & omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, sepulcri, triduanæ resurrectionis, in cœlos ascensionis, à dextris sessionis, secundi & glorioſi rursus adventus, tua ex tuis tibi offerimus:* quæ eodem sensu leguntur in Basilii, Jacobique Liturgiis Græcis. Eadem quoque sententia est istius Orationis in Romano Canone. *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta, tam beatæ passionis & resurrectionis,* &c. *Offerimus tibi de tuis donis ac datis hostiam puram,* &c. Eodem etiam modo in hac Liturgia, post populi acclamationem, Sacerdos resumit eamdem mortis Domini commemorationem, & reliqua ad salutis humanæ opus spectantia mysteria pariter commemorat: ita in Ritu Æthiopico, & in omnibus tandem.

P. 16. lin. 1.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Invocatio Spiritus sancti.

HÆc est insignis illa Oratio, quam omnes Orientales Liturgiæ repræsentant, quâ demum pronunciatâ, omne divinum consecrationis opus perfectum & consummatum esse intelligitur. Illa Oratio voce Græca, quam Coptitæ retinuerunt, Ἐπίκλησις appellatur, quo sensu Syri eam appellant, aut *Invocationem* simpliciter, aut *Invocationem Spiritus sancti.* Ejus sententia planè eadem quæ Græcarum, in Liturgiis

Digitized by Google

Basilii, Chrysostomi, Jacobi, Marci, Clementina. Ab ea incipiemus quam exhibet Regius Codex Græco-Arabicus. Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθὲ, κύριε, ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ, καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου, καὶ προσκυνοῦμέν σε, εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἐφ' ἡμᾶς τοὺς δούλους σου, καὶ ἐπὶ προκείμενά σου δῶρα ταῦτα, καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι ἅγια ἁγίων. Ο Δ. προσχῶμεν. Ο Λ. ἀμήν. Καὶ ποιήσει τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, γίνεται εἰς τὸ ἅγιον σῶμα, αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ, κλ'. Τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, τὸ τίμιον αἷμα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, κλ. In Marci Liturgia quæ cum Coptica majorem habet affinitatem. Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ, ἐξαπόστειλον ἐξ ὕψους τοῦ ἁγίου σου, ἐξ ἑτοίμου κατοικητηρίου σου, ἐκ τοῦ ἀπεριγράπτων κόλπων σου αὐτὸν τὸν παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸν ἅγιον, τὸν κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐν νόμῳ καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις λαλῆσαν, τὸ πανταχοῦ παρὸν, καὶ τὰ πάντα πληροῦν, ἐνεργοῦν τε αὐτεξουσίως, οὐ διακονικῶς, ἐφ' οὓς βούλεται τὸν ἁγιασμὸν, εὐδοκίᾳ τῇ σῇ, τὸ ἁπλοῦν τὴν φύσιν, τὸ πλημερὲς τὴν ἐνέργειαν, τὴν τοῦ θείων χαρισμάτων πηγὴν, τὸ σοὶ ὁμοούσιον, τὸ ἐκ σου ἐκπορευόμενον, τὸ σύνθρονον τῆς βασιλείας σου, καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, ἔτι δὲ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τοὺς ἄρτους τούτους, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα, τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἵνα ταῦτα ἁγιάσῃ, καὶ τελειώσῃ ὡς παντοδύναμος θεός. ΕΚΦΩΝΩΣ. καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον, σῶμα. Ο λαὸς, Αμήν. Ο ἱερεὺς ἐκφώνως. τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης, αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ παμβασίλεως ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. ἵνα γένωνται πᾶσιν ἡμῖν, τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς πίστιν, εἰς νῆψιν, εἰς ἴασιν, εἰς σωφροσύνην, &c. *Rogamus te amator hominum bone, mitte ex excelso sancto tuo, ex præparato habitaculo tuo, ex incircumscripto sinu tuo, ipsum paraclitum Spiritum veritatis, sanctum, Dominum, vivificantem, qui in lege, Prophetis & Apostolis locutus est, qui ubique præsens est, & omnia replet, operaturque liberè non ministerialiter, in quos vult, sanctificationem per beneplacitum tuum; simplicem naturâ, plenum operatione, divinorum charismatum fontem: tibi consubstantialem, qui ex te procedit, æqualem tibi in regni solio, & unigenito tuo filio, Domino Deo & Salvatori nostro Jesu Christo: mitte, inquam, super nos & super istos panes, & super hos calices Spiritum tuum sanctum, ut ea sanctificet atque perficiat, tanquam omnipotens Deus.* ELATA *voce. Et efficiat panem quidem corpus; calicem autem, sanguinem novi Testamenti ipsius Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi omnium regis... ut fiant omnibus nobis qui eorum participes erimus ad fidem, sobrietatem, medelam, temperantiam, sanctificationem, &c.* Illam porrò verborum formam fortassis recentiorem esse eâ, quam Ægyptiaci libri servant, & brevitas & simplicitas videntur demonstrare; & ista magis accedit ad eam quæ in Clementina servatur: Καὶ καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, τὸν μάρτυρα τοῦ παθημάτων τοῦ κυρίου Ιησοῦ ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσι πρὸς εὐσέβειαν, ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσι. τοῦ διαβόλου καὶ τῆς πλάνης αὐτοῦ ῥυθῶσι, πνεύματος, ἁγίου πληρωθῶσιν, ἄξιοι τοῦ Χριστοῦ σου γένωνται, ζωῆς ἀωνίου τύχωσι, &c. *Et mittas sanctum tuum Spiritum super sacrificium hoc, testem passionum Domini Jesu, ut efficiat panem hunc, corpus Christi tui: & calicem hunc, sanguinem Christi tui,*

Digitized by Google

ut qui ejus participes futuri sunt, confirmentur ad pietatem; remissionem peccatorum consequantur; à diabolo & ejus seductione liberentur: Spiritu sancto repleantur: digni Christo tuo efficiantur, vitam æternam obtineant, &c. In Basilii Græca, Δεόμεθα, καὶ σε παρακαλοῦμεν, ἅγιε ἁγίων, εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἐπ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα καὶ εὐλογῆσαι ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι . . . τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, ποιῆσαι αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ, &c. *Rogamus te & obsecramus, sancte sanctorum, ut beneplacito bonitatis tuæ veniat Spiritus tuus sanctus, super nos & super proposita dona ista, & ea benedicat sanctificetque, & ostendat,* (seu efficiat...) *panem quidem istum fac ipsum preciosum corpus Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi; & calicem hunc ipsum preciosum sanguinem Domini Dei,* &c. Illud verò ποίησον *fac*, quo sensus conturbari quodammodo videtur, non habet codex antiquus Pyromali quem vidit Jacobus Goarius, ut ipse observat ad Liturgiam Chrysostomi, in qua ea vox occurrit: sed prima orationis verba, *mitte spiritum sanctum tuum in nos & in hæc dona proposita*, habent adjunctas preces aliquot breves tum Sacerdotis, tum Diaconi, quas sequitur istud ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου... *Fac panem quidem istum, preciosum corpus Christi tui*: tum postquam dixit Diaconus, *benedic Domine sanctum calicem* τὸ δὲ ὃν ὁ ποτηρίῳ τούτῳ, τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου: *Et quod in hoc calice est sanguinem preciosum Christi tui*, & interjecta alia benedictione subjungit μεταβαλὼν τῷ πνεύματι σου τῷ ἁγίῳ, *transmutans Spiritu sancto tuo*: quæ ultima verba Chrysostomi Liturgiæ propria sunt. In ea Jacobi cujus antiquitas magna est & autoritas, quia ex ea Syriacæ omnes originem habuerunt: post uberiorem de Spiritus sancti dignitate paraphrasin ita legitur. ἵνα ἐπιφοιτήσῃ τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ, τὸ μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ &c. Ὁ λαός, ἀμήν. Καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, αἷμα τίμιον τῆς Χριστοῦ σου. Ἀμήν. ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, εἰς ἁγιασμὸν ψυχῶν, &c. *Ut adveniens, sanctâ, bonâ, & gloriosâ suâ præsentiâ sanctificet & faciat, panem quidem istum, corpus sanctum Christi sui.* Populus. *Amen. Et calicem hunc sanguinem preciosum Christi sui, ut fiant omnibus ea percipientibus, in remissionem peccatorum & vitam æternam, in sanctificationem animarum*, &c. Diversas illas præcipuarum Liturgiarum lectiones Orationis istius, referre operæ pretium erat, quia omnes Orientales cujuscumque linguæ ad unam aliquam ex relatis formulis referuntur, & Copticam Basilianam ex ea collatione faciliùs per partes examinabimus.

Ejus interpretatio. Ac primò quidem interpretatio ejus constare debet. Postulatur à Deo, ut adveniat Spiritus sanctus super nos, & super dona proposita. Ita prorsus vertendum ex Coptico verbum, *adveniat*, idem eâ linguâ significans ac Græcum ἐλθεῖν. At in Arabica versione præter simplicem significationem, latet alia non vulgaris, haud tam ex ipsius linguæ genio, quàm ex usu Ecclesiastico deducta. Ea est, *illapsus* sive ἐπιφοίτησις, quæ propriè hac voce exprimitur, & apud Theologos Orientales communiter

niter usurpatur, ad significandum illapsum Spiritus sancti in Virginem Mariam, ipso Incarnationis Verbi momento, juxta Gabriëlis Archangeli sermonem, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Illa igitur ipsa voce, dum Arabicè, aut Syriacè scribunt, adventum illabentis sancti Spiritus in dona proposita, ad mutandum ea in corpus & sanguinem Christi exprimunt, quâ ejusdem in Mariam illapsum, ad formandum ex ejus carne corpus & sanguinem Christi, sive ipsum corpus, in quo Verbum Dei humanam carnem adsumpsit, & illa voce significantior adhiberi nulla poterat.

Sequitur; *& panem quidem hunc, faciat corpus sanctum Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi*: quæ verba accuratè respondent Copticis & Arabicis, exprimuntque Græca ista ποιῆσαι, ἀποφῆναι, ἀναδεῖξαι, quæ hoc loco prorsus eamdem significationem habent, ut ante nos alii docuerunt, non modò Catholici, sed etiam Protestantes; atque inter alios summus literarum Græcarum magister Isaacus Casaubonus. Is enim contra Cardinalis Baronii sententiam, demonstravit, verba S. Basilii lib. de Spiritu sancto ἵνα ὁ ἀναδείξῃς τὸν ἄρτον τὸν ἐυχαριστίας, quæ plerique de ostensione Eucharistiæ interpretati fuerant, esse de ejus consecratione intelligenda. Exempla profert, etiam ex autoribus classicis multa, quæ etsi non planè cogerent ad eumdem sensum sequendum in stylo Ecclesiastico, non tamen inutilia sunt ad hunc quem designamus, confirmandum. Nam ἀναδείξαι dicitur de Magistratibus creatis, ut etiam ἀποφῆναι, quod Latini dicunt *renunciare, designare*: atque ita significatur apud utrosque, nova honoris & dignitatis accessio immutatioque conditionis; nec habebant Orientales, aut Græci quos sequebantur voces magis accommodatas ad significandum mysterium, cujus explicationi verba deerant. Itaque qui vim Græcarum illarum vocum noverit, omnium aliâ linguâ Liturgiarum hoc in ipso loco sententiam noscet pariter. Nihil porrò difficile erit, modò duo certissima interpretandi principia constituantur. Primum ut voces Græcæ, in Invocationis forma usurpatæ, una per alteram explicentur; tum ut sensus earum quæratur in variis Liturgiis: alterum ut hæc interpretatio confirmetur per alias Orientales Liturgias. Secundùm illas regulas cùm in una Græca legimus ποιῆσαι, in alia ἀποφῆναι, in alia ἀναδεῖξαι, dubitare non licet quin eamdem omnes significationem habeant, nempe veræ realisque transmutationis, quæ efficiat dona proposita aliquid esse, quod priùs non erant, & ut in ipsa Liturgia dicitur, *invisibilia ex visibilibus.* Id autem eo certius, secundùm eamdem alteram regulam, quòd in Orientalibus officiis tres voces illæ indifferenter usurpatæ reperiuntur, cùm eas reddant per verba, quæ effectum & operationem certam efficacemque significant, ut sunt Syriaca עבד, Arabica נקל נעל & aliæ; aut magis adhuc cùm utuntur vocibus עיר quæ *facere*, חיל quæ *mutare* significant. Si quando alias adhibuerunt interpretes, ut aliquot in Liturgiis vox הוא, quæ proprio sensu est ἀποφαίνειν, aut ἀναδεικνύναι, pressiùs ad ista Græca verba respexerunt, ut sæpe ab ipsis factum videmus, cùm alia vox planè synonyma, in promptu non esset. Unde illarum & similium sensus, non tam ex Syriaca aut

Exercit. in Baron. p. 520. Ed. Lond.

Arabica lingua, quàm ex Græca petendus est, ut multis exemplis constat; præsertim in vocibus compositis: duo tantùm vulgatissima proferemus. *Orthodoxus*, vox in Liturgiis usitatissima, reddi à Syris solet תריץ שובחא propriè & ad verbum *rectæ gloriæ*, ut interpretatus est Guido Fabricius Boderianus in Ritibus Severi Baptismalibus: nempe δόξα quæ vox *gloriam* significat, notior apud illos eo sensu, quam altero, quo *opinionem* & *persuasionem*. Ineptus foret qui aliter quam *Orthodoxum* verteret, quamvis Syriaca verba aliud innuere videantur. Ὁμοούσιος, seu *Consubstantialis*, vox est pariter usu Ecclesiastico consecrata: eam Syri & Arabes ita vertunt, ut *parem*, aut *æqualem essentiâ*, aut *substantiâ* significet, atque adeo, si morosiùs agere velimus, non magis ὁμοούσιον significabit, quàm ὁμοίσιον. Itaque non ex illarum vocum peregrinarum vi, sed ex Græcarum, ad quas exprimendas formatæ sunt sensu, ducenda est illarum significatio. In ea igitur oratione explicanda, etsi verba occurrant, quæ ad τὸ ἀντιστοιχεῖν significationem accedant in propria sua lingua, migrasse tamen in alienam intelligendæ sunt, quotiescumque, ut in hoc loco manifestum est, respondent aliis, quæ majus quiddam significant. Neque ex alienis originibus quærenda est occasio, eam orationem, quæ tota sibi constans, & cum Græcis aliarumque omnium linguarum officiis conveniens, à genuino sensu suo moveri non potest, ad typos, figuratamque mutationem significandam detorquendi. Reliqua ad ejus Grammaticam explicationem pertinentia, non magni momenti sunt, ut enallage satis frequens personæ, dum in quibusdam tota ad Deum operatio refertur, nempe dum rogatur ut mittat Spiritum sanctum qui per illapsum faciat dona proposita corpus & sanguinem Christi: vel ut *facias*, *mutes*, *transferas* eadem. Neque enim quantum ad opus divinum quod postulatur, aliqua in utroque sensu differentia est. Jam ad reliqua, in quibus tota hujus orationis sententia continetur pergendum est.

Lectio Codicum Ægyptiacorum aliis omnibus conformis.

Illud primò certum & indubitatum haberi debet, eam quam exhibemus, hujus Invocationis interpretationem, conformem esse lectioni constantissimæ manuscriptorum Codicum Ægyptiacæ Basilii Liturgiæ, tam secundùm exemplar Græcum, & Copticum, quàm secundùm adjunctam Arabicam versionem. Neque ita solùm legitur in Regiis Codicibus, quorum nonnulli antiquissimi sunt, sed in Colbertino uno, in nostro, & quod non temerè dictum judicari debet, in omnibus, quando antiquissimi Theologi, Rituum Interpretes, Gabriël Patriarcha, Autor Scientiæ Ecclesiasticæ, Abulbircat, non aliter legerunt, ut ex eorum verbis manifestò demonstratur. Accedit autoritas Liturgiarum Æthiopicarum, quæ ex Ægyptiacis factæ sunt: Jacobitarum Syriacarum, & Nestorianarum, Armenicæ, & Græcarum omnium, quarum una communisque lectio est. Contra igitur certam perspectamque autoritatem peccatum est à Maronita interprete, dum ita hunc locum reddidit. *Hunc panem, facit corpus suum sanctificatum sibi, Dominus noster Jesus Christus, dabitur in remissionem peccatorum, & vita æterna sumenti ex eo.* Et ad calicem. *Hic calix etiam, sanguinis precioſi Testamenti novi Domini nostri*

Digitized by Google

& Dei noſtri & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, dabitur in remiſſionem peccatorum, & vita æterna ſumenti ex ipſo. In duabus aliis Copticis Liturgiis fideliùs verſatus eſt, & quamvis ſenſum non planè integrum reddiderit, ſaltem non, ut in iſta, planè corrupit; quod indicium eſt factum id potiùs eſſe per ignorantiam, quàm certo conſilio. Sanè cùm Coptica verba habeamus, quæ ne minimam quidem obſcuritatem habent, fruſtra quærenda ſunt in Arabicis, quæ ſecundi tantùm exemplaris locum obtinent, ſubterfugia, ad iſtam verſionem excuſandam.

At in aliis prope omnibus Liturgicis officiis quæ Romæ edita ſunt, maximè in verſionibus, nova prorſus & ab autorum mente lectio ſubſtituta eſt. Commiſſum id maximè in Miſſali edito ad uſum Maronitarum, qui ex multis Jacobiticis Liturgiis conflatus eſt. In eo enim omnes Invocationis formæ in hanc ſententiam commutatæ deprehenduntur. *Et hunc panem, corpus videlicet Chriſti, faciat nobis prodeſſe ſumentibus, ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam: Et hunc calicem, ſanguinem pretioſum Chriſti, faciat nobis prodeſſe*, &c. In Codicibus verò manuſcriptis illarum omnium Liturgiarum & aliarum quos habuimus, nihil ſimile legitur, ſed ſimplex, eique quam expoſuimus ſimilis, ſententia: *ut adveniens Spiritus ſanctus, efficiat panem quidem, corpus Chriſti, calicem ejus ſanguinem, ut omnes illis communicantes percipiant remiſſionem peccatorum, ſanctificationem & vitam æternam.* Effugit tamen oculos eorum qui editioni præfuerunt, Invocationis forma quam continet Jacobi Syra Liturgia: in ea enim integrè legitur, pag. 193. *Miſerere noſtri Deus pater omnipotens, & mitte ſuper nos, & ſuper has oblationes propoſitas, Spiritum tuum ſanctum & vivificantem, τὸ Πνεῦμα tibi, Deus pater, cum filio conregnantem, conſubſtantialem & coæternum: qui locutus eſt in Lege, Prophetis & Teſtamento tuo novo: qui columbæ ſpecie, ſuper Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in Jordane fluvio deſcendit, & ſuper Apoſtolos ſanctos ignearum linguarum formâ eſt illapſus: ut adveniens efficiat panem iſtum corpus vivificum, corpus ſalutare, corpus cœleſte, corpus animabus & corporibus ſalutem præſtans, corpus Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum & vitam æternam, accipientibus illud. Populus Amen. Et miſtum quod in hoc calice eſt, efficiat ſanguinem Teſtamenti novi, ſanguinem ſalutarem, ſanguinem vivificum, ſanguinem cœleſtem, ſanguinem qui animabus & corporibus ſalutem præſtet, ſanguinem Domini, Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum & vitam æternam ſuſcipientibus illum*, &c. Atque illæ ſunt præcipuæ invocandi Spiritus ſancti formulæ, quas Orientales Liturgiæ nobis ſubminiſtrant, de quibus non præcipitanter adeo judicandum eſt, quàm à multis ſuperiori & noſtro ſæculo ſcriptoribus factum dolemus, cùm damnaverunt privato ſuo judicio, quæ vigente inter Occidentem Orientemque concordiâ, in Græcis, Syris & aliis, Eccleſia univerſa & ipſa Romana comprobavit. Igitur ex comparatione diverſarum formularum quas retulimus, & aliarum plurimarum, quas tantùm deſignavimus, tum ex immutata per editores Maroniticarum lectione, ut & quarumdam aliarum, quæ mutatio tamen, intra Latinas verſiones conſtitit,

Lectio illa immutata in Miſſali Syro Romæ edito.

Digitized by Google

intactis primævis exemplaribus, duo manifesta sunt. Primum est, Invocationem Ægyptiacæ Liturgiæ, omniumque reliquarum, Græcis prorsus formulis esse similem : alterum quòd interpolatio facta, sive in Codicibus peregrinâ linguâ scriptis, sive in eorum Latinis versionibus, sententiam primæ lectionis, ita commutet, ut altera cum altera conciliari nulla ratione possit. Nam secundùm illam, oratur Deus ut mittat Spiritum sanctum, qui suo in dona proposita illapsu, efficacissimaque operatione, faciat ea corpus & sanguinem Christi, simulque fidelibus ea suscipientibus, ita per gratiam suam superveniat, & illabatur in eorum cordibus, ut eadem mysteria prosint illis ad remissionem peccatorum, gratiæ augmentum, & vitam æternam. Conciliari verò visæ sunt ipsis commodè duæ illæ sententiæ, si ita prima lectio refingeretur, ut loco illorum, aut similium verborum, *Spiritus sanctus faciat ea corpus & sanguinem Christi, eaque ipsa nobis prodesse ad remissionem peccatorum*, ita legatur : *ut Spiritus sanctus faciat hæc mysteria, videlicet corpus & sanguinem Christi, nobis prodesse ad vitam æternam :* qui sensus omnino & ab antiqua traditione, & ab omnium codicum lectione, & ab Orientali Theologia, & ab ipsius Liturgiæ ordine, abest quàm longissimè.

Gabrielis Patriarchæ de Invocatione verba.

Gabriël Patriarcha Alexandrinus in Rituali suo. *Sacerdos dictis his verbis* & hunc panem, *tres cruces super oblatam in eodem verbo formabit, antequam dixerit*, efficiat ipsum corpus sanctum, *quæ cùm pronunciavit, perficitur & efficitur corpus Christi, illud ipsum quod accepit ex Maria Virgine, &c. Cùmque dixerit*, & hunc Calicem, *signat etiam ter signo crucis, antequam dicat* sanguinem preciosum novi Testamenti tui, *quæ cùm pronunciaverit, vinum propositum, fit sanguis Christi, super lignum crucis effusus*, &c.... *Et deinde Sacerdoti non licet vel unam benedictionem formare, neque ad principem, aut quemquam alium in dignitate constitutum respicere : ad Christum enim, qui coram eo immolatus est, imperium pertinet, & ad eum preces dirigendæ sunt.* Eadem omnino habet Autor Scientiæ Ecclesiasticæ, ut Tractatus de benedictionibus quæ in Liturgia fieri debent : & alii diversi.

Testimonia Theologorum.

Probant id etiam testimonia Theologorum varia, in quibus cùm sancto Spiritui illabenti consecrationem tribuunt, manifestè designant Invocationem, quâ illapsus seu ἐπιδημίαν postulatur. Severus Episcopus Aschmonin in Tractatu de Paschate & Eucharistia, explicans ea verba, quæ jubent carnes Agni Paschalis comedi assas igni : *nempe*, inquit, *igne Spiritus sancti, & quidem ille ignis est, qui requieverit super panem, & efficit illum corpus Christi.* Idem in Quæstionibus & Responsionibus. *Super panem & vinum, cùm Liturgia celebratur, & consecrantur in nomine Christi, cui sit gloria, descendit Spiritus sanctus, & efficiuntur corpus & sanguis.* Eodem in opere, comparat Spiritus sancti illapsum soli exorienti omniaque illustranti, & calefacienti. *Sicut*, inquit, *omnia corpora calorem solis percipiunt integrum, non verò quamdam ex eo partem, ita planè in Eucharistia se res habet : quia Spiritus sanctus descendit super omnes Ecclesias, & efficit omnia quæ ibi offeruntur, corpus & sanguinem Christi.* Homiliæ de circulo anni ad usum Ecclesiæ Copticæ, in ea quæ est de initio

Evangelii ſecundùm Lucam. *Aſſumit Filius Verbum, panem & vinum, efficitque ea corpus & ſanguinem, ita tamen ut præcedat Spiritus ſanctus illabendo ſuper ea, atque ea ſanctificando, ſicut fecit in primo Incarnationis momento. Si quidem Sacerdos orat pro illapſu Spiritus ſancti, ſuper panem & vinum, ut ea ſanctificet, cùmque ab eodem* (Spiritu ſancto) *ſanctificata ſunt, tunc unitur illis Filius, efficiunturque ei corpus & ſanguis, per unionem ejus cum illis.* De illa ratione explicandi elementorum conſecrationem per aſſumtionis modum, ſimili illi qua Verbum in utero Beatæ Virginis Mariæ carnem aſſumſit, dicetur alibi, cùm de Orientalium circa Euchariſtiæ myſterium Theologia tractabitur: ſufficit hoc loco annotare eam, quam obſervare quiſque poterit, inter Orationis & Homiliæ verba conformitatem. Idem autor in alia Homilia: *Spiritus vita illabitur & requieſcit ſuper panem & vinum, eaque conſecrat & ſanctificat.* Idem & alii Jacobitæ docent. Epiſtola Sacerdotis recenter ordinati. *Quâ horâ accipit Sacerdos oblationem in manus ſuas puras, & eam elevat ſuper altare ſanctum, eâdem horâ deſcendit gratia Dei, & Spiritus ejus ſanctus illabitur, cum Angelorum inviſibilium myriadibus, & unitur Verbum ejus æternum, ipſi conſubſtantiale, tali corpori quod eum deſignabat.* Dionyſius Barſalibi commentario ad Evangelii Joan. cap. 6. *Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Sacramenta, efficitque illa corpus & ſanguinem:* & ad Jacobi Liturgiam. *Illo ipſo modo,* (nempe quo in myſterio Incarnationis) *in altare, quod eſt typus uteri virginalis & ſepulcri, illabitur Spiritus ſanctus, tranſmutans panem & vinum, efficienſque ea corpus & ſanguinem Verbi.* In Opuſculo de Inſtitutione Sacramenti. *Virtus Spiritus ſancti illabitur ſuper panes altari impoſitos, & ſanctificat eos, perficitque & efficit eos corpus Verbi.* Tractatus de præparatione ad communionem. *Spiritus ſanctus requieſcit, ſive illabitur, ſuper Euchariſtiam: atque in ea exhibetur nobis Chriſtus, quamvis ab oculis noſtris abſconditus.* In Homilia ante communionem quam refert Autor Scientiæ Eccleſiaſticæ cap. 84. dicitur *panem & vinum fieri corpus & ſanguinem, per illapſum Spiritus ſancti, quo transferuntur à natura ſua priori, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti.*

Mſſ. Bibl. Colb.

Mſ. Ar. Bibl. Reg.

Mſ. Syr. Bibl. Colb.

Neque ſoli Theologi ita loquuntur, ſed Rituales ipſi libri Coptici, dum vetant juxta Gabriëlis Patriarchæ Conſtitutionem, ne Sacerdos, poſtquam dicta eſt hæc Oratio, quidquam tangat nudis manibus, ſed ſericeâ telâ involutis, honoris & reverentiæ causâ erga corpus Chriſti quod tetigit: ex qua diſciplina conſtat eos credere, tum demum perfectam & conſummatam eſſe conſecrationem. Idem probant orationes Diaconicæ, quæ ritu Syriaco dicuntur in hæc verba: *Quàm timenda eſt hac hora, quàm terribile momentum hoc, dilectiſſimi: cùm Spiritus ſanctus de cælo adveniens, illabitur ſuper dona propoſita & ea ſanctificat.* Id autem inclamatur à Diaconis, paulò antequam Invocatio pronuncietur. In ritu quoque Neſtoriano eodem loco dicitur. *Ecce menſa poſita eſt in ſancto ſanctorum, & Sacerdotes præclari cingunt eam in modum Seraphim: invocatque Sacerdos Spiritum ſanctum, iſque deſcendit, habitatque in pane, & calici commiſcetur.* Ex illis autem, & præſertim ex ipſius

Teſtimonia ex Ritualibus.

orationis expoſitione, quam dedit in Commentario ſuo Dionyſius Barſalibi, ad Liturgiam Syriacam S. Jacobi, ſignificatur ipſum, ut & alios, ita exiſtimaſſe, conſecrationem completam cenſeri, cùm Invocatio dicta eſt; quia tunc de effectu promiſſorum Chriſti, qui per eam orationem exprimitur, dubitare non licet.

De Invocatione quid cenſeant nonnulli Theologi.

Ex illius igitur Orationis verbis, ſi quidem in eam ſententiam trahi non poſſunt, quæ totum illapſus ſancti Spiritus effectum determinet ad piam fructuoſamque myſteriorum perceptionem, ſtatim pleriſque Theologis veniet in mentem, Coptitas, non minùs quàm Orientales reliquos Chriſtianos, in eodem errore verſari, quo teneri affirmant Græcos recentiores. Illum porrò ita definiunt: Quòd verbis Dominicis vim conſecrandi nullam tribuant; ſed Sacerdotum precibus, Invocationi præſertim: quam opinionem Cabaſilæ & Marco Epheſio, quaſi noviter ab illis introductam attribuunt; damnatamque pertendunt in Concilio Florentino: ejuratam quidem priùs à Græcis, ſed Conſtantinopoli poſtmodum à Schiſmaticis, Marco præſertim Epheſio, renovatam.

Rich. Simon not. ad Gabriëlem Philadelp.

Vir doctiſſimus qui de hoc argumento multa commentatus eſt, Orientales in eadem opinione eſſe affirmat; quam quidem videtur agnoſcere, non aliam eſſe quàm quæ vulgò illis tribuitur. Ea eſt conſecrationem fieri, non per verba ſacramentalia Chriſti Domini, ſed per Invocationem Spiritus ſancti. Illam verò opinionem fruſtra in erroris ſuſpicionem vocari contendit, quia ſolis verbis Dominicis Euchariſtiam conſecrari fide certum non eſt, neque ab Eccleſia determinatum, cùm Theologi non pauci eam doctrinam impune propugnaſſe reperiantur, quod autoritate Ambroſii Catharini, & Chriſtophori de Capite Fontium

Voïage du Mont-Liban.

potiſſimùm probat. Cùm verò à Fauſto Nairono Maronita excerpta quarumdam Liturgiarum Româ accepiſſet, in quibus verba Chriſti deerant, rem confectam judicavit, & multis locis teſtatam voluit. Imò cùm Teſtimonia Orientalium Eccleſiarum, de ſua circa realem elementorum tranſmutationem fide, vocare in ſuſpicionem non dubitaſſet, quod viro Catholico non conveniebat, illo præcipuè argumento nonnullas impugnavit, quod verbis Dominicis conſecrationem fieri, autores Actorum illorum agnoſcerent. In illa autem doctrina certam extare cenſebat ſuggeſtionis notam, quod Orientales eam Invocatione *ſancti* Spiritus fieri, non illis verbis crederent. Cùm verò illa de verbis *conſecratoriis* quæſtio ardua & multis difficultatibus implicata, quantum ad Græcos pertinet, paucis explicari non poſſit, de ea agetur in ſingulari Diſſertatione. Hîc verò quæ ad Orientalium doctrinam de Invocatione ſancti Spiritus explicandam neceſſaria ſunt, breviter referemus.

Græcis tributa opinio ad Orientales non pertinet.

Græcorum quidem illa, ut vocant, hæreſis, cum Invocatione Spiritus ſancti Liturgica, affinitatem nullam habet: quandoquidem orationis illius antiquiſſimus uſus eſt, ab Apoſtolicis uſque ductus temporibus, neque per annos mille ducentos & ampliùs, quiſquam in ea errorem deprehenderat. Primi litem movere cœperunt in Græcia, Latini quidam Theologi, quos Nicolaus Cabaſilas modeſtè refutavit, Liturgiam Eccleſiæ ſuæ ab illorum criminationibus vindicans, & cum Latino Canone

Digitized by Google

conciliare ſatagens, neque Latinos accuſans. Inde uſque ad Synodum Florentinam de illo argumento controverſia nulla fuit; cùmque Ferrariæ & Florentiæ per annos prope duos actum eſſet in Congregationibus de Proceſſione Spiritus ſancti, de Azymo, de Primatu Papæ, de Purgatorio, & aliis doctrinæ capitibus, quæ Eccleſiarum diviſioni cauſam dederant, & jam Decretum unionis utriuſque partis conſenſu ſcriptum fuiſſet, cœpit Joannes de Turrecremata Græcos accuſare, quòd verbis Chriſti Invocationem conjungerent, quæ illorum efficaciam deſtruere videbatur. Negaverunt Græci, ulla ſe, quæ verborum Chriſti vim & dignitatem imminueret, opinione teneri; Invocationem ſancti Spiritus antiquitus à ſanctis Patribus traditam, ſolummodò ſervare ſe, de qua ſuſpicio nulla eſſe poſſet, quin vocaretur ſimul in dubium illorum fides & religio, quos Eccleſia, ut magiſtros ſemper coluerat. Interea Beſſarion cum aliis quinque Epiſcopis, inconſulto Patriarcha & reliquis Antiſtitibus, eam profeſſionem edidit, quæ Turrecrematæ rationibus congruebat. Joannes Palæologus & Epiſcopi Marcum Epheſium, qui nondum ſeceſſionem fecerat, hortati ſunt ad Eccleſiæ ſuæ doctrinam paucis exponendam, quod ille brevi ſcripto præſtitit, quo probare aggreſſus eſt, non ſolis verbis dominicis, ſed adjunctis precibus, præſertim Invocatione Spiritus ſancti, Euchariſtiam conſecrari. Illius ſententiam Imperator, Joſeph Patriarcha, & Epiſcopi, ſex exceptis, omnes probaverunt, nec ab ea avelli potuerunt. Inſtitit Turrecremata, ut Definitioni Synodali, adjiceretur quantum ſatis eſſet, ut, quod pauci illi credere ſe teſtati fuerant, omnibus tanquam fide certum præſcriberetur. Id Eugenio Pontifici non placuit, & Definitio abſque ulla additione promulgata eſt, Græcique ad Eccleſiæ Romanæ communionem recepti, in patriam reverſi ſunt. Cùm verò unio ſtatim turbata fuiſſet, & Marco Epheſio incentore, eam plerique rejeciſſent; miſſi à Pontifice Conſtantinopolin Legati, nullam Græcis de illo articulo litem moverunt: qui Decretum ſcriptis impugnaverunt, de eo verbum non fecerunt: neque de altero ad Armenos, quod plerique Theologi adversùs eos allegare ſolent, quidquam audierunt. Hæc cum Græcis Florentiæ tranſacta, autorum æqualium teſtimonia demonſtrant, non minùs, quàm Acta legitima, quidquid in Collectaneis, quæ privati, Actorum nomine publicaverunt, contrarium occurrat.

Illa porrò omnia non magis Coptitas, Syros & reliquos Orientales ſpectant quàm alias Eccleſias, quæ nullam cum Græcis communionem habebant. Nam Decretum ad Armenos, & aliud ad Jacobitas, quæ ſoluto Concilio facta ſunt, ad Græcos pertinebunt, cùm Græci non erunt, ſed Armeni aut Jacobitæ. Cùm igitur nulla ſit Græcis cum Orientalibus aliis fidei ſacrorumque communio, hæreſin Græcorum, quæcumque tandem ſit, Orientales prorſus ignoraverunt, neque ſi quid Caballas, aut Marcus Epheſius perperam de conſecratoriis verbis ſcripſerunt, fraudi aliis eſſe debet. Retinent vetuſtiſſimam Eccleſiarum ſuarum Traditionem in recitanda Invocatione, quam ab Orthodoxa Græca Eccleſia acceperant, & quæ ab illis introducta non fuit. De illius ſignificatione nulla inter eos

Hæc diſputatio Orientalibus ignota fuit.

Digitized by Google

controversia fuit, aut esse potuit : nam quæstiones Theologicas de momento consecrationis perfectæ, & similes alias apud nos natas, semper ignoraverunt : & adoratio Eucharistiæ apud eos fieri solet, non post pronunciata Christi verba, sed cùm inclamatur, *Sancta Sanctis*, & tunc Invocatio dicta est.

Verba simpliciter ut à majoribus accepta intelligunt.

Ut illam verò subtiliorem quæstionem, ita reliquas omnes Theologicas de Sacramentis nesciunt ; & orationes Ecclesiæ simpliciter intelligunt : credentes modò, non orare frustra Ecclesiam, & ex Christi promisso effici, quæ à Deo postulantur, ad consecrationem elementorum. Verba Christi Domini ad eam perficiendam necessaria existimant, & habentur in omnibus Liturgiis Alexandrinis, Græcis & Copticis. De Syriacis tribus in quibus desunt, dicemus in notis ad Jacobi Liturgiam, neque ex illis reformari, aut explicari debent omnes aliæ, cùm recentiores sint, & culpæ potiùs librariorum quàm certo consilio, discrimen illud insigne à reliquis omnibus Liturgiis adscribendum videatur. Invocationi virtutem maximam tribuunt ; verumtamen, ita ut neque ex Liturgicis Officiis, neque ex illorum expositoribus probari possit, per eam solam mutari elementa, aut, antequam pronunciata sit, mutationem nondum esse factam. In istius Basilii Copticæ Liturgiæ primis orationibus, occurrit una in qua oratur Deus, ut *benedicat, consecret, transferatque oblationes propositas in corpus & sanguinem Christi Domini* : eademque prope verba sunt, quæ in Invocatione dici solent. Nemo Theologus inter illos cogitavit consecrationem illis verbis fieri. In Ritu Nestoriano, primaque & præcipua trium, quas habent, Liturgiarum, Invocatio verbis Christi præmittitur, neque illis subjungitur ; cùm in duabus aliis, eodem loco, iisdemque verbis legatur, ac in Græcis, cæterisque omnibus Liturgiis. Ex antiquissima igitur Nestorianorum traditione constat, illos in verbis Christi agnovisse vim præcipuam ad elementorum consecrationem, neque per Invocationem subsequentem, aut præcedentem detrimentum illis fieri existimasse.

Et illis verbis non non sequitur consecrationem non esse factam.

Quod verò illius orationis verba, transmutationem panis & vini postulari à Deo significent, non idcirco sequitur, id quod circa Græcos tam confidenter affirmavere, qui illorum ritus impugnant, eam nondum esse factam ab illis existimari. Gabriel Patriarcha Alexandrinus & alii nonnulli rituum interpretes eam sententiam designare quidem videntur, dum scribunt, pronunciatis verbis Invocationis panem fieri corpus ; vinum sanguinem Christi Domini. Verumtamen alteram quoque Gabrielis verba interpretationem admittunt, illâ scilicet Invocatione pronunciatâ, factum esse & perfectum esse corpus Christi & sanguinem, seu tunc demum consummatam intelligi debere consecrationem, quando omnia rite celebrata sunt, quæ ad eam ex instituto Apostolico pertinere censentur. Consummatam igitur illam credunt, cùm verbis Christi rite & secundùm intentionem Ecclesiæ prolatis à sacerdote, illabitur super dona proposita Spiritus sanctus, perfector & consummator omnium Sacramentorum, quod tunc omnino factum esse credunt, cùm Ecclesiæ precibus invocatus fuit, agunt enim & loquuntur humano more, secundùm quem

successio

Digitized by Google

ſucceſſio & temporis aliquod intervallum, cogitatione ſaltem intercipi poteſt, in tranſmutatione quæ per miraculum facta, momento fieri intelligitur, ſed non niſi ſucceſſivè verbis exprimitur. Duo autem maximi ad quæſtionem iſtam elucidandam momenti, obſervanda ſunt. Primum eſt, non ita certò conſtare, credi ab Orientalibus non fieri conſecrationem, antequam Invocatio Spiritus ſancti pronunciata ſit, quin multis rationibus, ſaltem veriſimillimis, contrarium efficiatur. Alterum, vetuſtiſſimam omnibuſque Eccleſiis, etiam Occidentalibus communem, diſciplinam dudum fuiſſe, ut inter ſacra officia, non modò ante ſacramentum perfectum, ſed poſtea, preces fiant ad Deum, quaſi nondum quod Eccleſia poſtulat, factum fuiſſet.

Rationes quibus contrarium, probari poteſt.

Prima obſervatio ex ipſo Coptitarum ritu ſtabilitur. Cùm pronunciantur verba Chriſti, alta voce, quæ Orientalium conſuetudo eſt, acclamat populus *Amen*; ad ſingula Evangelii verba; *benedixit*. Amen *fregit*. Amen: *deditque diſcipulis ſuis dicens*: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur & datur ad remiſſionem peccatorum &c. *Amen*; *Credimus verè ita eſſe*. Diximus in notis ad hunc Liturgiæ locum, τὸ ναὶ illud, non tam ad confeſſionem veræ realiſque præſentiæ corporis Chriſti, quàm ad approbationem & fidem totius orationis ex Evangelio contextæ, videri referendum. Quippe circa veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſatis præclaram, & perſpicuam Coptitæ fidei confeſſionem pronunciant, paulò ante communionem, ut prævia alterâ opus eſſe non videatur. Æthiopes tamen qui ſacramentales libros ſuos à Jacobitis Alexandrinis acceperunt, ipſamque Baſilii Liturgiam, quæ Æthiopum Canonis, ut vocant, generalis primarium exemplar eſt, ultima verba in eam ſententiam interpretati ſunt, quæ ad veritatem realis præſentiæ pertineret. Dicunt enim: *Credo & Confiteor; hoc eſt verè corpus tuum*. Eâdem reverentiâ tractantur myſteria, quæ poſt pronunciatam Invocationem adhiberi ſolet, eo ſolùm diſcrimine, quòd ſignationes illâ dictâ, non fiunt. At ritu Latino, ſecundùm quem conſecratio perfecta creditur pronunciatis Chriſti verbis, calix & hoſtia crucis ſigno benedicuntur à Sacerdote, cùm dicit, *Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ*. Unde conſtat conſignari poſſe dona, etiam conſecrata, ut fit ritu Orientali, in illa parte quæ vocatur Ἁγία ἁγίων: unio ſcilicet ſpeciei utriuſque, cùm panis conſecratus ſignatur particulâ ſanguine delibutâ. Sed nec ſtatim atque Invocatio pronunciata eſt, adoranda proponitur Euchariſtia, aut aliqua cæremonia præſcribitur, quæ novæ dignitatis acceſſionem ullatenus ſignificet. Ita neque per verba alicujus orationis, aut acclamationis, neque cæremoniis determinatur, quæ ſit opinio de donis propoſitis utrum jam perfectè conſecrata ſint, an proximè ad conſecrationem diſpoſita. Neque enim ad miraculum, quod humanæ mentis captum ſuperat attendere Chriſtianos jubent Theologi Orientales, ſed ad ſui probationem, conſcientiæque mundationem, ut myſteria cum fructu percipiantur. Cùm verò præcipua & neceſſaria præparatio ad illa dignè ſuſcipienda fides ſit, illam Eccleſiæ Orientales

Prima obſervatio.

Digitized by Google

teſtatam à ſuis eſſe inſtituerunt, paulò ante communionem, poſtquam orationibus & cæremoniis rite perfectis, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti, quæ mox exhibentur, dubitare Chriſtiano non licet. In aliquibus etiam orationibus, antequam Invocatio pronunciata ſit, ſacra dona vocantur *corpus & ſanguis*. Uno verbo, nihil occurrit in Liturgiis Orientalibus, unde conſecrationem nondum eſſe factam ex illorum ſententiâ certò conſtare poſſit, præter Invocationem Spiritus ſancti. Per illam verborum Chriſti effectum deſtrui, vulgaris recentiorum quorumdam opinio eſt: ab ea tamen veteres tam in Oriente quàm in Occidente Theologi vehementiſſimè diſſentiunt, accedente omnium Eccleſiarum contrariâ diſciplinâ.

Secunda obſervatio.

Huc ſpectat ſecunda obſervatio, quæ plurimis nec ambiguis Ritualium librorum ad omnia ſacramenta celebranda teſtimoniis confirmatur; nempe Eccleſiam orationibus ſuis poſtulare ſacramentalem gratiam, quam obtinuiſſe ſe non dubitat. Id maximè perſpicuum eſt, ex Officiis ad ea ſacramenta celebranda, de quorum forma, ſecundùm Theologorum Latinorum ſententiàm, & communem hujus vocis uſum intellecta, non diſputatur. In Baptiſmalibus Officiis præter orationes prævias, tam ad fontis benedictionem, quàm ad Exorciſmos reliquaſque cæremonias, dicuntur aliquæ, etiam prolatis verbis: *Ego te Baptiſo*, vel ſecundùm ritum Orientalem *Baptiſatur* N. &c. & poſtulatur à Deo, ut illis qui baptiſmum ſuſcipiunt, gratiam Spiritus ſancti concedat. Neque id obſervatur ſolummodò in Ritualibus Græcis, Syris & Copticis, cujuſcumque ſectæ, ſed in Latinis etiam antiquis. At nemo dubitat quin remiſſio peccatorum, per regenerationem in baptiſmo, plenitudinem gratiæ, & Spiritus ſancti contulerit. Ita in Officio Chriſmatis, ſive Confirmationis, etiam poſt orationem, quæ præ cæteris formæ rationem habet, nempe *Signaculum doni Spiritus ſancti*, oratur ad eum obtinendum. In Ordinatione ſimiliter: & licet non una ſit doctiſſimorum Theologorum de forma proprie dicta hujus Sacramenti ſententia, ad finem uſque Officii, quod omnes orationes formulaſque complectitur, preces ad Deum fiunt, ut Ordinato, non modò gratiam ſanctitatis miniſterio ſuo convenientis, ſed poteſtatem autoritatemque tribuat, quam per impoſitionem manuum, & verba ſacramentalia jam conſecutus eſt. Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, & Matrimonii Officia precibus & benedictionibus conſtant, quod cum Latinis antiquis & Græcis Rituali bus commune illis eſt.

Nullus huc uſque inter acerrimos Rituum Orientalium impugnatores, illos condemnavit eo nomine, quòd ſacramentalibus ad Baptiſmum dandum verbis injuriam facerent, cùm invocant Spiritum ſanctum, ut illabatur ſuper aquam regenerandis hominibus præparatam, & ſuper baptiſandos, antequam regenerationis gratiam conſecuti ſint, aut ſignaculum ſancti Spiritus acceperint. Cùm ejus inhabitatio per fidem in cordibus Neophytorum jam baptiſatorum poſtulatur, nihil deſignatur aliud, quàm doni mox per aquam ſacris verbis accedentibus adminiſtratam poſtulatio, aut jam accepti confirmatio. Ita

Digitized by Google

in Confirmatione, in Pœnitentium reconciliatione, in Ordinatione : & aliis : In Rituali Severi. *Tu Domine hos servos tuos, qui nunc baptisati sunt regenerationis lavacro, sanctifica in veritate tua, imple eos gratiâ Spiritus sancti tui*, quòd in aliis quoque Officiis legitur. Hæ porrò similesque orationes non rigidè accipiendæ sunt, quasi vel dubitetur de certitudine promissionum Christi, vel de virtute verborum sacramentalium. Unica enim, & quasi indivisa animo concipitur tota Actio, quæ celebrandorum sacramentorum formam, orationesque complectitur: verbis tamen & ritibus exprimi nonnisi successivè potest. Orationes & cæremoniæ mutuam & necessariam conjunctionem habent, ita ut neque sine cæremoniis & materia orationes Sacramentum efficiant, neque cæremoniæ & materia, sine conceptis verbis & orationibus. Illas conjunctim accipiunt Orientales Christiani, utilesque & efficaces orationes existimant, quamvis absolutè quædam non sint necessariæ. Quippe in Baptismi Officio, qui infantibus, aut aliis periculosè habentibus administratur, multæ orationes & cæremoniæ omittuntur, quas aliter omittere piaculum foret. Si quis aquam fontis Baptismalis, Invocatione sancti Spiritus, & variis orationibus consecratam infanti affunderet, nisi pronunciaret verba sacramentalia, nihil agere censeretur, ex Orientalium sententia. Si Invocationem Spiritûs solam recitaret super dona proposita, omissis verbis Dominicis, Eucharistiam factam esse non crederent. Invocant Spiritum sanctum initio Liturgiæ, & toto orationum decursu Deum interpellant, ut secundùm filii sui Jesu Christi promissa & institutionem, idem efficiat in donis propositis, quod ipse institutor Sacramenti Christus Dominus in ultima cœna fecit, & faciendum præcepit in sui commemorationem. Verba ejus recitant : tum iterum rogant Deum, ut Spiritu sancto operante, divinum & supra vires humanas miraculum perficiatur. Hæc omnia quasi uno tenore facta & dicta intelligunt Orientales, neque per intermissiones, & necessaria intervalla, sacram actionem ita dividi existimant, ut non omnia ad eumdem finem referantur. Itaque in eo tantùm omnes consentiunt, quod Gabriel Patriarcha paucis explicavit: pronunciatâ scilicet Invocatione, factam esse & completam consecrationem panis & vini, in corpus & sanguinem Christi Domini : de cujus veritate paulò post pronunciatur eximia illa Confessio.

Rit. Sev. p. 98.

Atque hæc sola inter multas quæ à Theologis excogitatæ sunt interpretationes, Invocationis verbis convenire potest, cùm reliquæ, nullâ exceptâ, præterquam quòd novæ sint, veteribusque incognitæ, tot laborent incommodis, ut longis ipsæ commentariis indigeant. Quòd nonnulli μεταβαλὼν, ad præteriti significationem referunt, inaniter prorsus, & absque probabili autoritate : nullius ad Copticas Liturgias momenti est, ut neque ad Syras, Jacobiticas, aut Melchiticas. Sola nempe Nestorii Liturgia, hæc verba repræsentat, sumta ex Chrysostomi Græca, quod non leve antiquitatis indicium est : & μεταβάλλων præsentis, non præteriti temporis significatione explicatur.

Invocatio quomodo videatur intelligenda.

Illas verò quas Bessarion & Arcudius, nullo præeunte, verbosissimè proposuerunt interpretationes, ut formulam Invocationis Græcam ex-

Aliæ explicationes stare non possunt.

plicarent ; multò magis rejicerent Orientales Theologi, cùm novitate non minùs quàm ſingularitate diſplicere debeant. Primus quippe ut hæreſin quam Græcis impingit, paratam haberet, Jacobum Apoſtolum illius autorem facit : alter Cyrillum Hieroſolymitanum, Joannemque Damaſcenum, erroris quem inſectatur accuſat, periculoſo planè exemplo. Reliquarum interpretationum etiam quæ tolerabiliores videri poſſunt, nulla Orientalibus Theologis venit in mentem, quorum nemo, vel minimam erroris in conſervanda oratione, quam à majoribus acceperant in Eccleſia Orthodoxa, ſuſpicionem habuit. Atque hæc quæſtio de Invocationis ſignificatione agitari inter Catholicos poteſt, ad Proteſtantes non pertinet, quamvis illis concertationibus, cauſam ſuam juvari exiſtiment. Errent Orientales quantum libet, eâdem cum Græcis Schiſmaticis opinione teneantur ; at ſanè de vera elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatione non dubitant, eamque miraculo, & illapſu Spiritus ſancti ſuper ipſa elementa panis & vini, fieri confitentur, ſecundùm ſimplicem verborum Invocationis ſententiam. Sunt igitur ab opinionibus Proteſtantium alieniſſimi, qui nullam panis & vini tranſmutationem agnoſcunt, & medium quo corpus & ſanguis Chriſti recipiuntur, non aliud, quàm ſuſcipientium fidem eſſe volunt, quod Græci in Cyrilli Lucaris Confeſſione damnaverunt. De perfecta conſecratione, nulla apud Proteſtantes quæſtio eſt, nec eſſe poteſt, cùm non aliam agnoſcant corporis & ſanguinis Chriſti veritatem, niſi in ipſa illius participatione. At Orientales, pronunciatâ Invocatione, completam eſſe tranſmutationem profitentur, & inter Sacerdotum manus, non ſolis *veſcentibus in Cœna Domini* : nihil igitur ex Invocationis qualicumque interpretatione adversùs communem totius Eccleſiæ doctrinam deduci poteſt ; unumque tantummodo accuſationis adversùs eos caput, ex illa probari cum aliqua veriſimilitudine poterit, quòd credant non ſolis verbis Dominicis, quocumque modo prolatis, Euchariſtiam confecrari : quòdque preces Sacerdotales, maximè Invocationem Spiritus ſancti, utiles, imò neceſſarias judicent, ut agatur commemoratio legitima mortis Chriſti Domini, ſecundùm ejus inſtitutionem.

Atque hæc erant, quæ de Invocatione Spiritus ſancti, ut à Coptitis Græcorum exemplo uſurpatur, non minùs quàm ab omnibus Chriſtianis Orientalibus, obſervare neceſſe erat. Hoc enim diſciplinæ caput cum doctrina ita conjunctum eſt, ut ex eo non ſatis explicato, monſtra errorum formata ſint, & objecta Orientali Eccleſiæ, quaſi Orthodoxa eſſe non poſſet, niſi abjectis Officiis Euchariſticis ſuis, quæ vetuſtiſſimâ traditione commendantur, non minùs quàm integra cum omnium Eccleſiarum Græci Ritûs libris conformitate. Tandem interpolatio librorum Eccleſiaſticorum, nullâ publicâ autoritate facta eſt, ad effugiendam hæreſin de qua nunquam Orientales audierunt, & ad inculcandum vetuſtiſſimæ orationis ſenſum, de quo Cenſores illi convenire huc uſque non potuerunt, qua ſola ratione illum ad fidem non pertinere demonſtratur. Concedamus eſſe quamdam Græcorum hæreſin, qualem Turrecremata ipſis objicit ; at de illa, neque de Cabaſila, aut Marco Ephe-

Digitized by Google

ſio ejus, ut recentiores volunt, architectis, Coptitæ, Syrive Orthodoxi, Neſtoriani, Jacobitæ, Æthiopes, Armeni ne levem quidem auditionem acceperunt. Efficaciam verborum Chriſti ad conſecrationem, negare Orientales, inſignis & ſummæ ignorantiæ conjuncta, calumnia eſt. Sed orant pro donis jam conſecratis, ita ſanè: at novum illud crimen, & ante decimi quarti ſæculi finem inauditum, Romanis, Gothicis, Mozarabicis, Gallicanis Eccleſiis objici poterat, nec objectum unquam fuit. Errent tandem, ut talibus Cenſoribus videtur, Orientales: at in illa ipſa oratione certum extat ſinceræ illorum fidei de vera & reali elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatione teſtimonium, quod Proteſtantes eripere nobis non poſſunt, refellere multò minùs. Quid porrò illorum refert, an ſolis verbis Dominicis Euchariſtia conſecretur, an verò iiſdem, adjunctis Eccleſiæ precibus, præſertim Invocatione Spiritus ſancti; modo conſecretur? At verè illa conſecrari, & aliud quàm quod videbantur fieri, Coptitæ certiſſimè credunt, & perſpicuis verbis confitentur. Verùm objici ſolet, non credere illos fieri id per verba Chriſti Domini; quod negamus: Detur ita eſſe, precibuſque conſecrationem tribuere illos; illam igitur agnoſcunt, ut Confeſſio de qua mox dicetur ſatis ſignificat; & id nobis negocii ſolùm dari cùm Proteſtantibus, extra dubium eſt. Neque tamen, ut de Græcis diximus, ſola Invocatione Spiritus ſancti, Coptitæ quorum Liturgiam exponimus, credunt, etſi autoritate Critici noſtratis, quæ hoc in genere nulla eſſe debet, id multis exiſtimatum fuerit. Nam oratio quam ſupra expoſuimus, præparationis vulgò dicta, eadem prorſus verba continet, ad poſtulandum in panem & vinum, illapſum Spiritus ſancti, ut ea efficiat corpus & ſanguinem Chriſti Domini. Attamen nullus unquam apud eos Theologus, aut Rituum Interpres, mutationem tum fieri exiſtimavit, aut inutiliter pronunciari talem orationem, nempe quia verba Chriſti nondum prolata ſunt. Eadem igitur oratio repetita, poſtquam ſacra verba recitata ſunt, detrimenti nihil illis afferre, ſed ea potiùs in circumſtantium memoriam revocare ad excitandam eorum fidem, conſtans & perpetua Orientalium ſententia eſt.

Memento Domine pacis unicæ Eccleſiæ, &c. *Pag. 16. lin. 27.*

HOc loco incipiunt Diptycha, quam vocem Coptitæ retinuerunt: hanc enim & ſequentes orationes appellant Διπτυχικοὺς: & eam Syri, ut multas alias Græcas retinuerunt, ut patet ex Commentario Barſalibi ad Liturgiam ſancti Jacobi. Ea vox peſſimè explicatur in Nomenclatore Kircheriano, ex vitioſa vocis Arabicæ punctuatione; atque redditur *Interpretatio*. Legit enim interpres תרגים, cùm legendum ſit תרחים. Ea vox ultima Diptychis indita eſt, quia dum orationes recitantur à Sacerdote, populus ſæpe repetit יא רב ארחם, *Domine miſerere*, aut quod idem eſt, *Kyrie eleiſon*. Ea illorum eſt apud Coptitas diſpoſitio. Sacerdos dicit: *Memento Domine, &c. Eccleſiæ tuæ, &c.* mox Diaconus clamat ad populum, *Orate pro Eccleſia*. Populus dicit, *Kyrie eleiſon*, Diptycha.

ſive *Domine miſerere*, pluries: & ut notat Barſalibi, eo loco non debet populus aliud quàm *Kyrie eleiſon*, ad ſingulas orationes dicere. Singulare eſt apud Syros Jacobitas inſtitutum, ut ad unumquodque Diptychorum caput, Sacerdos celebrans duas orationes recitet, unam altâ voce, unam ſecretò. Oratur verò apud Coptitas in hunc modum: pro Eccleſia, pro Epiſcopis univerſim, & ſingulariter pro Patriarcha Alexandrino ſolo, ſi Alexandriæ Liturgia celebratur; alibi pro Epiſcopo oratur, poſt memoriam Patriarchæ: pro ordinibus Eccleſiaſticis: pro urbe: pro Eccleſia, in qua Liturgia peragitur, & monaſteriis: pro fructibus terræ & aquis Nili. Sequitur altera pars quæ ad præterita ſpectat: nempe commemoratio ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Sanctorum reliquorum, incipiendo à Beata Maria Virgine: Tertia tandem eſt mortuorum apud Deum commendatio. Varia autem eſt, non modò in diverſis Eccleſiis, ſed in iiſdem ejuſmodi commemorationum diſpoſitio. In Ritu Neſtoriano qui antiquiſſimus eſt, oratur pro omnibus creaturis: pro Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa: pro Eccleſiaſticis cujuſcumque ordinis: pro plebe Chriſtiana, ſive Laïcis: pro piis: pro Regibus fidelibus: pro principibus, magiſtratibus, & barbarorum compreſſione: pro aëris temperie, frugum ubertate: pro loco: pro peregrinantibus terrâ vel mari: pro afflictis & captivis: pro vitandis inſidiis, pro variis neceſſitatibus. Poſtea fit memoria ſanctorum, ſequiturque commemoratio mortuorum & oratio pro illorum quiete: ſed varietas illa nullius momenti eſt. Ægyptiorum ordinem in Diptychis, præter Liturgias, explicant Abulbircat, Ebnaſſalus in Epitome Canonum, Gabriël Patriarcha, Autor Scientiæ Eccleſiaſticæ, & alii. De Syriacis Jacobitarum, Barſalibi commentario ad Liturgiam, Abulfaragius in Nomocanone; tum variæ Liturgiæ, ex quibus ordo Diptychorum intelligitur.

Diptycha Alexandrina.

Verùm ordo ille, & quicumque in libris præſcribitur, non omnia nomina continebat, quæ præſertim ritu Ægyptiaco, commemorari ſolebant. Ac de vivis quidem poſt nomen Patriarchæ Alexandrini, qui vivebat tunc temporis, nominabatur quoque Patriarcha Antiochenus Jacobitarum, idque ex antiqua conſuetudine, ex quo Severus Jacobitarum ſpes altera, qui Antiochenam ſedem occupaverat, arctiſſimam cum Dioſcori ſucceſſoribus ſocietatem & communionem habuit. Interrupta poſtmodum aliquamdiu commemoratio Antiochenorum in Diptychis fuit, quia inter turbas bellorum, quibus Oriens ardebat, deſiit utriuſque Eccleſiæ per literas commercium. Sed illud renovatum eſt; atque poſtmodum conſuetudo fuit, ut illorum in Diptychis nomina recitarentur; inter vivos, ejus qui tunc Cathedram obtinebat; & inter mortuos, deceſſoris ejus. Verùm tunc incipiebat memoria viventis fieri, quando Alexandriam pervenerant literæ, quas ſtatim ab ordinatione ſua ſcribere ſolebat cum Confeſſione fidei, quæ quia ex Synodo mittebantur, *Synodica* appellabantur. Nam donec tales literæ receptæ fuiſſent, deceſſoris nomen, quaſi viventis, recitabatur, etſi de ejus obitu conſtaret, ut in Alexandrina hiſtoria non ſemel factum obſervavimus. Poſtea nomen proximè defuncti Patriarchæ Diptychis inſerebatur. Nullius

Digitized by Google

ex aliis Patriarchis memoria fiebat : non Coſtantinopolitani, non Romani, quamvis de dignitate ejus inter omnes conſtaret, ut teſtantur Canonum Collectores, qui primum illi locum attribuunt, ob ſedem Petri principis Apoſtolorum. Sed propter defenſionem Concilii Calchedonenſis, hæretici habebantur Romanus & Conſtantinopolitanus; atque idcirco nulla eorum memoria fiebat. Antiochiæ quoque inter Jacobitas, pari modo referebatur in Diptycha nomen Alexandrini Patriarchæ viventis, & ejus deceſſoris, ſtatim atque literæ Synodicæ ejus receptæ fuerant. In mortuorum commemoratione recenſebatur quoque nomen Patriarchæ Alexandrini nuper defuncti, ut multis hiſtoriæ exemplis manifeſtum eſt : atque è tabulis eximebatur, poſt ſucceſſoris obitum. Ita quoque obſervabatur in Eccleſia Æthiopica, quæ Alexandrinæ in omnibus ſubjecta erat. In Æthiopica Liturgia Metropolitarum plurium nomina ſucceſſivè recitabantur, ut patet ex Canone Generali. Idem quoque factum in Eccleſia Neſtoriana, docet nos ipſorum hiſtoriæ ſcriptor Maris-Salomonis filius, qui de duobus Pſeudo-Catholicis, notat *eorum nomina libro vitæ inſcripta non fuiſſe*, hoc eſt Diptychis, *eo quòd contra leges Eccleſiaſticas dignitatem uſurpaverant*. Atque hæc de Eccleſiaſticis, circa quorum commemorationem ſimilis erat ubique ferme diſciplina.

Regum memoria in Diptychis.

De Regibus occurrunt quædam notatu digna, præter ea quæ ſuperiùs obſervavimus. Nam in quibuſdam Liturgiis, ut Neſtorianâ, oratur *pro Regibus fidelibus*; ut in Jacobiticis nonnullis. Ea occaſione reprehendit Barſalibi in Commentario ſuo quoſdam ſæculi ſui homines, qui exiſtimabant tollendam eſſe ex Diptychis Regum memoriam, quia tunc hoſtes Eccleſiæ & nefarii eſſent. Sed ait eſſe quoſdam Reges impios, id eſt Muhamedanos; Calchedonenſes quoſdam nequitiâ non inferiores, pro quibus tamen orandum ſit, quia ab illis pax orbis, pro qua deprecari Eccleſia jubet, pendet quodammodo. Itaque ubique ferme tandem pro illis orationes præſcribuntur, ſed hoc loco, in aliquibus Liturgiis, ut in hac Baſiliana, Regum nulla mentio eſt, quamvis initio pro illis oretur. In ſecunda quæ eſt Gregorii, *pro Regibus Chriſtianis*, nempe φιλοχρίστων retentum ex antiqua conſuetudine, quando adhuc ſub Chriſtianis Imperatoribus Ægyptii vivebant : quem uſum confirmat Abulbircat, dum inter alias orationes recenſet βασιλέων καὶ τῶν ἐν παλατίῳ nempe *pro regibus & qui in Palatio*. Ea porrò differentia eſt, ut iis in Provinciis, quæ Chriſtianos principes habebant, non ſolùm oraretur pro ipſis, ſed nomina eorum recitarentur, quemadmodum obſervatur in Græcis Liturgiis, quarum diverſi codices Imperatores nominant illius temporis quo ſcripti fuerunt. Si neque Chriſtiani, neque ejuſdem ſectæ fuerint, nominatim non appellantur. Itaque cùm Muhamedani toto dudum Oriente potiantur, neque in iſtis Liturgiis Ægyptiacis, neque in Jacobiticis Syrorum, aut Neſtorianis, aut aliis tandem, nominatus reperitur princeps ullus Muhamedanus, etſi multos Chriſtiani benevolos experti ſunt. Antiochia recepta à Chriſtianis non ſemel, poſtmodum fuit per ſæculum ferme integrum in Francorum poteſtate : at quia tum

Digitized by Google

Græci Imperatores, tum Franci, Calchedonenſes erant, atque adeo hæretici à Jacobitis judicabantur, nulla eorum temporum, Liturgiæ exemplaria occurrunt, ubi alterutri nominentur, in Jacobitarum Antiochenorum; aut Paleſtinorum codicibus. Duo igitur tantùm exempla ſunt in Orientalium Chriſtianorum libris, Armenorum qui reges aliquando Chriſtianos habuerunt, quorum nomina ex Diptychis commemorantur; & Æthiopum qui ſemper ſub Chriſtianis Regibus fuerunt. Adhuc in iſtorum Liturgia nominati reperiuntur, non modò qui regnabant cum libri ſcripti fuerunt, ſed majores eorum, & veteres non pauci, qui virtutis aut pietatis famâ quondam floruerant, ut Gabra-Maskal, Conſtantinus, Freſennai, Lalibela, Zara-Jacob, & alii.

Sanctorum commemoratio.

Sequitur altera pars, quæ eſt ſanctorum commemoratio, nempe non ut pro illis oretur, ſed ut per eorum preces & interceſſiones, Deus miſereatur ſupplicantium. Primùm verò apud omnes Eccleſias nominatur Virgo Maria, erga quam notiſſima eſt omnium Orientalium pietas, præſertim Jacobitarum: qui præter frequentes ad eam in ipſa Liturgia orationes, ſingulares multas habent, in libro qui voce Græca *Theotokia* appellatur, quaſi hymni ad Deiparam. Extat ille in Bibliotheca Regia Copticè & Arabicè, recenſeturque ab Abulbircat inter alios libros Eccleſiaſticos. Multæ quoque hujus generis continentur in Liturgia Æthiopica, quæ cum Canone Generali poſt Novum Teſtamentum Romæ edita eſt; vocaturque idcirco *Liturgia ſanctæ Mariæ*: plures in libro ſingulari, quem vocant *Organum*: & in breviori ſecundùm hebdomodæ dies diſpoſito, cujus extant varia exemplaria in Bibliothecis. Neque officio ſuo deſunt Neſtoriani, quamvis Mariam negent eſſe Deiparam; nam in Liturgia triplici quam habent: in Theſauro precum quotidianarum, ſeu Horologio, hymni multi ad eam occurrunt, ſed in quibus ſemper *Chriſtipara* appellatur: quæ nota illius ſectæ indubitata eſt. Multæ quoque ad Virginem orationes occurrunt in Melchitarum Horologio Fani edito, & in manuſcriptis ejuſdem libri Codicibus. Imagines ejus colunt, & multæ antiquiſſimæ reperiuntur adhuc, in ruinis veterum Eccleſiarum Thebaïdis, ubi Virgo repræſentatur filium in ſinu geſtans, ut de multis notant, non ſatis gnari quid iſtæ imagines ſignificarent Makrizius, Kazuinius & alii Muhamedani. Antiquiſſimam Eccleſiam eidem dicatam extare adhuc ſuo tempore, hoc eſt duodecimo ſæculo *Mirtouti* dictam, refert Abuſelah, idque ſignificare *Matrem Dei Verbi*, nempe voce corruptâ, ex Græcis abbrevians $\overline{\text{MHP}}$ $\overline{\text{ΘΥ}}$. Multas recenſet Makrizius in Topographia Ægypti, quarum frequens eſt in Chriſtianorum libris memoria. Feſti dies diverſi in honorem Deiparæ, quales apud Græcos & apud nos. De ſumma ejus dignitate, quòd Dei mater ſit, extant inſignes Tractatus diverſorum Theologorum; inter alios Abrahami Monachi Tiberiadenſis, Abu Raithæ Takritenſis, Jahiæ ſive Joannis filii Zachariæ, Severi Epiſcopi Aſchmonin, Iſæ filii Zaraæ, qui omnes Jacobitæ fuerunt, præter ea quæ de hoc argumento ſcripſit Ebnaſſalus in Principiis fidei toto cap. 45. Eutychium Alexandrinum & Orthodoxos

Orthodoxos alios præterimus. Nemo sanè Orientales accusavit quòd legitimis, qui Deiparæ debentur, honoribus deessent: multi quòd eo in cultu, modum aliquando excederent, & ad superstitionem usque procederent; quæ accusatio fundamento non caret. Nam habent præter libros quos designavimus, qui à doctrina sana commendari possunt, infinitos alios fabulis & superstitionibus inquinatos, ex apocryphorum fæce collectis.

Sanctorum qui in Diptychis commemorantur diversa ratio est, sunt enim quorum sanctitas apud omnes Ecclesias commendata est antiquitùs, ut Apostolorum, Martyrum, & Ecclesiæ Doctorum, qui ante Concilia Ephesinum & Calchedonense floruerunt. Præcipuorum illorum nomina apud omnes ferme Ecclesias commemorantur, non tamen omnium, id enim infinitum foret. Postea verò Nestoriani, nullos qui sibi in damnanda hæresi sua contrarii fuerunt, memoriâ dignos judicaverunt. Itaque sanctis omnibus Orthodoxis post habitis, duo aliorum genera substituerunt, eos nempe quos Patres Græcos appellant, Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum, Nestorium & quosdam illis conjunctos; tum eos qui Syri Patres appellantur, nempe eorum discipulos, quorum aliqui Cathedram Seleuciensem tenuerunt, & quos suæ sectæ supremos Antistites olim habuerunt. Pari modo Jacobitæ post Concilium Calchedonense ab Ecclesia secedentes, sicut Nestoriani Cyrillum diris & anathematibus devoverunt, ita ipsi Leonem Romanum, & qui in ejus communione fuerunt, pro hæreticis habentes, Dioscorum, Severum & alios Jacobiticæ hæresis defensores & propagatores, in Sanctorum numero Diptychis inseruerunt. De istis verò notissimis nihil singulariter observandum est: at in aliis quorum obscurior, præsertim apud Græcos & Latinos, memoria est, non semel multi hallucinati sunt. Plerique sanè Monachi, si Patres vitæ Anachoreticæ excipias, hæretici fuerunt; atque in illis decepti sunt sæpè peregrini ad Ægypti monasteria delati, in quibus colebantur tales hæreseos defensores. Multos enim fuisse inter Ægypti Monachos testantur autores varii.

Sancti qui apud Coptitas commemorantur.

De Sanctis qui præcipuè coluntur in Jacobitica Ecclesia, operosior tractatio foret, nec hujus loci. Multa in eam rem colligi possunt ex Synaxariis Coptitarum, tum ex Kalendario quod extat apud Abulbircat. Edidit illud, sed valde imperfectum, nominibus tam Arabicè quàm Latinè mirum in modum corruptis, Joannes Seldenus in Tractatu de Synedriis veterum Hebræorum: recudit multisque locis emendavit Jobus Ludolfus, adjuncto Æthiopico, & notis in quibus multa observat, ita tamen ut plura supersint colligenda ex Codd. Mss. quos ille non viderat.

Josephus Scaliger, ex cujus Codice hæ Liturgiæ Ægyptiacæ lucem primò Latinè viderunt, in Epistola ad Marcum Velserum Augustanum, de Diptychis ita scribit. *A Diptychis duo manarunt, quæ tam in Orientis quam in Occidentis Ecclesiis hodie extant αἱ λιτάνειαι καὶ τὰ μαρτυρολόγια. Litaniæ à κύριε ἐλέησον, incipiunt: partibus duabus, Sanctorum memoriâ, & precibus constant. Hoc in illis Liturgiis clarè extat: nam Dip-*

Judicium Scaligeri de Diptychis.

tycha in illis à verbo אחים, *hoc est* ἐλέησον *incipiunt*. In hac observatione aliquid verum est : quamvis divinando potiùs dictum sit à Scaligero, quàm petitum ex antiquitate Ecclesiastica : nam ex Diptychis manaverunt Martyrologia, vel potiùs ea fuerunt antiqua Diptycha, seu tabulæ Ecclesiasticæ, quæ in hoc loco recitabantur : aucta, & in libros relata, aliam deinde diversamque, pro Ecclesiarum temporumque varietate formam acceperunt. Nam antiquissima quæ extant, collecta sunt à diversis autoribus seriùs, neque publica Ecclesiarum autoritate : & illud de quo loquitur Gregorius Magnus, non extat : sed de his videndi Baronius, Molanus, Valesius, quique de Martyrologiis accuratiùs tractaverunt. Apud Græcos omnesque Christianos Orientales nihil simile : sola habent Synaxaria, multò Latinis Martyrologiis ampliora, illique non absimilia quod sæculi decimi sexti fine, Maximus Margunius Cytherensis Episcopus, in Græcorum suorum gratiam sermone vernaculo Græco, Venetiis edidit. In illis autem refertur breviter Sanctorum historia, cùm in Latinis nomina tantùm Martyrum, & passionis locus & tempus referri soleant : aliorum Sanctorum nomen, dignitas & patria. In Græcis, memoria fit multorum qui in Ecclesia Latina floruerunt : in Orientalibus Synaxariis vix ullorum qui extra Orientem. Ita maxima differentia est inter ea & Martyrologia. Litanias quod attinet, dictum Scaligeri ingeniosum magis est quàm verum : & quas propriè ita appellamus, ignorant penitus Orientales, neque *Kyrie eleison*, quod initium nostrarum est, eodem apud ipsos loco & modo dicitur, sicut nec apud Græcos. Nam dum indicatur à Diacono, oratio facienda pro quacumque re, vel certis personis, Sacerdos dicit singularem aut duas orationes, unam alta voce, aliam secretò ; & ad earum finem populus dicit *Kyrie eleison*, vel אחים id est *Miserere*, idque non semel, sed multoties, atque aliquando quadragies. Appellari verò postmodum Sanctorum nomina, & singulis subjungi, *orate pro nobis*, non est ex Orientali consuetudine. Nam quòd extant in Codicibus recentioribus quædam Litaniæ nostris similes, vel prope eædem, debetur Missionariorum diligentiæ, qui illas Orientalibus sunt interpretati, ut diversas ex nostris libris orationes alias.

De mortuorum commemoratione & precibus pro ipsorum quiete, dictum est superiùs, quia duplices, ut etiam observatum est, in Ritu Ægyptiaco fieri solent, pro diversis rebus & personis orationes.

Proœmium ante fractionem.

P. 19. l. 16.

PRoœmium appellatur in multis codicibus hæc oratio, quia ex illarum genere est quæ dicuntur ante sacram aliquam actionem, ad Sacrificium pertinentem, ut ista quæ antecedit fractionem Corporis Christi, de cujus consummata transmutatione jam non dubitatur, & tamen orant, ut digni efficiantur communione & participatione mysteriorum ejus divinorum, quæ nova probatio est adversùs abnormem Claudii Salmasii interpretationem, de qua dicetur in notis ad secundam Liturgiam. Fractio autem hostiæ, sive oblatæ, duplex est, prima eo

Digitized by Google

ipso tempore quo pronunciantur hæc verba Christi, *Fregit*, ad quæ adnotatur in rubricis, & Gabrielis Rituali, aliisque rituum expositoribus, Sacerdotem frangere oblatam in tres partes, quas tamen ita invicem conjungit, ut fracta non appareat. Secunda verò & propriè dicta Fractio, quæ hoc loco perficitur, est illarum partium in multas particulas divisio, ad distribuendam communionem. Ritus Fractionis nullus singularis est; sed particulæ, ut apud Græcos, in disco collocantur, & postea velo teguntur. Tum Sacerdos signat ex sanguine in quem digitum intingit, partem hostiæ majorem: ea enim est quam *Isbodicon* vocant, quæ vox, nullo in loco explicata à nobis reperta est; quippe notissima cùm esset, nemo eam explicandam judicavit. In Codice Græco Regio Στρατικὸν, quæ scriptura facit ut judicemus vocem detortam esse à Græca Διαστικὸν, ut subintelligatur σῶμα: nempe *corpus Dominicum*, nam literam T. Ægyptii in Δ vulgò convertunt. Cùm verò nunquam ea vox usurpetur de hostia non consecrata, certissimum videtur particulam mediam, quæ ad consecrationem deligitur, intelligi debere, sicut ejus etiam minores partes, cùm ea vox reperiatur plurali numero. Igitur per istum ritum fit unitio & consecratio corporis & sanguinis Domini, vel potiùs inchoatur; cùm, ut ex sequentibus rubricis manifestum est, immissio particulæ consecratæ in calicem, & signatio ex eâdem, particularum quæ sunt in disco, fiat post recitatas orationes Fractionis, quas hoc loco Liturgia repræsentat, aut omnes, aut unam ex tribus. Omnem autem Fractionis ritum explicat Gabriel Alexandrinus, cujus verba hîc apponemus. *Patres*, inquit, *nostri constituerunt, ut, quo tempore hæc oratio dicitur, Sacerdos manus in crucis modum componeret, atque ita designaret Deum esse præsentem inter nos. Cùm dicit*, corpus sanctum; *accipiet corpus sanctum, imponetque illud super manum suam sinistram, & ponet digitum suum super illud. Cùmque dicet*, & sanguis pretiosus; *tollet digitum suum de super corpore, extendetque eum ad calicem, & indicem suum in pretioso sanguine intinget, ita tamen ut unguem non immergat. Mox ubi indicem sanguine intinxerit, educet eum ex sanguine: & eodem digito sanguinem signabit in modum crucis; educetque manum ex calice priùs extersam, ne quid ex ea decidat, qua in re diligentiam adhibebit; signabitque sanguine, quem in digito habet, corpus sanctum semel, supra eam partem quam primò signavit: & signabit iterum aversam partem corporis, ab ima parte: ita, ut tres omnino consignationes fiant, ex eo, & ad illud,* (nempe ex corpore & sanguine, mutuæ benedictiones fiant,) *& quæ compleantur ex quo incipit dicere*, corpus sanctum, *donec dicat*, Pax omnibus. *Inde incipiet Sacerdos recitationem Orationis Fractionis, dividetque corpus in tres partes, sicut primò fecerat ad ea verba* fregit. *Tertiam partem accipiet, quam collocabit super tres alias in modum crucis: & accipiet margaritam, seu particulam unam ex superioribus tribus, eamque ponet in latere disci Orientali: tum aliam inferiorem ex illis acceptam, collocabit ex adverso ad occidentem: duas quoque alias à dextra & à sinistra disponet ita, ut omnes particulæ efficiant figuram crucis: ex superioribus autem particulis, accipiet eam in qua est Isbodicon*, hoc est mediam

majorem, *quam in medio disco collocabit. Tum incipiet Fractionem tertiæ, quam manu tenebit; quâ finitâ, accipiet tertiam primò collocatam & eam franget: finitâ fractione ejus accipiet tertiam, quam in medio posuerat, conservabitque ex ea Isbodicon seorsum, ex superiori facie, cavebitque diligenter ne quid findatur, aut frietur. Tum ponet eam in loco suo; tertiam in medio locabit in loco suo, & ad eam colliget omne corpus sanctum quod fregit. Quòd si Sacerdos fuerit rituum peritus, habeatque multorum annorum experientiam, juxta præscriptam hanc formam oblationem suam rectè dividet, donec tota fracta in minutas partes integrè fuerit: elevabitque eam manibus suis, ita perfectè divisam & integram*, hoc est, particulis ita collocatis, ut integra appareat. *Ea cùm perfecerit Sacerdos, manus intra discum continebit, ne quid tangat, ne quid fortè ipsis adhæreat, ne minima quidem margarita seu particula.* Huc usque Gabriel, quem sequuntur Autor Scientiæ Ecclesiasticæ & alii. Minutas illas cæremonias non ita facilè explicare licet: neque sanè magni refert, cùm sufficienter ex relatis verbis intelligatur, quam accuratè se habeant Ægyptii in fractione hostiæ, adeo ut ipsi, quibus ignari quidam Viatores objecerunt summam in Sacramentis tractandis irreverentiam, talem curam adhibeant, qua major esse ulla nequeat. Res ipsa per se satis loquitur, neque enim, ut ex ipsis Protestantium disputationibus intelligitur, similis diligentia adhiberi potest, ubi non est fides veræ substantialisque elementorum transmutationis. De ea quoque in hoc ipso ritu occurrit perspicua confessio, dum Sacerdos pronunciat hæc verba, *corpus sanctum & sanguis pretiosus.* Nam quæ dicuntur eo ipso momento, quo panis consecratus tenetur manibus, & in calicem digitus immittitur, certo certiùs significant fidem indubitatam de utroque jam translato in corpus, & sanguinem Christi Domini. Quòd autem spectat Fractionis modum facilè is intelligi potest consideratâ formâ oblatarum Orientalium, quarum imaginem dedit vix Clarissimus Jacobus Sirmondus in Disquisitione de Azymo. Sunt enim illæ sectæ quodammodo, multis & variis tum lineis, tum cruciculis, quæ ferro impresso ita sulcantur, ut tota oblata facilè frangi possit, ea quam Gabriel describit ratione. Media autem pars ea est quæ majorem aut crucem, aut figuram habet: nam utraque ratione formantur, & nisi vehementer memoria nos fallit, non modò crucis, sed aliæ etiam figuræ aliquando oblatis imprimebantur. Operæ pretium erit adjicere ex Ritualibus aliarum Ecclesiarum quomodo Fractio & consignatio apud Nestorianos, & Jacobitas Syros fieri soleat. In Liturgia Nestoriana, quæ sanctorum Apostolorum dicitur. *Osculatur Sacerdos hostiam in modum crucis, ita tamen, ut ad labia sua non adjungat, sed eam quasi osculatur & suscipit utraque manu: tum dicit. Accedimus Domine cum fide vera, & frangimus cum Orthodoxa confessione, signamusque per misericordiam tuam, corpus & sanguinem Domini Jesu Christi, vitæ largitoris, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Frangit hostiam in duas partes, deponitque partem, quam manu sinistra tenet, in altaris mensa, ita, ut fractura ejus respiciat os calicis: signatque partem quam dextrâ tenet, in calice, in quo immergit tertiam ejus partem & dicit,*

Signatur sanguis precioſus corporis vivifici, Domini noſtri Jeſu Chriſti, in nomine Patris, &c. *Et poſtea ex eadem particula ſignat corpus, & dicit*, Signatur corpus ſanctum ſanguine propitiatorio Domini noſtri Jeſu Chriſti in nomine Patris, &c. *Tum accipit partem quæ ſuper menſæ eſt, manu ſiniſtra, eamque alteri particulæ ita conjungit, quaſi fracta non eſſent, & dicit.* Segregata & commiſta ſunt hæc myſteria unum cum altero: in quibus ritibus integra cum Copticis apparet conformitas. In Ritu Maronitico, ſive potiùs Jacobitico. *Credimus, offerimus, obſignamus & frangimus Euchariſtiam hanc, panem cœleſtem, corpus Verbi Dei vivi, in calice ſalutis & gratiarum actionis, ſignamus perfectione propitiatoria, myſteriiſque ſublimibus pleniſſima, in nomine Patris, &c.* In aliis codicibus ex ea particula quæ in calice intincta eſt, fieri præcipitur conſignatio ſuper alias partes, diciturque ſimul, *Spargitur ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuper corpus ejus ſanctum, in nomine Patris, &c.* Atque hic eſt ritus quem plerique vocant *conſignationem Sacramentorum*, nempe quia poſt Fractionem, ex particula conſecrata ſignatur calix, & ex eadem intincta conſignatur panis mutatus in corpus Chriſti, ut ita duæ ſpecies conjungantur, & quamvis diviſæ, unius ejuſdemque Chriſti corpus eſſe & ſanguinem, per Eccleſiaſticas cæremonias demonſtretur. Ipſæ quas hoc loco Coptitæ obſervant, & quarum ſimiles habent Eccleſiæ Orientales prope omnes, non ex communibus Græcorum Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi acceptæ ſunt, ſed ex Jacobi quæ cum antiquiſſima ſit omnium, magis in Oriente propagata eſt, quam aliæ. In ea ita præcipitur *Sacerdos frangit panem, dimidiumque dextrâ, ſiniſtrâ verò dimidium tenet, & quod tenet manu dextra immergit in calicem dicens.* Unio ſanctiſſimi corporis, & precioſi ſanguinis Domini & Dei ac ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Et ſignat id quod tenet manu ſiniſtra, deinde hoc ſignato, alterum dimidium ſignat: ac ſtatim incipit dividere & ante omnia diſtribuere in ſingulos calices partem unam, dicens.* Unitum eſt & ſanctificatum & conſummatum in nomine Patris, &c. *Et cùm ſignat panem dicit.* Ecce agnus Dei, filius Patris, qui tollit peccata mundi, vita & ſalute. *Et cùm diſtribuit unam partem in ſingulos calices dicit.* Portio ſancta Chriſti, plena gratiæ, & veritatis, Patris & Spiritus ſancti, cui gloria imperium in ſæcula ſæculorum. In aliis quoque ut Chryſoſtomi, & Baſilii, ſatis deſignatur idem ritus, qui Latinis quoque communis eſt, nempe, ut fractâ hoſtiâ, ejuſdem particula calici immittatur, dum dicitur: *Hæc commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Quæ oratio etſi leviter immutata, reperitur eodem ſenſu in omnibus antiquis codicibus, ita tamen, ut ea lectio quam Autor Notarum ad Gabrielem Philadelphienſem obſervat vidiſſe ſe in uno, in quo legeretur *corpus & ſanguis*, in nullo à quoquam autore idoneo deprehenſa ſit, neque à nobis qui multos tractavimus, atque adeo ſuſpectiſſima de mendo eſſe debeat. Nec enim locus omnino eſt, ut oretur pro conſecratione corporis & ſanguinis Chriſti, non ſolùm quia jam omnibus modis, etiam ſecundùm Græcorum recentiorum opinionem, perfecta cenſenda eſt; ſed quia conſecratio quæ

postulatur, non alia est, quam commistio speciei utriusque. Hujus verò cæremoniæ quæ in Fractione hostiæ, particularumque intinctione observatur significationes mysticas, ut apud Græcos Germanus Constantinopolitanus, Maximus, & inter recentiores Cabasilas, explicaverunt de scissione & laceratione corporis Christi inter flagellantium & crucifigentium manus, de effusione sanguinis: de resurrectione ejus, deque aliis mysteriis, ita eodem sensu Dionysius Barsalibi, atque alii Theologi Orientales eam intelligendam esse docuerunt.

P. 21. l. 19.

Oratio post Pater noster.

Oratio post *Pater noster.*

IN omnibus Orientalibus, non minùs quàm Occidentalibus Ritibus, paulò ante communionem dici solet Oratio Dominica, ex Apostolica institutione, de qua passim autores Liturgici, Græci & Latini. Sed differunt Orientales ab Occidentalibus, quòd apud istos dicitur post Fractionem, apud illos eam præcedit. Iterum Latino ritu à Sacerdote canitur, aut recitatur elata voce: in Oriente Sacerdos præmissa oratione brevi, incipit tantùm *Pater noster*: populus prosequitur: & ad finem subjungitur hæc oratio, quâ rogatur Deus, ut nos à maligno liberet, *Sacerdotem oportet*, inquit Barsalibi, *tanquam corporis Ecclesiæ linguam, incipere Orationem Dominicam, quam reliqui fideles prosequentur.* Cùm verò recitanda sit Copticè à populo Oratio Dominica, idcirco inter ea quæ Sacerdotibus, ad quos animarum cura spectat, districtiùs præcipiuntur, occurrit illud mandatum, ut populus eam & Symbolum doceatur eâdem linguâ: tum ut vulgari idiomate explicentur, sed extra Liturgiam, de qua consuetudine observanda extat Gabrielis Filii Tarich Synodica constitutio. Ea ratione factæ sunt ab Episcopis & à Theologis variæ Orationis Dominicæ expositiones, similes illis quæ extant in Sermonibus Augustini: simplices scilicet, & piæ potiùs quàm Theologicæ. Tales extant in Opusculis Severi Aschmoninensis, apud Ebnassalum, & anonymæ plures. Ab ea omnem orationem debere inchoari docet Ebnassalus Theologus, in Principiis fidei cap. 13. In ejus fine addunt illa verba ultima quæ extant in Græcorum libris, *quia tuum est regnum*, &c. Neque id solùm observatur in Officiorum Ecclesiasticorum, sed etiam in Evangeliorum codicibus.

Card. Bona Rer. Liturg. l. 2. c. 15.

P. 22. l. 8.

Dicit Sacerdos Orationem absolutionis.

Absolutio ante communionem.

EA est iterata absolutionis generalis formula, qualem initio Liturgiæ jam observavimus, quæ ut prima ad Filium dirigitur, ita ista ad Patrem. Nam cùm omnes orationes Latini Canonis ex vetustissima traditione ad Deum Patrem dirigantur, in Oriente plures ad Filium; nempe quia magis conflictata est Arianorum & aliorum qui ejus divinitatem impugnabant contentionibus, Orientalis quam Occidentalis Ecclesia. Porrò hæc oratio, sicut superior, comparari rectè potest formulis illis in Occidente usurpatis, quæ in præcipuis solennitatibus præsertim

Digitized by Google

Feriâ quintâ in Cœna Domini, ſuper populum pronunciantur, & adhuc in vulgari ſermone, Abſolutionis nomen retinent. Quamvis autem Abſolutiones illæ ritus Ægyptiaci, Sacramentales propriè loquendo dici non poſſint, neque talem de illarum efficacia opinionem Coptitæ habuerint, niſi quando ſublata inter eos fuit Pœnitentiæ Canonicæ diſciplina, non levem tamen eſſe illarum fructum exiſtimant. Quippe etſi non valeant ad eluenda peccata, de quibus confeſſio nulla facta eſt, quod volebant Joannes, & Marcus Patriarchæ, de quibus alibi dictum eſt; ſicut nec ad ea quæ Canone, hoc eſt legitimis pœnis præſcriptis expiabantur; tamen valere eas crediderunt, ad obtinendam remiſſionem eorum, pro quibus etiam Sancti quotidie ante altaria Domini, pectus tundunt dicentes, *dimitte nobis debita noſtra.* Itaque pronunciatur, quamvis deprecando, ex fiducia autoritatis Petro conceſſæ, ad ligandum & ſolvendum, quæ tantopere apud eos à Theologis, & Canonum Interpretibus commendatur. Unde ejuſdem orationis verba afferuntur in Opuſculo Severi Epiſcopi de Officiis Chriſtianorum, & in Tractatu Monachorum Antiochenorum de legitima præparatione ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. In Ritu Syriaco *Oratio Impoſitionis manuum ſuper fideles*, recenſetur à Jacobo Edeſſeno, quæ huic quodammodo reſpondet, etſi non eſt planè eadem. Omnino enim intentio Eccleſiæ Orientalis ea eſt, ut per iſtam orationem ultimo loco gratia poſtuletur, pro illis qui communionem percepturi ſunt. Ita in Jacobi Liturgia, in qua rogatur Deus, *ut ſanctificet eorum animas & corpora, & efficiantur digni communicandi corpori & ſanguini Domini noſtri Jeſu Chriſti:* atque eadem ratione oratur in Chryſoſtomi & Baſilii Liturgiis. Addiderunt igitur Ægyptii Jacobitæ novam illam abſolutionis orationem, tunc maximè cùm puros ab omni etiam veniali ſorde Chriſtianos eſſe oportebat, quamvis jam ſimilis pronunciata foret initio Liturgiæ, quo exemplo, etiam Latino ritu, quamvis generali peccatorum confeſſione factâ, initio Miſſæ, pronunciataque abſolutione, quotidie cùm accedunt fideles ad percipiendam communionem repetitur eadem confeſſio, abſolutioque iterum pronunciatur. Patriarcha Gabriel de ea præcipit hunc in modum. *Sacerdos dicet Abſolutionem ad Patrem, uſque ad hæc verba*, populus tuus: *tum involvet manum ſuam velo bombycino, aſpicienſque ad Occidentem, manu populum innuet, ſiniſtrâ extenſâ, oculiſque ad ſanctum corpus converſis, tanquam precabundus, & petens ab eo aliquid pro populo.* Autor Scientiæ Eccleſiaſticæ: *Sacerdos dicet Abſolutionem, facie ad Occidentem converſâ, juxta conſuetudinem: quod ſi fuerit Epiſcopus, leget eam in ſede ſua, facie quoque verſâ ad Occidentem, ut populum ſuum excitet ad dignè percipiendum corpus & ſanguinem ſanctum.* In iſta Abſolutione pronuncianda idem obſervatur ac in prima, quæ eſt initio Liturgiæ. Quòd verò ipſa, non ad legitimam peccatorum per canonicam pœnitentiam expiandorum Abſolutionem pertineat, ſi eſſet aliqua dubitandi cauſa idonea, multis rationibus probari poſſet. Nam ex quo antiqua pœnitendi lex immutata eſt in eam formam, quæ in Eccleſia Græca ſervabatur Chryſoſtomi tempore, ſupererat adhuc in Synaxibus pœnitentium ſtatio: atque illi poſt ſacra-

Digitized by Google

rum ſcripturarum lectionem, antequam Canon inciperet, dimittebantur, factâ ſuper eos oratione. Memoriam moris iſtius ſervant Eccleſiæ Orientales, quamvis ipſam diſciplinam dudum obſoletam fuiſſe teſtentur Jacobus Edeſſenus, Barſalibi & alii. Nequehæc oratio, Abſolutio Sacramentalis fuit, aut illius rationem habuit: nam ſi ita fuiſſet, Pœnitentes in Eccleſia conſtitiſſent, tanquam communioni reconciliati; ſed contra ſtatim pellebantur. Itaque non dicebatur ſuper alios quàm ſuper fideles, qui jus communicandi haberent, quo exciderant non modò qui publicè, ſed qui etiam ſecretò pœnitentiam agebant, aut illi tandem qui lethalis alicujus peccati culpâ tenebantur. Iſti quamvis non minùs quàm ſecretò pœnitentes, & ſub Canone ſivè πιπώ conſtituti ſtarent in Eccleſia, cum integris Chriſtianis, arcebantur tamen ſatis à communione per obnunciationes Diaconorum, petitas ex antiquiſſima diſciplina: *Ne quis impurus, ne quis in hypocriſi*, de quibus dictum eſt ſuperiùs. Quòd ſi aliquando ad talem impietatem delapſi ſunt Jacobitæ Ægyptii, ut Canonem, hoc eſt laborioſa opera pœnitentiæ impoſita per ſacerdotem, & confeſſionem accuratam peccatorum, omitti ſinerent, factum id obſcœnis temporibus, reclamatumque à magna illius Eccleſiæ parte fuit, adversùs irreligioſam illam novitatem, ut alibi expoſitum eſt. Tunc autem valere exiſtimaverunt iſtam & alias abſolutiones, ad omnium peccatorum remiſſionem, modò ea ſimul ſecretò intra ſe confiterentur, præſertim cùm Diaconus incenſum adolens tranſibat per mediam Eccleſiam, ut cum fumo confeſſio illa inanis ad cælum aſcenderet: quam etiam poſito intra privatos parietes thuribulo uſurpare cœperunt.

Huic orationi non minùs quàm primæ inſeritur commemoratio duplex, Sanctorum, ut per eorum merita & preces Deus remiſſionem peccatorum ſupplicantibus largiatur: defunctorum, ut ad eos quoque fructus orationum Eccleſiæ perveniat, quia nempe Sanctorum communionis ea ratio eſt, ut non modò Sanctos in cœlis cum Chriſto regnantes, & fideles in unitate ejus & pace defunctos, ſed & laborantes in hac vita ſimul conjungat, quaſi unius corporis membra. Extat hæc Abſolutio prope iiſdem verbis, in Liturgia Æthiopum communi, quæ ex Coptica deſumta eſt.

Unus Pater Sanctus.

Pag. 23. *l.* 14.

Confeſſio de Trinitate.

QUæ ad communionis legitimam præparationem ſpectant proſequitur Orientalis Eccleſiæ diſciplina, & cum prima & præcipua conditio ſit ne detur Sanctum canibus, antequam ulteriùs progrediatur Sacerdos diſpenſator myſteriorum Dei, edicit per Diaconum ſolennia illa verba, quæ ex antiquitatis reverentia Græcè dicuntur Μετὰ φόβου τοῦ Θεοῦ πρόσχωμεν. *Cum timore Deo attendamus*: quæ hortatio non modò, ut in aliis ſacri miniſterii partibus, attentionem & mentis ad Deum elevationem ſignificat, ſed ſingularem & præcipuam, ad Chriſtum in Euchariſtia præſentem, ut relata Gabrielis Patriarchæ & aliorum verba palam faciunt. Poſtea quia prima diſpoſitio eorum qui accedunt ad Sacramenti perceptionem

Digitized by Google

perceptionem fides est, profertur à circumstantibus confessio circa Trinitatem, his verbis: *Unus Pater Sanctus*, quæ oratio extat in Græcis Alexandrinis, ut in aliis, paulum immutata in hunc modum: *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus*: in ea Jacobi, & in Græcis aliis similiter, ita ut ad Christum solum referatur. Lectio quam interpretatione nostra expressimus, est antiquorum Codd. Copticorum Bibliothecæ Regiæ, in quibus, ut in Gabrielis Rituali, Græcè dici præcipitur, his verbis quæ librarii linguæ imperiti mirè corruperunt. Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, πνεῦμα ἅγιον. Ἀμήν. Arabicè exponunt non uno modo. In uno antiquiore, *Sanctus pater unus*: *Sanctus filius unus*, *Sanctus Spiritus Sanctus*: in alio meliùs, *Unus est Pater Sanctus*, &c. sicut Græcè. Eamdem formulam exhibent Syriacæ Jacobitarum Liturgiæ, nisi quòd addunt, *ipsi gloria & gratiarum actio in sæcula. Amen.* Eam orationem exponit Dionysius Barsalibi; meminitque ejus Jacobus Edessenus. Extat quoque apud Nestorianos. Omnes atque inter alios Ebnassalus, notant eam dici paulo antequam ostendantur populo sacra mysteria.

Sancta sanctis.

Pag. 23. lin. 18.

Sancta sanctis, & elevatio Eucharistiæ.

HÆc celebratissima apud antiquos Christianos verba, tunc dici à Sacerdote monet rubrica Codicis Regii, simul cùm Sacerdos assumit in manus *Spodicon*, sive, ut Arabicè scribitur, *Isbodicon* vel *Isbadicon*, & elevans quantum potest, ostendensque populo, simul inclamat *Sancta sanctis*. Diximus voce illa significari mediam hostiæ partem: ex qua calix & aliæ particulæ consignantur, & quæ reservatur ad elevationem faciendam, simulque ab omnibus adoratur. Itaque in hac parte duæ occurrunt cæremoniæ ad Eucharistiæ fidem pertinentes, elevatio scrilicet Sacramenti, & ejusdem adoratio, quas tam securè negaverunt Protestantes in Oriente observari. Pugnabant autoritate Theologorum aliquot, qui nimis creduli & Eucharisticæ disciplinæ non satis periti, Græcos accusaverant, quòd Eucharistiam non adorarent, idque satis probari videbatur, quia illius elevatio apud illos nulla esset, nempe quòd in multis antiquis codicibus rubricæ deerant, preces tantùm continebantur. Ea tamen notatur in Liturgia Basilii Græca & Arabica Ritus Alexandrini, in codice Regio. Sed quod jam multi accuratè docuerunt, Græci habent ritum eumdem quem ἁγίαν ὕψωσιν appellant, *non eodem quo Latini loco, sed longè post orationem Dominicam brevi ante communionem spatio: juxta Jacobi, Basilii, & Chrysostomi Liturgias*, inquit Goarius, *Dominicum corpus, non ita tamen ut à populo conspiciatur, elevat Græcus Sacerdos; nempe quia populus extra sanctuarii cancellos, & vela longè positus est, tum quòd ritu Græco non admodum extollatur.* Sed parum aut nihil refert cùm statim adoratio consequatur. Εἶτα προσκυνεῖ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ, λέγοντες μυστικῶς τρίς. Ὁ θεὸς ἱλάσθητί μοι ἁμαρτωλῷ. Καὶ ὁ λαὸς ὁμοίως πάντες μετὰ εὐλαβείας προσκυνοῦσιν. Ὅταν δὲ ἴδῃ ὁ διάκονος τὸν ἱερέα ἐκτείνοντα τὰς χεῖρας, καὶ ἀπτόμενον τοῦ ἁγίου ἄρτου πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ Προσχώμεν, καὶ ὁ ἱερεύς. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Deinde adorat*

Euchol. p. 145.

Sacerdos, & Diaconus in quo eſt loco, dicentes ſecretò ter: Deus propitius eſto mihi peccatori. *Omnes ex populo pariter cum reverentia adorant. Cùm verò viderit Diaconus Sacerdotem manus ſuas extendentem, & tangentem ſacrum panem ad faciendam ſanctam elevationem, alta voce dicit;* Attendamus: *& Sacerdos,* Sancta ſanctis. Itaque in Ritu Græco habemus & elevationem & adorationem. Neque excipi poteſt, ut à multis factum, in antiquis libris non ſemper reperiri quæ recentiores in hanc ſententiam continent. Nam extra dubium eſt in antiquiſſimis libris ſolas preces contineri, ritus petendos aliunde, quod non modò in Græcis, ſed in Orientalibus libris omnibus, imò & Latinis æque obſervari poteſt. Verùm ſatis aliunde ſcitur utrumque & oſtenſionis, & adorationis ritum obſervatum fuiſſe apud Orientales. Gabriel Patriarcha in Rituali. *Finita Abſolutione Sacerdos reſpiciet ad Orientem, & Diaconus alta voce clamabit, populo interea nudum caput & elevatas manus habente. Diaconus deinde dicet,* Amen: & cum Spiritu tuo. Cum timore Deo attendamus. In Codice recentiori adjicitur, *Diaconum manu crucem elevatam tenere, nempe quo magis conſpicua ipſius admonitio ſit. Reſpondet Populus alta voce,* Kyrie eleiſon. *Tum accipiet Sacerdos Iſbodicon in manus ſuas, illudque ſurſum elevabit, quantum brachia ſua extendere poterit, caput inclinans, clamabitque voce altiſſima.* Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Sancta ſanctis. Omnes è populo inclinabunt capita ſua, adorantes Dominum in timore & tremore, poſtulantes cum lacrymis, ſummo ſtudio, & tunſione pectorum, remiſſionem peccatorum ſuorum, & confirmationem ſuam in fide Orthodoxa, ad extremum uſque vitæ ſpiritum.* Plura adhuc Autor Scientiæ Eccleſiaſticæ. *Poſtea,* inquit, *ad Orientem reſpiciet cum reverentia & humilitate, accipietque partem ex co pore ſancto, jam diviſo, partem nempe mediam Oblatæ ſuæ:* atque ea eſt quam Gabriel & Rubricæ *Iſbodicon* vocant, *& in ſublime eam elevabit, ſimulque elevabuntur cerei & crux: mediaque horæ ſpatio ita elevata manebit* (particula major:) *Sacerdoſque clamabit voce altiſſima, & quantum fieri poteſt, contenta,* Sancta ſanctis. *Omnes ex Eccleſiæ populo, uno ore clamabunt,* Kyrie eleiſon, Domine miſerere, *capite nudato in genua provoluti, ſi fuerit dies Dominica; ſi dies alia, omnes in frontem ad terram uſque proſternentur, depoſitâ capitum faſciâ.* Meminerunt cultus iſtius religioſi, ſimulque rituum ſecundùm quos peragitur, autores antiquiores. Severus Epiſcopus Aſchmonin in Opere de exercitiis Chriſtianorum. *Poſt hanc,* inquit, *orationem ſatis prolixam,* (nempe Abſolutionis de qua mox dictum eſt,) *Sacerdos elevat corpus ſuper manus ſuas, ſupra populum univerſum, ſicut olim* (Chriſtus) *elevatus eſt in ligno crucis: clamantque omnes ſicut tunc ad eum Latro clamavit:* Miſerere mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Et in alio opere de Agno Paſchali & Euchariſtia, idem explicat uberiùs: nempe, ut cùm Chriſtum in Euchariſtia ſub modica ſpecie panis & vini intuemur, fides noſtra non deficiat, ſed augeatur potiùs Latronis exemplo, qui divinitatem ejus in cruce agnovit. *Quod,* inquit, *ab eo percepit Latro nobis etiam ultro offertur. Accedamus ergo ad eum dicentes,* Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.

Digitized by Google

Eamdem orationem hoc ipso loco à Græcis usurpari, docet nos Liturgia Chrysostomi ὡς λησὴς ὁμολογῶ σοι, μνήσθητι μου κύριε, ἐν τῇ βασιλείᾳ &c. *Sicut Latro confiteor tibi, memento mei Domine in regno tuo,* quæ est pars ultima prolixioris orationis quam dicunt circa communionem. Πιστεύω κύριε & ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς κόσμον, ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτος ἐγὼ εἰμι. *Credo Domine & confiteor, quia tu es Christus filius Dei, qui in mundum veniſti peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Nempe non una sola oratio à Græcis dicitur & aliis Orientalibus, in ostensione Eucharistiæ, aut in ejus perceptione, sed plures occurrunt ejusdem sententiæ. In Ecclesia verò Coptica, quando quidem insignis alia confessio sequitur, de qua mox dicemus, differtur quod in Græca formula, ad fidei de hoc Sacramento profitendæ rationem pertinet: oratio tantùm fit ad Christum præsentem, eo quo diximus modo. Indifferens verò prorsus est hæc rituum diversitas: illud modò commune omnibus Ecclesiis Orientalibus, quòd ostenduntur sacra mysteria, simul ac dicitur *Sancta sanctis.* De Ægyptiacis dubitari non potest, post tam perspicua Autorum testimonia, præsertim Gabrielis Patriarchæ. Quod si recentiora illa quisquam existimet, refelletur statim ex Græco Codice Regio ejusdem Liturgiæ, ubi habetur. Ο ἱερεὺς ὑψοῖ τὸ σῶμα κύριον: *Sacerdos elevat corpus Dominicum.* Severi Patriarchæ Constitutio extat in Syrorum Nomocanone. *Signat cruce populum dicendo.* Gratia Dei sit. *Tum Diaconus:* Cum timore aspiciamus. *Sacerdos:* Accedant qui sanctificati sunt. Sancta sanctis: *& elevat mysteria. Populus,* Unus Pater: *& communionem distribuit.* Jacobus Edessenus. *Sacerdos signo crucis ter facto, benedicit populum, simulque admonet quòd sancta hæc puris & sanctis solùm traduntur. Tum elevat & ostendit Sacramenta universo populo, tanquam in testimonium.* Idem habet Dionysius Barsalibi commentario ad hunc Liturgiæ locum. *Sacerdos elevat & circumfert Sacramenta, clamans & dicens, Sancta sanctis.* Itaque ne una quidem Liturgia est, quæ celebrem illam, atque à tota retro antiquitate commendatam formulam non habeat, hoc ipso in loco. Nam præter Copticas, Syriacæ omnes, Jacobiticæ, Melchiticæ, & Nestorianæ eam exhibent, ut etiam Armenica. Omnes etiam Æthiopicæ, quæ ex Ægyptiacis expressæ sunt, eam referunt, nullo inter se discrimine. In ea quæ Constitutionibus Canonicis inserta est, & quam Latinè edidit simul cum Æthiopico textu Jobus Ludolfus, hæc verba mirificè interpretatus est, *Sanctuarium sanctis*; non minùs contra Æthiopicæ linguæ proprietatem, quàm communem omnium Liturgiarum sententiam, præter quàm quòd nullum hæc versio sensum efficit. Quis enim unquam audivit talia verba in Liturgicis Officiis? Sed ea fuit illius, in omnibus ferme quæ ad controversias de religione spectarent affectatio, ut quasi securè de omnibus nemine intercedente pronunciare posset, absurdissimas non modò opiniones, sed quòd minùs excusari potest, verborum Æthiopicorum explicationes dederit, quæ ferri non possunt. Hinc natæ sunt portentosæ illæ voces *Cœnæ* quàm ubique usurpat pro Eucharistia: *Orationis Eucharistica* pro Liturgia, & multæ aliæ quas alibi notavimus.

Digitized by Google

Comparatio elevationis Ritu Orientali cum ea quæ fit Latino ritu.

Nihil porrò refert hoc loco disquisitionem instituere de elevationis similitudine cùm eâ quæ fit Græco aut Latino Ritu, & eâ quam observant Orientales. Neque enim Christianorum fides pendet à simili cæremonia, nisi quòd ostendi Eucharistia, præsertim cum honoris significatione non potest, apud eos qui non verè credant illam esse corpus & sanguinem Christi: at quamvis non elevaretur, modò tamen Ecclesiarum fides aliunde constaret, non idcirco revocari cum aliqua ratione posset in dubium, ex illius cæremoniæ defectu. Nam in sola quam Latini habent, Præsanctificatorum Missa, Feriâ sextâ majoris hebdomadæ, vix Eucharistia ostenditur: in Carthusianorum usu Ecclesiastico, calix vix attollitur, neque à circumstantibus videri potest. Non idcirco dubitabitur, aut de Ecclesiæ Latinæ in hac Missa, aut de piorum illorum Ascetarum religione. Observandum quoque est, non levem esse inter eos qui Liturgicas antiquitates illustraverunt quæstionem, de ritus elevationis apud Latinos origine. *In antiquis enim libris, & in codicibus Ordinis Romani tam excusis quàm manuscriptis, nec in priscis rituum Expositoribus, Alcuino, Amalario, Walafrido, Micrologo & aliis, aliquod ejus vestigium reperitur. Ea duntaxat in Ordine Romano elevatio memoratur, quâ calix attollitur ante orationem Dominicam.* Verba sunt Cardinalis Bonæ. Potest sanè fieri, ut quamvis elevatio observaretur in Latina Missa, nullum tamen ejus vestigium extet in Missalibus, qui rubricas antiquitus non recipiebant. Majus est argumentum, ex Expositorum Missæ silentio: quamvis parum interfit, ut diximus, quo momento ostendatur Eucharistia, imo & an ostendatur. At quidquid de judicio piissimi doctissimique Cardinalis statuatur, certum est elevationem, si necessaria judicatur, sufficienter probari ex eo ritu quem omnes Latinæ Missæ agnoscunt, quando hostia cum calice elevatur modicè, paulò ante orationem Dominicam. Nam antiquissimam illam esse elevationis disciplinam omnes ferme agnoscunt. Vir Clarissimus Joannes Mabillonius Commentario prævio ad Ordinem Romanum. *Non statim post consecrationem in altum à Sacerdote, hostia itemque calix primis illis temporibus efferebantur, sed sub finem Canonis, cùm diceret Sacerdos;* Per quem hæc omnia, &c. *erigebat se Archidiaconus solus: & cùm diceretur;* Per ipsum & cum ipso, *levabat cum offertorio calicem per ansas, & tenebat exaltans illum juxta Pontificem. Micrologus, corpus cum calice tunc levatum fuisse, dicit in cap.* 15. *ubi nullam alterius post consecrationem levationis mentionem facit. Orientales id præstant paulò ante communionem. Porrò elevatio post consecrationem in Gallia, post medium seculum undecimum videtur fieri cœpta, haud scio an paulò seriùs in Ecclesia Romana.* Cùm igitur initio, elevationem Eucharistiæ in Ecclesia Romana eo in loco quem nunc habet non fuisse, doctorum hominum testimonio constet, neque tamen inde meritò quisquam inferre possit, ignotam fuisse tunc Sacramenti quam profitemur fidem, quæ satis magnis aliunde argumentis confirmatur, ita planè concludi non debet Orientales, quia elevationem eodem loco non agnoscunt, posse idcirco in suspicionem vocari, quasi non rectam de Eucharistia fidem habeant. Neque enim quòd

De Reb. Liturg. l. 2. §. 13. c. 2.

Pag. 49.

Digitized by Google

ita judicaverunt Theologi, aut Itinerariorum autores aliqui, causa ulla fuit, nisi silentium Liturgiarum : tum observatio parum accurata cæremoniarum Orientalium, ita ut, quia statim post verba Christi pronunciata, non videbant levari Eucharistiam, prorsus illam non ostendi crediderint. Ita quoque judicavit Zagazabo Æthiops in Lusitania, cùm de suis ita referret. *Apud nos Eucharistia non ostenditur, sicut hîc video fieri.* Sed ex relatis autorum testimoniis hæc quorumdam hominum opinio apertè revincitur. Nam quod Gabriel Patriarcha, quod Abusebah Autor Tractatus de Scientia Ecclesiastica, quod Rituales alii libri testantur de Ægyptiorum Jacobitarum, hac in parte disciplina, eam non noviter introductam, sed antiquitus usurpatam esse satis demonstrat. Idem de Syris dicere possumus, quorum ritus non præscripserunt, aut noviter instituerunt Severus Antiochenus, & alii ex ejus secta autores, Jacobus Edessenus, Dionysius Barsalibi & Abulfaragius, qui eos in Nomocanone collegit, sed quales erant, referunt. Accedit nota certa ritûs ostendendæ Eucharistiæ paulò ante communionem, cùm pronunciatur Confessio, de qua mox dicemus. Sed ne quid desit ad ostendendam perpetuam Ecclesiarum consensionem in veneratione Eucharistiæ, adjiciemus ritum alium quem Canones de disciplina Ecclesiastica anonymi præscribunt : leguntur autem in Codice satis vetusto. *Quotiescumque*, inquiunt, *elevabitur Eucharistia pulsabuntur campanæ* : minores scilicet quas gestant manibus, & quas tangere extra Ecclesias non licet, sub Muhamedanorum tyrannide. Nam in Nubia & Æthiopia, ubi Christiani regnabant, pulsabantur ex superiori loco, ut observatum est in vita Yuçabi Patriarchæ Alexandrini LII. de Georgio filio Zachariæ Regis Nubiæ, qui cùm apud Præfectum Ægypti gratiâ valeret, eo ipso in castro, ubi Liturgia ab Episcopis celebrabatur, pulsari ex superiori tabulato campanas jussit, more patrio. Reliqua ad ipsum elevationis ritum spectantia legi possunt quantum ad Latinos & Græcos pertinet, in Commentariis Jacobi Goarii ad Chrysostomi Liturgiam : notis Hugonis Menardi, ad Gregorii librum Sacramentalem : Cardinalis Bonæ Tractatu de rebus Liturgicis, optimo sane & pererudito, tum apud autores alios qui passim à nobis designati sunt. Jam de Adoratione Eucharistiæ, quantum ad Orientales pertinet, paucis dicendum.

Dam. à Goes de Mor. Æthiopum.

Hist. Patr. Alex. p. 282.

Constat sanè ex omnium Theologorum, imò Protestantium, sententia, cultum illum religiosum, ita cum fide realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Sacramento, semper conjunctum fuisse, ut qui eam erediderint, adorasse Eucharistiam verisimile, imo certum quodammodo esse videretur. Cùm itaque sanctos Patres ita sensisse satis demonstratum fuerit, etiamsi perspicua testimonia nobis deforent, dubitari tamen non posset quin Eucharistia adorata antiquitus fuerit. At testimoniis Ambrosii l. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. Augustini in Psalmum 98. Theodoreti in Dialogo Ἀσύγχυτος, Cyrilli Catechesi Mystagogica V. & quibusdam aliis probari contendimus, eos Eucharistiæ, non minùs quàm veræ Christi carni προσκύνησιν adorationem deferendam censuisse. Neque multùm immorari debere existimavimus in conquirendis

De Adoratione Eucharistiæ antiquitus usurpata.

autoritatibus de hoc argumento, aut ex aliis non adeo perſpicuis deducere probationes novas circa religioſum Sacramenti cultum, ut ad illum loci quidam SS. PP. referrentur, qui aliter intelligi poſſunt, & debent. Unde locum Baſilii libro de Spiritu ſancto, quem ſuperiùs retulimus, ubi de Invocatione Spiritus ſancti agebatur, quique meminit ἀναδείξεως panis & calicis, ad utriuſque oſtenſionem non pertinere certiſſimum eſt, quamvis Bellarmino multiſque aliis, viſum aliter fuerit. Nam eo loco ἀνάδειξις Baſilio, eſt conſecratio elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti; nempe opus divinum quod à Deo poſtulatur per interventum ſancti Spiritus illabentis in dona propoſita, non actio aliqua ad diſciplinam exteriorem pertinens. Sed enim in illis quæ antiquitatem Eccleſiaſticam ſpectant, dogmata quidem in ſanctorum Patrum ſcriptis quærenda ſunt, ita ut quod ignoraverint, aut non propriis verbis communique conſenſu docuerint, ad fidem non pertinere poſſit judicari: at in diſciplina res aliter ſe habet, cùm circa illam ſemper eſſe potuerit, & fuerit innoxia diverſitas, nullo ſanæ doctrinæ detrimento ac periculo: & multa per traditionem ad Eccleſias pervenerint, quorum perſcriptas autoritates proferre vix licet, quamvis, ut Auguſtinus poſt Baſilium, Chryſoſtomum, & omnes alios docuit, ex ſola eorum rituum obſervatione conſtet ſufficienter; quòd ab Apoſtolica traditione proveniant. Cùm igitur Euchariſtiæ adorationem perpetua traditio omnium Eccleſiarum commendet, ejuſque initia aſſignari nulla poſſint, tanquam nuper introductæ contra majorum exempla, non eſt quòd laborent Theologi, in conquirendis veterum teſtimoniis in re evidenti, quæ ut non à ſcripta aliqua lege ducit originem, ita non ſcriptis autoritatibus, ſed uſu, conſuetudine, omnium ſæculorum exemplo, quantum opus eſt, à novitatis ſuſpicione vindicatur. Quorſum enim ſcriberentur in Sacramentorum libris, omnia illa quæ non ex codice, ſed ex uſu, quotidianoque miniſterio Sacerdotes, & Diaconi diſcebant? Aiunt Proteſtantium plerique, Innocentium IV. induxiſſe morem adorandæ Euchariſtiæ: oſtendant ubi id perſcriptum ſit. Oſtendemus contra Sacramentales libros, & quidem multos, illius ætate recentiores qui ne notam quidem habeant adorationis Euchariſtiæ: neque tamen idcirco eam non adoratam fuiſſe, vel ipſi tot paradoxorum autores affirmare audebunt.

Adorationem Euchariſtiæ obſervant Orientales.

Par fuit Orientalium Eccleſiarum ratio, ubi quæcumque ad rite perficienda Sacramenta ſpectabant, ſeriùs omnino in literas miſſa ſunt, quia Codices orationibus ſolis conſtabant, ritus alibi notabantur, etiam cùm ſcribi cœperunt. De Græcis certa & conſtantiſſima traditio dudum ipſarum Liturgiarum Codicibus conſignata eſt: eos Ægyptii Jacobitæ ſunt imitati, ut quod uſu ſtabilitum erat, in Rituales libros, aut Liturgicos, qui adjunctum haberent cæremoniarum apparatum tandem referrentur, quæ ad oſtenſionem, elevationem, adorationemque Euchariſtiæ ſpectabant. Illa verò diſciplina, qualis ex Gabrielis Patriarchæ Rituali à nobis expoſita eſt, plenam habet ex ipſius nomine autoritatem, majorem adhuc ex uſu, & traditione ejuſdem Eccleſiæ, quæ ſatis apparet ex teſtimonio Severi Epiſcopi Aſchmoninenſis, qui quadrin-

Digitized by Google

gentis annis ſcribebat ante Gabrielem. Nam ex ejuſdem Severi verbis agnoſcitur, & elevatam ſua ætate fuiſſe Euchariſtiam, & adoratam, quando preces ad Chriſtum in ea præſentem dirigi præcipiuntur; illæ nempe, *Deus propitius eſto mihi peccatori* : & *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum :* tum adhortationes Severi ipſius, Autoris Homiliarum de Circulo anni : publicæ etiam Diaconorum hoc ipſo ſacri officii loco, ad orandum intentiùs, cum timore & tremore, Chriſtique in diſco Euchariſtico porrecti, & immolati fidem memoriamque excitandam : quæ omnia cùm ſummi cultûs, qualis Deo ſoli exhiberi legitimè poteſt, officia ſint, ipſam quoque adorationem, ſummumque religionis actum ſimul complectuntur. Cùm enim Prophera ſcelus idololatriæ ſculptilia ſibi fabricantium exagitaret vehementiùs, exprobrat illis, quod tandem dicerent, *Libera me quia Deus meus es tu.* Utque rectè D. Thomas. *Per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum illi ſe ſubjicit, & profitetur orando ſe eo indigere, ſicut autore ſuorum bonorum :* & ut alio loco docet, duplex adoratio eſt, ſpiritualis quæ conſiſtit in interiori mentis devotione, & corporalis, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione : eam exhibent procul dubio, qui, ut Coptitæ faciunt, ad Euchariſtiam dirigunt preces pro miſericordia impetranda, præſertim quando, ut ex dictis manifeſtum eſt, interiori illi devotioni exteriorem, proſtrationem ſcilicet corporis, & alios honores adjungunt. 2. 2. q. 83. a. 3. q. 84. a. 2.

Confeſſio Corpus ſanctum, &c. *Pag. 23. lin. 32.*

PErvenimus tandem ad eam Liturgiæ partem quæ communionem proximè antecedit, & quæ confeſſionem continet de veritate corporis & ſanguinis Domini Jeſu Chriſti in Euchariſtia, tam perſpicuam, tam indubitatam, ut nulla toto orbe Eccleſia unquam ſit aut fuerit, in qua Sacerdotes & Laïci luculentiùs de ſacratiſſimo illo myſterio teſtimonium dediſſe reperiantur. Atque ea opinor ratione factum eſt, ut abſolutè Ομολογία appellaretur, quaſi omnia complectens, quæ non modò ad Sacramenti, ſed etiam ad Incarnationis fidem pertinerent : quamvis ultimâ ſui parte, ante aliquot ſæcula interpolationem paſſa ſit, ut ad propriam Jacobitis hæreſin accommodaretur : quod cur & quando factum fuerit ex certis monumentis exponemus. Adeo celebris eſt, in Alexandrina Eccleſia hæc oratio, ut in nulla Liturgia ſive Ægyptiaca, ſive in Æthiopicis ex illa derivatis, deſideretur : nullus Autor Rituum illius non meminerit. Ut autem intelligatur meliùs, quo ordine dicatur, præter rubricas Codicis Regii, quas verſioni noſtræ inſeruimus, ritum integrum antecedentem proponemus, verbis Gabrielis Patriarchæ. Poſt illa quæ ſuperiùs relata ſunt, ita proſequitur. *Accipiet Sacerdos Iſbodicon, ſeu majorem hoſtiæ partem in manum ſuam dexteram, eoque conſignabit ſanguinem precioſum in calice, in modum crucis : attolletque illud ſanguine intinctum, ſedulò cavens, ne quid ex illo decidat : ex eo deinde ſignabit in formam crucis, totum corpus ſanctum, quod eſt in diſco. Tunc*

Confeſſio fidei ante Communionem.

Digitized by Google

referet illud ad sanguinem, & ex eo rursus in sanguine crucis figuram designabit, immittetque illud in sanguinem calice contentum, dicens interea. Ευλογητὸς Ιησοῦς χριστὸς ὁ θεὸς ἁγιασμὸς πνεύματος ἁγίου ἀμήν. Benedictus Jesus Christus filius Dei: sanctificatio Spiritus sancti. Amen. *Populus verò adoratione suâ peractâ, se attollens, respondebit alta voce.* Unus Pater Sanctus, &c. *Tum Sacerdos dicet.* Pax omnibus. *Respondebunt*, Et cum Spiritu tuo. *Postea Sacerdos dicet Confessionem; pronunciandoque* Corpus sanctum, *accipiet illam majorem partem quæ in medio disci posita est, & ex ea accipiet Isbodicon, & dividet illud in tres partes. Quòd si major hostia fuerit: accipiet ex Isbodico tres partes in manus tuas, frangetque particulatim in disco ad hæc usque verba.* Accepit illud ex Domina nostra Deipara sancta Maria. *Tum accipiet particulam in manu sua & eam in disco deponet, cujus loco aliam accipiet ex corpore, quod est in disco, & eam manui suæ imponet:* nempe, ut habeat in manu particulas consecratas, dum Confessionem pronunciat; & Sacerdote præeunte populus eam prosequitur. Nam simul ac demonstratur Eucharistia, eodemque momento, Confessionem dici certissimum est non modò ex Rubricis, Gabriele, Scientiâ Ecclesiasticâ, & aliis autoribus, sed in Ordinationibus Episcoporum & Sacerdotum præscribitur, ut dum novus ordinatus eam pronunciat, habeat in manu particulam corporis Christi, & eam ostendat, quo editâ simul confessione, populus de ejus fide circa Eucharistiam certus esse possit. Jam quæ ad eam Orationem singulariter attinent, paucis explicanda sunt.

Partes hujus Confessionis duæ. Prima antiquissima.

Duæ sunt autem ejus partes; prima antiquior est, quæ his verbis continetur. *Corpus sanctum & sanguis preciosus Jesu Christi filii Dei nostri. Amen. Sanctum preciosum corpus & sanguis verus Jesu Christi filii Dei nostri. Amen.* Hæc Græcè dicuntur, quæ nota est primævæ vetustatis indubitata: nam quod eâ linguâ in Liturgiis extat, procul dubio acceptum fuit ab Ecclesia Orthodoxa, antequam ab ea Jacobitæ secessionem fecissent. Postea enim nihil quòd noviter institutum fuisset Græcè dictum est. Extat quoque in Græcis Alexandrini ritus Liturgiis.

Secunda recentior.

Secunda pars quæ non parem antiquitatem habet, in duas quoque alias dividitur; nam primò adjuncta sunt tantùm illa verba, *Corpus & sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate*, quæ quidem ex Cyrillo desumpta videntur, adversùs Nestorianos, qui negare probabantur ex suis principiis esse in sacris mysteriis carnem Christi divinam factam; ea autem verba, ut & sequentia, Copticè dicuntur: quæ quidem cùm contineant luculentam de Eucharistiæ veritate Confessionem, infecta sunt nihilominus doctrinæ Jacobiticæ particulâ, dum dicunt fecisse *unum quid ex humanitate & divinitate.* Illa quidem verba secundam doctrinam Orthodoxam intelligi possent, si referantur ad unitatem personæ: unus quippe Christus est, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, ut in Symbolo Athanasii dicto legitur. Verùm illa Jacobitæ referunt ad unitatem naturæ quam pertinacissimè profitentur, & cùm Eutychen detestentur, eique anathema denuncient tanquam Apollinaristæ;

Digitized by Google

linariſtæ ; illaque verba confuſionem quamdam , miſtionemque inducere viderentur , explicata ſunt per ſubſequentia, atque ita Confeſſio eam quam habet in codicibus formam , paulatim accepit. Tota igitur ipſius ſententia cùm primò pertineat ad agnoſcendam , verbiſque ſimpliciſſimis conteſtandam veritatem corporis ſanguiniſque Domini noſtri Jeſu Chriſti, refertur ſimul ad Incarnationis fidem , ut dum verum corpus ejus , & ſanguinem in Euchariſtia ſe agnoſcere profitentur Jacobitæ, ſimul veritatem aſſumtæ ab eo carnis agnoſcant , omniumque pariter quæ in τῇ ἐνσάρκῳ οἰκονομίᾳ geſta ſunt. Eam fidem cùm antiquitus ſimplex profeſſio unionis perfectæ naturarum, conjunctioniſque in unitatem perſonæ ſatis exprimeret , poſtmodum tamen cùm unitas illa naturæ, quam ipſi credunt, uſque ad confuſionis , quam deteſtantur , ſenſum progredi videretur , ultima verba addiderunt , ut Eutychianam hæreſin excluderent. Ea porrò cura tanta ne,dum confeſſionem de Euchariſtia pronunciabant,contra ſuæ de Incarnatione Eccleſiæ opinionem quidquam dicerent , certiſſimum documentum eſt credere illos, eſſe in Euchariſtiâ corpus Chriſti , non typicum aut repræſentativum , ſed illud ipſum quod aſſumtum eſt à Verbo divino, ex Maria Virgine, & divinæ perſonæ conjunctum intima unitate , quam naturæ eſſe volunt. Unde tota , quæ in poſteriori Confeſſionis parte ſequitur, eorum Theologia , de Incarnationis myſterio fruſtranea futura fuiſſet , ſi non ipſum verum Chriſti corpus in Sacramento ſe credere agnoviſſent.

Si nihil aliud Confeſſio ipſa ſignificaret , quàm Euchariſtiam eſſe *corpus Chriſti typicum* , *quod nos ſumus* , nam ita explicare vel potiùs obſcurare aggreſſus eſt Albertinus , vetuſtiſſimam illam formulam , Tertulliano , Euſebio & omnibus aliis memoratam , *Corpus Chriſti* , *Amen*. ita ut Diaconi & Sacerdotes dum hæc dicebant non magis crederent id quod porrigebatur & accipiebatur eſſe propriè Chriſti corpus , quàm ſe eſſe propriè , illud ipſummet corpus , ſi, inquam, nihil aliud verba ipſa ſignificant , nihil hac oratione abſurdius. Nemo enim, non modò inter religioſiſſimæ actionis , qualis communio eſt , ſolennia , ſed nec Rhetoricè potiùs quàm Theologicè loquendo , unquam dixit : *Credo , & ad ultimum uſque vitæ halitum credam, fideles eſſe corpus Chriſti , illud ipſum quod aſſumſit ex Maria Virgine & in quo paſſus eſt.*

Eadem Confeſſio non poteſt intelligi aliter quàm ſecundùm fidem realis præſentiæ.

Id tamen ſignificare oportet Confeſſionis verba , ſi alio quàm realis & ſubſtantialis tranſmutationis ſenſu accipiantur. Et ſanè id faſſus eſt Albertinus , indirectè quidem , ſed non minùs certò , cùm ita ſcriberet. *Sicut* , inquit, *facilè concedimus hæc verba* (Corpus Chriſti. Amen ,) *ad Euchariſtiam pertinere , contra pariter negamus Diaconum Euchariſtiam porrigentem dicere ſolitum ſe verum corpus Chriſti præbere.* L. 2 p. 345. Attamen in ritu Coptitarum quem expendimus , non modò Sacerdotes & Diaconi communionem præbentes ita loquuntur , ſed ante ipſam ejus diſtributionem , & ita ut non modò ad communicaturos , verùm & ad omnes in Eccleſia præſentes verba faciant. Ita quoque deſignant illud ipſum quod eſſe dicunt corpus verum Chriſti , ut non modò diſcus ſeu patena quæ Euchariſtiam continet manu extentâ oſtendatur ; ſed etiam

Albertinus refellitur.

particulam majorem, ut mox Gabrielis testimonio probavimus, Sacerdos manu teneat: eam novus ordinatus in manum accipiat, & eam quoque demonstret, dum Confessionem pronunciat: omnesque etiam Laïci, cùm dicunt: *Credo & Confiteor*, ad eam ipsam, quæ ipsis ostenditur particulam, oculos sermonemque dirigant. Itaque quod tam confidenter affirmavit Albertinus, non de Orientalibus intelligi potest, quorum Ritualibus sufficienter ejus temeritas refellitur, sed de veteri Ecclesia, adversùs quam non minùs peccat, dum incompertam sibi ejus disciplinam ex inanibus conjecturis ad arbitrium, non ad veritatem effingit. Nam & antiquam simplicemque formulam *Corpus Christi, Amen*, demonstrari facilè potest, (& id multi ante nos fecerunt,) ad hoc illud ipsum, quod fidelibus præbebatur, pertinere. Et quamvis ex rubricarum defectu, accurataque minutarum cæremoniarum descriptione, quando illam codices Liturgici non repræsentant, rectè concludi non possit, nihil ultra observatum esse, satis enim constat hæc omnia non scripto, sed traditione ad Ecclesias venisse, id ad Orientales Christianos nihil attinet. Nam in ipsorum Codicibus singulares illi ritus descripti, perspicuè significant, Confessionem, ad ipsum quod præbetur communicantibus, & quod demonstratur oculis, Christi corpus, certissimè referri. Nam major in rebus humanis certitudo esse nulla potest, quàm tot cæremoniæ: quàm perpetua consuetudo, ut quod panis & vinum videtur, appelletur corpus & sanguis; quàm denique tota illa actio cum oratione conjuncta, per quam certissimè de ea particula, quam ostendit Sacerdos, & de aliis quæ in disco collocatæ sunt, affirmatur esse illas Christi corpus & sanguinem. Illas igitur cùm in mensa sacra, & in disco vident, fatentur esse ipsum preciosum & sanctum corpus & sanguinem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, illudque non typicum, non repræsentativum, sed ipsum verum, quod assumsit ex Maria Virgine, & fecit unum, sive univit, cum divinitate sua: ita ut ne momento quidem levissimo separata caro, & humanitas ejus fuerit ab ipsius divinitate, qua ratione confitentur Coptitæ non modò corpus Christi, sed animam cum divinitate in Eucharistia esse, quæ doctrina eadem est ac Concilii Tridentini. Quantùm porrò incommodaverit Protestantium opinionibus, tam insignis expressaque Confessio, non potiori argumento ostendi potest quam Salmasii, Albertinique & aliorum silentio.

Conc. Trid Sess. 13.

Albertini & aliorum in hac Confessione dissimulanda, mala fides.

Extat hæc ipsa ante annos centum & sexaginta ex Æthiopico edita in Canone Generali Æthiopum, & in Versione trium Copticarum Liturgiarum: nulla de ejus sensu controversia fuit, nam verba simplicissima sunt, nullus tamen eorum de ea locutus reperitur, non Salmasius, qui ipsas Copticas formulas tam malignè vellicavit. Nempe, neque id temerè à nobis dicitur, quia Protestantes, commentariis illam suis torqueri ad sententiam suam posse, desperaverunt. Quid enim fingi, quid excogitari queat magis alienum ab eorum novitatibus, præsertim adjunctis ritibus qui vim ejus determinant? In Latina Ecclesia nihil tale, etsi realis præsentiæ fides certissimè teneatur. Nam cùm Sacerdos dicit, ostendens Eucharistiam, *Ecce Agnus Dei, &c.* & eam distribuendo: *Corpus Domini*

Digitized by Google

noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen : nihil tam expreſſè ſignificat, quod metaphoricè interpretari Proteſtantes non ſoleant. Ita per inſigne divinæ providentiæ miraculum, illis in Eccleſiis quæ ſchiſmate & hæreſi à Catholica ſeparatæ ſunt, ne, ut hac ætate factum eſt, dubitari poſſet de illarum circa Euchariſtiam fide, plura teſtimonia illius remanſerunt, quàm in ipſa Catholica. Nihil quippe in Canone Romano, nihil in precibus publica autoritate & antiqua Eccleſiarum diſciplina confirmatis, apud nos eſt ad conteſtandam fidem de Euchariſtia noſtram, quod in alienum ſenſum à Proteſtantibus detorqueri non ſoleat. Contra in Orientalibus Eccleſiis tales ſuperſunt orationes & cæremoniæ, quæ omnes illorum rationes ita conturbant, ut ſenſum alium quàm realis præſentiæ planè refugiant; & inter omnes præcipuè hæc Confeſſio, quæ longè plura continet quàm præſcriptæ Berengario & aliis, de quorum fide dubitabatur.

Qui adversùs illam Confeſſionem objici poſſit.

Supereſſe unam effugiendi rationem videmus, qua tam facilè tamque immoderatè abuti ſolent, ut revocent in dubium autoritatem illius Confeſſionis, adversùs quam tamen ne ſpecioſa quidem objectio fieri ulla poteſt. Nam meridie lucere negaret, qui Liturgiæ iſtius ſuſpectam haberet veritatem, neque enim de antiquitate ejus quæſtio eſt, ſed tantùm an apud Ægyptios in uſu ſit, aut olim fuerit, quod non magis negari poteſt, quàm extare urbem Alexandriam, aut aliquid ſimile, moraliter certiſſimum. Igitur adversùs inſolitam ejus formam declamare poterunt, & quod in obſcuris quæſtionibus libenter factitant, deſignari ſibi poſtulabunt initia illius & incrementa, quod licet nullo jure poſtulent, eorum enim partes eſſent, afferre in medium argumenta quibus impugnari cum aliquo colore poſſit, id tamen ex certis monumentis præſtare facile eſt. Nam quod primam Confeſſionis partem attinet quæ Græcè dicitur, ejus antiquitas & autoritas vocari nequit in ſuſpicionem; cùm eam Græcæ Alexandrinæ Liturgiæ repræſentent: & ipſa peregrinitas Græcæ linguæ in qua pronunciatur, eam ſciſſione Eccleſiarum vetuſtiorem eſſe confirmet. Nam quidquid in Liturgiis illis Græcè extat, omnem antecedit ſchiſmatum memoriam: ſaltem eſt Muhamedanis temporibus, hoc eſt mille & amplius annis, vetuſtius. Omnes libri Theologorum, Commentarii Liturgiæ, quidquid tandem monumentorum Eccleſiaſticorum ſupereſt, idem efficiunt.

Quæſtiones circa illam natæ inter Coptitas duæ.

Prima circa illa verba, *fecit illud unum, &c.*

Sed ut ex Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum diſcimus, initio ſæculi duodecimi, & eo labente, duæ circa eam quæſtiones exortæ ſunt. Prima fuit ſub Gabriele filio Tarich qui LXX. numeratur & ordinatus eſt anno Martyrum DCCCXLVII. Jeſu Chriſti MCXXXI. Is cùm poſt ordinationem proceſſiſſet more majorum, ad Monaſterium ſancti Macarii, ut ibi proclamaretur, ſolennemque Liturgiam celebraret, ubi ad communionem pervenit, Confeſſionem pronunciavit hunc in modum. *Credo & confiteor hoc eſſe corpus Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod accepit ex Dei genitrice ſancta Maria, fecitque unum cum divinitate ſua.* Teſtatur hiſtoricus, Monachis nonnullis diſplicuiſſe hæc ultima verba, tanquam adjectitia; dicebant enim conſuetudinem apud ſe non eſſe,

Digitized by Google

ut eadem pronunciarentur. Gabriel excusabat se, quòd illa dixisset die ordinationis suæ, sicut suggesserant ipsi, qui eum ordinaverant Episcopi, neque licere ea supprimi, cùm sententiam veram continerent. Itaque de ea re multis sermonibus habitis, tandem istis verbis alia adjici placuit, ab omnibus comprobata, hunc in modum. *Fecit illud unum cum divinitate sua, absque divisione, commistione & confusione.* Addit Autor, non paucos in Sahid, sive superiori Provincia, antiquam consuetudinem retinuisse. Insigne sanè est illud testimonium, quo demonstratur quàm vetusta jam esset apud Coptitas illa Confessio, cui ne Monachi sancti Macarii quidquam adjicerent, antiquorum exemplo se tuebantur. Neque de fide Eucharistiæ lis erat, cùm in ea omnes consentirent, sed de additione ultimorum verborum, quæ pravè intellecta, ad sententiam Eutychianæ hæreseos trahi poterant, saltem Orthodoxis occasionem dabant, ut de Synchytarum, qui commistionem naturarum inducebant, errore, Jacobitas postularent. Notandus quoque in illis historici verbis, mos antiquus, quem pariter varii de Ordinationibus Canones, librique Pontificales stabiliunt, ut Patriarchæ inter ordinationis suæ solennia ad primam Liturgiam, Episcopi qui manus ipsi imposuerant, suggererent verbatim ipsam Confessionem de Eucharistia. Illam sanè legem præscriptam reperimus apud Abulbircat non modò ad Patriarcharum, sed ad Episcoporum & Sacerdotum ordinationes. *Sacerdos qui ordinationem suscipit, accedet, & franget cum Patriarcha corpus Christi; habebit autem dexteram manum suam sinistræ superpositam, & in ea erit particula Eucharistia. Suggeret illi Patriarcha Confessionem verbatim.* Credo, &c. *quam repetet ejus exemplo, ut manifesta fiat hominibus rectitudo confessionis* (seu ὀρθοδοξία) *ejus, dum corpus est in ejus manu.* Et ad Episcopum ordinandum præcipitur, ut *Confessio illi suggeratur linguâ vernaculâ quàm ordinatus intelligat, ut certò constet fides ejus apud Patriarcham.* Ita Abusebah in Scientia Ecclesiastica, & Gabriel in Rituali, quæ testimonia majorem in modum confirmantur exemplo Patriarchæ, in cujus ordinatione eadem disciplina observata fuit. Porrò qui tanta religione cavebant ne Confessioni quidquam temerè adjungeretur, neque additionem pati poterant, quamvis Orthodoxa agnosceretur, eos sanè nemo existimabit, non intellexisse, quid verba significarent, aut Confessionem qualis extat, in suos libros temerè recepisse, multo minùs novam prorsus, rationique & sensibus repugnantem de Eucharistia doctrinam.

Secunda circa vocem *Vivificum*. *Hist. Patr. Alex.* p. 526.

Verùm par illorum diligentia altero exemplo, ex eadem historiâ probari potest, nempe circa vocem *Vivificum*, quæ in antiqua Græca formula non erat, Joanne LXXII. Patriarcha Jacobitarum Alexandrinam sedem obtinente. Abbas Salmon & Monachi Lauræ sancti Justi eam addiderunt, dicentes *Credo*, &c. *hoc esse corpus vivificum, quod assumsit Filius unigenitus*, &c. Agitata quoque hæc additio fuit inter Episcopos, tandemque constitutum, ut quia vox ipsa in sacris scripturis legebatur, neque dubitari poterat quin corpus Christi esset *vivificum*, ea vox retineretur, omnesque eam reciperent in Codices Liturgicos suos, quod ubique tandem factum, præter quàm ad sancti Macarii: nam Monachi excusa-

Digitized by Google

verunt se ex majorum consuetudine, quæ talem vocem non agnoscebat. Ordinatus est Joannes an. Jesu Christi M.CXLVII. obiit M.CLXVII. Ex secundo illo exemplo constat usus Confessionis illius certus, adeo ut ante sexcentos annos jam illa eam formam accepisset, quam nunc habet. Nulla circa eamdem controversia fuit, quantum ad Eucharistiæ fidem, neque enim ulla esse poterat, cùm illis in Ecclesiis, erroris in hac religionis parte ne umbra quidem fuerit. Qui verò eam incorruptam formulam, tam religiosè servaverunt, ut vix Patriarchis suis, quorum tamen summa autoritas erat, obtemperarent, quando orationi pauca verba addenda visa sunt, judicare facile est illos, non admissuros fuisse novitatem aliquam circa Sacramenti fidem, si quæ unquam nata apud eos fuisset.

De Syrorum & aliorum Confessione ante Communionem.

Cùm autem, ut superiùs expositum est, apud antiquos simplicissima foret, pauciſque verbis constans illa Confessio, ita quoque apud Syros, tam Jacobitas, quam Melchitas & Nestorianos. In Codice antiquo Liturgiæ communis Syrorum Jacobitarum Colbertino, præscribitur, ut Sacerdos cùm tenet corpus in manibus dicat. *Tu es Christus Deus noster: tu es ipse qui prope Hierusalem, in latere transfixus es propter nos, in vertice Golgothæ: tu es Agnus Dei qui tollis peccata mundi.* Extat alia prolixior Dionysii Barsalibi: cujus hæc ultima verba sunt. *Unus est Emmanuel, non divisus post unionem inseparabilem duarum naturarum. Ita credimus, ita confitemur, ita asserimus, hoc esse corpus hujus sanguinis & hunc esse sanguinem hujus corporis.* Græci dicunt, *Credo Domine & confiteor quia tu es Christus Filius Dei, &c.* Apud alios more vetustissimo ad illam Confessionem significandam, *Amen* dicitur, cùm Sacerdos vel Diaconus Sacramenta distribuunt. Cur prolixior apud Coptitas fuerit illa confessio, hæc videtur causa fuisse. Primò ex antiqua consuetudine vetus & simplex formula *Corpus sanctum pretiosum*, sive ἅγιον τίμιον Græcè dicta est: eam ut populus intelligeret, Copticè exposita fuit, non iisdem planè verbis, sed aliis quæ eodem reciderent. Quia verò Coptica lingua postmodum & ipsa vulgaris esse desiit, Arabicè quoque dici cœpit Confessio, non modò à populo, qui quædam vulgari suâ linguâ acclamabat, sed etiam, ut mox antea observatum est, ab ipsis Sacerdotibus & Episcopis, cùm ordinarentur, ut publico apud plebem vocis eorum testimonio constaret, quàm rectè de corporis & sanguinis Dominici Sacramento sentirent.

Origo additionum quæ Confessioni factæ sunt.

In toto Muhamedanorum, quàm latissimè patebat Imperio, Melchitarum seu Orthodoxorum, Jacobitarumque iisdem in locis magna erat multitudo: & quamvis acerbissima essent inter partes odia, ex communi tamen quotidianoque commercio, non modò familiaritas inter homines sectæ diversæ, sed etiam aliquando affinitates coalescebant, quamvis multis Patriarcharum sanctionibus id fieri prohiberetur. In summa quoque, qualis afflictissimorum sub Barbaris dominis esse solet, doctrinæ & consilii, spiritualiumque subsidiorum inopia, fieri facilè potuit, ut Christiani Melchitæ, qui sæpè & diu, nec Patriarchas habuerunt, nec Episcopos, furtim ad Jacobitarum Ecclesias accederent, ne Sacra-

Digitized by Google

mento corporis & sanguinis Christi penitus privarentur. Id enim non infrequenter accidisse ut existimemus, faciunt diversi Canones pœnitentiales, adversùs eos qui apud Hæreticos Sacramenta acciperent, quorum nonnulli leguntur in Collectione Barsalibi, alii in multis ἀπαντήσεις. Ut igitur Jacobitæ caverent à communicatione illa Sacramentorum cum Orthodoxis Melchitis, seu ut eos vocant Calchedonensibus, quos hæreticos judicabant, videntur instituisse, ut in ipsa communionis hora, non modò exigeretur de corporis sanguinisque dominici veritate Confessio, sed etiam ut illa, cum professione Jacobiticæ fidei conjungeretur, ne cui Sacramenta distribuerent, qui eam apud Sacerdotes non protulisset. Eò enim propriè pertinent verba illa quæ posteriùs addita fuisse observavimus, *fecit illud unum cum divinitate sua*, in quibus sita est Confessio unitatis naturarum, quæ Jacobitarum præcipua doctrina est: quæ verba non nisi post undecimum sæculum antiquæ formulæ accessisse admodum verisimile est. Nam si antea in usu apud Ecclesias fuissent, ignorari non poterant à Monachis sancti Macarii, in quorum Ecclesia, more jam à multis sæculis observato, novus Patriarcha proclamari, & Liturgiam celebrare tenebatur, in qua Confessio alta voce recitabatur, audiebantque eam adstantes omnes. Cùm igitur additio illa Monachos sola novitate perculerit, fortè non fuerat Alexandriæ usurpata ante Gabrielem filium Tarich, sed ut ipse excusandi sui causâ dicebat, præscripta fuerat ab Episcopis qui eum ordinaverant, à quibus, eâ quam exposuimus ratione, necessaria judicata fuerat, ut à Jacobitis Melchitæ dignosci possent. Id verò non videbatur tam necessarium in Monasterio sancti Macarii, ubi talis concursus esse non poterat, quin noti essent Archimandritæ & Religiosis, omnes qui eo loco ad communionem accederent. Quidquid sit, neque enim argumenta certa suppetunt, quibus hæc nostra conjectura demonstrari queat, eam verisimilem arbitramur, & Alexandrinæ Jacobitarum Ecclesiæ moribus planè consentaneam. Neque enim objici adversùs eam potest, Jacobitas quoque Antiochiæ & multis aliis in urbibus & provinciis eadem planè ratione cum Melchitis commistos, neque tamen simile quidquam apud illos extra Ægyptum observari. Verum id sanè, nec tamen idcirco conjectura prorsus inanis judicanda est, cùm magna semper fuerit etiam in Ecclesiis communionis ejusdem, rituum diversitas. Nemo tamen in Orientali historia Ecclesiastica leviter versatus ignorat, Jacobitas Antiochenos Patriarchas, neque eam dignitatem, neque jurisdictionis amplitudinem habuisse, quam Alexandrini ex eadem secta olim obtinuerunt. Nam alteri non Antiochiæ, sed Malatiæ sedem habebant: & quamdiu urbs sub Græcorum, aut Francorum potestate fuit, in eam ipsis ingredi, aut in ea synaxes agere Jacobitis non licebat. Erant præterea Patriarchæ Græci, fuerunt & Latini, & cum Nestoriani in Aula Bagdadensi plurimùm possent sub Califis Abbassidis, omnem aliquando in Christianos cujuscumque communionis jurisdictionem ad se traxerunt. Verùm Benjamin qui se Muhamedanis captâ Alexandriâ statim subjecit, ampliſſimaque idcircò privilegia consecutus est, non modò omnes, Orthodoxis fugere coactis & spoliatis, Ecclesias

Digitized by Google

occupavit, ſed etiam ejus ſucceſſores per annos prope centum, abſolutam illam autoritatem obtinuerunt, donec tandem redditæ ſunt Melchitis aliquot Eccleſiæ, & ipſis Patriarcham ſuum habere conceſſum eſt. Cùm verò primo illo intervallo temporis, omnes ferme in ſuperiori Ægypto Epiſcopatus, à Jacobitis occupati fuiſſent, Orthodoxis ea in provincia nulli remanſerunt. Ita fieri potuit ut, qui avitam fidem retinebant, carerent & Epiſcopis & Sacerdotibus, atque adeo apud hæreticos Euchariſtiam quærerent.

Porrò doctrina de Incarnationis myſterio quam paucis in hac oratione verbis complexi ſunt Jacobitæ, fuſiſſimè exponitur ab ipſorum Theologis eodem omnino ſenſu, nempe ſecundùm naturæ unitatem, exclusâ prorſus confuſione, commiſtione, & alteratione; quod legitur etiam in Horologio, ſeu Euchologio Coptico, & in multis aliis precibus. Inter Theologos de hoc argumento diſputaverunt Ebnaſſalus in Collectione Principiorum fidei, Jahia filius Adæi in Tractatu de Incarnatione, Abu-Raïta Takritenſis, Severus Epiſcopus Aſchmonin, Vincentius Epiſcopus Copti, & Anonymi plures, quorum teſtimonia integra alibi referentur. Quod adjicitur, *confeſſus eſt confeſſionem bonam*, referri debet ad illud 1. Timoth. c. 6. *qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem*, quem locum citant & ſimul ejus explicationem ex Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, Severus Epiſcopus Aſchmonin, in Hiſtoria Alexandrina & varii autores Collectaneorum ex ſanctis Patribus. Multa quoque apud Theologos leguntur, circa ſequentem articulum quòd *ne momento quidem ſeparata ejuſdem Chriſti divinitas fuerit ab humanitate*, de quo extant teſtimonia Vincentii Epiſcopi Copti, Jahiæ filii Adæi, Severi, Iſæ f. Zaraæ, Abu-Raitæ, Ebnaſſali, & Epiſtolæ Sacerdotis Jacobitæ nuper ordinati.

Doctrina in Confeſſione expoſita, conformis eſt Jacobitarum Theologiæ.

Tandem ut quæ ad Confeſſionem ſpectant expediamus, ea qualis eſt in Baſiliana Liturgia, talis omnino reperitur in Gregoriana & Cyrilli, nullo diſcrimine. A Coptitis eam acceperunt Æthiopes, qui eam totam inſeruerunt Canoni Generali, ſeu Liturgiæ communi, à qua peti ſolet ad alias Liturgias. Illius tamen orationis, quæ eorum de Euchariſtia fidem tam perſpicuè ſignificat, ne meminiſſe quidem dignatus eſt Jobus Ludolfus, nempe ut ſatis appareat quia eam ad Lutherana placita torqueri poſſe deſperavit. In aliis Liturgiis Orientalibus non extat eadem forma, verùm ea quam deſignavimus, ad antiquam ſimplicitatem propiùs accedens.... Sed ut diximus nulla in Oriente Eccleſia eſt, quæ non habeat ad communionis horam deſtinatas orationes, quæ eâdem prope ſententiâ, quamvis non tam prolixè nec tam diligenter, exponant illorum Chriſtianorum de Euchariſtia fidem. Nam à Sacerdote dicuntur hæc aut ſimilia verba *Corpus ſanctum filii Dei*: & qui accedit ad communicandum reſpondet. *Amen*: ſed de his dicetur inferiùs cùm explicandus erit communionis ritus.

Confeſſio extat in omnibus Liturgiis Ægyptiacis & in Æthiopica.

Adjiciemus denique quòd præter omnes codices antiquos & recentiores qui hanc Confeſſionem repræſentant, eadem verbatim refertur ab Abulbircat in Expoſitione Ordinis Miſſæ, à Gabriele Patriarcha in

Digitized by Google

Rituali suo, & ab Autore Scientiæ Ecclesiasticæ: quibus si adjungatur autoritas Historiæ Patriarcharum Alexandrinorum, disciplinaque Ecclesiæ Æthiopicæ, extra dubium est, eam Confessionem omnes, quæcumque haberi possunt certitudinis & veritatis notas continere; ritibus quoque adjunctis secundùm quos pronunciari debet, ita ad realis præsentiæ fidem determinari, ut majus argumentum consensus Ægyptiorum cùm Ecclesia Catholica ne excogitari quidem possit: quando nec ipsa de cujus fide non dubitatur, talem tamque expressam Confessionem publica autoritate munitam, nullam in sacris Officiis suis, aut fidei professionibus habeat.

Confessio extat in Codice Regio Græco Arabico.

Porrò quàm certa sit hujus Confessionis autoritas & antiquitas, præter illa quæ protulimus argumenta, probat Codex Regius Græco-Arabicus, in quo integrè legitur, cum additionibus duabus, quæ controversiis ab autoribus historiæ Alexandrinæ memoratis occasionem dederunt. In Marci Græca Liturgia, primis tantùm vocibus Confessio designatur. Σῶμα ἅγιον, ex quibus solis concludi non potest ea sola dicta fuisse: cùm multa sint exempla similium orationum, quæ primis tantùm vocibus designantur, integræque ex aliis codicibus petendæ sunt. Itaque & Jacobiticæ & Orthodoxæ Ecclesiæ convenire potuit hæc formula. Verum tamen cùm Marci Liturgiam, multis aliis indiciis constet Orthodoxis potiùs propriam quàm Jacobitis fuisse, quando sola illa Græcis nota fuit, usuque illius in Calabria fuerit, & in Ægypti provinciis, quæ Marco Orthodoxo subjectæ erant, quin Jacobiticâ illâ additione caruerit, vix est dubitandum. Sed neque si tam verisimilia argumenta deficerent, esset ambiguitati locus, cùm certum haberi debeat, Theologiam, novitatis, & erroris in Oecumenico Concilio condemnatam ab Ecclesia Catholica probari, aut sacris orationibus inseri non potuisse.

At illam ipsam Confessionem qualis extat in Copticis Liturgiis tribus, totidem verbis legimus in Græcis Alexandrinis duabus Basiliana & Gregoriana, quas hæc nota sola, Jacobitis usurpatas fuisse certissimè demonstrat. Codex qui illas continet videtur ætate Patriarcharum illorum duorum, sub quibus de additionibus disputatum est, antiquior. Unde vocari posset in dubium Historiæ Alexandrinæ fides, quia significare videtur quodammodo, factas illas esse primùm, cùm de illis Monachi Macariani litem moverunt. At cùm excusatio quâ Gabriel filius Tarich, câque unicâ usus est, non alia fuerit, nisi quòd ab Episcopis qui eum ordinaverant, præscripta, verbatimque suggesta foret: eam priùs in Ecclesia Alexandrina viguisse probat hæc responsio. Quòd eam Macariani Monachi ignoraverint, facilè explicatur: erant enim disciplinæ veteris observantissimi: cùmque additionem primam; *fecit illud unum cum divinitate sua*, negarent habere se in suis codicibus, docemur inde obscuriuscule fortassis, sed non inverisimiliter, servasse illos codices Liturgicos veteres, in quibus hæc additio recepta esse non poterat, cùm schismatum initiis foret recentior. At alibi in Ecclesiis usum illius nullum fuisse, non inde probatur.

Quidquid tandem sit, cùm omnes Alexandrinæ Liturgiæ illam Confessionem

feſſionem contineant, neque controverſiæ quibus occaſionem dedit, ad fidem Euchariſtiæ, ſed ad Incarnationis myſterium pertineant : quocumque modo ſe habeat, æqualem adversùs Proteſtantes retinet autoritatem. Nam duæ Liturgiæ Græcæ Baſilii & Gregorii illam repræſentant, ut legitur in Copticis tribus, & Æthiopica, quæ ab illis expreſſa eſt : tum Marci Græca eamdem deſignat. Quòd ſi tanta religione caverunt Epiſcopi, & Monachi Macariani, ne quid in eadem relinqueretur, quod ad ſuſpectam circa Incarnationis myſterium doctrinam referri poſſet ; quis negligentes illos ita fuiſſe ſuſpicabitur, circa illud, de quo potiſſimùm agebatur, Euchariſtiæ myſterium, ut ea verba quæ veram ſubſtantialemque tranſmutationem perſpicuè ſignificabant, inexplicata præterirent. Non feciſſent ſanè, ſi quid aliud in mente habuiſſent : at contra prorſus ; nam verba rituſque ita diſpoſuerunt, ut ex illis intelligeretur præſentia realis corporis & ſanguinis Chriſti, quod præſcriptæ ad communionem diſtribuendam cæremoniæ in majori luce collocabunt.

Sacerdos dignos fac Domine, &c. P. 24. l. 27.

NOn una eſt illarum orationum forma, quamvis communis eademque omnium ſententia ſit : alias refert Gabriel Patriarcha, quarum hæc prior eſt. *Fac nos omnes dignos Domine, ut percipiamus ex corpore tuo ſancto & ſanguine tuo precioſo ſanctitatem animarum, corporum & ſpirituum noſtrorum, remiſſionemque peccatorum & delictorum noſtrorum, ut efficiamur corpus unum, & ſpiritus unus tecum : quia tu es benedictus, & tibi debetur gloria, cùm Patre tuo bono & Spiritu ſancto in æternum. Amen.* Poſterior quam dicit ab aliquibus hoc loco recitari ſolitam, talis eſt. *Domine Jeſu Chriſte fac nos dignos, ut percipiamus corpus tuum ſanctum & ſanguinem tuum pretioſum : neque fiat nobis ad judicium, ſed ſicut dixiſti diſcipulis tuis ſanctis : Accipite ex corpore & ſanguine meo ad remiſſionem peccatorum veſtrorum, ſit nobis ſocietas cum diſcipulis tuis ſanctis, ut ex participatione noſtra myſteriorum tuorum vivificantium, percipiamus remiſſionem peccatorum noſtrorum, abolitionem delictorum noſtrorum, puritatemque animarum, corporum & ſpirituum noſtrorum, & conſcientiarum, per fidem in nomen tuum ſanctum, ad extremum uſque vitæ ſpiritum. Amen.* Colligi multæ aliæ poſſunt ex libris Eccleſiaſticis, neque enim iſtarum orationum & earum quæ in Liturgia præſcribuntur ratio eſt prorſus eadem : iſtis addere aut detrahere nihil licet : in aliis quæ dicuntur ad libitum, ut Rubricæ noſtræ loquuntur, aut quæ privatim inter cæremoniarum intervalla recitantur à ſacerdotibus, aut à Laïcis, alias adjungere ſemper licuit. Itaque multæ ſimiles occurrunt ad communionem, & ad gratiarum actionem, non in Orientalibus modò, ſed in Græcis quoque libris, quæ omnes realem præſentiam ita confirmant, ut vix ulla ſit quæ ad eam ſtabiliendam argumenta perſpicua non ſuppeditet.

Digitized by Google

Pag. 24. l. 21.

Communicabit Sacerdos.

Communionis distribuendæ ritus.

DE communione Sacerdotis nihil singulare observandum occurrit, nihilque præscribunt rubricæ codicum recentiorum, tanquam scilicet in ritu qui omnibus satis notus esse debet. Gabriel qui illum accuratiùs describit, ait Sacerdotem corpus sanctum osculari, tum illud sumere, moxque discum operire, nempe ex reverentia Sacramenti, ne particulæ in eo remanentes, quæ distribuendæ sunt ad aliorum communionem, oculis expositæ sint. Tum præcipit, ut Sacerdos calicem detegat, qui velo quoque suo opertus est, & ex eo sanguinem Christi bibat, mappulâ deinde, quam sinistra manu tenet, os abstergat, & oram calicis, quâ parte bibit. Communioni Sacerdotis reservatur particula illa major *Ishodicon* dicta, seu media illius pars, ex qua consignatus fuit calix, & ex qua minor particula quam *margaritam* vocant desumta, immitti in calicem jubetur, in excerptis ex Gabriele & aliis, quæ à nobis relata sunt. Cùm autem oblatæ, majores sint in Oriente quàm apud nos soleant, omnesque vulgò ex una & eadem communicent, illa pars quasi præcipua (etsi nullà sit diversitas inter eam & alias, omnesque credantur æqualiter esse corpus Christi) reservatur ad consignandos alios calices, in quibus communio distribuitur, & ad præbendum Sacerdotibus, Clero, aliisque dignioribus. Mox Gabriel ita prosequitur. *Sacerdos Diacono ministranti communionem impertit, & si provectior ætate fuerit, dat ei calicem, simulque cochlear à latere adjunctum. Tum accipit Diaconus calicem, & illud circumfert, incipiendo à latere australi, procedítque coram eo alter Diaconus, cereum accensum præferens; oportetque ministros altaris omnes illud adorare, capita inclinantes, donec in latere boreali constiterit. Tunc incipiet Sacerdos communionem præbere ministris inferioris ordinis, & intinget ipsis: unusque eorum adstans cum mappula, ora eorum abstergit postquam communicaverint. Majoribus autem seu primi ordinis ministris, Sacerdos dabit corpus; Diaconus præbebit sanguinem cum cochleari.*

Tres diversi ritus.

Nempe, ut ex eo loco multisque aliis manifestum est, communio apud Orientales tribus modis distribuitur, ita ut nulla, quantùm ad Sacramenti legitimam perceptionem, inter illos modos judicetur esse diversitas. Primò simpliciter & magis ad morem antiquissimum, panis factus corpus Christi, præbetur; & postea calix, ex quo bibit qui communicat. Eo modo communicant Sacramentis, Sacerdos sacra celebrans, alter qui vocatur ministrans, vel socius, quem Rituales nostri *Assistentem* vocant; Diaconusque ministerio fungens: tum Episcopus si adsit, nec Liturgiam celebret, una enim tantùm apud Orientales celebratur. Secundus modus est, ut Corpus Christi præbeatur à Sacerdote: Sanguis à Diacono qui calicem tenet, atque ex eo guttam cochleari præbet, ut Sacerdotibus & aliis primi ordinis Ecclesiasticis fieri Gabriel statuit. Tertius tandem est communio intincta, ita scilicet, ut ex fractis majoribus partibus hostiæ, plures particulæ in calicem immittantur, quas

Digitized by Google

cochleari præbet Diaconus : atque ea ratione ſecundi ordinis Eccleſiaſticis & Laïcis, communio diſtribuitur. Hanc verò diſciplinam non à Latina Eccleſia, quæ ſimilem nullam habet, ſed à Græca acceperunt, ne quis ex rituum imitatione, fidem quoque noſtram imitatos eſſe illos ſomniet.

Cochlearis quippe ad calicis participationem, uſum à Græcis acceperunt, quem antiquiſſimum eſſe oportet, cùm nulla in Oriente Eccleſia ſit quæ illum non ſervet : atque ita ante diviſionem Eccleſiarum viguiſſe hanc conſuetudinem neceſſe eſt. Probatur id quia illum, ut omnia reliqua ſchiſmatum initiis vetuſtiora ſtatuta diſciplinæ, conſignata habent in διαταξεσι illis Canonum, quos vocant Apoſtolorum, Collectionibus. In illis qui ſecunda Apoſtolorum præcepta dicuntur, Conſtitutio extat, quæ jubet coram Epiſcopo Diaconum diſtribuere communionem populo, non ut Sacerdos & Epiſcopus faciunt, ſed tanquam miniſtrum λαζίδ, hoc eſt *cochleari*. בלאזיתן nam vocem græcam, ut infinitas alias retinuerunt. Sed quacumque ratione adminiſtretur Euchariſtia, perinde eſt : neque ſe deeſſe exiſtimant officio ſuo, aut peccare contra Chriſti inſtitutionem, ipſiuſque Sacramenti naturam, aut contra præceptum de bibendo calice, cùm ita faciunt : licet ſatis intelligat quiſque, non bibi, loquendo propriè, calicem', cùm intincta communio accipitur, aut mica conſecrati panis madefacta, cochleari præbetur. Quod ſanè ab omnibus concordiæ Chriſtianæ amantibus, ſi abſque ullis partium præjudiciis conſideretur ; ſatis intelligent, quanta primorum Reformationis architectorum adversùs Romanam Eccleſiam calumnia fuerit, dum recentiorem diſciplinam ex invidia Pontificum natam judicaverunt, quaſi ex certo conſilio, Chriſtianam plebem calicis participatione fraudaverint. Ut enim apud Græcos & Orientales omnes qui eos imitati ſunt, ſumma erga Chriſti corpus & ſanguinem reverentia fecit, ut calix tantummodo Eccleſiaſticis daretur, tum etiam ut ex calice hauriretur gutta & cochleari diſtribueretur : tum ut particula panis, vino madida, utriuſque ſpeciei locum teneret, quamvis ſi moroſiùs agatur, hæc communionis dandæ forma, neque veræ comeſtionis, neque potus rationem habeat, ita & apud nos præſertim, quando privatæ miſſæ frequentiores fuerunt, ſub una ſpecie Euchariſtia dari cœpit, ex eadem erga Sacramentum reverentia, nullo aut religionis defectu, aut innovandi conſilio. Atque ut pro Eccleſiarum diverſitate, abſque ulla contradictione receptum eſt, ut ſecundùm varios illos ritus communio diſtribueretur, idcirco neque ubi calix præbitus eſt, aut ubi ſolum cochlear, aut ubi intinctæ particulæ, magis aut minùs quidquam accepiſſe communicantes exiſtimaverunt.

Cochlearis uſus.

In Syrorum Jacobitarum Nomocanone utraque diſciplina indifferenter præſcribitur. De Eccleſiaſticis quidem, præſertim ad altare in ipsâ Liturgia miniſtrantibus. *Hi*, inquit Conſtitutio, *calicem bibent, ſibique invicem bibendum præbebunt, poſtea ſæcularibus. Sacerdoti autem non licet abſque calice corpus ſanctum tribuere ; ſed ſi fieri poteſt ipſe dabit corpus : Diaconus verò calicem bibendum præbebit, quod legitimè & ſecundùm*

Syrorum diſciplina circa communionem.

canones fiet, cùm præceperit Dominus in hunc modum. Edite ex corpore meo, & bibite ex sanguine meo. *Quòd si id fieri non potest, corpus intingat Sacerdos in calice, quem Diaconus dextrâ tenet, communionemque det, ut in Occidente facere solent. Quòd si nec illud poterit intingere, ob nimiam populi multitudinem, antequam separet, margaritam intingat in calice tempore fractionis, & ita det communionem, sicut in Oriente solemus facere.* Quibus verbis perspicuè significatur, nullum circa communionis integritatem discrimen reputari, sive calix bibendus præbeatur, sive sanguis Christi ex cochleari sumatur, sive communio intincta detur. Nam quòd in hac Syriaci Nomocanonis constitutione memoratur Occidentalium consuetudo, etsi ad propriè dictos Occidentis populos, hoc est Latinos, referri queat (nam apud eos aliquando communionis intinctæ usus fuit, etsi non ubique receptus) tamen ad alios referri verisimilius est, Græcos scilicet atque Ægyptios. Quippe ex communi more loquendi, Orientales propriè dicebantur, qui in Orientis Patriarchatu erant Christiani, nempe sub Patriarchæ Antiocheni jurisdictione, qui idcirco titulum *Papæ Orientis*, præsertim apud Jacobitas, habuit. Illorum igitur comparatione, qui extra amplissimam diœcesin illam erant, Occidentales vocabantur, atque ita Græci & Ægyptii, tales erant. Et sanè apud eos viguit præcipuè intinctæ communionis usus, adeo ut non alia, præsertim erga Laïcos, adhibeatur. In ea etiam præbenda Sacerdotibus & aliis Ecclesiastici Ordinis, quibus vulgò calix offerri præcipitur, tantùm abfuit ut calicis usus ad essentiam Sacramenti pertinere judicatus fuerit, ut quemadmodum patet ex eodem Nomocanone, cochleari posse ipsi præberi sanguinem Christi, perscriptum reperiatur. *Sacerdotes & Diaconos cochleari communicabit Sacerdos, vel Episcopus.*

Reliquæ communionis cæremoniæ. Quæ sequuntur, sumta ex ejusdem Gabrielis Rituali, reliqua ad ritum communionis spectantia absolvunt. *Si Sacerdos alium assistentem sibi Sacerdotem habuerit, communionem dabit ei celebrans, postquam ipse eam acceperit. Scilicet celebrans ponet margaritam, seu particulam consecratam, in manu alterius Sacerdotis, aut in cochleari: & assistens illam ab eo ita accipiet. Idem assistens accipiet mappulam desuper calice, ponetque eam super manum celebrantis, & præbebit ei calicem, ex quo cùm communicaverit, assistenti Sacerdoti præbebit illum, & cum eo reliqua perficiet,* hoc est Sacerdotum reliquorumque, qui circa altare sunt Ecclesiasticorum communionem absolvet. *Cùm Diaconus junior erit, ne præsumat ad quidquam eorum quæ diximus faciendum accedere:* id est calicem communicantibus porrigere, aut ex cochleari sanguinem, vel particulas intinctas præbere, *ne scilicet ob experientiæ in ritibus sacris defectum, aliquid ex calice effundi aut particulas in terram cadere sinat,* quam negligentiam, ut mox videbitur, & cavent magnopere, & pœnis canonicis vindicant. *Postea communionem dabit singulis qui ad altare ministraverunt, cùmque absolverit, os suum absterget mappulâ quam in manu habet Diaconus, lumen coram disco præferens. Cùmque Sacerdos absolverit communionem ministrorum, deferet discum super manum suam sinistram cum mappula, su-*

velo ſericeo, cujus oræ intra diſcum ita colligatæ erunt, ut extra non propendeant. Deus prohibeat ne quid ex margarita ſeu ex particulis conſecratis, adhæreat aut in terram decidat. Caveat etiam diligenter Diaconus, ne cochlear ex ipſius manu in calicem labatur: id ſi acciderit, aliud manu ſua innuendo petat: Deuſque avertat ne illud manica aut toga ſua affricet, aut aliquis alius, ita ut quidquam in terram decidat, aut illud ipſum ex ſe excidat, & in terram labatur: ea enim de cauſa Dei, hominumque indignationem experiretur, ob ſuam circa ea negligentiam & curæ defectum.

Laïcorum communio.

De Laïcorum communione idem Gabriel ita præcepit. *Deſcendet Diaconus cum calice ſanguinis Chriſti, & coram eo Diaconus ſenior judicio pollens, cum cereo: deſcendetque ante Sacerdotem, & poſt eum reſpiciet Sacerdos qui diſcum geſtat cum corpore Chriſti, ad Occidentem: deſcendetque extra altaris ambitum, benedicetque populo, formans ſignum crucis cum diſco, omneſque proſternent ſe, adorantes uſque ad terram, parvi & magni, incipientque diſtribuere communionem ordinatim, uni poſt alium. E Laïcis qui communionem accipiet, metanœam ſive proſtrationem faciet versùs altare Dei, nudumque caput habebit.* Ita etiam ſtatutum legimus in Synodalibus Conſtitutionibus Cyrilli f. Laklaki, Patriarchæ Alexandrini, ubi ſcribitur: *Nullus ſæcularium admittatur ad communionem, niſi detecto capite*: quæ lex etiam reperitur in ſtatutis Gabrielis f. Tarich Patriarchæ §. 7. & in Canone qui Baſilio adſcribitur, quemque refert Echmimenſis in ſua Collectione, cujus verba mox referentur. Pergit Gabriel. *Cùm quis communionem acceperit, non dorſum obvertet, ſed paulatim retrocedendo, ſe ad locum ſuum recipiet. Si quidem Judas, cùm à Domino panem accepiſſet, tergum obvertit, exiens odio diabolico plenus. Deus verò non ſinat, ut ſimile quid committamus. Abſoluta virorum communione, populum rurſus cum diſco, facto crucis ſigno benedicet & ad locum mulierum procedet, Sacerdos celebrans: & coram eo Diaconus cereum præferens accenſum, ad communionem mulieribus diſtribuendam. Oportet autem omnes è populo, quando Sacerdotes tranſeunt cum corpore Chriſti, procedentes ad locum mulierum ſimulque cùm redit Sacerdos, capita detergere, Deoque ſe inclinare, ipſi gratias agentes, eumque laudantes, qui dignos illos præſtitit dono illo magno, quod Angeli aſpicere non poſſunt. Communio autem mulierum ſummam diligentiam & curam exigit: nam cùm mulier velata ſit, nemo quænam illa ſit agnoſcere poteſt. Magnam igitur circa illas curam adhibere vos oportet, ô Sacerdotes, ne detis corpus Chriſti & ſanguinem ejus indigna, & ea propter judicium ſuſtineatis. Cùm Sacerdos ad locum ubi ſunt mulieres pervenerit, ſignum faciet ſuper eas, ut ſuperiùs, cum diſco: quod iterum faciet abſoluta earum communione, antequam ad altare revertatur, dicetque, communionem illis impertienda, ſicut cùm viris diſtribuitur. Cùm ad altare reverſus erit, adhuc ad Occidentem converſus ſignabit populum, ſicut priùs fecerat; omneſque interea capita ſua uſque ad terram coram Deo inclinabunt, dicentes*: Memento noſtri Domine, cùm veneris in regnum tuum; ſanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus ſanctus, Trinitas ſancta, *& quæ ſupra expo-*

Digitized by Google

ſuimus circa corpus & ſanguinem, hoc eſt quod corpus & ſanguis una ſint divinitas; & quòd divinitas ejus (Chriſti) *non deſtituit ejus humanitatem: quòdque tres perſonæ volnntas una ſint, arbitrium unum: quòdque* (Deus) *humanitatem ejus non deſeruerit, in crucifixione, aut poſt crucifixionem, quòdque hæ cruces,* (hoc eſt benedictiones cum diſco in quo eſt Euchariſtia,) *ex ipſo & per ipſum fiant: ex corpore Chriſti & per corpus Chriſti: quòdque Dominus eas expreſſerit, quando fregit panem, & dedit diſcipulis ſuis in cænaculo.* Ut non detur communio niſi notis perſonis, ſtatuunt multi Canones ex Didaſcalia ſeu Apoſtolicis Conſtitutionibus, quos refert Echmimenſis Collectionis ſuæ cap. 2. Ebnaſſalus & alii, reumque officii ſui neglecti Sacerdotem qui ſecus agat, ſtatuit Petrus Melichæ Epiſcopus, Reſponſione quinta. Detegi caput, etiam à mulieribus, iidem præcipiunt; quod magis adhuc obſervandum apud eos eſt, qui hunc honoris deferendi morem, non habent in vita civili.

Quid dicitur à Sacerdote cùm datur communio.

Quæ verba à Sacerdote dicenda ſint, cùm communionem præbet, ita præſcribit Gabriel. *Sacerdos cùm miniſtris altaris & aliis præbebit corpus intinctum, dicet Copticè*, Corpus & ſanguis Emmanuelis Dei noſtri, hoc eſt in rei veritate. *Cùmque corpus ſanctum impertiet abſque ſanguine, dicet.* Corpus Emmanuelis Dei noſtri, hoc eſt in rei veritate. Amen: *& qui communicat, dicet*: Amen. In Canonum Ebnaſſali cap. 13. *Sacerdos impertiendo corpus, dicet*: Hoc eſt corpus Chriſti quod tradidit pro peccatis noſtris, *& qui recipit, dicet*: Amen. *Ita qui geſtat calicem, dicet*; Hic eſt ſanguis Chriſti quem effudit pro nobis; *& qui recipit, reſpondebit*: Amen. In Collectione Echmimenſis cap. 14. de communione ita præcipitur: *Euchariſticus panis, non dividetur, ita ut particulæ minimæ ſint, vel talis magnitudinis, ut una vice abſumi non poſſint: ſed eorum quantitas talis, ut ore poſſit contineri. Qui autem, communionem accipiet, os clauſum teneat, cavens ne quid ex Euchariſtia decidat, aut ex interſepto dentium elabatur. Super unamquamque particulam, impreſſum erit ſignum crucis, proportione habita, ut facilè accipi à communicante queat. Qui verò communionem accipiet, habebit caput nudatum, manuſque conformatas in crucis modum, cor humile, oculos demiſſos, animum præ humilitate dejectum, confitendo ſe indignum eſſe accipiendi ignis divini. Qui communionem præbet, dicit*: Hoc eſt corpus Chriſti quod tradidit pro peccatis noſtris, *& qui communicat, dicit*: Amen. Reliqua in Rubricis ſatis explicata ſunt. Neque tam certis legibus & conſuetudinibus adſtricta diſciplina Eccleſiarum illarum eſt, ut non obſervetur innoxia in quibuſdam capitibus diverſitas. Sed in præcipuis omnes conſentiunt, ſcilicet ut cum ſumma reverentia, exhibeatur à Sacerdotibus & Diaconis Euchariſtia, ut ſignificent illam verè eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: ut communicantes confiteantur idem, vel pluribus verbis, ut in Coptitarum Confeſſione, vel paucioribus, ut in Syriacis Eccleſiis, aut tandem ſola reſponſione, *Amen*, quæ omnia complectitur, præſertim cùm nihil amplius dici ſoleat à ſingulis, dum ſacramentum ſuſcipiunt. Neque enim omnes ſingulatim eo momento dicunt, præeunte Sacerdote Confeſſionem integram: alioquin Liturgia toto die vix per-

Ita Abulbircat cap. de Liturgia celebratione.

Digitized by Google

ficeretur : ſed quemadmodum præcipitur in illis Conſtitutionibus, quæ ſuperiùs relatæ ſunt, dicitur elata voce Confeſſio, cùm Eccleſiaſticis communio diſtribuitur, & omnes uno ore reſpondent, ea verba inclamantes, *Credimus, & confitemur uſque ad ultimum vitæ ſpiritum :* vel *Amen :* vel ſimpliciter *Credimus* ; ita quoque in Laïcorum & mulierum communione. Cùm proceſſit Sacerdos extra cancellos altaris, ſeu ad portam ſanctuarii, ubi Laïci communicant, iterum Confeſſio ad eos pronunciatur, cùmque ſinguli accedunt & Sacramenta ſuſcipiunt, Sacerdos dicit, ut ſupra ex Echmimenſi relatum eſt : & ex Gabriele, ſi Euchariſtia intincta datur, *Corpus & ſanguis*, & aliter, ſi panis & calix aut cochlear ſeorſim præbeantur. Cùm verò Confeſſio facta cenſeatur omnium nomine, communicantes dicunt tantùm, *Amen*, aut *Credo*, vel aliquas alias orationes.

Diſpoſitio in communicantibus requiſita & primò interior.

Sequitur ut de diſpoſitione eorum qui ad communionem accedunt, dicatur, non quidem de interiori, de qua libri extant complures, quorum omnium una ſententia eſt ; neminem qui alicujus peccati lethalis conſcius ſit ipſe ſibi, poſſe ad corpus & ſanguinem Chriſti accedere, antequam peccata apud Sacerdotem confeſſus fuerit, ἐξομολογήσεως, ſeu Canonem pœnitentialem ſuſceperit & perfecerit, abſolutionemque obtinuerit. Ita multis Michael Patriarcha Antiochenus Jacobitarum, ante annos circiter ſexcentos docebat in opere eximio. *De præparatione ad ſuſcipiendam Euchariſtiam*, Ebnaſſalus, Severus Epiſcopus Aſchmonin in Tractatu de Agno Paſchali, & alio, de Exercitiis Chriſtianorum : Homiliæ de circulo anni ad uſum Eccleſiæ Alexandrinæ, & Tractatus anonymi complures.

Exterior diſpoſitio, jejunium.

Quod exteriorem diſpoſitionem attinet, prima conditio eſt, ut nemo ad communionem niſi jejunus accedat. Diſciplinæ hujus fundamentum, eſt Apoſtolica traditio quæ ex Canonibus antiquis Apoſtolorum refertur ab Ebnaſſalo cap. 13. Collectionis ſuæ. *Omnis fidelis operam dabit, ut Sacramentis communicet antequam aliquid guſtaverit,* Ea Conſtitutio habetur quoque in eo ſyntagmate quod Orientales vocant præcepta Apoſtolorum ſecunda. Refert eoſdem Canones Echmimenſis Collectionis ſuæ cap. 14. titulo qui eſt : *Quòd jejunis ſolùm Euchariſtia communicanda ſit*, citatque præterea Epiſtolam Petri ad Clementem, & Can. 19. Hippolyti Romani. Autor Commentarii Arabici in Harmoniam Evangelicam. *Quomodo Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis præbuit poſt eſum Paſchatis ; nobis verò non licet ita facere, neque communionem, niſi jejunis, accipere ?* Reſpondetur. *Dominum non alio fine dediſſe diſcipulis ſuis corpus & ſanguinem ſuum, poſtquam primum Paſcha comediſſent, niſi ut illud per illa aboleret. Ex quo autem primum Paſcha ſublatum eſt, non licet nobis ante communionem comedere.* Severus Epiſcopus Aſchmonin in Tractatu de jejunii præſtantia. *Non oportet*, inquit, *accipere corpus Chriſti niſi cum oris amaritudine quæ ex jejunio naſcitur, & abſtinentia etiam à pane & aqua, atque ita ut lingua ſancta ſit, & in os nihil eo die priùs ingreſſum fuerit, quam corpus Chriſti : neque enim licet in os in quod intrat corpus Chriſti, quidquam priùs ingredi.* Nempe quaſi Auguſ-

Digitized by Google

tinum exſcripſiſſet qui iiſdem prope verbis ita ſcribebat. *Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto : ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani*
Ep. 118. vet. Ed. *priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Ita quoque docent, Dionyſius Barſalibi tum in Opuſculo de Inſtitutione Euchariſtiæ, tum in Commentario ad Jacobi Liturgiam : Michael Epiſcopus Melichæ in Quæſtionibus & Reſponſionibus Canonicis n. 21. *Qui nocte, ſiti fatigatus bibit, licetne ut mane ſequenti communionem accipiat.* R. *Si id ante mediam noctem contigerit, licet : ſi deinde ; non licet.* Et in iiſdem. *Si matutino tempore communio celebrabitur, cavebit unuſquiſque ne poſt occaſum ſolem, edat aut bibat : quando verò edit aut bibit, non licet ipſi eodem die Euchariſtiam accipere.* In Nomocanone Syrorum extat Conſtitutio Timothei Alexandrini Patriarchæ : is eſt ut videtur quem Ælurum vocant antiqui. *Niſi neceſſitas urgeat, non licet edere quidquam aut bibere, quod vulgò homines uſurpant in cibo vel potu, ante Sacramentorum perceptionem, neque niſi ex cauſa graviſſima infirmitatis, cum vitæ periculo. Si quis verò imprudenter potum communem hauriat in aliquo ex feſtis majoribus, & communicare deſiderat, cum Sacerdotis licentia ; communicabit, ſed acceptâ pœnitentiâ.* Et ibidem. *Poſt potum, ante ſolem exortum ob infirmitatis cauſam, ei qui gravi morbo tenetur, dabitur ſanctum,* hoc eſt Sacramentum, *neque eo privabitur.* Pleni ſunt libri ejuſmodi ſententiis, neque ulla eſt hac in parte diſciplinæ varietas.

Caſtimonia. Jejunii præceptum ſequitur alia abſtinentiæ ſpecies, quam Orientales non minùs exigunt à communicantibus, nempe ab opere conjugali. Severus Epiſcopus eo quem mox laudavimus Tractatu de Jejunii præſtantia. *Si quis Euchariſtiam percipere animo deſignat aliquo die, jejunare debet ab uxore ſua, à veſpera diei præcedentis : ut cùm Euchariſtiam percipere cogitat die 3. hebdomadis, abſtineat ab uxore ſua à veſpera Feriæ 2. quæ initium eſt Feriæ 3.* Timotheus idem qui ſuprà : *Virum & mulierem qui copulam exercuerunt, non oportet eodem die communicare.* Eam diſciplinam multis Canonibus ἀπαράτοις, ſed antiquis, confirmant, ut etiam ſententiis SS. Athanaſii, Baſilii, Gregorii Theologi, Chryſoſtomi, quæ extant in variis Collectaneis Quæſtionum & Reſponſionum. Eas verò non carere autoritate, quamvis ad eos, quibus attribuuntur non pertineant, certum habemus argumentum : quia in multis Græcis ſyntagmatibus, extant planè ſimiles. Opuſculi Athanaſio adſcripti *de abſtinendo ab uxoribus ante communionem*, meminit Petrus Lambecius Bibliothecæ Cæſareæ l. 8. & Anaſtaſii Sinaitæ, de eodem argumento. Unde in Canonibus pœnitentialibus variis, tam Arabicis quàm Syriacis, pœnitentia præſcribitur adversùs eos, qui contra hanc diſciplinam peccaverunt, ut in Græcis & Latinis.

Pari ratione excluditur à communione Laïcus & Sacerdos à ſacrificio celebrando qui per ſomnium illuſionem paſſus eſt, non quòd idcirco immundus ſit, ut habetur in Syrorum Nomocanone : ſed ob honorem Sacramentorum : atque ita Jacobus Edeſſenus. Permittit tamen Liturgiam celebrare Michael Melichæ Epiſcopus, *ſi nullus alius Sacerdos occurrat, qui die feſto aut dominico vices ejus explere queat ; præcipiens tamen*

Digitized by Google

eamen priùs & lavari corpus, & fieri metanœas, seu prostrationes centum quinquaginta; aut etiam trecentas, si Sacerdos uxorem non habeat. Extat in Græcorum Euchologio officium ad illius immunditiæ expiationem. Canones præterea pœnitentiales, hanc disciplinam confirmant. Menstruatas quoque mulieres, & à partu recentes à communione excludunt: atque de ea re extant Constitutiones duæ Severi Antiocheni & Jacobi Edessæni, in Syrorum Nomocanone. *Euchol. p. 135.*

Alia præcepta.

Gabriel f. Tarich in suis, vetat *ne vespere ejus diei, qui Liturgiæ celebrationem antecedit, Sacerdos bibat liquorem ullum, quo tentari caput possit.* Et post Sacramenti perceptionem, multa prohibet Orientalis disciplina. Jacobus Edessenus. *Non oportet aliquem post susceptionem Sacramentorum, balneum adire, lavari, aut caput radere, non quòd illud sit peccatum mortale, sed propter scandalum fidelium & honorem Sacramentorum.* In Quæstionibus ex doctrina Patrum. *Licetne illi cui vena secta est, aut qui rasit caput suum, eâdem die communicare.* Respondetur. *Licet ei communicare, modò hæc ante Eucharistiam sumtam fecerit; postea non licet.* Eadem sententia fuit Theodori Balsamonis in Responsis ad Quæsita Marci Alexandrini, ubi hæc fieri legitimè posse negat, *cum eo die,* inquit, *gratias Deo agere oporteat, ob Dominici corporis susceptionem, non verò aquis foveri, aut deliciari, vel sectione venæ in alicujus mali discrimen venire.* His testimoniis plura adjungi possunt, sed res ita certa est, omnibusque Ecclesiis cujuscumque linguæ, ut etiam Græcis ex usu quotidiano notissima, ut diutiùs immorari in ea exponenda necesse non sit.

Orientalium cura ne Eucharistia profanetur.

Supereſt ut de cura quam adhiberi præcipiunt Orientales Christiani, ne Eucharistia negligentiùs habeatur, ne decidat, ne conculcetur, ne profanetur, pauca dicantur: hæc enim cura ad religionem & fidem de Sacramento pertinet, neque communis locus in controversiis, magis exagitatus à Protestantibus fuit, eo confidentiùs, quo majores huc usque fuerunt in istius disciplinæ historia tenebræ, quas Itinerariorum Autores summa temeritate sua, auxerunt mirum in modum. Nihil tamen certius, quàm quòd inter Orientales Christianos talis & tanta in tractandis mysteriis cautela adhibeatur, ut quæ nobis Catholicis, objicitur tanquam nata noviter ex Transubstantiationis opinione, religio & cura circa eorum venerationem, metumque ne Sacramentum minùs dignè habeatur, comparata cum ea quam illi adhibendam præcipiunt, nihil esse videatur. Vidimus in relato Gabrielis filii Tarich testimonio, quàm diligenter administrari calicem à Diaconis jubeat, ita ut juniores ea sola ratione à tali ministerio excludantur. *Deus,* inquit, *prohibeat ne per eorum negligentiam quidquam in terram decidat, & eapropter gravissimo judicio sint obnoxii.* In Collectione Canonum Ebnassali cap. 13. statuitur. *Ne calix usque ad labra impleatur, ita ut effluat aliquid & in terram effundatur.* In Canonibus qui vocantur. *Præcepta Apostolorum secunda. Unusquisque summam curam adhibebit, ne quis infidelis ad communionem Sacramentorum admittatur: ut etiam ne mus, aut aliud animal ad ea accedat, aut aliquid decidat: & peccet, cùm sit corpus Christi & sanguis ejus. Omnis*

igitur fidelis qui Sacramentis communicat, non debet circa illud negligens esse, neque enim oportet aliquid effundi ex calice postquam in Dei nomine benedictus est, & illum percepit, quia sanguis est Christi. Cave igitur, quicumque sis, sedulò, ne quid ex eo effundatur, ne eum immundi spiritus polluant, neque is esto qui asperneris sanguinem Christi, reusque sis tanquam contemtor illius sanguinis quo redemtus es. In Quæsitis & Responsis de Jure, statuitur Sacerdotem, cujus negligentiâ aliquid ex corpore aut sanguine Christi cecidit super altare aut extra, vel in sacra vestimenta, *abstineri per quadraginta dies ab altaris ministerio & communione, jejunareque per illud tempus, abstinendo ab esu rerum pinguium, & quâvis nocte quinquaginta metanœas facere.* In Historia Patriarchali legitur de Vaza filio Reja antequam ad fidem Christianam converteretur, eum Ecclesias Bagdadi frequentasse, ut Eucharistiam conculcaret, quo sacrilegio tantopere afflicti sunt Christiani, ut Liturgiam omitterent. Sunt adversùs negligentiæ istius reos, pœnitentiæ canonicæ non leves. Ne quis verò judicet hæc esse quidem constituta ad continendos in officio Sacerdotes, ut sacra decenter obeant, non quòd de ipsis Sacramentis cura ulla sit, obstant ea quæ in Juridicis Responsis præcipiuntur circa Eucharistiæ vomitum. *Qui eam vomuerit casu, & absque culpa sua, nihil aliud facere tenetur præter prostrationes centum: & post triduum communicabit: post biduum verò, si Sacerdos sit, & nullus alius in ipso loco reperiatur: sed post expletas prostrationes. De eo quoque quod vomitu egestum est cura habebitur, & in profluentem projicietur, aut in loco mundo sepelietur, cum honore, propter Eucharistiam. Si per ebrietatem & intemperantiam vomitus contigit, sive sponte, sive alio cogente vinum meracius hauserit, pœnitentiæ ejus ad quadraginta dies producetur:* atque idem præcipit in Responsionibus suis circa pœnam, Michael Episcopus Melichæ. *Homini perpetuâ pituitæ molestiâ laboranti, licere* quidem *communionem* volunt, *modò sit invaletudo perpetua. Cùm verò accidit, ut post communionem pituitam egerat, caveat ne in terram projiciat, sed asservet, donec in mare projecerit, aut in loco mundo sepelierit.* Eum qui continuo vomitu laborat, arcet à communione Michael Melichæ Episcopus, *nisi experientia per quadraginta dies facta fuerit, num imminuto cibo levius se habeat.* Neque aliter statuunt Græci Canonum Interpretes Balsamon in Resp. 12. ad Quæsita Marci Alexandrini, circa eos qui Eucharistiam vomuerint. Joannes Citri Episcopus, erga Ecclesiæ ministros quorum negligentiâ aliquid in terram cecidit ex disco vel ex calice. Joannes Jejunator in Nomocanone manuscripto & Pœnitentiali ineditis, in quibus Sacerdoti & Diacono pro culpa simili imponitur pœnitentia biennii, & quotidie metanœæ ducentæ: tres anni si animal immundum, Sacramenta attigerit; & ita de aliis. Neque aliter Latina Ecclesia, quæ, ut ex variis Pœnitentialibus, Yvone Carnutensi, Burchardo, Reginone & aliis auctoribus manifestum est, eamdem prorsus hoc in genere disciplinam habuit: ut ex eorum testimoniis relatis in Dissertatione de Eucharistia patet manifestè.

De communione. In communione ægrotis & pueris administranda, eadem quoque reli-

Digitized by Google

gio est. Ad illos enim si Sacerdos deferre Eucharistiam potest, ea ipsis administratur, ut aliis: si longiùs pergendum erit, jubetur eam cum honore deferre, ita ut si jumento vehi Sacerdotem oporteat, Eucharistia manticæ non includatur, sed ipse eam gestet. Si Sacerdos ad ægrotum proficisci non possit, mitti posse dicunt Eucharistiam, etiam per sæcularem & mulierem, in panno gossypino, vel in charta munda, vel in pane, vel in cista, quæ ad Ecclesiam referri jubetur; charta comburi, panis cum reverentia consumi. Ita variæ Constitutiones in Jacobitarum Nomocanone, quarum cùm non paucæ à Patriarchis Alexandrinis editæ sint, eamdem habent apud Alexandrinos, quam apud Antiochenos Jacobitas autoritatem. Nec interest quòd, ut passim observatur, non eadem omnino sit circa communionis præbitionem in Ecclesiis rituum dispositio. Nam etiam in ipsa, qualiscumque sit, dissimilitudine, eadem animadvertitur religio circa Eucharistiam, ut quàm decentissimè tractetur, nullusque sit profanationi, negligentiæ, imo nec superstitioni locus. Nam cùm ex summa erga Sacramentum veneratione quidam particulas Eucharisticas servarent, & in pergamena charta ex collo appenderent, cum cruce & reliquiis, aut in cubiculis ad tutelam servarent, prohibitum id fuit sub excommunicationis pœna, in eodem Nomocanone.

puerorum & infirmorum.

In Ecclesia Alexandrina, à multis jam sæculis Eucharistia non datur in manum communicantibus, cujus consuetudinis rationem mysticam quæsivit Gabriel Patriarcha in istis Christi ad Mariam Magdalenam verbis, *Noli me tangere*. Simpliciorem omnino verioremque esse existimamus, parem in Græca disciplinam, in qua cochlearis usus, antiquam formam distribuendæ communionis abolevit, qui diutiùs in Syriacis Ecclesiis perseveravit, etsi ubi major foret communicantium numerus, intinctas ipsi quoque particulas cochleari præbitas accipere solerent. Testis Jacobus Edessenus atque alii, quorum sententiæ referuntur in Nomocanone.

Singularis disciplina circa infantium communionem.

Circa puerorum atque ipsorum infantium communionem, ita Gabriel præcipit in Rituali suo. *Dabitur tantùm communio ei qui jam edere potest: at verò flenti & molestè se habenti, Sacerdos summum digitum indicem tinget sanguine precioso: mox imponet corpori, deinde digitum immittet in os infantis, cui statim aqua bibenda præbebitur.* De hoc ritu testes sunt multi Itinerariorum scriptores, & de Ecclesia Alexandrina ita scribit Vansebius. Videant qui tam multis adversùs Ecclesiam Romanam declamant circa calicis subtractionem, an ex eorum sensu, istæ puerorum, & aliæ quas descripsimus, dandi communionem methodi, verè sub utraque specie censeri possint: illamque saltem agnoscant à nobis ad Coptitas non translatam fuisse, qui eam ignoramus, ut etiam disciplinam dandi Eucharistiam infantibus, à multis sæculis intermissam, jam omittimus. Videnda etiam quæ in hanc sententiam leguntur in Epistola Gabrielis Sionitæ ad Bartholdum Nihusium, & apud alios.

Sunt aliæ singulares cæremoniæ, de quibus Rubricæ nihil præcipiunt, Aliæ cæremoniæ.

Digitized by Google

ut de rebus notissimis, quas tamen exponere operæ pretium est, ex Abulbircat qui hæc accuratè prosequitur, & cujus verba antequam referantur, pauca præfari ad eorum intelligentiam necesse est. In Græca Alexandrina Liturgia Marci, quæ Copticarum omnium primitivum exemplar est, initio statim dum invocatur divina benedictio super dona offerenda, sed vixdum in prothesi collocata, non unius calicis, sed plurium mentio fit, sive quòd simul cum præcipuo consecrarentur, sive, quod credibilius facit consuetudo non Orientalium modò, sed Occidentalium Ecclesiarum, quòd ex uno plures, quantum sufficerent ad dandam multitudini communionem, consecrari solerent. In Copticis Liturgiis unius tantùm calicis memoria est, neque tamen inde concludi potest unicum super altari fuisse, sed unicum acceptum in manus, à Sacerdotibus sacra celebrantibus, in eo consecrationem peractam, & ex eodem reliquos *confirmatos*, ut Ritualium Romanorum verbo utamur, hoc est immissa corporis Christi particula, & refusa sanguinis parte, in vinum non consecratum. De eo apud veteres Romanos ritu doctè admodum, ut omnia, scripsit vir Clarissimus D. Joannes Mabillonius commentario prævio ad Ordinis Romani novam & accuratam ex multis exemplaribus editionem pag. 45. 47. & locis aliis. Ibi docet non eamdem fuisse apud autores opinionem de commistione particulæ consecratæ cum vino non consecrato. Aliis enim, ut Amalario, in primaeperis sui editione, judicatum, sanctificari vinum non consecratum, per sanctificatum panem, quam fuisse diversarum Ecclesiarum communem sententiam probat num. ejusdem Commentarii 13. ex Missalibus & Ordinariis Remensi, Suessionensi, Ambianensi, Viennensi, Virdunensi, & aliquot aliis. Diversa in sententia fuisse observat sanctum Bernardum, Jacobum de Vitriaco, & recentiores multos, concluditque tandem nihil ab Ecclesia Romana circa alterutram opinionem determinatum, quod verè prudenterque annotatum est. Neque sanè operosè disquirendum an ea commistione, sive particulæ consecratæ, sive refusi ex majore calice in ministerialem, sanguinis Christi, vinum ita consecraretur, ut fieret sanguis Christi. Omnes sanctificari secundarium illum calicem nulla prorsus opinionum diversitate agnoverunt. Ecclesia verò quæ talem commistionem per multa sæcula observavit, dum ita Laïcis communionem dari voluit, satis docuit credere se quòd ad plenam integramque Sacramenti participationem sufficeret specierum consecratarum cum non consecratis conjunctio. Atque ita ex disciplina Ecclesiastica sufficienter demonstratur, aut Ecclesiæ judicio factam fuisse ex commistione consecrationem calicis ministerialis, aut sanctificationem, quanta sufficiebat ad integram communionem corporis & sanguinis Christi, quamvis de integra in eumdem transmutatione vini in calice secundario, posset dubitari. Porrò quæ huc usque de antiqua illius circa consecrationem, aut sanctificationem calicis per particulam, aut per transfusionem consuetudine dicta sunt, ad Copticam Ecclesiam quodammodo pertinere videbuntur, cum Abulbircati verbis disciplina exposita erit.

Ritus confirmandi. Post recitatam fidei Confessionem superiùs à nobis explicatam, *des-*

tendit Diaconus & proſtrationem facit versùs populum (cauſa ſcilicet ſalutandi & monendi, ut ad communionem ſe præparent) *converſuſque ad eumdem populum Sacerdos, levem inclinationem facit. Tum communicat ipſe & Sacerdos aſſiſtens, qui cum eo miniſtravit. Peractâ quoque aliorum Sacerdotum communione, ſi ſint ſuper altare alter aut plures calices, eos conſecrat, accipiendo ſcilicet ex calice majori in Liturgia conſecrato, & fundendo in alium non conſecratum tria cochlearia, dicendo ſimul Orationem qua incipit* Benedictus, &c. *Reſpondet populus*, Unus Pater ſanctus, &c. *Proſequiturque illam conſecrationem, fundendo ter ex uno calice in alium. Poſtea particulas conſecratas ex Iſbodico, immittit in calicem majorem, eas ſcilicet qua ſuperfuerant, & eas extrahit, partiturque in reliquos calices. Deinde communionem dat Diacono qui cum eo miniſtravit, & reliquis Diaconis; caniturque Pſalmus* 108. *tono diverſo, ſecundùm feſtorum varietatem, tum aliquot alii hymni & Theotokia. Cùmque hæc compleverit circa communionis diſtributionem, Sacerdos curam habebit, ut ſi forte aliqua particula quamvis minima corporis ſupereſt, eam colligat, & miniſtrantibus ad altare diſtribuat. Diaconus quoque auferet calicem in quo communicavit Sacerdos cum Iſbodico, atque ita ſanguinem, ſi ex eo aliquid ſupereſt.* Reliqua de diviſione Euchariſtici panis rite facienda, utque particulæ modum non excedant, ſed tales ſint, ut commodè ſuſcipi à communicantibus queant, buccellæque quantitate definiantur, & ſint cruciculâ inſignitæ, traduntur ab eodem autore, & iiſdem prope verbis quæ ſupra ex Echmimenſi retulimus, nec non cura habenda à Sacerdotibus & Diaconis ne quidquam ex diſco, vel ex calice decidat. Ex hoc, quem priùs explicavit, ritu, habemus modum confirmandi, & ſanctificandi calices miniſteriales ad Laïcorum communionem, eumque duplicem, per particulæ conſecratæ, ſeu *Iſbodici*, immiſſionem, & per liquoris infuſionem. Per primam efficitur ex Orientalium ſententia, id quod exprimit oratio ipſorum qua dicunt ſe conſignare, & ſanctificare, & conjungere corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ejus ſanguine, & ſanguinem cum corpore: nempe utramque ſpeciem commiſcendo, ut oſtendatur unio ejuſdem Sacramenti, ſub diverſis ſpeciebus. Neque unquam apud eorum Theologos aut Rituum interpretes quidquam nobis occurrit, unde conjectura capi queat, an quæ apud Latinos diſputata ſunt circa conſecrationem vini, per immiſſam particulam, de qua ſuperiùs dictum eſt, in quæſtionem apud ipſos vocata ſint; nec veriſimile videtur id apud eos agitatum fuiſſe: qui vix de Sacramento Euchariſtiæ diſputant, ſed in ſimpliciſſima traditæ antiquitùs fidei expoſitione, diſciplinæque explicatione conquieſcunt. At calicem conſecrari totum atque integrum, ex admiſtione liquoris, qui ex primo calice transfunditur, non videntur dubitaſſe, quando cum Laïcis communionem diſtribuunt, dicere ſolent, illud quod præbetur eſſe ſanguinem Chriſti. Neque tamen circa tranſmutationem ullatenus philoſophantur: ſed cùm firmiter credant minimas particulas eſſe corpus Chriſti, & ſtillam quamque eſſe ejuſdem ſanguinem, trium cochlearium quantitatem ſufficere judicant, ut tota vini, quod conſecratum non fuit, materia ex illa in-

ealicis ex Abulbircat.

Digitized by Google

fusione ita penetretur, ut omnes qui ex calice ministeriali communicant, accipiant sanguinem Christi. Ea ratione omnis, si quæ est difficultas, penitus dissolvitur.

Cura reliquiarum Eucharisticarum.

Post distributam verò communionem, æqualis cura adhibetur, ne qua particula superfit, tum ne quid in calice remaneat, qua de re extant in Canonibus sæpe laudatis Constitutiones variæ. Echmimensis cap. 4. §. 6. *Caveant diligenter Sacerdotes & Diaconi ne quidquam ex Eucharistia residuum sit, & ita judicium gravissimum incurrant, exemplo filiorum Aaron & Heli, quos disperdidit Spiritus sanctus, quia negligentiùs administrabant sacrificia Deo oblata. Quanto verò magis id metuendum est illis qui negligenter se habent erga corpus & sanguinem Christi Domini.* In Responsis Canonicis, quæritur *an particula reperta, postquam Sacerdos aquam biberit, ab eo possit absumi.* Negatur: sed statuitur, *ut alicui Sacerdoti vel Diacono qui communionem perceperit, nec aquam postea biberit, præbeatur; aut Laïco, si nullus alius jejunus reperiatur. Si nullus omnino, Sacerdos ponet particulam à se repertam in disco, quem velis suis operiet, accendetque circa illum cereos duos, & lampadem ad Orientem; ipseque Sacerdos custodiam illius corporis assumet, usque in sequentem diem, quo, cùm celebrabitur Liturgia, ipse illud percipiet jejunus, nullo fungens ad altare ministerio. His peractis pœnitentiam aget durissimam, ob negligentiam suam erga corpus & sanguinem Filii Dei, qui effusus est pro salute creaturarum. Quòd si nequeat vacare ipse solus custodiæ corporis sancti, ob præcedentem vigiliam noctis, qua Liturgiam anteceſſit, adjungere sibi permittitur Sacerdotem aliquem vel Diaconum.* Idem præcipitur in diversis Collectionibus, & in Codice Syro Colbertino singulare quiddam hoc in genere occurrit: nempe ut *Sacerdos postquam discum diligenter abstersit, & calicem abluit, dicat, si membrum aliquod, hoc est particula corporis Christi, remanserit, scientia tua, qua mundum creavit, maneat commendatum: esto ei custos Domine, & nobis propitius.* Nempe ut clarè docet Echmimensis, *nulla est differentia inter majores aut minores Eucharistiæ partes, etiam minutissimas, adeo ut oculorum acie animadverti non possint, quæ eamdem venerationem merentur, eamdemque prorsus dignitatem habent ac totum ipsum, & quibus unitur Christus, non minùs quàm reliquis.* Sed de his totaque Orientalium doctrina circa Eucharistiæ Sacramentum pleniſſimè tractabitur in singularibus Dissertationibus. Tandem peractâ communione discus, calix, & cochlear diligenter abluuntur à Sacerdotibus aut à Diaconis, à quibus aqua ablutionis, ut apud Latinos fieri solet, bibitur, & postea vasa ad sacrarium, seu scevophylacium referuntur.

Hoc loco observare operæ pretium est, mistionem aquæ ferventis, (Ζεον Græci vocant,) de qua multa Symeon Thessalonicensis, & alii antiqui & recentiores, scripserunt, apud Coptitas, ignorari non minùs, quàm apud reliquos Jacobitas, Syros, Æthiopes, ut etiam Nestorianos; unde patet non antiquiorem Ecclesiarum divisione esse hanc cæremoniam. Reliquas omnes, scilicet quæ olim usurpabantur, retinuerunt: istam non omisisse consultò, veluti non necessariam aut superstitiosam, sed omnino nesciviſſe verisimile est. Qui illius inter Græcos

Digitized by Google

meminerit, vetuſtiſſimus, ut videtur, eſt Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theoria, ſeu myſtica Liturgiæ expoſitione. Videndus de hoc ritu Goarius, ut Gloſſarium Cangianum in voce Ζέον. De illo altum eſt in Orientalibus Ritualibus ſilentium, ut in omnibus Rituum expoſitoribus aut Canonum Collectionibus.

Oratio gratiarum actionis.

Pag. 24. lin. 25.

POſtquam communio Laïcorum & mulierum abſoluta fuerit, dicuntur orationes variæ, tam privatim à Sacerdote quàm ſuper populum, & ab ipſo populo, ad gratias Deo agendas de ſuſcepto corpore & ſanguine Chriſti, quarum orationum etſi magna ſit ſecundùm diverſas Liturgias varietas, una tamen ſententia eſt. Omnes enim ſunt plenæ confeſſionis de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſuſcepti, tum precum & obſecrationum, ut eadem proficiant ad remiſſionem peccatorum, ad augendam gratiam, & ad conſequendam æternam beatitudinem. In Collectione Canonum Ebnaſſali cap. 13. *Cùm abſolverint Cantores hymnorum cantum, dicet Diaconus alta voce. Percepimus corpus glorioſum Chriſti, gratias agamus ipſi qui nos dignos fecit hac myſteriorum ſanctorum perceptione, &c.* Nihil in iſtis orationibus frequentiùs occurrit quàm expreſſiſſimæ illæ loquendi formæ, quarum, ſi deſit tranſmutationis realis fides, uſus eſſe nullus poteſt. Dicunt ſcilicet; *miſcuiſſe Chriſtum corpus & ſanguinem ſuum, corpori ſanguinique eorum qui communionem acceperunt: linguam eorum ſuſcepiſſe corpus & ſanguinem ejus; atque eo fidelium labra perunctа, ſicut olim Iſraëlitarum poſtes agni ſanguine: ſanctificata per Euchariſtiam in ſpem reſurrectionis ad æternam vitam fidelium corpora; tenuiſſe ſe manibus, vidiſſe in diſco & in calice, & ex illis accepiſſe, corpus ipſum aſſumtum ex Maria Virgine, in quo natus eſt Dei filius, quod in præſepi poſitum, cruci affixum, lanceâ perfoſſum, in ſepulcro collocatum, reſurrexit, & ad cœlum aſcendit.* Hæc omnia & ſimilia, continent orationes gratiarum actionis, quæ cum Græcorum & noſtris hujuſmodi adeo conſentiunt, ut mirum nemini videri debeat, quòd nonnullæ ex recentioribus libris deſumtæ ſunt. Quidquid enim ad conteſtandam realis de corporis ſanguiniſque dominici præſentia fidem, magis efficax cenſeri poteſt, ita acceptum Orientalibus eſt, ut ad ſe lubentiſſimè transferant. Ita Agapii Cretenſis Monachi liber, cui titulus Ἁμαρτωλῶν σωτηρία, cujus ultima pars multas ſimiles orationes complectitur, qui olim Venetiis editus eſt, ita placuit, ut eum in Arabicam linguam transferrent, ſecundùm quam Verſionem paſſim apud omnes Eccleſias, etiam diverſæ ſectæ cum admiratione legitur. Ea ratione excuſari poſſunt Maronitæ, qui quaſdam ex Latinis libris à ſe tranſlatas, Maronitico, ſeu Chaldaico Miſſali adjunxerunt: etſi optandum erat, ut illis eligendis diligentiùs verſati fuiſſent; neque enim antiquas aut Patrum autoritate commendatas ſelegerunt, ſed eas quæ caſu potiùs quàm certo conſilio, Miſſalibus adjunctæ ſunt, & quorum dubia prorſus antiquitas eſt.

Digitized by Google

P. 25. l. 7. *Sacerdos dicet benedictionem.*

EXtant quoque variæ istarum postremarum orationum formulæ, sed quarum sententia est ferme similis, nempe ut à Deo postuletur benedictio super omnes qui mox corporis Christi & sanguinis communionem perceperunt. In omnibus Liturgiis cujuscumque ritus leguntur tales benedictiones singulares, & cuique propriæ, neque in ea parte, communem, quæ pluribus serviat, formulam habent. In Copticis id proprium est, quòd inseritur sanctorum commemoratio satis prolixa, eorumque nomina recitantur, ut in hac nostra videre licet: nempe ut in aliis observatum est, quo per eorum preces & interventionem gratia postuletur, & obtineatur. Hæc est enim sanctorum communio, ut qui in terra adhuc jactantur, juventur orationibus eorum, qui jam laborum suorum præmia acceperunt à justo judice, quique idcirco liberi à servitute & pœnis peccati, possunt pro fratribus suis, Deum interpellare; & ut tum illorum, tum viventium precibus requies impetretur illis, de quorum salute spes est maxima, quia in fide Christi obdormierunt, & in pace Ecclesiæ ad Dominum profecti sunt. Ea sola disciplina satis ostendit quàm temerè recentiores non pauci scriptores de Orientalibus conquesti sunt, quasi sanctos nondum Dei visione perfrui existiment, quamvis de illa quæstione Theologis nostris olim acriter agitatâ, altum sit apud eorum Autores præcipuos silentium. De Coptitis nihil in autoribus occurrit, quo eos talem aliquando sententiam defendisse possimus suspicari. De sanctorum enim quos venerantur, & in Orationibus appellant, integra plenaque fœlicitate non dubitare videntur, qui eorum miracula narrant, qui visiones, æternæ consummatæque beatitudinis indices frequentissimè referunt, qui denique inter choros Angelorum eos collocant. Neque movere quemquam debet quòd ex Æthiopis Gregorii testimonio in contrariam sententiam retulit vir Clarissimus Jobus Ludolfus in Commentario ad Historiam suam
L. 3. c. 5. n. 4. Æthiopicam. *Sunt*, aiebat ille, *qui asserunt animas fidelium post mortem illico ingredi in regnum cœlorum, sicut anima illius Latronis pœnitentis in cruce, cui dixit Dominus noster:* Hodie mecum eris in paradiso. *Alii sunt qui dicunt, non intrant animæ beatorum in regnum cœlorum ante adventum Christi in resurrectione mortuorum.* Confirmat idem verbis Gonçali, Rodrigueſii & aliorum quibus procul dubio accidit, quod multis solet, ut dum quæstionibus abstrusis Orientales fatigant, responsiones absurdiores eliciant, quæ ad Ecclesiarum fidem nullatenus pertinent. Porrò quòd mirè Ludolfus se torquet ut eam ipsis opinionem, tanquam ὠφέλειαν affingat, causa alia non fuit, quàm ut haberet unde duplex disciplinæ Orientalis caput, quia Lutheranis displicet, convelleretur: sanctorum intercessio, & oratio pro mortuis, quæ Purgatorii doctrinam invehit necessariò. Si enim quo loco sint sancti, num in cælo, beatitudine jam perfruentes, num alicubi eam cum resurrectione corporum exspectent, ignorant Orientales Christiani, frustraneæ

fruſtraneæ videbuntur illorum ad ſanctos orationes, quòd maximè Ludolfus velit. Eò enim provectus eſt vir eruditus, ſed qui Theologicarum quæſtionum tractatione abſtinere debuerat, ut Invocationem ſanctorum arbitretur caſu potiùs & errore inductam, quàm ſeria traditione omnium ſæculorum: nempè ut cùm Epiſcopi ad populum verba facientes maximè rhetoricarentur, & eos tanquam præſentes alloquerentur, hæc orationis lumina & ſchemata plebem in errorem induxerint, atque ea occaſione ſanctos invocare ſit cœptum. Ea verò Theologia quàm abſurda ſit, ſola novitas demonſtrat: omnem enim ſanctorum cultum, invocationemque Lutherus jam ſuſtulerat, antequam hoc qualecumque commentum ipſi, aut ejus diſcipulis veniſſet in mentem. Neque Coptitæ ab Æthiopibus docendi religionem erant, qui eam, ut notiſſimum eſt, non modò ſanam in articulis multis, ſed cum fæce & furfuribus ab illis Jacobiticis acceperunt. Neque Gregorius homo barbarus, ſpinoſis quæſtiunculis irretitus, audiendus eſt, verùm communis Eccleſiarum omnium traditio, quæ dum ſanctos invocant, preceſque ad eos fundunt, teſtantur ſatis eam opinionem apud ſe viguiſſe, quòd ipſorum apud Deum precibus & interceſſione juvari poſſet humana infirmitas. Neque enim quibus nondum fœlices eſſe datum eſt, poſſunt pro aliorum ſalute interpellatores fieri. Cùm verò de Paradiſo loquuntur ſecundùm communem atque ex ſacris ſcripturis traductam intelligentiam, locum agnoſcunt felicitatis æternæ, & quo nomine appellaverint parum refert. *Paradiſus* apud Græcos, hortus deliciarum eſt, quamvis ea vox à Chaldæis, aut Babyloniis ad eos migraverit. *Hortum Eden* vocant Hebræi & inde Arabes Muhamedani ſuum גנה fecerunt, quod idem ſignificat, comparatione ducta ſcilicet ab horto ſeu Paradiſo voluptatis, quem ab initio Deus plantaverat, & in eo conſtituerat hominem, quem creaverat. Non igitur Chriſtiani à Judæis vocem acceperunt, niſi ut à capſariis Eccleſiæ codices ſacros conſervantibus, ut eam Chriſtus ipſe uſurpavit; dogma ipſum in Eccleſia natum & propagatum eſt, nec ab extraneis ſectis ullatenus, etiam ad eas quæ ab unitate receſſerunt, fuit derivatum. Quicumque enim in Judæorum recentiorum libris mediocriter verſatus eſt, non ignorat quàm incerta, vel potiùs quàm nulla, inter eos ſit de גן עדן *horto Eden*, ut ipſi Paradiſum vocant, traditio; quàm multa de hoc argumento nugati ſint: quàm parum præcipuis Magiſtris inter ſe conveniat. Neque ſanè mirum, cùm de ipſa reſurrectione ſine qua felicitatis ſpes eſſe nulla unquam poteſt, vix inter ſe conſentiant, ut ex ſola Diſſertatione Eduardi Pocockii, qui multis de hoc argumento eruditè diſputavit, agnoſcere facile eſt. Craſſam nempe, planèque Judaïcam felicitatem imaginantur, ex qua Arabum Pſeudopropheta, inaniora adhuc magiſque flagitioſa commenta accepit, ex quibus turpem illum ſuum paradiſum inſtruxit, omnibus Alcorani paginis decantatum. In utriſque, tam Judæis, quàm Muhamedanis ſcriptoribus eruditi lectores agnoſcunt conflatam ex ſcriptura ſacra pravè intellecta, Millenariorum & veterum hæreticorum ſomniis, paradiſi voluptatis deſcriptionem: quæ nemini Chriſtiano in mentem venerit; tantùm abeſt, ut à Judæis,

Not. ad Portam Moſis.

Digitized by Google

Christiani hoc in genere quidquam acceperint.

De sanctis quos Coptitæ commemorant.

Quod sanctos attinet, quorum nomina hac in postrema Oratione Coptitæ commemorant, etsi de illis commodior agendi locus esset in commentario quem, si opus videbitur, adjungemus ad Calendarium ipsorum, pauca tamen dicere operæ pretium erit. De illis fusè agit Synaxarium, quod inter Ecclesiasticos libros non postremum locum obtinet. Ea sunt duplicis generis: nam antiqua & quæ legitima dici possent, si non ingens corruptela totum hoc librorum genus pervasisset, ea erant in quibus Acta Martyrum, ex vetustis codicibus descripta continebantur, qualia olim apud Christianos Ægyptios, ut in omnibus aliis Ecclesiis conservata fuisse, præter communem antiquorum temporum consuetudinem, probant non contemnenda fragmenta martyriorum Alexandrinorum, quæ extant in historia Patriarchali Severi Episcopi Aschmoninensis, depromta, ut verisimile est, ex Eusebio, præsertim libro de Martyribus. Eadem olim Græco Copticoque sermone conservata in Monasterio sancti Macarii, testantur autores multi, idque innuere Severus ipse videtur. Verùm ex quo in Arabicam linguam translati sunt ejusmodi libri, perierunt exemplaria Coptica, adeo ut nullum jam dudum in Bibliothecis appareat. Arabicæ versiones adeo interpolatæ sunt, ut nihil minus quàm vetera Græca Acta repræsentent, præsertim cùm, sicut in talibus usu venit, non modò interpretes, sed exscriptores addiderint quidquid ipsis occurrebat de eodem argumento. Itaque Actis illis aut vitis nihil contaminatius, neque Legendæ nostrates veteres, possint absurdæ videri, si cum illis comparentur. Ea verò propriè loquendo Synaxaria non sunt, sed compendia alterius generis, simillima iis quorum in Ecclesia Græca usus est, & quæ per circulum anni descripta sunt, ut historiæ sequantur ordinem Kalendarii. Cùm autem pro sectarum diversitate sit quoque in commemoratione sanctorum diversitas, Melchitarum seu Orthodoxorum libri, à Jacobiticis differunt, etsi primorum sæculorum sancti æqualiter ab omnibus celebrentur. Sed ex quo sciissæ fuerunt Ecclesiæ post Concilium Calchedonense, Dioscorus & plures ejus successores aut sectatores fastis sacris adscripti sunt, ut illi quorum nomina in Diptychis occurrunt. In ista verò ultima benedictione, quod maximè observandum, nullus ambiguâ famâ occurrit, sed Angeli aut Martyres, aut tandem illi, quibus honor per omnes Ecclesias semper & ubique delatus est.

De Angelis.

De Angelis monendum, legi apud Orientales Theologos circa eorum numerum, naturam & ordines, omnia quæ in libris de Cœlesti Hierarchia continentur, quod opus Dionysio Areopagitæ Pauli Apostoli discipulo tribuunt, quem idcirco *Pauluſi*, hoc est *Paulinum* appellant, ut videre est apud Abulbircat, eo capite in quo notitiam exhibet præcipuorum autorum qui Arabicè extabant. Ejus meminit Ebnassalus, & omnes alii. Neque tamen ita insistunt doctrinæ eodem in libro propositæ, ut non diversas opiniones habeant de spirituum illorum beatorum ordinibus, & numero. Vulgò novem eorum ordines constituunt, juxta communem apud Theologos nostros Gregorii Papæ sententiam: eamque sequitur

Severus Epiſcopus Aſchmoninenſis, & ad eam refert parabolam de muliere habente drachmas decem, quarum una perdita hominem ſignificabat. Sed idem Autor in eodem ipſo Tractatu, qui eſt *de Incarnatione Domini*, centum Angelorum Ordines à Deo creatos fuiſſe ſcribit, quorum princeps erat *Sabataniel*, qui cum adversùs ſupremam creatoris majeſtem rebellaſſet, in tartarum præcipitatus, *Sataniel*, ſeu Satan dici cœpit. Poſtea ovium parabolam, quarum nonaginta novem Angelos ſignificant, una perdita hominem, de illis quoque ſpiritibus explicat. Ita pariter, Iſa filius Zaraa, & plures alii, adeo liberum exiſtimaverunt hujus de cœleſti Hierarchia doctrinæ expoſitionem. Omnes quoque, præter communem apud Græcos & Latinos doctrinam, inter cœleſtes ordines ſingularem quemdam numerant ὁ Ἐγρηγόρων, ſeu *Vigilum*, de quibus in Danielis Prophetia legitur: עיר vocatur ille, de quo illic ſermo eſt, quam vocem Syri ſua in lingua retinuerunt, unde frequentior *Vigilum* apud eos, quam apud reliquos Chriſtianos memoria, qui eorum rariùs omnino meminerunt. De illis ordinibus multa potulit vir doctiſſimus Joannes Morinus in Notis ad Officia Ordinationis Syrorum ex Joanne Darenſi, quem Autorem, ipſi ab Echellenſi Abrahamo ſuppeditatum, recentiorem eſſe non dubitamus. Tamen communior omnino doctrina eſt, quòd Ordines beatorum ſpirituum, novem ſint tantummodo, ut in præfatione Miſſæ commemorantur, paulo ante hymnum triumphalem. In omnibus enim Liturgicis officiis, quæ hanc orationem agnoſcunt, recenſentur eâdem ſerie, ac in Latina Miſſa: aliorum mentio aut rarior, aut nulla. De *Suriele*, qui meliùs *Uriel* appellatur, frequens quoque memoria eſt in Orientalium Chriſtianorum libris: ut ex ultima hac Oratione, & aliis quæ in Horologio, aut reliquis precum libris occurrunt, animadvertere licet. Unus dicitur ex quatuor Archangelorum numero, in Euchologio Coptico ubi extat ad eum peculiaris oratio, quæ ſic incipit. *Honoremus Surielem quartum inter Archangelos.* Extat ejus imago in editione Æthiopica Novi Teſtamenti, cum hac inſcriptione *S. Uriel qui fuit cum Adamo & Eva quando egreſſi ſunt de Paradiſo.* Ejus quoque Græci meminerunt in variis orationibus, imò & Latinæ Litaniæ veteres multæ: atque inter eas Karolinæ editæ à Viro Clariſſimo Joanne Mabillonio Analectorum tomo 2. etſi dudum antea nomen Urielis in veneratione fuiſſe argumento ſit lamina ejus cum aliorum Archangelorum nominibus reperta anno M. DXLIV. in ſepulcro Mariæ Auguſtæ uxoris Honorii Imperatoris. Vide Notam V. C. Stephani Baluzii ad Capitularia: ubi ex Concilio Romano recenſet diverſa Angelorum nomina, quæ uſurpare deinde prohibitum fuit: quamvis Urielis nomen diutiùs perſeveraverit. Reliqua obſoleverunt, nec eorum memoria perſtitit alibi, quàm in ſuperſtitioſis damnatiſque ſortium & divinationum libellis, ubi frequentiſſima ſunt. Ridiculos illos dico, Arbatelem & alios, qui editi ſunt ſimul cum Agrippæ occulta Philoſophia: Claviculam Salomonis, cujus tot diverſæ editiones ſunt quot exemplaria, præter ineditos multos, qui barbara infinita Angelorum nomina repræſentant, atque inter eos Urielem vix unquam non recenſent. Ne-

Pag. 1125.

Digitized by Google

que amulcum aut ἀπετέλεσμα (Talismanos vocant) ferme occurrit, quod inscriptum non sit tali nomine. Communior tamen, ut supra diximus, apud omnes est, vulgata de novem cœlestium spirituum Ordinibus secundùm Pauli doctrinam sententia, qui sub tribus classibus constituti sint. Amrus Mathæi filius Nestorianus. *Doctores, & Testamenti novi Interpretes in eam sententiam conveniunt, quam ex B. Paulo Apostolo transtulit doctus ille & pius sacrarum literarum expositor S. Theodorus, species Angelorum novem esse, sub tribus ordinibus qui Dei nomen sanctificant in excelso, juxta mensuram donorum quibus cumulati sunt, &c.* Ita juxta hanc Theologiam, Michael, Gabriel, Raphael, Ordinum suorum principes sunt; atque Uriel locum non habet.

Quatuor animalia incorporea, quorum memoria quoque fit in hac ipsa oratione, Angelos sublimioris ordinis esse Ægyptii Christiani existimant, eos nempe qui in Apocalypsi dicuntur sustinere thronum Dei, quos Ezechieli quoque per visionem oblatos fuisse credunt. *Animalia sancta* vocantur Angeli apud Judæorum Theologos, juxta ordinum diversitatem, ut docet inter alios Moses Maiemonides in Tractatu de fundamentis legis. Ad SS. quatuor animalia oratio extat in Euchologio Coptico, quæ ita incipit. *O sancta quatuor animalia incorporea, sustinentia thronum Dei, facie bovis, facie leonis, facie hominis, & facie aquilæ, plena oculis ante & retro, sex alæ uni, sex alæ alteri, duabus tegentia facies suas, duabus pedes suos velantia, duabus volantia & dicentia, Sanctus, Sanctus, &c.* Neque in orationibus constitit Coptitarum erga istos Angelos pietas aut superstitio: nam sub eorum invocatione Ecclesiæ ædificatæ fuerunt. Unius prope Misram seu Cahiram veterem, & alterius quæ Alexandriæ à scriba quodam Divani Cheic Ebn Emin el Melik, meminit Abuselah Armenus. In Vita Tecla-haimanoth, qui ex Ægypto profectus sub Benjamino Patriarcha, in Æthiopiam venit, atque ibi pater extitit vitæ Monasticæ, legitur ædificatam in ea regione Ecclesiam, ejus hortatu, sub titulo quatuor animalium. Pari ratione invocant seniores viginti quatuor in Apocalypsi commemoratos, ad quos extat oratio singularis in Euchologio, in qua vocantur *Sancti incorporei, Sacerdotes veritatis, Deo proximi, stantes coram solio ipsius, eumque incessanter laudantes die ac nocte, sedentes super sedes viginti quatuor, coronas habentes in capitibus, & thuribula aurea in manibus, plena thure exquisito, nempe orationibus sanctorum, qui sunt super terram, & eas offerentes agno vero, &c.* Tandem quod habetur de Angelo custode diei ipsius, consentit cum vulgatissima apud omnes doctrina, de custodia hominum per Angelos, quam exponunt, autoritatibusque Scripturæ & SS. Patrum confirmant Autores superiùs laudati, sequentes hoc in argumento vetustissimam omnium Ecclesiarum traditionem. Neque ea modò est Christianorum opinio, sed ipsi Muhamedani eam cum nonnullis aliis servaverunt, ut ex multis autorum, qui Alcoranum interpretati sunt locis, probari potest. Præcipuè de illis agitur in Surata de spoliis, ubi Hucein Vahetz Commentator Persa famosus, unum cuilibet Angelum custodem assignatum ait, cum aliis quatuordecim, quorum septem misericordiæ, septem infligendæ pœnæ curam habent.

Digitized by Google

IN LITURGIAM COPTICAM SANCTI GREGORII NOTÆ.

QUæ de istius & aliarum Liturgiarum Orientalium titulis dicta sunt in Dissertatione Generali ; & in ea quæ Copticas propriè spectat, repetere necesse non est. Illud tantùm observari debet communi Coptitarum traditione illam secundam Liturgiam adscribi Gregorio Theologo in Ægyptiacis omnibus Codicibus & etiam in Græco Bibliothecæ Regiæ ; atque etiam eo nomine recensèri à Theologis, & Rituum interpretibus, ut in Constitutionibus Synodicis Gabrielis filii Tarik LXX. Patriarchæ Alexandrini, articulo 26. Abuseba in Scientia Ecclesiastica cap. 85. Abulbircat, cap. 29. Ebnassalo Collectionis Canonum cap. 12. & aliis.

Oratio veli.

Pag. 28.

Τοῦ καταπετάσματος in Græca & in aliis Liturgiis : nempe quia non ad ipsum altare, sed solummodo in sanctuario, seu Bemate dicitur intra velum, quo secundùm ritum Græcum, & Orientalem circumdantur. In Codice Græco ejusdem Liturgiæ, præmittuntur orationes aliquot quæ in Copticis exemplaribus non occurrunt, quia re vera ad istam non pertinent, sed communis officii partes sunt aut dicuntur ad libitum. Prima absque titulo, præparatoria est, Sacerdotis indignitatem suam profitentis, divinumque auxilium postulantis, ad inculpatè celebrandum mysterium. Secunda dicenda præscribitur, postquam præparatum fuerit altare, qualis ea est quam Basilii Coptica repræsentat, ejusdemque sententiæ. Tertia quæ ad Evangelium dicenda est, suo loco non est posita, sed adhibenda ad Liturgiam istam, quando legitur Evangelica lectio. Ea quæ dicitur Τῆ καταπετάσματι, eadem est quæ occurrit in Græca vulgata Basilii, cum exigua vocum diversitate. Quarta tandem, ea est quæ præmittitur in Codice Ægyptiaco : eam porrò Codex Regius Græco Arabicus, propriam Ægyptiis fuisse significat, iis verbis Ευχὴ ἄλλη καταπετάσματος παρ' Αἰγυπτίοις. Hinc manifestum est, non multùm sollicitos esse debere nos de titulis, quos vel Liturgiæ vel singulæ orationes habent ; modò certum sit illas ex communi Ecclesiæ thesauro esse depromtas, quod quidem de istis orationibus manifestum est : sunt enim iisdem prope verbis in Jacobi, Basilii, vel Chrysostomi Liturgiis. Unde Jacobitarum propriæ non sunt, sed Ecclesiæ, neque unius aut alterius, sed totius Ecclesiæ Orientalis, cùm reperiantur non modò in Constanti-

Lit. Bas. p. 50.

nopolitana, quæ Basilii & Chrysostomi Liturgiis utitur, sed in Hierosolymitana, & Alexandrina, quæ Jacobi Marcique Liturgiis olim utebantur.

P. 26. l. 15. *Sed Offeram tibi Sacrificium hoc rationabile & incruentum.*

IN hac oratione, ut in multis aliis, quod semel monuisse sufficiet, mentio est sacrificii Eucharistici, non minùs quàm passim in Græcis Jacobi, Basilii, Chrysostomique Liturgiis, & Alexandrinis Græcè extantibus, quidquid scripserint varii contentiosæ Theologiæ conscribillatores, qui præter Chytræum & Rivetum nihil legerunt, ne ipsas quidem, quas impugnant Liturgias. Utuntur Græci his potissimùm vocibus, λογικὴ λατρεία, θυσία, προσφορὰ, Syri & Æthiopes vocibus ex Hebraica lingua deductis, *Korban*, & aliis. Argutari autem solent morosi illi Critici, ex etymologia linguarum Orientalium, quarum peritiam ubique jactant: adeoque *Korban*, aut similes negant significare *Sacrificium*. Hærent tamen in aliis vocibus, quæ τὴν θυσίαν pressiùs respondent, qua Coptitæ, ut multis aliis Græcis frequenter utuntur, ut sunt Syriaca ܕܒܚܬܐ & Arabica ذبحة: Ægyptiaca quoque nativa. Illas porrò voces omnes indifferenter usurpant Orientales. Dum verò *incruentam* vocant *oblationem* προσφορὰν & θυσίαν, quid intellexerint in obscuro non relinquunt. Λογικὴν, quæ vox frequenter adhibetur, & quam Coptitæ retinuerunt, *spiritualem* significat, per oppositionem ad *corporeum*: quamvis Syri & Arabes eam rigidiùs & ad literam interpretati sint. Sed in hac ut in multis, significatio determinatur ex stilo Ecclesiastico.

Ib. p. 26. *Oratio osculi pacis.*

EAdem est quæ in Græco Alexandrino codice, & illam altera sequitur, quam Codex idem continet: non quòd vulgò duæ orationes ad osculum pacis dicerentur, sed quia una secundùm dierum festorum diversitatem eligeretur, aut ad Sacerdotis arbitrium. Hic autem, ut in aliis, osculum pacis vocatur ἀσπασμὸς quam vocem Ægyptii & Arabes suam fecerunt. Incipiunt porro Liturgiæ singulares illæ, non ab orationibus præparatoriis, sed ab ea, quæ Osculum pacis antecedit, cum reliqua ex communi officio peti soleant. Atque ab eo loco propriè loquendo incipit, *Anaphora*, *Oblatio* seu *sacra actio*: unde in Græco codice, ante orationem sequentem, quæ Præfationi nostræ respondet, titulus hic adjicitur. Ἀρχὴ τῆς προσφορᾶς: quæ verba Arabs interpres vertit, *Initium Sacrificii*. In quibusdam Copticis exemplaribus hæc *oratio osculi pacis*, Severo tribuitur, Antiocheno scilicet, quem Liturgiam scripsisse, communis Jacobitarum traditio est, & eam multi Syriaci Codices repræsentant, ex qua hæc Oratio transferri potuit, ob arctissimam sedis Alexandrinæ Jacobiticæ, cum Antiochena conjunctionem: singu-

Digitized by Google

laremque Severi venerationem. Nam ejus duplex memoria fit, obitûs ſcilicet, atque ejuſdem adventûs in Ægyptum, ſeptimâ Toth, & ſecundâ Paophi. Non tamen exiſtimare quiſquam debet ex illo titulo, Severum ullum Patriarcham Alexandrinum fuiſſe, quod Guido Fabricius Boderianus abſque ulla autoritate omnibus prope perſuaſit, cùm edidit Ritualem Baptiſmi librum, ſub Severi Patriarchæ Alexandrini nomine, cùm nullus inter permultos, qui in Bibliothecis extant, Codicibus, hunc titulum præferat. Nullus ſanè inter Jacobitas Severus, Alexandrinam ſedem tenuit: & lingua Syriaca, quâ liber ille ſcriptus eſt, nunquam in ſacris officiis uſurpata apud Ægyptios fuit. In Liturgia Baſilii Copticâ, quædam oratio occurrit, quam codices manuſcripti nonnulli Joanni Chryſoſtomo, alii Joanni Boſtreno, ſive Baſorenſi attribuunt. Primus ut communis Eccleſiarum doctor: alter ut in eadem qua Ægyptii Jacobitæ ſecta, agnitus fuit: amboque diverſa ratione talem apud eos autoritatem nacti ſunt, ut orationes ex illorum Liturgiis in Copticas transferrentur.

Scribo opera mea ſecundùm verba tua. Pag. 30. l. 16.

OBſcurus locus, quem ſecundùm ſententiam Copticæ verſionis reddidimus, & quem Interpretes Arabes, tam iſtius codicis Coptici, quàm, Græci, non videntur intellexiſſe. Græca nullam obſcuritatem habent. Ταύτης μὲν τῆς ἐλευθερίας προσφέρω σοι τὰ σύμβολα· πρὸς ῥήμασί σου ὑπηρέτω τὰ πράγματα. *Iſtius liberationis meæ*, (ſcilicet per ſalutarem Chriſti in carne diſpenſationem,) *offero tibi Symbola: verbis tuis res adſcribo.* Hæc igitur ſententia eſt: offero tibi hæc Symbola, ſeu elementa panis & vini, quæ ex tuo, Chriſte, inſtituto, repræſentant paſſionem tuam, per quam à peccato æternaque damnatione liberationem conſecutus ſum, faciens quod ipſe juſſiſti: res verò, ſive effectum promiſſionis à te factæ, quoties memoriam tui ita ageremus, non meis meritis, ſed verbis tuis, quæ mox recitanda ſunt adſcribo, ita ut ab illorum virtute & promiſſorum tuorum certitudine, totum expectem. Arabs interpres cujus verſio contextui adjuncta eſt in Codice Regio, ita vertit. *Offero tibi Symbola liberationis meæ in verbis tuis, deſigno præcepta tua:* quia ultimam vocem videtur ita legiſſe, ut ex πράγματα fecerit πρόσταγματα. Compendia enim ſcripturæ Græcis librariis mediæ ætatis familiariſſima, ſæpe fraudi deſcriptoribus fuiſſe, ſciunt qui manuſcriptos codices tractaverunt. Ille verò qui Regium deſcripſit, ſuæ ipſius imperitiæ multa reliquit indicia, ſed quàm dubitaret de ſignificatione vocum compendiosè ſcriptarum teſtatus eſt, dum indicem earum, quæ in duabus iſtis Liturgiis obviæ ſunt, ad finem adjecit.

Textus verò Copticus, qui primariam Græci verſionem exhibet, aliter omnino eadem verba repræſentat, eo ſcilicet quo expreſſimus modo: *Offerotibi Symbola liberationis meæ*, ubi vox Græca σύμβολον: ſequens Ægyptiaca ἐλευθερίαν, ἐλευθέρωσιν, abſolutionemque ſignificat, uſurpaturque initio Liturgiarum ad titulum Orationis illius, quæ dicitur Abſolu-

Digitized by Google

tionis. *Scribo opera mea ſecundùm verba tua* : ita ad verbum verſio Arabica quæ ambiguitatem habet, quia Arabes præſens & futurum non diſtinguunt in verborum inflexione : imò imperativus modus, nullatenus differt. Itaque verti poteſt, *Scribo*, ut vertendum eſt ſecundùm Græcum exemplar primarium, *Scribam*, aut ſicut Maronita vertit, *Scribe opera mea ſecundùm verbum tuum.* Vox *Symbolum*, variis Arabicis vocibus exprimitur, quæ tamen ad eamdem ſignificationem referuntur, nempe אנמודג *typus*, משורת *ſignum*, מכאתבה *exemplum*, *&c.* Ut obſervavimus ex comparatione diverſorum codicum, quæ varietas perplexitatem interpretum ſatis indicat. Sententia quam Græca verba præferunt, ſimplicior eſt : aliorum interpretum, qualiſcumque ſit, non videtur huic loco convenire. Neque mirari quiſquam debet quod in Græcis interpretandis aliquando hallucinati ſint verſionum autores, Arabicarum præſertim, qui Græcas voces Copticæ orationi infuſas, ſæpe non ſatis intellexerunt : quòd, ubi opus erit, monebimus. Ita in ea prece quæ iſtam proximè antecedit, *Elevaſti primitias meas uſque ad cœlum*, ut habet textus Copticus, Græcè εἰς ὕψος μου τὴν ἀναχωὴν ἀνεβίβασας, ſententia eſt ſimplex, maximèque Theologica : Chriſtum carnem ſuam, vel potiùs hominem ex Adami progenie aſſumtum, tanquam humani generis primitias, in cœlum elevaſſe, tum per unionem divinæ naturæ, tum per aſcenſionem in cœlum. Scilicet *primitiæ Chriſtus*, *primitiæ dormientium* : & eodem ſenſu in Liturgia Neſtorii Euchariſtia vocatur *Oblatio viva & ſacrificium non mactatum*, *primitiarum noſtrarum.* Cùm verò Coptitæ retinuerint vocem ipſam Græcam ἀπαρχὴ, ambiguè quidem eam reddidit Arabs, qui Codicem Græcum interpretatus eſt ריאסתי : qui Copticum peſſimè ; nempe *oblationem meam* קרבאני. Ut in Codice Scaligerano : alii *vota mea*, ut Regius & noſter : nullo ſenſu. Nec enim Chriſtus elevavit ad cœlos primitias & oblationes, ſi de donis propoſitis intelligatur hæc orationis particula, quæ nondum conſecrata ſunt. Neque oblationem Sacerdos rectè vocare poteſt *primitias ſuas & vota ſua*, cùm neque primitiæ ſint, propriè loquendo, neque vota illius, ſed totius Eccleſiæ & circumſtantium quorum nomine illa offert : totiuſque orationis ſeries, ut animadvertere facilè quiſque poteſt, aliud quid omnino ſignificat,

1. *Cor.* 15. 23.

Pag. 30. l. 20. *Nam ea nocte in qua tradi voluiſti, &c.*

TOta hæc pars officii Euchariſtici convenit cum Græco ejuſdem Liturgiæ codice, ut etiam cum aliis omnibus circa recitationem inſtitutæ à Chriſto Euchariſtiæ, & verborum illius, de qua nihil eſt ſingulariter obſervandum, præter ea quæ dicta ſunt ad eumdem locum Liturgiæ Baſilii. Κλώμενον καὶ διαδιδόμενον, de Chriſti corpore, ut ἐκχυνόμενον de Chriſti ſanguine, per præſens & futurum tempus intelligi poteſt, ſecundùm verſiones Arabicas. In Coptica verſione *Frangitur*, & *dabitur*. Utrovis modo eadem ſignificatio eſt : Syri, præſenti tempore vulgò expreſſerunt. Miſtionem aquæ cum vino, quam Eccleſiæ omnes ſervant,

Digitized by Google

ſervant, contra quam exiſtimant Proteſtantes, hic locus confirmat, ut etiam reliquæ omnes Liturgiæ. Neſtoriani ediſſe & bibiſſe Chriſtum ex pane & calice conſecratis dicunt: hîc Coptitæ de ſolo calice, quod tamen in Græco Codice non legitur.

Tu Domine voce tua ſola commuta hæc quæ ſunt propoſita, &c. P. 30. l. 20.

INſigne prorſus hæc oratio continet fidei Coptitarum de vera & reali elementorum tranſmutatione, teſtimonium: quod in Græco Codice non minùs legitur, quàm in Copticis. Petunt ſcilicet, ut Deus tranſmutet dona propoſita, voce ſua ſola, hoc eſt imperio ſuo divino, quod idem eſt ac ſi dicerent, petere ſe id quod ſolius omnipotentiæ divinæ opus eſt. Verba quæ tranſmutationem ſignificant, Græcè, Ægyptiacè & Arabicè plenam illam, & integram rei in rem transformationem deſignant: *Phonkh*, חול & נקל: ut Græcum μεταποίησον.

Chriſtum quaſi præſentem alloquuntur, & ad eum orationem dirigunt, in quo adorationis cultus continetur, & ſimul profeſſio fidei, de vera ejuſdem in Euchariſtica menſa, præſentia. Illam ſatis ſignificant verba Græcæ Liturgiæ. Αυτὸς παρὼν τῷ μυστικῷ τούτῳ λειτουργίαν καθάρπωσον: quæ quidem aliter accipi poſſent, nempe ut rogaretur Chriſtus adeſſe, & præſens hoc myſticum miniſterium perficere, unde Proteſtantes concluderent, præſentem non eſſe illum cujus præſentia poſtularetur. Sed difficultatem omnem ſolvunt verſiones Copticæ & Arabicæ, dum illud παρὼν, ita exprimunt, *tu coram nobis poſitus*, quod exprimunt interpretes Copticus, & Arabs: alia lectio *qui præſens es, & inter nos.*

Sequitur: *Mitt ſuper nos gratiam Spiritus tui ſancti, qui ſanctificet & transferat hæc dona propoſita, in corpus, & ſanguinem ſalutis noſtræ.* Paulò aliter Græcus Codex. Αυτὸς τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον καταπεμψον ἵνα ἁγιάσῃ τὰ ἄγια, ᾧ ἀγαθῇ ᾧ εὐδοκίᾳ αὐτοῦ παρουσίᾳ, ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα εἰς αὐτο, το σῶμα καὶ τὸ αἷμα τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως. Sententiæ nulla diverſitas: plenior & uberior eſt Græca formula, ſed eodem redit. Verſio Arabica Græco textui adjuncta illam accuratè & verbatim repræſentat. Itaque, quod obiter obſervandum, rogatur Chriſtus, ut mittat Spiritum ſuum ſanctum; in quibus verbis agnoſcunt Coptitæ Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Filii, & ab eo mitti. Mittitur verò Spiritus ſanctus, ad opus aliquod divinum, & humanis viribus ſuperius, quod de alio, quàm de tranſmutatione donorum in corpus, & ſanguinem Chriſti, intelligi non poteſt. Itaque nihil hac ſententiâ magis perſpicuum, aut magis ſimplex, atque ad veterem Eccleſiæ Orientalis doctrinam magis accommodatum, cùm omnes Liturgiæ Græcæ, Syriacæ, Copticæ cujuſcumque ritus aut ſectæ, iiſdem prope verbis contextam eamdem orationem repræſentent. De cenſura quam in eam, ut à Græcis conſervatur, tulerunt recentiores nonnulli, fusè in notis ad Baſilianam Liturgiam diximus, quæ reponere neceſſe non eſt. Id

Digitized by Google

ſolum adjiciemus : quòd cùm iſti cenſores inofficioſi, orari non poſſe exiſtiment pro donis jam conſecratis, contra totius Eccleſiæ veteris Orientalis & Occidentalis exemplum, quæ ſimilibus orationibus, deteri verborum Chriſti efficaciam nunquam exiſtimavit, ex iſta intelligimus, Coptitas, corpus Chriſti jam præſens agnoſcere, cùm illam, & Invocationem quæ ſequitur, pronunciant. At hæc controverſia Proteſtantes nihil juvat; neque autoritati, quam Eccleſia adversùs eos comparat, ex conſpirante in fide realis præſentiæ Orientalium teſtimonio, detrimentum ullum affert : cùm ad fidei quam habent certitudinem, nihil interſit quando, aut quibus verbis conſecratio perficiatur, modò eam verè fieri in Liturgia, ita profiteantur, ut panem & vinum in altari, eâ perfectâ eſſe negent, ſed corpus & ſanguinem Chriſti. Quod porrò in hac ipſa oratione dicitur, *Chriſtum præſentem eſſe & coram Sacerdote poſitum*, idem in Homiliis de Circulo anni ad Coptitarum uſum, in Tractatibus Severi Epiſcopi Ashmonin, & in multis aliis, toties inculcatur, ut ambiguitati locus eſſe nullus queat.

Salmaſii falſa interpretatio hujus orationis.

Ex illa tamen ipſa oratione, Claudius Salmaſius vir ſanè doctiſſimus, ſed qui Theologiam attingere non debuiſſet, habere ſe jactavit, unde Miſſionarios quoſdam ex Oriente reverſos, qui Orientales idem ac nos credere circa Euchariſtiam affirmabant, plenè refelleret. Ita ſcribebat ad Joannem Dallæum, & cùm Epiſtola poſt Salmaſii obitum typis publicata fuerit, excuſari poterat quòd incautus in ſinum amici temerè effudiſſet, quæ primùm in mentem venerant, niſi bellum illud ſuum commentum libro de Tranſubſtantiatione inſeruiſſet. Illam igitur quam retulimus particulam, quam, ne quid teſtimonii autoritati deforet, Arabicè deſcripſit, ita interpretatus eſt. *Tu confirma in nobis commemorationem miniſterii tui ſancti : tu mitte uper nos gratiam Spiritus tui ſancti, ut purificemur, & convertamus has oblationes viles, in corpus & ſanguinem Servatoris noſtri.* In ipſa Epiſtola vernaculam ejuſdem orationis verſionem legimus, in qua diſcriminis non nihil eſt. *Afin qu'eſtant ſanctifiez, nous puiſſions convertir ces Oblations viles & terriennes, au corps & au ſang de noſtre Sauveur, ou de noſt e Salut.* Interpretationem commentario munivit, cujus hæc ſententia eſt : ſatis agnoſci Invocationem non fieri, ut gratia ſancti Spiritus illabatur ſuper panem & vinum, ut mutando ſubſtantias, præſentiâ corporis & ſanguinis talis ſit, ut remaneant ſintque corpus & ſanguis ſuſcipienti, quicumque ſit, fideli vel infideli. Verùm, inquit, Sacerdos ille Coptita, ea Invocatione quam omnium nomine pronunciat, id deſignat ſolummodo, panem & vinum, quæ à nobis in Cœna ſuſcipiuntur, fieri corpus & ſanguinem Domini, illis qui debitè illa ſuſcipient, quoſque Spiritus ſanctus priùs ſanctificaverit : illos quoque ſolos accipere verum corpus, non panem ſolummodo, qui priùs per fidem & gratiam ſancti Spiritus puri facti fuerint. Tandem edicit hanc eſſe μετάβολὴν, ſive *converſionem*, antiquis Patribus memoratam, nec quærendam eſſe aliam. De illorum Theologia alium quemvis potiùs audiendum, etiam ipſi Calviniſtæ dudum judicaverunt, quàm Salmaſium, qui nemini unquam probavit voces μετουσίωσις, μετου-

Ep. 32. *p.* 72.

ἐπιχειοῦν, μεταῤῥυθμίζειν, quibus Patres non minùs utuntur, quàm simplici μεταβάλλειν, nullam aliam mutationem significare, quàm eam quæ mutatio non sit. Sed hoc non agimus: verùm coram Ecclesia, & eruditis omnibus, qui aliquam linguarum Orientalium notitiam habent, Salmasii nomen deferimus, tanquam corruptelæ intolerabilis rei, cùm lectionem codicis quem citat, corrupit, & enormis inscitiæ dum illam absurdissimè est interpretatus. Is ipse Codex superest in Bibliotheca Regia, & in illo, sicut in aliis omnibus legitur non pluralis primæ personæ characteristica litera, sed tertiæ fœmininæ, quia in lingua Arabica vox רוח *Rouah, Spiritus*, fœminini est generis. In prima etiam voce, quam vertit Salmasius *purificemur*, nulla nota passivi est, vertendumque fuisset *purificemus*, quo solo discrimine tota machina Salmasianæ Theologiæ funditus ruit. In altera *& convertamus* similis corruptela est, cùm sensus sit, *& convertat*, vel *transferat*, perspectèque eam lectionem exhibeat Codex manuscriptus. Quòd προκείμενα, quæ intelliguntur voce sequenti, non minùs communi apud Arabes Christianos voce quàm apud Græcos alterâ, *viles & terrenas Oblationes* vertit, non levem significat Arabismi ignorantiam, & in eo qui alios imperiosè docere audebat, non facilè tolerandam. Sed hunc errorem in libro de Transubstantiatione emendavit: hæsit in aliis gravioribus longè, magisque perniciosis.

Porrò mirari satis nemo potest Salmasium, qui ubique ferme de lingua Ægyptiaca, tanquam sibi non ignotâ loquitur, ubi opus non erat, ignorantiam vel malam fidem hoc loco ita prodidisse, ut excusationi locum non reliquerit. Codex quo utebatur Ægyptiacè scriptus erat & Arabicè; cur igitur de primario textu ne verbum quidem fecit, nisi quòd illum non intelligebat, quod facilè, si opus esset, probaremus. Sanè si intellexisset, non illum adeo perfrictæ frontis fuisse quisquam credat, ut, qualem ex Arabica versione commentus est, interpretationem daret: quandoquidem orationi Copticæ prorsus contradicit. Quod etiamsi non esset, at quæ mox subjiciuntur, sententiam in aperta luce collocant, demonstrantque peti illapsum sancti Spiritus, ejusque operationem in dona proposita. Nihil autem certius esse quàm quod de Salmasiana Versione diximus, sciunt quicumque literas Orientales à limine salutaverint: Ægyptiacæ linguæ, quæ non adeo communis est, mediocriter peritum esse oportet, ut error agnoscatur, cùm observare sufficiat ex imperfectissima Grammatica ντεφ quæ nota 3. personæ futuri vel subjunctivi, eo loco usurpari, non primæ pluralis personæ notam. Adde testimonium Græci Codicis, & adjunctæ versionis Arabicæ, quæ falsam illam & absurdam Salmasii interpretationem destruunt, cùm habeant ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ. *Corpus & sanguis liberationis, aut salutis nostræ*, dicuntur corpus & sanguis Christi, quia per sacrificium corporis, & effusionem sanguinis in passione, tum participationem ejus in Sacramentis, salus & liberatio nobis à peccatis præstita est, & porrò præstatur. Eo in loco Codices plerique habent πενσωτ. voce abbreviatâ, ut alibi sæpius, unde σώτηρ vel σωτηρία legi potest. Sed ambiguitatem deter-

minat Codex Græcus, ubi habetur τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως, ut versio ejus Arabica, & aliæ quæ Copticis exemplaribus adjunguntur.

Ib. l. 31.

Et hunc quidem panem, facias corpus tuum sanctum Domine, &c.

OCcurrit hic lectionis varietas. Codex noster quem interpretando secuti sumus, ita ut expressimus, habet ητεκαιο *Facias*: Versio Arabica similiter: ita tamen, ut ad Spiritum sanctum referri possit; *Et faciat*: quia ut dictum est fœminini Arabici, in quo genere est vox רוח apud Arabes, tertia persona, eamdem quam secunda utriusque generis characteristicam præfert. Verùm melior omnino lectio est secundùm Græcum exemplar Καὶ ποιήσει, vel potiùs ποιήσῃ, *& faciat*, ut ad Spiritum sanctum referatur, cujus postulatur adventus. Ita quoque legitur in alii Codicibus Copticis, qui antiquitate præstant. παιωτὴ μὲν ητεταιφ ησωμα εθουαβ ηταϰ: atque ita versiones Arabicæ. Sententia tamen utrobique eadem est, sive Christus faciat, sive Spiritus sanctus ab eo missus. Versio Maronitæ: *Et hic fiat panis corpus sacrosanctum tuum Domine*, neque Coptico, neque Arabico, aut Græco textui respondet. Jam verò Salmasii admiratoribus incumbit, ut speciosam aliquam rationem silentii, quod circa hanc partem orationis observavit, nobis reddant, cùm tamen præcedenti necessario conjuncta sit, atque adeo una ex altera explicari debeat. Ex ejus interpretatione, quam priori attribuit: ita vertendum erit. *Et hunc quidem panem faciamus, corpus tuum sanctum Domine*: quod Codici Græco, Coptico & Arabico repugnat non minùs, quàm omnibus cujuscumque linguæ Liturgiis, sanctorumque Patrum Theologiæ, maximè verò Orientalium Scriptorum. Illi enim vulgò dicunt, Spiritum sanctum illabi super dona proposita, sicut in B. Mariam Virginem illapsus est, & in altari formare corpus Christi, sicut illud in utero Virginis, ex ejusdem carne & sanguine formavit. Ita Severus Aschmoninensis, Homiliæ de Circulo anni, Barsalibi, Abulfaragius, & alii quorum testimonia alibi relata sunt. Sacerdos, ministerialis causa est: Spiritus sanctus causa principalis: si quis ultra philosophatus est, ut Diamperenses censores, & emendatores aliquot ignobiles Liturgiarum, minima est hoc in genere illorum autoritas.

P. 32. l. 5.

Misericordiam illis qui in pœnitentia sunt, &c.

Hist. Patr. Alex. p. 505.

HInc demonstratur, Pœnitentiam in Coptica Ecclesia locum olim habuisse, dudum ante obscœna illa tempora Joannis, & Marci filii Zaraa Patriarcharum, qui Confessionem peccatorum, & *Canonem*, sive laboriosam Pœnitentiam, tollere conati sunt, de qua innovatione dictum est in Historia Alexandrina, & alibi. Esse in Pœnitentia, status est, ut eorum qui in eadem oratione commemorantur, varii sunt. Non verò is locus intelligendus est de publica illa, qualis in usu erat primis

Digitized by Google

Ecclesiæ sæculis, pœnitentia cujus dudum, præterquam ad publicos peccatores emendandos, disciplina omissa est. Sed hîc intelligendi sunt illi, qui factâ apud Sacerdotem confessione *Canonem*, hoc est pœnas canonicas suscipiebant, & aliquam illarum partem compleverant, antequam communionem Sacramentorum obtinerent, à qua arcebantur per aliquod temporis intervallum. Hæc disciplina fusiùs alibi exponetur, ex variis autoribus, tum ex Canonibus pœnitentialibus, qui extant in Codicibus manuscriptis. Pœnitentium quoque mentio fit p. 33. qui intelligi fortè debent, per eos qui *in Confessione sunt*.

Orate pro Rege nostro Christum amante. P. 32. l. 4.

SErvata hæc formula est ex veteri disciplina, ante occupatam à Muhamedanis Ægyptum, in Græco ὑπὲρ εὐσεβοῦς βασιλέως ἡμῶν; quæ verba versiones Arabicæ quædam expressêrunt. Nempe cùm regnarent Christiani Imperatores, hæc formula usurpabatur, quæ postea in libris servata est, adjunctis tamen verbis ultimis, quia pro principibus, qualescumque sint, orant Orientales, si Nestorianos excipimus; in quorum Liturgia memoria fit *Regum Fidelium*, non aliorum. Ex illo loco rectè Salmasius Liturgiæ antiquitatem commendat, tanquam scriptæ sub Christianis Ægyptum obtinentibus, quia pro illis oratur, & illis qui sunt in Palatio. Sed Palatium non magis Christianos, quàm Muhamedanos principes designat, neque ad familiam regiam referri debet, sed ad fratres Orthodoxos, hoc est Jacobitas Christianos, qui tunc erant in Aulico ministerio. Multos enim fuisse qui scripturam in Aula Sultani, aut in Divano exercerent, patet ex variis Historiæ Alexandrinæ locis; quod pariter sæpissime contigit in Aula Bagdadensi, ubi multi Christiani magnâ apud quosdam Califas autoritate floruerunt, Nestoriani præcipuè. Hinc sæpe utraque Ecclesia Jacobitica, & Nestoriana, maximis turbis per illorum hominum ambitionem agitata est: & in Ægypto sub ultimis Sultanis, Turcis & Circassis, quos Mamalucos vocant, duriſſimæ persecutiones excitatæ sunt. Quam lectionem secutus fuerit Maronita Interpres cùm vertit: *Memento Domine Regum qui sunt electi in perfectione pietatis, & eorum qui sunt eligendi*, non satis intelligitur, cùm sententiam similem neque Copticus, neque Arabicus textus offerant.

Adorate agnum Verbum Dei. P. 34. l. 3.

HÆc Diaconi hortatio in codice Græco non occurrit: pia sanè & singularis, quam ex Coptica lingua ad verbum interpretati sumus, consentiente Arabica versione. In uno ex Codicibus Regii, illius loco legitur formula illa frequens *Adorate Deum cum timore*; quod Græcè non pronuncietur, ut omnes similes, eam non adeo antiquam esse significare videtur. Erat in Scaligeri Codice, sed pessimè interpres reddidit: *Orate pro eo qui portat verbum Dei.*

Digitized by Google

P. 34. l. 39.

Qui benedixisti illo tempore, benedic nunc.

SEntentia hujus orationis pia valde, & purissimæ Theologiæ plena; nempe ut Christus per divinam omnipotentiam, secundùm promissionem suis factam: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, & singulari modo, per transmutationem panis & vini, in corpus & sanguinem suum præsens; mysterium à se institutum perficiat, & in eo consummando invisibiliter operetur. In eamdem sententiam, multa occurrunt in diversis orationibus, tempore distributionis Eucharistiæ recitandis, tam apud Jacobitas quàm apud Nestorianos, ut sunt ista. *Hoc ipsum esse mysterium crucis & ultimæ cœnæ: hunc calicem ipsum esse quem Christus miscuit*, multaque similia.

P. 35. l. 9.

Oratio fractionis ad Filium.

IN Codice Græco-Arabico aliæ duæ occurrunt Orationes sub eodem titulo τῆς κλάσεως, nempe dicendæ priusquam hostia in minutiores partes frangatur, ad communionem distribuendam. Scilicet, ut alibi monuimus, in Liturgicis Codicibus scriptæ sunt Orationes diversæ, secundùm festorum diversitatem, aut Sacerdotis arbitrium dicendæ. Ista videtur antiquior, cùm prior Græci Codicis enucleatam Monophysitarum doctrinæ professionem contineat: id verò non nisi post scissam per Dioscori sectatores Ecclesiam, factum esse potuit. Habet autem hæc oratio obscuritatis nonnihil, non modò circa res, sed etiam ex ipsa vocum aliquot ambiguitate, quam Coptitæ primi interpretes, & Arabes non satis versionibus suis elucidaverunt.

Statim ad Christum dicitur. *Verbum intelligibile & homo visibilis*: Græcè ὦ λόγε ὃν προνοοῦσιν αὐτὸν, καὶ ἄνθρωπε ὃν προθεωροῦσιν αὐτόν. Verba hæc non satis Græca, sed jam barbariem redolentia, videntur antiquitus esse interpolata, cùm simpliciùs & accuratiùs sententiam exprimere Alexandrini illi potuissent, λόγε ὃν νοοῦσιν, ἄνθρωπε ὃν θεωροῦσιν, quam Arabs primus interpres rectè expressit: *Verbum quod intelligitur: homo qui videtur*. Duas scilicet in Christo naturas agnoscere se significabant paucis illis verbis, orationis primi autores, novitate Monophysitarum, ut conjicere possumus, nondum imbuti. Ita quoque illa reddidit Coptita interpres. ωπιλογος ετου ερνοιν μμοφ. πιρωμι ετου ερθεωριν μμοφ. Christus scilicet, ut Verbum Dei, mente tantùm concipitur: tanquam homo, oculis videri poterat. Ea autem fidei particula, ab Orientalibus Christianis, Severo, Barsalibio, Homiliarum autore, & aliis multis accommodari plerumque solet ad Eucharistiæ mysterium, dum dicunt: Apostolos & alios, qui cum Christo, dum in terris esset, conversati sunt, hominem simplicem oculis corporis vidisse, Deum oculis mentis agnovisse; ita debere Christianos Eucharistiam suscipiendo, fidem conformare suam, ut quamvis panis & vini elementa solummodò sensibus percipiant, oculo interiore fidei, Christum in illis videant, agnoscant & adorent, quemadmodum Latro in cruce illum agnovit, illiusque exemplo dicant. *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum*. Versio-

Digitized by Google

nes Arabicæ quæ in Codicibus Copticis leguntur, sententiam eamdem exprimunt.

Qui per incarnationem tuam incomprehensibilem præparasti nobis panem cœlestem, corpus hoc tuum sanctum, in mysterio omnibus modis sancto. Sensus istius orationis simplex: quia scilicet Incarnatio Filii Dei, mysterium incomprehensibile est, quo panis vivus de cœlo descendit: panis autem sanctificatus in altaribus, est corpus ipsum quod Filius Dei accepit ex Maria Virgine, & quod dat nobis in Sacramento, ut ipsi Coptitæ postea recognoscunt, in Confessione quæ fit ante illius susceptionem. Unde frustra sunt ad sententiam istius orationis pervertendam omnes Albertiniani & Claudiani Commentarii. Non enim dicitur dari corpus Christi in Sacramento, quod intelligi posset de eodem suscepto per fidem, sed hoc corpus, nempe quod Sacerdos in disco positum intuetur, quodque mox elevans & demonstrans, testatur esse ipsum verum corpus Christi. Τοῦτο τὸ σῶμά σου ὃν ἔθου ἐν μυστηίῳ, ita enim legendum videtur in Græco exemplari, ubi scriptum est ἐν μυστήιον παναγίον· ἐν τοῖς ἅπασιν, quod sive ad corpus Christi referatur, sive ad mysterium, perinde est. Arabica versio ad corpus Christi refert. *Corpus tuum hoc, quod est Sacramentale μυστικῶς & omnino sanctum.* Vox enim סרי *Serri*, idem significat quod τὸ μυστικῶς: & qui corpus Christi in Sacramento, ita appellat, per oppositionem ad naturale, non negat veram & realem ejusdem corporis in Sacramento præsentiam. Id vel unus Gennadius satis demonstrat, qui in Homilia nuper edita, cùm Transubstantiationem perspicuè doceat, titulum hunc inscripsit. Περὶ μυστικῶς σώματος, &c. Versiones Arabicæ duplicem vocem adhibent, & istam, & aliam quæ significat id quòd Copticè scribitur *in mysterio*: τὸ παναγίον referunt ad corpus Christi. Maronita non rectè totam hanc orationem expressit. *Verbum spiritale, qui homo factus es, & inter homines versatus, qui per incarnationem tuam incomprehensibilem præparasti nobis panem, corpus hoc tuum sacrosanctum, mysterium omnino sacrosanctum*: neque enim Coptico, aut Arabico textui versio respondet.

Lin. 12.

Opusc. Gr. Gennadii.

Purifica nos Domine, sicut sanctificasti has Oblationes & feciſti eas invisibiles ex visibilibus.

Ibid. l. 13.

SIc propè ad verbum textus Copticus, ita ut distinctio sit inter purificationem, quam orat Sacerdos conferri à Deo sibi & circumstantibus, & sanctificationem elementorum. In prima significanda adhibetur vox τουβο, quam Arabes per eam exprimunt quæ propriè *mundationem* & *purificationem* significat, aliquando etiam *sanctificationem*: alteram reddunt ipsa voce Græca ἁγιάζειν, quæ occurrit in Græco codice, utroque in loco. Arabs Græci Codicis interpres, eâdem voce, quæ τὸ ἁγίασον propriè respondet, usus est: alii diversam adhibuerunt. Ita distinctionem, non quidem planè necessariam, constituerunt inter sanctificationem suscipientium, & donorum propositorum. Nam cavisse videntur quodammodo, ne comparatio non satis adæquatè intelligere-

Digitized by Google

tur, cùm sanctificationes diversi omnino generis sint: aliter enim sanctificantur homines, aliter dona proposita. Sed intellectus simplicissimus est, ut sanctificasti dona proposita, singulari scilicet ratione quam subjuncta verba explicant, ita ad suscipienda illa dignè Christianos sanctifices.

Quomodo autem sanctificaverit Deus dona proposita mox exponitur, faciendo scilicet ea *invisibilia ex visibilibus*: ἀόρατα ἐκ τῶν ὁρατῶν, ut habet Codex Græcus. Maronita parum rectè, *& fecisti illas non adumbratas, sed quidquid apparet est mysterium tuum spiritale*, nullo sensu, & contra Coptici, Arabicorumque Codicum fidem. Sententia hæc est: *has Oblationes fecisti ex iis quæ videbantur, esse aliud quid, quod non videtur*: nempe erant panis & vinum, fecisti eas esse corpus, & sanguinem Christi. Ante sanctificationem seu consecrationem, erant, & videbantur panis & vinum; post sanctificationem sunt corpus & sanguis, quæ non videntur. Nulla hîc ambiguitas, veraque transmutatio in istis verbis agnoscitur, longe distans ab ea quam solam veteribus & ipsis Coptitis creditam fuisse, tam audacter affirmabat Salmasius. Is verò si bona fide egisset, cùm nugaci & absurda interpretatione Invocationem Spiritus sancti, hujus Liturgiæ contaminare satagebat, comparare hanc orationem cum ista, & cum utraque suam explicationem debuerat. In ista sanctificatio Christianorum, & ipsius Sacerdotis postulatur, ut in prima adventus Spiritus sancti, super eos & super dona proposita: nempe ait Salmasius, ut sanctificemur & convertamus has Oblationes in corpus & sanguinem Christi: quamvis, ut supra observavimus, nihil simile legatur in textu Coptico & Arabico. In ista oratione quæ non longo post primam intervallo sequitur, plena paradoxi Salmasiani refutatio est. Orat enim Sacerdos Deum, ut se & circumstantes sanctificet, non ut convertant, per communionem elementa in corpus & sanguinem, quandoquidem agnoscit consecrationem jam factam, cùm Deus illa fecerit invisibilia ex visibilibus; totaque verborum series ostendat, eos qui illa pronunciant, corpus Christi præsens in altari esse, credere. Porrò quæ de Salmasio diximus ad Albertinum, ad Claudium, ad discipulos eorum non minùs pertinent, qui cùm pauca Liturgiarum testimonia vellicent, ut obscuritate alicujus loci abutantur, perspicua & quæ illorum novitates funditus evertunt, ne indicant quidem.

Sequitur in eâdem oratione, *& mysteria tibi soli cognita*. In Græco textu qui manifestè vitiosam scripturam habet μυστήρια ὧν προνοοῦσιν αὐτὰ σοι κύριε: nullo sensu; hunc expressit Arabs interpres, *per mysteria invisibilia, intellecta tibi Domine*. Coptica lectio. *Et mysteria quæ tibi cognita sunt, Domine*, μμυστηριον ετον ερνοιη μμωου ηταϊ πενος. Versio Arabica: *mysterio plena quod tibi cognitum est, Domine*; malè Maronita: *mysterium spiritale*. Sententia ex præcedentibus hæc est. Fecisti Oblationes invisibiles ex visibilibus, & mysterium, sive per mysterium quod solus, Domine, intelligis, cùm humanæ mentis vires superet. Nam προνοεῖν quod est in Græco textu, Copticus, ut superiùs, explicat per ερνοιν hoc est νοεῖν, Arabes per ea verba quæ *intelligere, & animo concipere* significant.

Sacerdos dicit Confessionem. Corpus sanctum, &c. *Pag. 29. l. 23.*

DE illa eximia nec ullius ad Protestantium mentem interpretationis capace Confessione, dictum est ad Liturgiam S. Basilii: pauca tantùm observabimus, quæ ad istam propriè spectant. Extat in ea ipsa Liturgia quam citavit Salmasius, ut argumenta submini strantem, quibus & Catholicis os occluderetur, & Calviniſtica causa triumpharet. Cur igitur de ista Confessione, ita locutus est in sua ad Dallæum Epistola, ut integram orationem non retulerit, quod erat tamen necessarium, & notam falsissimam adjecerit? Verba ejus sunt. Post celebrationem Cœnæ, & participationem ejus factam, idem Sacerdos monet, id quod à communicantibus susceptum est, verum esse corpus & sanguinem Christi, id est fructum vitis veræ, qui est Christus, ita significans, vinum calicis, non aliter vocari sanguinem Domini verum, quàm ut ipse veram se vitem appellavit. Excusari sanè Calviniſta potest, Calviniſtæ loquens de usu ridiculo vocis Cœnæ, ad Liturgiam, totamque sacram Eucharistiæ celebrandæ actionem significandam. Sed cum publicè scribunt, uti debent illis vocibus, quas universa Ecclesia usu non interrupto multorum sæculorum consecravit; cùm nulla gens Christiana cujuscumque ritus & linguæ, ita locuta unquam fuisse reperiatur. Cedant eruditi illi, qui tantam Orientalium linguarum peritiam ubique ostentant, autorem ullum, qui *Cœnam* vocaverit celebrationem Eucharistiæ, Græcè, Latinè, Syriacè, Ægyptiacè, Æthiopicè, Persicè, aut Armenicè? *Epist. 39.*

Sed illud minoris momenti est: ea quæ subjungit, mentita, falsa, plenaque erroris, ignorantiæ & temeritatis, excusari nulla ratione possunt, nisi ex autoris imperitia, quæ excusatio locum non habet. Quis enim cogebat hominem, qui in Ecclesia Catholica natus & baptisatus avitam fidem juveniliter deseruerat, de rebus Theologicis scribere?

Oratio quæ Confessionem continet, non dicitur post celebrationem Liturgiæ, neque post communionem, sed antequam ea distribuatur: ut ipsa rituum series satis indicat: adeo ut Salmasium, aut Liturgiam non legisse oporteat, aut neminem futurum existimasse, qui oculis in eam conjectis, falsi eum testimonii reum non agnosceret.

Neque minùs falsò affirmat, à Sacerdote dici post communionem, id quod à communicantibus susceptum est, *esse corpus & sanguinem Christi, id est fructum vitis veræ, quæ est Christus.* Neque enim quidquam simile legitur in orationibus gratiarum actionis: & cùm Sacerdos dicit. *Hoc est corpus verum & sanguis pretiosus, Christi Dei nostri, &c.* hæc dicuntur ante communionem. Communicaturi respondent, antequam sacra mysteria susceperint, ita credere se, & credituros ad ultimum usque vitæ spiritum, hoc quod vident in Sacerdotis celebrantis manu, quod Episcopus & Sacerdos, cùm ordinantur, manu suscipiunt, neque adhuc ori admoverunt, esse corpus & sanguinem Domini, & tamen ex hypothesi Salmasiana, dona proposita σφραγισθέντα, nihil adhuc sunt, præter panem & vinum, cùm in solo usu fiant corpus & sanguis Christi.

Digitized by Google

Neque in tota hac Liturgia, aut ulla cujuſcumque ritûs & linguæ reperietur, talis Sacerdotum ad communicantes monitio, quam commentus eſt Salmaſius, elementa eſſe corpus Chriſti, ut Chriſtus eſt vitis vera. In Oratione fractionis ad filium legitur. *Præparaſti nobis panem cœleſtem, corpus hoc tuum ſanctum in myſterio..... Miſcuiſti nobis calicem ex fructu vitis veræ, quæ eſt latus divinum tuum & immaculatum.* Ita Gaudentius Brix. Tract. 2. de Paſcha. *Quia quod accipis corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis.* Non igitur dixerunt Chriſtiani Ægyptii, *ex fructu vitis vera, quæ eſt Chriſtus*; ſed *quæ eſt latus tuum, ex quo exivit ſanguis & aqua.* Theologicè prorſus & ad ſanctorum Patrum mentem, ſimulque ad eorum confutationem qui Cypriano totaque veterum Eccleſia ſapientiores, aquam calici admiſcere, piaculum exiſtimant. Itaque in hac oratione, fructus vitis veræ, de ſanguine Chriſti in calice exhibito intelligitur, non de toto Sacramento. Panis qui de cœlo deſcendit, ſeu panis cœleſtis, eſt corpus Chriſti, quod percipitur in Sacramento, & in illo eſt: fructus vitis veræ, eſt ſanguis Chriſti, in eodem Sacramento: adeo ut in diſco ſit panis cœleſtis, quia ut ipſi confitentur in eo eſt corpus Chriſti: atque pariter in calice, fructus vitis veræ, quæ eſt Chriſtus, quia in eo continetur ſanguis Chriſti. Comparationis quam Salmaſius excogitavit, in illis orationibus veſtigium nullum eſt, & etiam ſi ullum, vel leviſſimum poſſet deprehendi, & obſcuritatem induceret, explicaretur illa ſatis per ſubſequentem Confeſſionem, in qua nihil figuratè dictum, ſed ſimpliciſſima fidei expoſitio, quam diſſimulavit Salmaſius, deſperans, ut veriſimile eſt, Calviniſticam illam quacumque ſubtilitate poſſe fieri. Quàm porrò Rituum Orientalium imperitus habendus ille ſit, qui orationem fractionis dicit recitari poſt communionem, judicare quiſque poteſt: nam poſt eam Orationem fractio fit, & unio duarum ſpecierum ſeu ἁγία ἕνωσις: tum aliæ orationes interveniunt: poſtea, *Pater noſter*: tum Oratio abſolutionis: alia Inclinationis: *Sancta ſanctis*, cum τῇ ἁγίᾳ ὑψώσει, ſeu elevatione Sacramenti, tandem communio. Tamen ex oratione quæ omnibus illis præmittitur, quid in participatione Euchariſtiæ datum Chriſtianis fuerit, docere nos vult Salmaſius; nempe non quæ in ipſa oratione contineantur, ſed quæ in abſurdiſſimo commentario: quem ſola Liturgiæ diſpoſitio refellit. Nam, ut omnia ejus peccata uno intuitu appareant, Oratio quam citat, non dicitur poſt communionem, ſed multò priùs. Sacerdos non populum alloquitur, ſed Deum: nihil dicit eorum quæ Salmaſius ſupponit: tandem oratio, Confeſſione explicatur, de qua verbum ille non fecit, nec Albertinus, nec alii, quamvis extaret in verſione Latina ſæpius edita, ut in Canone Generali Æthiopum. Qui credit quæ illa Confeſſione continentur, à Salmaſiana Theologia remotiſſimus eſt: at ita Coptitas credere qui neget illud ſaltem negare non poterit verbis ſignificantioribus, minùſque ambiguis fidem realis tranſmutationis explicari non poſſe, adeo ut Eccleſia Romana in Profeſſione fidei poſt Tridentinum Concilium publicata, non magis perſpicuè de Euchariſtia loquatur, quàm iſta ante Communionem Confeſſio.

Pag. 35.

Digitized by Google

IN LITURGIAM COPTICAM SANCTI CYRILLI NOTÆ.

LITURGIA CYRILLI.

HÆc Liturgia una est ex tribus, quas Coptitæ Jacobitæ usurpant in sacris Officiis, ut ex Christoduli Patriarchæ Constitutionibus, Abulbircat, Autore Scientiæ Ecclesiasticæ & aliis discimus. Eam Codex Græco-Arabicus non repræsentat, non quòd Græcè, ut duæ aliæ, non extiterit, sed, ut verisimile est, exemplaris defectu. Nam, ut eam comparantibus cum Græca, Marci nomine edita manifestum est, secunda ejus pars, sive Anaphora propriè dicta, alteri est ita similis, si pauca excipimus, ut ex eodem fonte fluxisse utramque appareat. Sanè Abulbircat cùm hanc Liturgiam recenset, eam à nonnullis Marci nomine appellatam, monet. *Pag.* 38.

Illa verò quæ hoc titulo edita fuit anno 1583. Lutetiæ, Græcè & Latinè à Joanne à S. Andrea insignis Ecclesiæ Parisiensis Canonico, ex Codice Crypta-Ferratensi, id habet singulare, quòd, quantum conjicere possumus, propria fuit Orthodoxorum Alexandrinorum, cùm nullas Monophysitarum doctrinæ notas præferat: altera certas habeat illas & exploratas. Unde quin illa sit, de qua Marcus Patriarcha Græcorum Alexandrinus Theodorum Balsamonem consuluit, dubitari vix potest. Dicebatur autem Liturgia Marci, quia sedis Alexandrinæ, quam ille fundaverat, propria erat, ut Jacobi dicta est, quæ Hierosolymis usurpabatur. Fortè etiam inter Orthodoxos unica fuit, ut suadet illius dispositio, cùm non ut Coptica orationibus præparatoriis careat, & tota illa parte quæ osculum pacis, seu Ἀσπασμὸν, antecedit. Verùm orationes & ritus continet ab initio usque ad finem officii: unde illam, non secundi ordinis, sed primariam fuisse constat: cùm in Coptica Cyrilli, multa ex Basiliana peti debeant. Aliam porrò quàm istam Balsamon non videtur agnovisse. Absurdum illius de eadem judicium alibi confutavimus.

Sacerdos secreto.

HÆc oratio & sequentes non leguntur in Græca Marci, quia προσευκτικαὶ preces, ad Anaphoram seu Liturgiam propriè dictam non pertinent. Prima ex earum numero est, quæ dicuntur à *Ib. l.* 23.

Sacerdote, antequam ad altare ingrediatur, & multæ tales occurrunt in manuscriptis Codicibus, quarum una tantùm solet recitari. Omnes eamdem sententiam habent: nempe Sacerdos suæ sibi imbecillitatis, & indignitatis conscius, gratiam à Deo postulat, ut Sacerdotali ministerio inculpatè fungatur.

Da mihi Domine Spiritum sanctum, ignem materiæ expertem.

FRequentissimus apud Orientales hujus metaphoræ usus est, ad significandam divinitatem, præcipuè ubi de Spiritu sancto loquuntur, quo divinam ejus naturam confitentur, & ejus potentissimam in creaturas operationem, molliendo duritiam & consumendo nequitiam, occidendoque membra terrena & corporea, motusque inordinatos refrænando. Ita secundùm eorum loquendi morem probatur divinitas Spiritus sancti, quam infinitis aliis locis agnoscere se testantur, cùm illum Patri & filio consubstantialem esse dicunt, in fine omnium suarum orationum. Cùm igitur B. Virginem Mariam appellant, *thuribulum aureum, in quo carbo vivus fuit*, significant illam peperisse Deum & hominem. Cùm Nestoriani & alii dicunt, *ignem in pane accipere mortales homines*, præsentiam corporis Christi Dei & hominis in Eucharistia confitentur: ut Æthiopes apud quos in una ex suis Liturgiis, Diaconus monet eos, qui ad suscipiendam communionem accedunt: *Ne aspiciant hunc panem sicut panem terrestrem, sed ignem divinitatis esse.*

P. 39. l. 17. *Oratio pacis sancti Cyrilli.*

TItulus ille videretur inutilis, cùm tota Liturgia autorem Cyrillum præferat: neque arguendum inde quasi hæc sit suppositionis nota, ut quòd in Diptychis nomina eorum sanctorum quibus attribuuntur, occurrant ut plurimùm. Diximus non unam sæpe ad certas partes officii orationem assignari, sed duas aut tres: plures nonnunquam, ut ad gratiarum actionem post communionem, & ad ultimas benedictiones, post quas populus dimittitur, sed varietas præcipuè animadvertitur in orationibus præparatoriis, inter quas numerantur, quæ præcedunt Ἀσπασμὸν seu Osculum pacis. Isti nomen Cyrilli adjunctum est, quia ut patet ex Græca Marci Liturgia, nomen istius eidem præfixum erat, non Cyrilli. Neque titulus generalis obstare videbatur, ne aliorum sanctorum orationes illis adjungerentur, ut observatur in duabus aliis Liturgiis Copticis. Verùm omnes illæ ex communi Ecclesiarum thesauro depromtæ, eamdem autoritatem habebant ex usu Ecclesiarum, qui tam certus est, quàm incerti Orationum tituli. Habent Syri Jacobitæ Cyrillo adscriptam Liturgiam, quæ extat in Romana editione, sed quæ ab ista diversa est, & longè brevior.

Digitized by Google

Offeramus tibi ſacrificium hoc, &c. Lin. 3.

IN hac, ut in aliis omnibus Orientalibus Liturgiis agnoſcitur, creditum inter illos Chriſtianos antiquitus fuiſſe Euchariſtiæ celebrationem verum eſſe ſacrificium, illudque λογικὴν, ſeu *ſpirituale* & *rationale*, quod in ſacræ Scripturæ ſtilo idem eſt. Eaque vox ſola occurrit in textu Coptico, quam verſio Arabica exprimit per vocem, נאטקה quæ apud Arabes Chriſtianos eamdem habet vim, ex uſu Eccleſiaſtico potiùs, quàm ex vera etymologia, ut apud Syros ܩܪܝܒܐ. In Codice Scaligeri & in duobus Regiis adjicitur explicationis causâ vox רוחאניה quæ propriè magis ſignificat *ſpirituale*: at in noſtro, ſatis vetuſto & optimæ notæ, deſideratur. Mirum ſanè, cur Maronita, *Oblationem* interpretatus ſit Arabicam vocem, quæ *ſacrificium* ſignificat, ut ipſa vox Ægyptiaca. Cùm verò adjiciunt Coptitæ illud eſſe *incruentum*, evertunt omnes Calviniſtarum, ipſorumque Magiſtri argutias, qui ſanctos Patres vocibus illis quæ ſacrificio ſignificando propriæ ſunt, abuſos nimiùm eſſe dicit, dum rhetorieantur. Illos quippe Eccleſiæ veteris magiſtros ſcriò, nec oratoriè locutos fuiſſe, non ſoli intelleximus Catholici, verùm Chriſtiani toto Oriente diſperſi, qui doctrinam de veritate incruenti ſacrificii, non modò in ſcriptis ſuis Theologicis propugnaverunt, ſed publicis officiis inſeruerunt, plebi illiteratæ inculcandam, quæ ſubtilitatem tot ſophiſmatum aſſequi nunquam potuit: ſi quando cognovit, cum horrore aſpernata eſt.

Anaphora ſancti Cyrilli. Pag. 4.

HIc propriè loquendo, incipit *Anaphora*, ſive *ſacra Actio*, & ſtatim agnoſcitur, præfationem eamdem eſſe, ac eam quæ legitur in Marci Græca Liturgia, niſi quòd in iſta plura occurrant: nempe hæc verba: *Cui Paradiſi quoque delicias largitus es, &c.* Uſque ad illa: *Quæ omnia feciſti per tuam ſapientiam, &c.* Reliqua iiſdem propè verbis expreſſa ſunt; niſi quòd in Græca plura exſtant, quia in Coptica, multa petenda deſignantur ex Liturgia S. Baſilii, quæ reliquarum Canon eſt. At veriſimile omnino eſt, eos qui Marci Græcâ utebantur, cùm alias non haberent, illâ ſolâ uſos eſſe, qua ratione plures ante Oſculum pacis Orationes & cæremonias habet, quæ in Ritu Alexandrino Coptico ſumebantur ex Baſiliana.

Illud deinde animadvertendum eſt, tanquam huic & Græcæ Marci Liturgiæ proprium, quòd orationes pro omnibus & de omnibus, recitantur hîc, ſatis prolixè inter Præfationem & concluſionem ejuſdem per hymnum Cherubicum *Sanctus*. In aliis, ut in Baſiliana, fit omnium memoria generalis, ut in Canone Romano & aliis Occidentalibus; ſed non interſeruntur ſubjunctæ, vel interpoſitæ monitiones Diaconorum & acclamationes ad *Kyrie eleiſon*. In Ritu Gothico nomina eorum pro quibus orandum erat recitabantur ante Pacem, quæ præcedebat Præfa-

Digitized by Google

tionem, sive *Immolationem*, quod in Ritu quoque Gallicano & Francico observatur. Sed ordo iste nihil habet unde accusari meritò possit: cùm sacra actio illis precationibus interrupta non sit. Sequitur Hymnus Cherubicus qui dicitur, ut in omnibus aliis Ecclesiis.

Pag. 46. l. 19. *Imple hoc sacrificium tuum, Domine, benedictione quæ à te est, per illapsum super illam Spiritus tui sancti.*

BReviſſimè, ut diximus, poſt iſtas orationes tranſitur ad conſecrationem donorum propoſitorum, quæ nota eſt antiquitatis à ſimplicitate minùs remotæ. In Codice Græco Marci Liturgiæ idem notatur, circa conſignationem illorum σφραγίζει τὰ ἅγια, ita enim vocantur τὰ δῶρα, poſt primam illorum ad altare illationem, cùm jam aliquam ſanctitatem obtineant, ex futura eorum tranſmutatione in corpus & ſanguinem Chriſti Domini. Unde depoſitum legimus Epiſcopum quemdam, quòd ἄρτον, in altare jam illatum, fregiſſet & conculcaſſet. In ea autem oratione poſtulatur illapſus Spiritus ſancti, iis propemodum verbis quibus poſtea in Invocatione Spiritus ſancti, ita tamen ut eadem Invocatio ſuo loco recitetur, cùm de momento conſecrationis, Orientales diſputare non ſoliti ſint, ſed tunc demum, cùm omnia rite perfecta ſunt, de tranſmutatione conſummata non dubitent. Similem eodem loco Invocationem habent Neſtoriani, in prima ſua Liturgia, ſed poſteriorem non uſurpant, quæ tamen in Theodori & Neſtorii Liturgiis reperitur. Reliquæ orationes & cum Græca Marci, & cum aliis accuratè conveniunt.

In benedictione calicis, Coptitarum codices habent, *& guſtavit*, ut plerumque legitur in aliis Liturgiis Orientalibus, non in Græca Marci, aut Jacobi, Baſilii vel Chryſoſtomi. Illud porrò Orientales credunt ex vetuſta traditione, quæ antiquis Patribus ignota, aut improbata non fuit, quam illorum autoritate confirmavit Dionyſius Barſalibi, Commentario in Evangelia, & in Opuſculo de Euchariſtia, ut autores alii, de quibus dictum eſt ad Liturgiam Baſilii Copticam.

Pag. 47. l. 21. *Mortem tuam Domine annunciamus.*

NEſcimus quid præ oculis habuerit Maronita Interpres, cùm hoc loco ſcripſerit. *In Domino Confitemur*, quæ formula Liturgiis omnibus inuſitata eſt: præſertim cùm ad marginem adſcripſerit. ὁμολογοῦμεν: ut legitur in omnibus codicibus: nam illa confeſſio mortis, reſurrectionis & aſcenſionis, futurique adventus Chriſti, omnia ſalutaris ejus diſpenſationis myſteria complectitur. In omnibus Ritibus & linguis, iiſdem verbis exprimitur, ut in Latino Canone. *Unde & memores Domine nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta tam beatæ paſſionis, & reſurrectionis, &c.* Ad majorem porrò antiquitatis venerationem, hæc oratio Græcè dicitur in Liturgia Coptica, ut non paucæ aliæ breves formulæ, ſive à Sacerdote, ſive à Diacono, ſive à populo.

Digitized by Google

Oramus & obſecramus bonitatem tuam, &c *Ibid. lin. 36.*

HÆc oratio ad deprecandam veniam peccatorum, non reperitur in Græco codice. In his verbis ubi de peccatis agitur: *Occulta & manifeſta, quæ pridem agnovimus, aut quæ obliti ſumus*, eſt aliqua diverſitas verſionum Arabicarum: ea quam antiquior Codex noſter repræſentat, ſignificat ea quæ ſcienter & præcedente cognitione, commiſſa ſunt, tum ea quæ per negligentiam. Alia in Regiis exemplaribus, *quæ prius commiſſa & manifeſtata ſunt, & quæ obliti ſumus.* Maronita: *quæ meminimus & confeſſi ſumus, & quæ obliti ſumus.* Inde fortaſſe quiſpiam argumentum peti poſſe exiſtimabit, ad ſtabiliendam peccatorum confeſſionem quæ ſæculo undecimo & duodecimo ſub duobus Patriarchis ſublata eſt. Sed quandoquidem alia multa ſuppetunt non dubiæ autoritatis, iſtud fruſtra ad probandam peccatorum confeſſionem trahi exiſtimamus. Nam in Arabicis verſionibus, vox quæ illam propriè ſignificat non legitur; ſed alia ejuſdem originis, quæ Interpretem fefellit.

Neque propter peccata mea prives populum tuum adventu Spiritus ſancti, &c. *Pag. 48. lin. 7.*

NIhil in hac oratione ſuſpectum, cùm idem legatur in Jacobi Liturgia Græca eodem loco, quamvis verba quiddam aliud ſignificent μὴ ἀπώσῃς *ne reprobes, ne fruſtreris populum tuum propter peccata mea.* In iſta refertur illa ἔπιπνοια, ſive *privatio*, ad illapſum Spiritus ſancti ſuper dona propoſita, & ſuper fideles. Itaque Sacerdos ſuorum ſibi delictorum conſcius, rogat Deum ne ad ſe peccatorem reſpiciat, ſed ad preces Eccleſiæ, cujus nomine orationem profert, & ſacro miniſterio fungitur; neque cauſa ſit, ut gratia fidelibus ad fructuosè communicandum neceſſaria, & alia per illapſum Spiritus ſancti ſuper dona propoſita, ad ea conſecranda non obtineatur. Hæc ex veræ humilitatis ſenſu, non quòd de effectu ſacramentorum dubitent, à quocumque miniſtro etiam malo celebrentur, nullus enim apud eos inventus eſt, qui in talem errorem lapſus fuerit. Illum apud Græcos ſuperiori ſæculo per Joannem Caryophyllum, & Corydallum ejus magiſtrum furtim inſuſurratum damnavit Gabriel Patriarcha Conſtantinopoli in plena Synodo, ſententiaque Synodalis à Doſitheo Patriarcha Hieroſolymitano typis edita eſt in Moldavia, cùm ipſe ſcribendo adfuiſſet: tum etiam ſingulari opuſculo hanc hæreſin idem confutavit. Habuerunt Jacobitæ Alexandrini Patriarchas aliquot ſceleratiſſimos, quorum memoriæ non parcunt: ſimiles nonnullos Catholicos Neſtoriani: neque tamen quidquam occurrit, unde leviſſimum indicium capi queat, dubitatum fuiſſe de Sacramentis quæ celebraverant. Carere autem Sacramentis certiſſimè exiſtimaverunt eos qui Epiſcopalem ordinationem non haberent, ut erant illi Barſanufiani Acephali, quos Marcus Patriarcha XLIX. Alexandrinus Eccleſiæ ſuæ reconciliavit: ad quorum Epiſcopum & Sacerdotes dixit,

Perp. T. 4.

Opuſc. Gr. ed. 1707. p. 191. Ed. Jaſii. 1694.

Hiſt. Patr. Alex. p. 248.

Digitized by Google

non descendit super vos Spiritus sanctus, ut super Episcopos descendit, cùm pronunciatur oratio canonica.

P. 48. l. 18. *Sacerdos dicit Invocationem.*

FOrma Invocationis similis est aliis, quas duæ priores Liturgiæ repræsentant: ut illi, quam habet Marci Liturgia, & Græcæ alteræ duæ absque ullo discrimine. Continet autem ejus prima pars, quæ secretò dicenda est, accuratam de Spiritu sancto Theologiam, nempe de ejus divinitate & consubstantialitate cum Patre & Filio, quòd subsistat in persona, vel *hypostasi*, quæ vox in textu Coptico usurpatur, nempe quòd una sit personarum Trinitatis, in propria persona sua; sed hæc verba non leguntur in Græco codice: *immutabilis*, & *inalterabilis*. *Immensus qui omnia replet, nullo tamen loco circumscribitur. Qui operatur ex propria autoritate*, ἐνεργῶν αὐτεξουσίως, quæ verba Græca, Coptitæ servaverunt: *propria sua divinaque potestate* ὑ διακονικῶς, *non tanquam minister*, agit per gratiam suam, influitque in animas fidelium, quod, ut rectè Didymus & alii observavere, character certus divinitatis est. Operatur autem *puritatem*, hoc est sanctitatem, seu ἁγιασμὸν, ut Græcè legitur, quod idem omnino est. Sed ut alibi monuimus, ut versio nostra primævam lectionem accuratiùs repræsentet, verbà pressiùs reddidimus. Simplex est in natura sua, sed *multiplex* πολυμερὴς, *in operationibus suis*, & ut Ecclesia canit *septiformis munere*. Ita nempe legendum in Græco, ubi malè scriptum est τὸ πολυμερὲς, errore, ut videtur typographico. Consubstantialis Patri & Filio: à Patre procedens, neque enim aliter loquuntur Orientales, quamvis de controversiis inter Græcos & Latinos vix quidquam audierint, illud tantummodo scientes, Francos, seu Latinos, Symbolo adjicere particulam *Filioque*, quod in iis culpant Ebnassalus, Abulbircat, Autor Scientiæ Ecclesiasticæ, Paulus Sidonis Episcopus, & alii recentiores.

Qui liberè propria potestate operatur, secundùm voluntatem tuam purificam in iis quos diligit.

QUamvis controversiæ circa Pelagianam hæresin & ejus reliquias Ecclesiam Orientalem vix unquam agitaverint, & aliquando illius Theologi obscuriùs de divina gratia locuti fuerint, eam tamen erroris omni suspicione, hac in parte carere, preces multæ quæ in sacris Officiis occurrunt, plenè demonstrant. Ab illis enim, quàm ab ullis scriptis aliis doctrina certiùs peti potest, nec minùs apud Orientales quàm apud reliquos Christianos, *legem credendi lex statuit supplicandi*. Ut Cœlestinus Papa præclarè scripsit. Illi quippe postulant & precantur, *ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus: ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici Spiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur. Ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula referetur.* Hæc omnia continentur in precibus

Ep. pro Prosp. & Hil. c. 11.

Liturgicis

Liturgicis Orientalibus, non minùs quàm in Græcis & Latinis. In ista verò oratione significatur, Spiritum sanctum in illis, quos gratiosa voluntate Deus prævenit, sanctitatem seu gratiam operari, & donorum divinorum autorem esse. Ita scilicet antiquitus Romana Ecclesia in multis orationibus locuta est, ut in Gregoriano Missali. *Omnipotens sempiterne Deus lumen indeficiens qui Spiritum tuum sanctum... humanæ declarasti salutis autorem, præsta quæsumus, ut idem Spiritus veritatis, Ecclesiæ tuæ dona multiplicet.* Item. *Mentes nostras, quæsumus Domine, Spiritus sanctus divinis præparet Sacramentis, quia ipse est omnium remissio peccatorum.* Item. *Præsta, quæsumus Domine, ut à nostris mentibus, & carnales amoveat Spiritus sanctus affectus, & spiritalia nobis dona potenter infundat. Mentes nostras Domine Spiritus sanctus qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.* In Missali Gothico. *Et ad omne opus bonum perducat.* Alibi. *Ut Spiritus tui fervore concepto, & in fide inveniamur stabiles & in opere efficaces.* Porrò hanc de Spiritu sancto orationem illustrat quod de eodem scripsit Didymus. *Ista verò substantia, de qua nunc sermo est, sapientiæ & scientiæ & sanctificationis effectrix est*, quæ deinde fusiùs explicat. *Sab. Pentec.* *p. 359.*

Notandum obiter Interpretem Maronitam locum hunc totum corrupisse, cùm ita vertit: *qui dat vires & facultatem agendi secundùm voluntatem tuam, qui apparet iis quos diligit.* Nihil enim simile in textu Coptico, aut in versionibus Arabicis. Primum non consuluit: in altero per malam unius vocis punctationem, ad *manifestationem* transtulit, quod ad *sanctificationem* pertinebat, sententiamque effecit planè nullam. Quid enim significat *apparere Spiritum sanctum, iis quos diligit.* At quod in verbis designatur, illud est quod expressimus, Spiritum sanctum divina, liberrimaque potestate sanctitatem, seu purificationem operari, secundùm voluntatem Patris, iis quos diligit. Ita versio Arabica Codicis nostri satis vetusti. Duo Regii paulo aliter. *Qui operatur potestate sua per voluntatem tuam, in sanctis sive puris quos eligit*: Eodem verò recidunt duæ illæ interpretationes, quamvis sit nonnulla in verbis diversitas. Antiquam porrò sanamque doctrinam paucis verbis complectitur Oratio fractionis, quæ sequitur.

Super hunc panem, & super hunc calicem. *Ib. p. 48. l. 32.*

IN Codice Græco in plurali panes, & calices, nullo alicujus momenti discrimine; nam more vetusto aliquando plures calices afferebantur qui sufficerent multitudini communicantium. Si quid singulare circa hanc disciplinam observatum olim in Ecclesia Alexandrina fuit, scire non possumus. Erant in usu etiam in Romana, calices ministeriales, de quibus V.C. Joannes Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum: an tales fuerint illi Alexandrini, nescitur: sed potest dubitari. Neque enim plures calices necessarii erant, ubi Laïcis calix non præbebatur; sed intincta communio, quæ antiquissima est toto passim Oriente. Quòd verò panis vocatur eo loco, Eucharistia verbis dominicis jam con- *P. 45. & 57.*

ſecrata, non plane perſpecteque ſignificat, illum nondum eſſe corpus Chriſti aut prorſus non eſſe, quia panis vocatur. Sed novum non eſt his in Officiis, ut quod verum eſſe corpus Chriſti agnoſcitur, panis vocetur, quia panis videtur. Sacra myſteria & Sacramenta, panis & calix vocantur aliquando ante conſecrationem, nec tamen ideo conſecrata creduntur, cùm ſæpe indifferenter vocentur id quod ſunt, & id quod videntur. Neque inde quidquam deduci poteſt circa Orientalium opinionem de conſecrationis momento, aut de verbis quibus illa perficitur, tanquam ad Marci Epheſii & aliorum recentiorum ſententiam accederent, quæ tantopere à Theologis exagitata eſt. Neque enim de Synodo Florentina, aut de illa controverſia quidquam ſciunt: verùm orationem antiquiſſima traditione commendatam, & ab omnibus Eccleſiis, etiam communione diviſis, conſervatam ſine ulla ſuſpicione retinent, nec ulteriùs progreſſi ſunt.

Quod ſequitur *& faciat hunc panem corpus Chriſti*, communem reliquarum omnium lectionem confirmat, & Salmaſii perverſam interpretationem loci paralleli, in Gregorii Coptica Liturgia, funditus evertit. Neque enim legitur, *& faciamus*: quod tamen legi debebat, ſi in alia lectum fuiſſet, *ut convertamus has oblationes in corpus & ſanguinem ſalutis noſtræ*, cùm & Copticè & Arabicè, ut Græcè, legatur *& faciat*, ut oſtenſum eſt in Commentario ad Baſilii Liturgiam. Ex hac etiam conſtante trium Copticarum & trium Græcarum ritus ejuſdem Alexandrini lectione, Arcudii, Neophyti Rhodini & recentiorum multorum conjecturæ circa Græcæ Invocationis intelligentiam refelluntur. Quidquid porrò crediderint Orientales, nihil confert ad Proteſtantium cauſam; cùm ſive verbis Chriſti conſecratio perficiatur, ſive ſubſequenti Invocatione, perinde ſit: nam certò credere Orientales pronunciata Invocatione, mutatum eſſe panem in corpus Chriſti & vinum in ejus ſanguinem, teſtimonia ad Baſilii Liturgiam relata ſatis demonſtrant.

Oratio fractionis ad patrem, &c.

P. 49. l. 21.

ISta & ſequentes Orationes, diverſæ ſunt ab illis quæ leguntur in Græco Codice: quia ut in rubricis notatur poſt Invocationem Spiritus ſancti, reliqua peti jubentur ex Liturgia ſancti Baſilii. In ea reperiuntur, quædam iſti Orationi fractionis ſimilia; ſed, ut alibi monuimus, orationes quædam, ut ſunt illæ quæ dicuntur ad fractionem hoſtiæ, ad *Pater noſter*, & ad Gratiarum actionem, multiplices ſunt & variæ, dicunturque una vel plures ad Sacerdotis arbitrium. Sufficit quòd omnium ſententia eadem ſit. In iſta mentio eſt metaphoræ uſitatiſſimæ apud Orientales & Græcos ipſos ſecundùm quam vocare ſolent corpus Chriſti in Sacramento, carbonem vivum in Iſaiæ viſione deſignatum. Unde cochlear quo communio intincta diſtribuitur Λαβὶς ſeu forceps in Ritualibus Græcis appellatur.

Reliquæ hujus Liturgiæ partes nihil habent, quod alibi explicatum non fuerit.

Digitized by Google

AD BENEDICTIONES VASORUM SACRORUM NOTÆ.

QUæ Liturgiis Copticis subjunctæ sunt benedictiones, extant in variis Codicibus manuscriptis, & illis præsertim qui descripti sunt ad eorum formam, quos recensuit & publica autoritate munivit Gabriel Patriarcha, de quo dictum est sæpius. Ex illis autem intelligitur, quanta apud Orientales vasorum, quæ ad sacrum altaris ministerium destinata sunt, cura sit & veneratio, ei non absimilis quam vetus Ecclesia semper habuit. Dudum est, cùm pretiosæ materiæ vasa, celebrandis sacris mysteriis destinavit, ut ex Actis Martyrum, Gestis Proconsularibus adversùs Donatistas, Prudentio, aliisque autoribus viri doctissimi probaverunt; & non ita pridem Cardinalis Bona. Ea verò vasa sacra conflari, aut vendi, non licuit, exceptâ causâ captivitatis aut famis, ut habetur in Codice Justinianeo; quod sancti multi fecerunt, permisitque Gregorius Magnus. At in usus profanos converti, sacrilegium & quidem gravissimum judicatum semper fuit, ut habetur in Epistola Synodi Alexandrinæ inter opera Athanasii, qui accusatus ab Arianis calumniosè fuerat, quòd calicem confregisset. *Quisquis hominum volens, mysticum calicem frangere ausit, impietatis reum se facit.* Et Chrysostomus. *Nonne vide sacra ista vasa? nonne ad unum modò semper usus illorum est? Audetne aliquis ad alios usus illa adhibere?* Nihil in veterum Græcorum aut Latinorum scriptis frequentiùs, quàm ejusmodi testimonia, quibus honor sacris locis, altaribus, & vasis habendus eximiè commendatur; eorum profanatio tanquam sacrilegium, deploratur. Inde ortum habuit antiquissima consuetudo, benedictionibus, signo crucis, Chrismate, & orationibus, altaria & vasa sacra, Deo consecrandi, quod, ut in Ecclesia Occidentali, ita in Orientalibus, perpetua traditione observatum est.

Rer. Liturg. l. 1. c. 25. Cod. l. 1. tit. 2. §. 21. Greg. Ep. l. 6. Ep. 13. & 35. Socr. l. 1. c. 21. Soz. l. 5.

Οὐχ ὁρᾷς τὰ ἅγια ταῦτα σκεύη, οὐχὶ πρὸς ἐν ἐστιν αὐτῶν διὰ παντὸς χρεία, μή τις τολμᾷ πρὸς ἄλλο τι γρήσασθαι ἀ τοῖς. *Hom. 14. in Ep. ad Ephes.*

Dictum est in Præfatione ad istas Coptitarum benedictiones, illas Latinè versas, editas fuisse à Leone Allatio in *Symmictis*, ex versione inconcinna prorsus & absurda, quæ nihil minùs; quàm Copticum, ex quo expressa dicitur, exemplar repræsentat. Itaque novam dare necesse fuit. Quàm verò benedictiones illæ, sint antiquissimæ disciplinæ conformes, ostenditur ex similibus Orationibus quæ leguntur in libris Ritualibus aliarum Ecclesiarum.

p. 256.

Digitized by Google

Pag. 53. *Ad consecrationem omnium altaris instrumentorum.*

FAlsa omnino est interpretatio ista. *Largire sanctitatem vasis hisce, ex parte Spiritus sancti tui, & aspersio sanguinis tui (affluat) super ea.* Verbum istud de suo adjecit interpres, ut sententiam efficeret, sed ab exemplari primævo diversam. *Aspersio sanguinis Christi*, de qua hîc agitur, per quam vasa totumque sacrum ministerium consecrantur, & per quam sancta sunt, ea est quæ fit in celebratione SS. mysteriorum. Illa quoque verba: *ut sint vasa munda ad ministerium verum & mundum beneplaciti tui vivificantis, quod est corpus, & sanguis tremendus Christi tui*; sensu carent; nihilque minùs significant verba Coptica vel Arabica, sed vertendum, ut fecimus, *ministerii sancti & veri, sacramentorum vitam conferentium, sive vivificantium quæ sunt corpus & sanguis Christi tui.* Sanè quicumque illa hunc in modum interpretatus est, utramque linguam, & Orientalem Theologiam æquè ignorabat.

Pag. 154. Similis huic primæ benedictio occurrit in libro Sacramentorum Gregoriano. *Exaudi nos, Domine, quæsumus, ut hæc linteamina aliaque indumenta, nec non & vasa sancto altari tuo, atque Ecclesiæ tuæ, cunctoque sancti ministerii usui præparata, benedicere & sanctificare dignetur.* In Missali Francorum. *Domine Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus vitalia & necessaria creasti: & quemadmodum vestimenta Pontificalia Sacerdotibus, & Levitis ornamenta, quæ & linteamina fieri famulo tuo Moysi per quadraginta dies docuisti: sive etiam ea quæ Maria texuit, & fecit in usum tabernaculi fœderis, sanctificare, benedicere, consecrareque digneris hæc linteamina, in usum altaris tui, ad tegendum involvendumque corpus & sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Similes aut eædem extant in plerisque Latinis Sacramentalibus.

Pag. 135. *Oratio consecrationis Disci & velorum ejus.*

DE Disco, dictum est in notis ad Liturgiam Basilii Copticam: respondet autem *Patena* Latinorum, nisi quòd, ut apud Græcos, illâ major multò est: cùm in eo calix in quo consecratio fit, & aliquando, qui in veteribus Latinis ritualibus *Ministerialis* dicitur, collocari soleant. Vela autem duo sunt majus & minus: ille, *Anaphora* aliquando appellatur, præcipuè in Syriacis Ritualibus, apud Græcos scriptores Ecclesiasticos Ἀντιμήνσιον de quo eruditè Carolus Cangius in Glossario suo. Minus velum apud Coptitas singulare nomen non habet.

In istâ benedictione varietatem aliquam Codicum observavimus: aliqui enim non habent verba illa, *recumbentibus in convivio annorum mille*, sed continuatur oratio, *discum plenum bonis, quæ præparavit diligentibus nomen suum, corpus scilicet & sanguinem Christi tui.* Tamen in Rituali Gabrielis legitur, ut versione nostra expressimus. Ita igitur se habet tam Coptice quam Arabice: *Extende manum tuam divinam super discum hunc benedictum, qui implendus est ignitis carbonibus, per*

Digitized by Google

reliquias corporis tui, offerendi super altare templi sanctæ Ecclesiæ urbis N. Mentio convivii annorum mille, nihil cum Millenariorum opinione commune habet, neque aliud quàm cœlestem felicitatem significat. *Carbones* dicuntur, particulæ Eucharisticæ, ἁγίαι μερίδες in Disco reponendæ, metaphorâ, ut alibi notavimus, Orientalibus maximè familiari; quâ & Christum, *carbonem vivum* appellant aliquando, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Unde in Theotoxiis Alexandrinis Maria Virgo dicitur, *thuribulum aureum, quæ carbonem vivum & verum continuit.* Eum quoque carbonem, quo in visione Isaiæ labia tacta & purificata sunt, Eucharistiæ typum fuisse sæpius in Orientalium precibus legitur: & *ignem in pane*, per mysteriorum communionem, *accipere mortales*, sæpe legitur in hymnis, qui canuntur ad illorum distributionem.

In patena autem, seu Disco Eucharistico, corpus Christi esse & confici, non minùs Græca & Latina, quàm Orientales Ecclesiæ similibus orationibus significaverunt. In Sacramentario Gregoriano. *Consecramus & sanctificamus hanc patenam, ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi, patientis crucem pro salute nostra omniumque, &c.* Item. *Domine Deus omnipotens qui per Moysen famulum tuum tabernaculi tui altare, & vasa omnia divino cultui mancipasti, clementiam tuam supplices deprecamur, ut hoc vas aptum cultibus tuis, dignumque altaribus reddas, ut sanctificatum in nomine tuo, corporis tui pretiosum ferculum deputetur.* Et in alia. *Oremus, fratres carissimi, ut Deus omnipotens, hoc ministerium corporis Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerolum, benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur, orantibus nobis.* Illæ orationes reperiuntur pariter in Missali Francorum & aliis vetustissimis.

Pag. 54. 6.

Notæ Men. p. 199.

Miss. Franc. p. 415.

In Rituali illo libro, quem *Symmictis* suis inseruit alienâ fide, vir doctissimus Leo Allatius, nulla occurrit Patenæ sacræ benedictio, quòd satis mirum videtur: sed illius loco alia planè diversa, quam integram referemus, cùm liber non sit in omnium manibus, tum ut lectores illius cum altera quam exhibemus comparandæ fastidio levemus.

Oratio benedictionis vestis, & quando illa lacerata est. *P. 256.*

Dicit Episcopus. O Domine Deus creator bone qui ordinasti vestem sanctuarii & sanctificationis, vestem bonis refertam, quam præparavit diligentibus nomen suum, accumbentibus in cœna mille annorum, quoniam, ô Domine, tu amator hominum es, extende manum tuam dextram supra hanc vestem benedictam ex rubore corporis tui sancti: hæc est quæ ordinata fuit in templo, quæ est Ecclesia sancta. Hæc interpretatio sive Kircheri, sive cujuscumque alterius, tam absurda & inepta est, ut mirari satis nemo possit, tantâ confidentiâ quemquam fuisse, ut eam publicaret. Tamen à viro doctissimo, sed qui nullam in illis Orientalibus studiis operam posuerat Joanne Morino, adjunctus est Ritualis ille operi eximio de sacris Ordinationibus, ut scilicet quo ritu quibusve

precibus apud Coptitas illæ celebrarentur, discerent Theologi. Frustra sanè, cùm infinita in versione illa peccata sint, quæ agnoscere nisi cum originalibus linguis comparata, nemo possit, multisque de disciplina conjecturis lectorem imbuat, quæ sunt inanes & falsæ. Verùm in ista veri nihil, omnia ficta.

Imperitia sanè & stupor interpretis, circa linguam ex qua illam orationem transtulit, talis est, ut exemplum vix habeat. Vox quam interpretatus est *vestem*, ⲉⲓⲙⲓ scilicet, tam nota est in Christianorum Arabicè scribentium stilo, ut nulla magis: at in vulgaribus Lexicis non extat; idque commune habet cum aliis hujus generis prope omnibus. Quippe qui Lexicis contexendis operam dederunt, laudandam planè & utilem, Giggeius & Golius, Arabes Lexicographos secuti, Christianos scriptores legisse vix videntur: sanè usitatas illis voces omiserunt, quas tamen reperire quisque malit expositas, quam infinitas alias de camelis, tentoriis, acinace, lacte aut aliis frivolis, in quibus colligendis diligentissimi fuerunt. Verùm illa vox ante aliquot annos explicata fuerat in *Lingua Ægyptiaca restituta*, ubi in Nomenclatore, respondet voci Græcæ Δίπλοος quam Coptitæ suam fecerunt. Unde Kircherus, sub cujus nomine istud opus prodierat, non videtur Autor versionis Ritualis Ecclesiæ Ægyptiacæ esse potuisse, etsi illius ad se epistolam Bartholdus Nihusius Symmictorum editor, illi præmiserit, in qua *opus id Dei bonitate exiguo temporis spacio interpretatum se esse testatur, jussu Congregationis de propaganda fide.* Festinanter sanè nimiùm id præstitit, quicumque interpres fuit: & si Congregatio ex illa versione de Ritibus Coptitarum judicavit, nihil minus quàm illorum disciplinam probavit aut improbavit.

Itaque de *benedictione vestis & quando lacerata est*, ne syllaba quidem, tam in Coptico textu, quàm in Arabico: cùm in primo vox Græca Δίπλοος occurrat, quæ *vestem*, nunquam Græcè aut Copticè significavit. Error natus ex mala lectione vocum Arabicarum: nam in Copticas ne quidem oculos conjecisse interpretem, satis manifestum est. Sed quis tandem, inter Episcopales benedictiones cujuscumque linguæ, similis alicujus vestigium reperit? Lacerata vestis ad sartorem mittitur, non ad Episcopum, & diversæ leges Ecclesiasticæ præcipiunt, ut Sacerdotales, aut aliæ vestes quæ ad ministerium sacrum pertinent, si detritæ nimiùm sint, reponantur, nec ad profanos usus adhibeantur.

Creator non legitur, in utroque textu: tum illud *ordinasti vestem sanctuarii* imaginarium est, cùm in Coptico legatur vox ⲡⲓⲁⲝ paulùm corrupta, quæ explicatur rectè in Glossario Coptico-Arabico, quod Kircherus ediderat, ex græca origine.

Supra hanc vestem benedictam ex rubore corporis tui sancti. Gryphi sunt hæc verba, & ænigmata, quia nec Coptica, nec Arabica verba interpres assecutus est, quæ significant id quod versione nostra expressimus. Quid porrò intelligi possit in illis, haud equidem video: nam *rubor corporis Christi*, locutio est quam in nullis, etiam maximè figuratis orationibus reperias, multò minùs alibi. Deinde qua ratione vestis bene-

Digitized by Google

dictionem contrahere posset ex corpore Christi, cùm illud non attingat; adeò ut gravis pœna statuatur adversùs Sacerdotem aut Diaconum qui Sacramenta distribuendo, cochlear sacrum*, illis etiam nolens, & incautus affricat, aut qui per negligentiam super illa ex disco vel calice aliquid effuderit? Quo etiam sensu vestis præsertim lacera *ordinata dici potest in templo, quod est Ecclesia?* Heikel היכל quæ vox hic usurpatur, in stilo Ecclesiastico *sanctuarium*, ipsumque aliquando *altare* significat, ut hoc loco, nempe quia hæc pro eodem usurpantur, *locus altaris & altare*, ut sæpius observatur. At si attendisset interpres ad vocem Συναξάριον quæ eo loco legitur, non tot portentis versionem suam inquinasset, si ita vocari potest constans & perpetua hallucinatio. Quàm boni judices esse potuerint, qui ritus Orientales per talem interpretem cognovisse se arbitrati sunt, existimare quisque potest. Tandem certum esse debet, nullam vestis laceratæ benedictionem apud Coptitas frequentari; multò minùs contra leges omnes Ecclesiasticas, Chrisma adhiberi quo laciniæ quæ in sacrario reponendæ sunt, nec ad sacrum ministerium adhibendæ, consecrentur.

Oratio pro calice & mappulis ejus.

Pag. 54. l. 9.

CAlicis benedictio in antiqua Ecclesia usurpata quoque fuit, & præcipuus honor eidem habitus, quod *in eo ferretur sanguis Christi*, ut loquuntur variis locis autores Historiæ Patriarchalis Alexandrinæ: in qua inter alia circa Eucharistiam miracula recensetur unum in calice factum, ex quo, cùm ab aurifice Muhamedano frangeretur, sanguis fluxerit: tum sanguis quasi recens ebullierit in alio calice, dum sacra mysteria Bagdadi celebrarentur, ut multa hujus generis passim extant in Græcorum & omnium Christianorum Orientalium libris. Quòd autem credant in calice sanguinem Christi contineri, imò ut fides docet, Christum ipsum, argumento est figura quæ in Horologiis Græcis Officio sacræ communionis præmitti solet, in qua Christus repræsentatur in Calice. In libro Sacramentorum Gregoriano orationes leguntur ad Calicem benedicendum. *Oremus, dilectissimi fratres, ut Dominus Deus noster, Calicem in usum sui ministerii consecrandum, cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet.* Et in alia. *Dignare, Domine, calicem istum in usum ministerii tui, pia famuli tui* Ill. *devotione formatum, ea sanctificatione perfundere, quâ Melchisedech famuli tui, sacratum Calicem perfudisti. Et quod arte vel metallo effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione pretiosum.* In alia, post nonnulla. *Precamur ut hunc Calicem in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, emissione sancti Spiritus tui cœlesti benedictione sanctifices.* Unctionis ex Chrismate nulla mentio: eam tamen adhibitam fuisse argumento est, consensus veterum Codicum Ratoldi & Remensis, & aliorum quos citat vir doctissimus Hugo Menardus. Illius quoque Ritus meminit Burcardus l. 3. c. 58. ex supposita Epistola Felicis IV. cujus autoritatem non extollimus; verùm quin disciplinam Carolini saltem ævi contineat, dubitari non potest.

Hist. Patr. Alex. p. 270. & 378.

Sacr. Greg. p. 254. Pamel. Lit. t. 2. p. 425.

Not. ad Sacr. p. 597.

Digitized by Google

Euchol. p. 846. Græci habent in Euchologio officium seu Ακολουθία εἰς ἐγκαίνια δίσκου καὶ ποτηρίου καινοῦ: *in encæniis seu consecratione patenæ & calicis novi*: in quo non solum benedictio patenæ & calicis, præscribitur, sed etiam consecratio ex Chrismate. Oratio talis est. Δέσποτα κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ υἱὸς καὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ζῶντος, κύριε Ιησοῦ Χριστὲ, ὁ τὸ σωτήριον σου καινῆς διαθήκης ἁγιάσας, καὶ ἐπὶδος αὐτὸ εἰς εὐφροσύνην πᾶσι τοῖς μεταλαμβάνουσιν ἐξ αὐτοῦ· αὐτὸς δὲ καὶ νῦν δέσποτα Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἐξαπόστειλον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἐπὶ τὸ πλήρωμα τοῦτο, καὶ εὐλόγησον, καὶ ἁγίασον καὶ πλεόνασον, καὶ τοῖς μεταχεῖν ἐξ αὐτοῦ δώρησαι πᾶσι τοῖς σοῖς ἁγίοις, &c. Καὶ σφραγίζει αὐτὸ τῇ χειρὶ λέγων, ἡγίασται, καὶ τετελείωται τὸ πολύτιμον σωτήριον, καὶ ὁ δίσκος ζωῆς, καὶ καινῆς διαθήκης, ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς, &c. *Dominator Domine Deus noster, Fili & Verbum Dei viventis, Domine Jesu Christe qui novi tui Testamenti calicem sanctificasti, & in lætitiam cunctis ejus futuris consortibus contuliisti: Ipse quoque nunc, Domine Deus noster, Spiritum sanctum tuum, super calicem hunc novum mitte, & benedic, sanctifica, & consecra illum, &c.* Et postea, *signat illa manu, dicens. Ecce sanctificatus, & consecratus est calix salutis, & discus vitæ novi Testamenti in nomine Patris, &c.* In isto officio, unctionis mentio nulla est, sed supplenda procul dubio videtur: ut in Latinis codicibus ex alia consecrationis formula, quam refert idem Goarius. Καταπεμψον κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἐπὶ τὸ δίσκον τοῦτον τὴν ἁγιαστικὴν καὶ δωροφόρον τοῦ παναγίου πνεύματος, ἵνα ἐν αὐτῷ σφαγιάσωμεν τὸν ἀμνὸν, καὶ μεσοφοριάσωμεν τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καὶ, τοῦ αἵματος τοῦ ἀμαρτίαν τοῦ κόσμου, τὸ παραδόσιμον τοῖς πιστοῖς, ὅπως μεταδόσιν ἐκ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν, &c. *Emitte, Domine Deus noster, super patenam istam sive discum, sanctissimi tui Spiritus virtutem sacra operantem, ut in ea agnum immolemus, & Christi tui peccatum mundi tollentis, corpus fidelibus ex morte ad vitam transituris traditum, offeramus.* Ita Goarius: accuratiùs vertas: *corpus traditum fidelibus, ut transeant de morte ad vitam.*

Ad calicem, Εκπέτασον κύριε, ἐπὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν τῆς ἀπεργαζόμενον καὶ κόλπον, τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν· ἵνα μεσοφορήσωμεν ἐν τούτῳ, τὸ αἷμα καὶ τὸ τίμιον δι' οὗ ἐξέχεας ἔλεος, ἐπὶ τὴν σὴν ποίμνην, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τοῖς πιστεύουσι, καὶ ὁμολογοῦσι τὸ πάθημά σου, &c. *Expande Domine super calicem istum incircumscriptis finibus tuis, Spiritum tuum sanctum, Spiritum veritatis, principalem & vivificum, ut in eo sanguinem pretiosum, per quem super ovile tuum, misericordiam effudisti, offeramus in remissionem peccatorum, credentibus, & passionem tuam confitentibus, &c.* Εἶτα χρίει τὸ ἅγιον μύρον λέγων. Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς. &c. *Deinde sancto unguento linit, dicens, in nomine Patris, &c.* Talis est Græcorum disciplina Orientali maximè conformis, & prorsus eadem.

De versione edita nihil observandum occurrit, cùm satis accuratè originali respondeat. In Codice quem secuti sumus, & in Rituali Patriarchæ Gabrielis, non legitur *in una persona.* In eodem Rituali titulus hujus benedictionis est *benedictio, seu consecratio calicis & mappulæ ejus,* in singulari, ubi Copticus Codex vocem Græcam retinet. Ouevχη εθβε ⲡⲓⲭⲓⲥⲧⲏⲣⲓⲟⲛ ⲛⲉⲙ ⲧⲉⲫⲙⲁⲣⲡⲁ. Quod discrimen exigui momenti est. Mirari autem satis nemo possit, in præcedenti benedictione vocem eamdem interpreti, quicumque fuerit, oculos non aperuisse, ne ex

Disco

Digitized by Google

Disco & *Mappa* Græcis vocibus notissimis, *laceratam vestem* consarcinaret.

Oratio pro cochleari.

Pag. 54. *l.* 22.

DE cochleari jam nonnulla dicta sunt, in notis ad Basilii Liturgiam. Numeratur autem inter vasa sacra, quia communis est apud Orientales omnes consuetudo, quam Græcos imitati antiquitùs observant, ut eo utantur ad communionem distribuendam: Ecclesiasticis quidem secundi Ordinis, præbendo illis vinum consecratum: Laïcis, particulam sanguine madefactam: solis quippe Sacerdotibus, vulgò calix bibendus, præberi solet. Quæ sit sacri cochlearis apud Græcos forma accuratè exposuit adjuncta illius delineatione Jacobus Goarius. Λαβίδα vocant, id est *forcipem*, significatione ducta ab illa visione Isaiæ in qua Seraph carbonem vivum forcipe eduxit ab altari; tetigitque Prophetæ labia, eaque mundavit. Christus autem secundùm mysticam Germani Patriarchæ interpretationem, omnibus Orientalibus familiarem, divinus & spiritualis carbo est, indignos & temerè accedentes comburens. Ita Græci passim. Vocem quoque Græcam Arabes susceperunt, *Labidanque* vocant: aliter *Mulaaket*. Coptitæ κοκλίαριον, & alia voce in Rituali Gabrielis τμυςηρ. à Græca μυςρον, quæ non eamdem planè significationem habet. In Glossario Coptico-Arabico τκοκλιαςιν & μιςηρι.

Euchol. p. 152.

Pag. 216.

In Rituali Gabrielis eadem benedictio legitur, cum exigua differentia. *Domine Deus qui servum tuum Isaiam Prophetam, dignum fecisti videndi Seraphim:* in Arabica versione *Cherubim, in cujus manu forceps erat, quo accepit carbonem de super altari & in os ejus illum injecit: Nunc etiam, Deus Pater omnipotens, extende manum tuam super hoc cochlear, ex quo* vel *in quo, suscipendæ sunt reliquiæ sanctæ* (πιλυμψανον εθυαϐ.) Arabicè *membra, corporis Unigeniti filii tui, Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* In Arabica versione, *corporis sancti. Benedic illud, sanctifica illud: da illi virtutem & gloriam forcipis, qui est in dextra Seraphim, &c.* Ita sanè rectiùs verti debet, quam interpretatione nostra expressimus: illam enim dudum ex alio exemplari factam, cum Rituali Gabrielis comparare obliti fueramus.

Versio hujus benedictionis quæ extat in Symmictis Allatianis, pauca emendanda habet. Sed eam non ex Coptico exemplari versam esse manifestum est, non magis quàm reliquas. Perversè tamen & contra Arabici exemplaris sententiam legitur. *Deus qui posuisti servum tuum Isaiam Prophetam, dignum, ut videret Seraphim, & forcipes in manu ejus tenentem, & deferentem iis calculum ignitum super altare, & admoventem ori suo. Posuisti dignum,* barbarismus est: *forcipes* plurali numero interpres reddidit, quia nomen illud, ut alia nonnulla, duali numero apud Arabes usurpatur, at in singulari legitur, tum in exemplari Coptico, tum in sacra scriptura, à qua sanè recedi non oportebat, contra textus quem in manibus habebat, lectionem. Neque enim Seraph detulit carbonem ignitum super altare, & admovit ori suo, sed ex altari accepit, &

admovit labiis Prophetæ. Sequitur, *Extende manum tuam super hoc cochlear, quo sumitur corpus sanctum filii tui unigeniti.* In Coptico textu legitur λείψανον nempe *reliquiæ* corporis Christi, quam vocem Arabes verterunt per *membra* corporis, quæ vox expressiùs realem præsentiam significat. Itaque cur neutram reddiderit interpres causa nulla erat, nisi fortè quòd neutram intellexit, aut quòd alienis oculis codicem suum inspexit.

Pag. 55. l. 1.

Oratio pro mappa nigra, quæ est super altare.

IN Rituali Gabrielis vox ista legitur in plurali νεμάππα, quæ quidem respondet aliquatenus Græcorum *Antimensiis*, quamvis in forma, in consecratione, & in usu aliquà sit diversitas. Antimensia enim altari nudo imponuntur vicemque illius supplent, & induuntur ipsis sanctorum reliquiæ, non mappæ quæ hac oratione consecrantur. Imò quantum judicare possumus, pallæ altaris, cæterisque linteaminibus sacris convenit hæc benedictio.

In Rituali Gabrielis aliter hæc benedictio legitur. *Domine, Domine Jesu Christe, qui habet thesauros misericordiæ, largitor bonorum omnibus qui in eum confidunt: qui cœlum expandit cum subtilitate*, vel *cum præclaro ordine, disposuitque variis coloribus orbes & nubes cœli, ita ut non sit in aliis diversitas. Et nunc, Domine amator hominum, sit potestas tua divina in istis vasis, & vestibus* (seu *ornamentis*) *quibus involvendæ sunt reliquiæ* (νιλυμψανον λείψανα,) *corporis tui sancti; ita ut mittas super ea virtutem vestium, quibus involutum est corpus tuum sanctum in sepulcro, sintque cœlestibus similia.* Utuntur autem Coptitæ in hac oratione voce σκεύος, & Ægyptiacâ, quæ vestes, non modò quæ corpori circumponuntur, sed alias quoque, ut stragulam significat. Eadem quoque vox λείψανον usurpatur, ut in præcedenti, quam Arabes reddunt per eam quæ *membra* significat.

Versio quæ in *Symmictis* refertur, peccat statim in titulo qui talis est, *Benedictio corporalis, & cum illud fœdatum fuerit.* Nihil sanè minùs, nam mappa quæ altari imponitur, non est corporale: & verba sequentia unde interpres deduxerit, divinare non est facilè, cùm nulla vox huic significationi, proxima, Coptica vel Arabica, ista in oratione occurrat, imò, eadem ipsa, quam in alia benedictione, *laceratam vestem* interpretatus fuerat, hic ab illo per *fœdatum* exprimitur, æque impropriè. Nam si interpres quicumque fuit mediocrem disciplinæ Orientalis gustum habuisset, scivisset linteamina sacra, si sordes contraxerint, ablui, non consecrari.

Ita autem vertitur hæc Oratio ab autore. *O Domine Jesu Christe, præses thesaurorum misericordiæ, dans bona omnibus qui sperant in te, qui extendis cœlos in sublimitate tua, vario colore ornas firmamentum, & nubes cœlorum qui titubant & non alterantur: nunc ô Domine amator hominum, sit virtus tua divina veniens supra hæc vasa, quæ conjungimus ad lavacrum corporis tui sancti: mitte super ea virtutem velaminis in quo corpus tuum*

Digitized by Google

ſanctum in ſepultura involutum fuit : iis ſimiles ſint cœleſtibus, &c. *Præſes theſaurorum*, malè, nam vox Arabica מארה *Dominum* ſignificat: præſes, alienos theſauros adminiſtrat, non ſuos. In ſequentibus verbis eſt aliqua perplexitas orationis, cujus tamen, ut videtur, ſententia eſt, *qui extendis cœlos ornatè, & nubium colore diſtinguis.* Sed hæc nihil ad benedictionem : ſequentia, nihil minùs referunt quàm textum Copticum & Arabicum, & ſenſu carent : quid enim ſit, *conjungere vaſa ad lavacrum corporis Chriſti* nemo dixerit : neque qua ratione fieri potuerit, ut in duabus lineis eamdem vocem Copticam & Arabicam diverſo modo interpres expoſuerit, niſi fortè ſcripſerit *involucrum*, & peccaverint typographi ; etſi adhuc verſio mendo non careret, cùm de *conjungendis vaſis*, ne ſyllaba quidem occurrat.

Conſecratio tabulæ, ut altare fiat. P. 55. l. 16.

ISTam benedictionem non habuit Codex, ex quo verſio ab Allatio publicata deſumta eſt. De altaribus dictum eſt, in Commentario ad Baſilii Liturgiam, probatumque in Oriente non minùs quàm in Occidente eadem ex ſolidiori materia comparata fuiſſe, quidquid de illis verboſiſſimè commentatus fuerit Jobus Ludolfus, qui quidem menſas illas fuiſſe antiquitus, contendit, & Æthiopum laudes proſequitur, quod *menſam Sacerdotalem*, & *arcam* appellent, id quod reliquis ſuperſtitioſè, *altare* appellatur. Nempe intelligebat, altaris nomen, ſacrificium quodammodo ſupponere, quod nolebat. Verùm antequam Æthiopes Chriſtiani forent, vocabantur primis Eccleſiæ ſæculis altaria, etiam menſæ in quibus Liturgia celebrabatur : quam poſtea ipſi Æthiopes, *ſacrificium* vocaverunt non minùs quàm univerſa toto orbe Eccleſia. Imò omnes Ludolfi divinationes evaneſcunt ex ſolo Æthiopum exemplo, qui, ut oculatus teſtis Franciſcus Alvareſius retulit, ſolida habent in vivo ſaxo altaria, in Eccleſiis *Viſionis* & *Debra Libanos*, ſive Montis Libani, quas Lalibela Rex nova Architecturæ ratione, in rupibus excavatas ad amplam formam redegit. At in veteri Eccleſia, ut in recentioribus ſæculis, non modò altaria ſolida, ſed lignea, altaris nomen & dignitatem habuerunt : neque iſta ſola, ſed altera etiam *menſæ* vocabantur, adeoque de nomine inutiliter litigatur, cùm res per ſe manifeſta ſit.

Pag. 181. *Com. ad Hiſt. Æthiop.*

Nota quoque fuerunt antiquitus altaria *portatilia*, quæ etiam *viaticæ* dicebantur : *itinerariæ tabulæ* : *altaria portatoria* & *geſtatoria* : de quibus multa eruditè docuit V.C. D. Joannes Mabillonius, doctiſſimus Cangius in Gloſſario, & alii. Orientalibus Chriſtianis, ſingularis cauſa fuit utendi frequentiùs tabulis conſecratis, quæ altaris vicem ſupplerent, Barbarorum ſcilicet tyrannis, qui cùm frequenter in Eccleſias irrumperent, & ſacra diſturbarent, altariaque contaminarent, coegerunt Epiſcopos talibus uti altaribus, quæ auferri facilè poſſent & infidelium manibus eripi. Itaque tabulæ illæ, magis ad veterum diſciplinam accedunt quàm Græcorum Antimenſia, quamvis eamdem, ut vi-

Præf. ad 3. Sæc. Bened.

Digitized by Google

detur, originem habeant. Neque tam multis cæremoniis perficitur consecratio tabulæ ritu Ægyptiaco, quàm Antimensiorum Græco, de qua fusè Symeon Thessalonicensis: ut etiam eruditissimus Goarius in Notis ad illud officium. Græci quoque non celebrant vulgò, etiam in solidis altaribus, absque Antimensiis, quòd in Orientalibus aliis non observatum huc usque à nobis est.

Euchol. p.653.

In ista porrò oratione nihil difficultatis est: observandum solummodo esse aliquid obscuritatis in textu Coptico & Arabico, circa illa verba: *ut fiat altare sanctum, & mensa sancta pro altari excelso & è lapide constructo.* In Coptico est vox ερφει quæ vertitur Arabicè per alteram היכל *Heikel*, utraque propriè *templum* significat: verùm ex usu Ecclesiastico partem intimam sanctuarii & ipsum aliquando altare: sicut vice versa, altare usurpatur à Latinis scriptoribus, ad significandum locum in quo altare constitutum est, & altaria sæpe pro ipsis Ecclesiis. Itaque *altare* interpretati sumus, quia de eo sermo est, non de templo: & illam ipsam vocem ερφει interpretatam legimus per θυσιαστήριον, qua etiam voce Coptitæ uti frequenter solent: significant igitur verba originalia & Arabica, ut tabula per benedictionem & consignationem ex Chrismate, consecrata, vicem teneat altaris excelsi, & lateritio lapideoque opere constructi, ut legitur in Rituali Gabrielis Patriarchæ. Videnda etiam quæ de altaribus eruditè notavit Hugo Menardus, in Notis ad Gregorii sacramentalem librum p. 194. & sequentibus.

Greg. Tur. l. 1. c. 14.

Oratio pro altari cum manibus hæreticorum attrectatum, &c.

ALtaria polluta, præsertim hæreticorum sacrificiis aut Synaxibus, in Ecclesia celebratis, precibus reconciliare Orientalium, ut etiam Latinorum consuetudo est. Extat in Græcorum Euchologio oratio Tarasii Patriarchæ: in apertione seu reconciliatione Ecclesiæ ab Hæreticis profanatæ. In ea rogatur Deus, *ut si quæ ex hæretico usu vel attactu, inflicta est sancto altari tuo labes, ut bonus & humanus eam dele.* Καὶ εἴ τις ἐξ αἱρετικῆς ἐγχειρήσεως προσεγγίζει λώβησις τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, περίελε αὐτὴν ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος. Huic subjungitur à doctissimo Goario ejusdem sententiæ, sed prolixior oratio, ex Euchologio Allatiano, quæ dicitur etiam super sacram mensam, sive altare. In Concilio Lateranensi IV. inter alias Græcorum adversùs Latinos contumelias, notatur, quòd Ecclesias & altaria in quibus Latini sacra celebrassent, lavare & reconciliare essent soliti. Id quoque ultimo sæculo factum fuisse testatur Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus à Meletio Syrigo, homine tamen λατινόφρονι, si Smitheo & Claudio credimus, cùm Præfectus Venetus in Græcorum, cui Syrigus præerat, Monasterii Ecclesia Missam celebrari jussisset. In ipsa oratione nihil est quod eludicatione indigeat.

Euchol. p.618.

Can. 4.

In vita Syrigi præfixa versioni Gr. Barb. Operis adv. Cyrillum Lucarium.

Digitized by Google

IN LITURGIAM GRÆCAM SANCTI BASILII ALEXANDRINAM NOTÆ.

Λειτουργία τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

QUæ de hac Liturgia dicenda erant explicata ſunt quantum opus fuit in prævia de Liturgiis Diſſertatione, quæ hîc repetere ſuperfluum forer. Illud ſtatim obſervandum, deeſſe in Codice Regio omnes propemodum orationes præparatorias, cùm prima ſit ea quæ dicitur Κατηχήσεως, etſi non integra, ſed majori parte mutila. Eam ſequitur alia ejuſdem argumenti, eodemque loco recitanda, quæ dicitur eſſe ex Liturgia ſancti Jacobi fratris Domini. In Græca tamen vulgari non reperitur, ſed paucis mutatis legitur in Coptico exemplari: ut etiam in Syriacis codicibus; unde conſtat ſumma ejus antiquitas; illos enim Græcis, quales ad nos pervenere, veruſtiores eſſe admodum veriſimile eſt, ut alibi exponetur. Itaque deſunt Orationes iſtæ. 1. Quam Sacerdos privatim dicit: 2. Poſtquam præparatum fuit altare. 3. Gratiarum actionis, quæ in duas partes dividitur, quia Diaconus poſt primam partem populum hortatur ad orandum, ſecundùm Sacerdotis intentionem. 4. Oratio ad protheſin. 5. Oratio abſolutionis. 6. Thuris tum ſingulares ad Epiſtolarum Pauli & Catholicarum, tandemque Evangelii lectiones: quas ſequitur Oratio κατηχήσεως, ſeu veli, à cujus fine incipit Codex Græco-Arabicus. Mox altera illa ſequitur ex Liturgia ſancti Jacobi: tandem ea quæ eſt pro pace, illi prope totidem verbis reſpondens quæ eſt in Græca ſancti Marci. Ipſa porrò incipit ab Oratione Gratiarum actionis, quæ eſt tertia in Codice Coptico, quia duæ priores, ut diximus, non tam publici quàm privati officii ſunt. Itaque in ea continentur preces & cæremoniæ præparatoriæ, quæ in Codice Græco-Arabico deſiderantur, eaque eſt nota certiſſima ritus Alexandrini veteris, quem Coptitæ ſuâ linguâ retinuerunt. Pag. 57.

Digitized by Google

P. 58. l. 16.

Εὐχὴ περὶ τῆς εἰρήνης. *Oratio pro pace.*

HÆc oratio, vel potiùs plures in unam conjunctæ, quæ per adhortationes Diaconi & *Kyrie eleison*, à populo dicendum interciduntur, vocantur Εἰρηνικὴ, vel Εἰρηνικὰ *pro Pace*: à Syris *Catholica*, quia oratur pro omnibus personis & necessitatibus.

Ib. l. ult.

Τὸν βασιλέα. *Regem.*

ITa vertimus, quamvis fortasse meliùs verteretur *Imperatorem*: nam preces illæ scriptæ sunt, procul dubio, cùm Ægyptus adhuc pareret Christianis Imperatoribus. Illud suadent particulæ similium orationum diversæ, quæ Infidelibus principibus convenire non possunt, ubi φιλόχριστοι *Christum amantes*, appellantur. Et Sultani seu Califæ qui Ægyptum obtinuerunt propriè loquendo *Imperatores*, aut *Reges*, dici non possunt. Itaque ista commemoratio talibus verbis concepta vetustissimæ consuetudinis indicium est: aut fortasse Codex Regius scriptus fuit illis in locis, qui Græcis Imperatoribus parebant. Sed ex ista oratione & aliis quæ occurrunt in Gregoriana aliisque Liturgiis, inferri potest, primam illius Liturgiæ formam Muhamedanis vetustiorem esse temporibus, non verò, eam quam Copticè habemus illam ipsam esse quæ sub Imperatoribus Christianis in usu erat. Nam mutationem isto in loco factam fuisse, ut in nonnullis aliis, vix est dubitandum; & alia longè firmiora antiquitatis Liturgiarum istarum argumenta suppetunt. Quæ sit circa preces pro Regibus aut aliis Principibus Orientalium disciplina, dictum est ad eumdem Copticæ Liturgiæ locum: quem Maronita interpres parum feliciter reddidit. *Reges*, *Proceres*, *Proreges*, *populos & servos nostros ingredientes, & egredientes à nobis orna omni pace.* Στρατιωτικὰ τάγματα, non *proceres* significat, sed *Ordines Militares*, quia ex quo Ægyptus in Arabum potestatem venit, à Viziris, qui militaris rei supremi Præfecti erant, regebatur. Illi cùm summam Califa absente, potestatem haberent, eâdem res civiles administrabant, ut Præfecti Ægypti sub Christianis Imperatoribus. *Proreges*, ἄρχοντες non sunt, sed ea vox quam Copticum exemplar retinet νιαιχων, significat singulari acceptione nobiliores Christianos Laïcos, ad plebis distinctionem. Ea significatione usurpatur illa vox passim in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, & in forma literarum quas Συστατικὰς vocant, (voce Græcâ conservatâ) quæ ad confirmandam & publicandam novi Patriarchæ electionem scribi solent, ut habetur in Pontificali Ordinationis ejusdem, in Bibliotheca Seguieriana. Δῆμοι sunt *populi multitudo*: *servorum*, nulla in Græcis aut Copticis Codicibus mentio: sed voces Coptica & Arabica *vicinos* significant: *Introitus & exitus illorum*, euntium & redeuntium iter: pro quibus omnibus benedictio postulatur.

Digitized by Google

Κτήσαι ἡμᾶς. *Posside nos.* *Ib. l. 7.*

HOc verbum ea significatione accipiendum est quâ occurrit sæpe in veteri Testamento, adquirendi, proprium faciendi, singularique cura conservandi. Ita Exodi cap. 15. v. 16. *Donec transeat populus iste quem possedisti* λαὸς ἂν ἐκτήσω. In Cantico Moysis: *Nonne ipse est qui possedit te & creavit te*: ubi verbum ἐκτήσατο, respondet hebraïco קנה, quod Arabibus eadem significatione usurpatur: & in Coptica Versione, eadem vox legitur quæ hîc occurrit in Liturgia. Illam rectè interpretatus est Arabs, qui versionem adjunxit: minùs rectè aliarum ex Coptico autores: pessimè Maronita, qui ita vertit, *conquiescere fac nos in te Deus*, quia loco vocis ארבה ex mala punctatione legit אריה. *Exod. 15. 16.*

Εὐχὴ περὶ τοῦ Πάπα. *Pro Papa.* *P. 59. l. 17.*

HIc perspicuum est, orari pro Patriarcha Alexandrino: ut etiam in Codice Græco Liturgiæ D. Marci: & frustra quisquam conjectaretur, pertinere hanc precem ad Romanum Pontificem. Ut ejus commemoratio in Diptychis vivorum fieret, ex veteri disciplina fuit, sed non ita, ut in quotidianis Missis nomen ejus recitaretur: cùm id tantummodo observari soleret erga Patriarchas, in cujus Diœcesibus erant Ecclesiæ. Cùm vigeret inter Ecclesias concordia, novusque Romanus Pontifex de Ordinatione sua literas publicè scriberet, recitabatur inter Diptycha vivorum, ejus nomen, ut decessoris inter commemorationes defunctorum; sed cùm id non continuò fieret, memoria illa Codicibus Liturgicis non inscribebatur. Talem fuisse disciplinam conjicimus ex ea quæ postmodum apud Coptitas viguit, & cujus probationes habemus multiplices in Historia Patriarchali, circa commemorationem nominis Patriarcharum Antiochenorum ejusdem sectæ Jacobiticæ, cum quibus arctissimam Alexandrini communionem habebant. Vacante Antiochena sede, qui ad eam obtinendam eligebatur, statim Synodicas literas ad Alexandrinum Patriarcham per Episcopos duos mittebat. Illis literis in consessu Episcoporum Ægyptiorum lectis, nomen novi Patriarchæ Diptychis vivorum inscribebatur, & in Liturgia recitabatur: neque id fiebat, priùs quàm literæ pervenissent. Eo usque defuncti nomen tanquam viventis, ad altare recitabatur. Cùm porrò consuetudo illa certa sit, variisque exemplis confirmetur, nullus tamen, quod sciamus, Codex visus est, qui constantem in Diptychis Antiocheni Patriarchæ memoriam contineat, etsi sanè multos vidimus. Itaque etiamsi codex Græcus ad Orthodoxorum Ecclesiam pertinuisset, quod de isto dici non potest: verùm de eo qui Liturgiam Marci continet certum videtur: nomen Romani Pontificis in Diptycho non extaret.

Deest folium hoc loco in Codice Regio, sed suppleri hiatus debet ex eadem Oratione quæ extat in Marci Græca, ut etiam in Copticis exemplaribus. Nempe rogatur Deus, ut benedicat congregationibus Christianorum, ut liberè & sine impedimento celebrentur.

Digitized by Google

P..60. l.30. Ὁ λαὸς λέγει Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν. *Populus dicit Credo in unum Deum.*

SYmbolum Nicænum apud Orientales omnes dici ſolet inter Miſſarum ſolemnia, & quidem, ante Oſculum pacis, ut habet Codex Regius. In Copticis, quia rubricæ aut omnino deſunt, aut aliis locis, unde petendæ ſunt, deſcribuntur, plerumque deeſt ea quæ ſpectat recitationem Symboli. In aliquibus tamen reperitur quos interpretando ſecuti ſumus. In Græca Marci, aſſignatur poſt orationes oſculi pacis: niſi peccatum ſit à librariis, quod videtur veriſimile.

P.60. l. 32. Εὐχὴ ἀσπασμοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου. *Oratio Pacis S. Baſilii.*

NOmen Baſilii adjicere huic orationi ſuperfluum erat, ſi olim conſtitiſſet ſcriptam ab eo eſſe, ut ſe habet, hanc Liturgiam, in qua opinione antiquitus non fuiſſe videntur Alexandrini. Et fortaſſis hunc titulum ſortita eſt, ab illa oratione quæ extat in Græca Baſilii, paulò tamen prolixior. Nam, ut alibi obſervatum eſt, Anaphora propriè dicta, incipit ab oratione oſculi pacis, aut à Præfatione, quæ ſtatim ſequitur: unde proclive fuit, ut quæ prima occurrebat oratio titulum toti Liturgiæ ſucceſſu temporis communicaret. Omnes enim quæ præcedunt, ad præparationem pertinent, reliquiſque communes ſunt. Obſtat tamen huic conjecturæ, quòd iſta pacis dandæ oratio, non habetur in Copticis exemplaribus.

P. 61. l.11. Καὶ δὸς ἡμῖν. *Et da nobis ut cum omni timore & conſcientia pura offeramus tibi ſpirituale hoc & incruentum ſacrificium, &c.*

LOcus inſignis, & qui ſummam de Euchariſtiæ ſacrificio Theologiam paucis verbis complectitur. Agnoſcebant ſcilicet qui talibus verbis Euchariſtiam celebrantes utebantur, ſacram actionem eſſe ſacrificium, ſpirituale & incruentum: eſſe quoque λογικὴν λατρείαν ſpiritualem adorationis religioniſque ſummæ cultum, qualis ſoli Deo debetur. Eamdem ſacram actionem eſſe, cujus ipſe formam Apoſtolis præſcripſit, dum illis præcepit, ut ita facerent in ſui memoriam. Itaque ex illorum ſententia, Liturgia ſacrificium eſt, idem quod Apoſtoli Deo obtulerunt, atque adeo formam exprimens Cœnæ Apoſtolicæ & Evangelicæ: nec enim verba ſignificationem aliam admittunt. Colitur ergo Deus, & quidem λατρείᾳ λογικῇ, non profanâ aut Judaicâ, quia ſpiritale eſt, & incruentum ſacrificium, cùm Apoſtolorum exemplo celebratur memoria mortis Domini. At nihil magis diverſum eſt ab illa actione religioſa ſeu λατρείᾳ λογικῇ, quàm tot Proteſtantium Cœnæ, neque inter ſe, neque cum veteris

Eccleſiæ

Eccleſiæ more conſentientes : cùm omnes Liturgiæ Orientales & Occidentales conſtent precibus maximè ſimilibus, in unamque ſententiam conſpirantibus : ritibus qui ad unam eamdemque ſacram actionem referuntur, quique exceptis illis, qui ad honorem Sacramenti decoremque domûs Dei pertinent, iidem omnino ſunt, eamdemque fidem & pietatem Chriſtianis inculcant, quoſque aboleri neceſſe fuit, ubi vetus doctrina realis præſentiæ oppugnata & rejecta eſt, quia illam neceſſariò inſinuabant.

Orationes aliæ ad oſculum pacis reperiuntur in Codice Coptico : tres verò quæ in Græco ſunt, non omnes dici ſolent, niſi ad libitum Sacerdotis, ut ad alias Liturgias notatum eſt ; conveniunt porrò omnes in eamdem ſententiam, ut Chriſtiani ab omni dolo, & μνησικακίᾳ hypocriſique liberi, caritatem ſinceram in proximum, oſculo ſancto teſtentur.

Oratio alia oſculi pacis. P. 63.

EXtat illa in Copticis quoque exemplaribus, ſed ita verſa eſt à Maronita Interprete, ut vim ejus & ſententiam aſſequi difficile ſit. Ita enim ille. *Dediſti nobis directionem Filii tui unigeniti, & myſterium hujus oblationis abſconditum* : quæ longè abeunt à vera iſtius orationis ſignificatione. Laudatur Deus à magnificentia beneficiorum ſuorum erga genus humanum, quòd ea quæ antiqui Prophetæ & Reges videre cupierunt & non viderunt, parvulis non modò revelaverit, ſed tractanda & celebranda tradiderit. *Nempe dediſti*, inquit, *nobis & exhibuiſti ſalutarem unigeniti Filii in carne diſpenſationem.* Hæc eſt οἰκονομία, quam vocem Coptitæ retinuerunt. Illud ſolùm diſcriminis animadvertitur inter illorum & Græcum codicem, quòd ſententiam ita conjungunt, ut intelligatur factam eſſe hanc revelationem, quando Chriſtus in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt : tunc enim dediſſe nobis *hujus ſacrificii myſtagogiam*: ſacrum ſcilicet Euchariſtiæ ſacrificium inſtituiſſe. Id Coptica verſio, diviſim Græcus textus quaſi ſimul dicta, conjunctimque accipienda ſignificat : ſententiâ ad idem redeunte. Agnoſcunt igitur per hanc Orationem Alexandrini, inſtitutionem divinam Sacramenti Euchariſtiæ, & præterea fatentur illam eſſe ſacrificium, neque de qualicumque ſacrificio id teſtantur, ſed de iſta quam celebrant, μυσταγωγίᾳ ; nam eam vocem retinuerunt Coptitæ. Si quæramus quæ ſit illa *Myſtagogia*, & ipſi reſpondeant, non aliud procul dubio dicturi ſunt quàm id quod multis verbis explicant illorum Theologi : nempe eſſe Liturgiam qualis apud eos celebratur. Credunt igitur illam eſſe proprium veræ legis ſacrificium, ut mox explicant, *in quo ovis & machæra ſpiritualis ſunt*, quia agnus ille, is ipſe qui tollit peccata mundi, licet verè, myſticè tamen immolatur, hoc eſt in Sacramento. Si Liturgia ; Miſſa quoque ſacrificium eſt à Chriſto inſtitutum & diſcipulis traditum ; non inventum Romanæ Eccleſiæ, à qua illam Orientales non acceperunt, ſed ab Apoſtolica Traditione divinaque inſtitutione, per infinitum erga

Digitized by Google

genus humanum beneficium, quòd alterius, nempe Incarnationis unigeniti filii Dei, & ejus in carne conversationis complementum fuit. Omnia sanè quæ hæc oratio continet, ad sacrificium crucis non posse referri, sed ad ejusdem in Liturgia repræsentationem nemo non intelligit: quippe verba ipsa intelligentiam determinant, cùm non simpliciter de sacrificio loquantur; sed de hoc ipso, quod statim Sacerdos oblaturus est. Videant qui Plessæum, Molinæum, Rivetum & alios ejusmodi Criticos admirantur, an rectè affirmaverint, nullam in Græcis Liturgiis sacrificii mentionem fieri, cùm Ecclesia Alexandrina, à mille & ampliùs annis avulsa à reliquarum communione, contrarium doceat tam perspicuè, quod quidem non à Dioscoro & aliis ejus sectatoribus didicerat, sed ab Ecclesia Catholica. Sanctos Patres qui similia passim docuerunt, rhetoricatos esse, non Theologicè locutos, Calvinus pertendit, atque adeo neque illos excusari vult, neque audiri. At Christiana plebs, ut Episcopos sacerdotesque prætermittamus, illos audiebat, plenamque adhibebat verbis illorum fidem, cùm similes orationes acclamatione τοῦ *Amen* confirmabat. Neque Ægyptii nativi cùm Græcam Liturgiam suâ linguâ populo illiterato exhibuerunt, emollire curaverunt incommodas illas, & ad superstitionem ducentes, ut Calvinistæ volunt, locutiones; sed ne ipsorum culpâ vis ipsorum verborum per migrationem in alienam linguam detereretur, illa ipsa retinuerunt: & versionum Arabicarum autores pari religione, eas usurpaverunt, quæ Græcæ θυσίᾳ accuratissimè responderent. Cedant eruditi illi, qui tot Arabicis laciniis, inutiliter ut plurimùm, Dissertationes suas onerant, vel unum Liturgiarum interpretem aut Theologum, qui aliter quàm ad literam hæc explicet; verbum non ampliùs addemus: sed id præstare nemo possit.

P. 64. l. 17. Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας. *Sursum corda.*

ADmonitionis istius, quæ à Sacerdote fit per modum dialogi ad circumstantes Clerum & populum, forma simplex & unica est in omnibus Ecclesiis, si Nestorianos excipimus, qui paraphrasticè illam enunciant, qua de re dicetur in notis ad illorum Liturgiam. Diaconus, quod frequenter facit, monet adstantes, ut modestè stent Στῶμεν καλῶς, quæ formula in Græco Ritu, Syriaco & aliis perpetuò recurrit. Coptitæ idem pluribus verbis faciunt: sed Græcè dicuntur omnia, quamvis ad imperitos Græcæ linguæ, ex antiquitatis veneratione. Προσφέρειν κατὰ τρόπον. Στάθητε. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε. Προσχῶμεν. Ἔλεος εἰρήνης. Θυσίαν αἰνέσεως: quæ formulæ extant passim in Græcis codicibus Liturgiarum Jacobi, Basilii & Chrysostomi. Tum Sacerdos dicit, *Dominus vobiscum*: respondetur. *Et cum spiritu tuo.* Reliqua se habent, ut in aliis omnibus officiis, nam Græcè dicuntur in Coptica Liturgia. Arabes quomodo potuerunt, variè interpretati sunt: sed plerumque rectè & fideliter, ut interpres hujus Græcæ: Maronita pessimè. *Ubi mentes vestra*: cùm in nostris codicibus, Regiis, Colbertinis & aliis legatur, *Levate corda vestra*: & *Sunt apud Dominum*, quæ Græcis satis respon-

Digitized by Google

dent. Deinde idem Maronita orationem ita pervertit. *Dignus eſt & juſtus, qui permanet princeps*, contra Græcam & Copticam lectionem, quæ ut apud omnes Eccleſias ita incipit. *Dignum & juſtum eſt, &c.*

Præfatio autem, ut vulgò vocamus, eadem ſignificat in omnibus Liturgicis officiis & in hymno Angelico deſinit: de qua cùm ad Copticam Baſilii Liturgiam dictum ſit, nihil ſupereſt ſingulari obſervatione dignum.

Τοῦτό ἐϛι τὸ σῶμά μȣ. *Hoc eſt corpus meum, &c.* P. 32. l. 27.

HÆc eſt frequentiſſima verborum Chriſti pronunciandorum forma, qualiter legitur in Gregorii, Marcique Græcis Liturgiis, ut etiam Copticis: nam neſcimus qua ratione Maronita interpres contra omnium librorum fidem verterit, *quod pro multis tradetur, & pro multis dabitur*: cùm Arabicæ verſiones vocem habeant quæ τῇ κλάσει accuratè reſpondet, ut etiam Coptica, ſed cujus rationem non habuit in toto interpretationis ſuæ decurſu. In eadem Coptica Liturgia interjicitur, *Amen*, in pleriſque Codicibus, ut in Græca; ſed in iſta nihil Græcè adjicitur poſt Chriſti verba: ad marginem Copticè legitur: *Hoc eſt in rei veritate.* Ita legitur in aliquot Codicibus: & nonnulli addunt: *Credo hoc in veritate ita eſſe.* Hanc brevem fidei Confeſſionem unico *Amen* includi, veteris Eccleſiæ exemplum confirmat: pertinet porrò ad agnoſcendam veritatem verborum Evangelicorum circa inſtitutionem Euchariſtiæ, qua ratione ſimul continetur Euchariſtiæ fides, quod ſatis veriſimile eſt, quamvis Confeſſio ante communionem, illam ſufficienter exprimat, qua de re dictum eſt ad Copticam Liturgiam. An antiquitùs extiterit apud Alexandrinos hæc formula, non omnino certum eſt: cùm ex Rubricarum defectu, levis admodum conjectura ſit: multæ nempe cæremoniæ obſervatæ ſunt inter actionem ſacram, quæ ſcriptæ non erant. Copticæ Liturgiæ, formam quam habent ex Græcis expreſſam, non noviter accepere, cùm id factum ſit, paulò poſt Muhamedanorum initia. Itaque nihil de hac confeſſione verbis Evangelicis ſubjuncta, temerè videtur ſtatuendum, ſive forma ſpectetur, ſive ſignificatio. Aſſenſum narrationi ex Evangelio contextæ ſimplicem, verba ipſa præ ſe ferunt: at confeſſionem de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia non excludunt, cùm Æthiopica Liturgia quæ ex Coptica expreſſa eſt, & à Patriarchis Alexandrinis ordinata, utramque contineat.

Invocatio Spiritus ſancti. P. 68.

NOvum & inſigne nobis hæc Liturgia argumentum ſubminiſtrat quo antiquitas hujus orationis, quæ præ cæteris ad probandam veram & realem elementorum tranſmutationem valet, ſimulque ejus vera lectio confirmentur. Satis tuta erat Copticorum codicum fides, cùm nulla obſervari poſſet inter illos diverſitas, & muniretur præterea conſenſu Græcarum omnium Liturgiarum veterum, Jacobi, Marci, Baſilii

Digitized by Google

& Chrysostomi : sed istius Codicis maxima est autoritas. Ex eo scilicet intelligitur nihil in textu mutandum, & frustra esse interpretationem, quam Salmasius Gregorianæ Copticæ Liturgiæ accommodare conatus est. Invocatur Spiritus sanctus, *ut veniat super nos peccatores & indignos servos tuos*, ait Sacerdos, *& super hæc dona* : nempe super ministros Christi, ut Sacerdotio suo rite fungantur; super dona, ut illa sanctificet. In sequenti particula orationis, verba Græca à Librariis malè habita sunt. Καὶ ποιήσει τὸ μὲν ἄρτον τοῦτον γίνεται εἰς τὸ ἅγιον σῶμα. &c. Cùm legendum sit. Καὶ ποιήσῃ τὸ μὲν ἄρτον τοῦτον γίνεσθαι ἅγιον σῶμα. Ita enim legisse Arabem interpretem, ex ejus versione constat. *Faciat esse*, vel *fieri corpus sanctum*. Coptica versio simpliciùs & meliùs. *Et faciat panem quidem istum corpus sanctum, &c.* Sententia utrovis modo exprimatur eadem est.

Oratio Fractionis. Προοίμιον τῆς κλάσεως.

Pag. 73. lin. 22.

Κλάσιν sive *Fractionem* vocant Orientales, eam Liturgiæ partem, in qua Sacerdos panem Eucharisticum frangit in plures particulas : quarum una major calici immittitur, & ex ea consignatur : tum ex eadem consignantur aliæ particulæ, quæ in disco dispositæ sunt, fitque id quod Græci vocant ἁγίαν ἕνωσιν, alii *obsignationem* : estque unio duarum specierum, quâ cæremoniâ testantur, ut dicit Dionysius Barsalibi, *corpus esse illius sanguinis, & sanguinem illius corporis*, quæ mox communicantibus distribuentur. In hoc verò loco Proœmium, nihil aliud significat quàm orationem, quæ fit ante ipsam fractionem ; non enim est quasi aliarum Præfatio. Quippe ut ad pacis osculum, ad εἰρηνικὰ, sive preces pro pace Ecclesiarum, ad gratiarum actionem, ita & ad fractionem diversæ assignantur orationum formulæ. Quatuor in hac Græca sunt ejusmodi orationes : quarum prima legitur in Coptico Codice, sed erat in Scaligerano, sine titulo, quem alii libri repræsentant, vocantque similiter, *Proœmium fractionis* : ita vertendum est, non *divisionis*, ut Maronita vertit. Si quidem actio illa significat fractionem corporis Christi, ut Commentatores Liturgiarum docent : Eadem est quoque vox Coptica, quæ legitur in forma verborum Christi. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, κλώμενον vel θρυπτόμενον, ut in Clementinis Constitutionibus & aliquibus Liturgiis legitur. Secunda quæ sancto

P. 74. 75. & 76. Basilio adscribitur, extat in ejusdem Græca Liturgia, quod indicium est scriptam illam fuisse, antequam hæc Alexandrina ordinata fuisset, aut adjunctam illi fuisse hanc orationem, quod verisimilius est, quia abest à Copticis Codicibus. Tertia in illis reperitur, cum levi admodum differentia. Quarta tandem, extat quoque in Coptica Liturgia, sed tribuitur Joanni Bostreno, vel, ut habet versio Arabica, Joanni Chrysostomo. Has autoribus suis asserere frustra foret, neque operæ pretium est de illarum origine fusiùs inquirere : satis enim illis sua autoritas constat, cùm diversis Ecclesiis, Orthodoxæ præsertim Græcæ, quæ Basilii Liturgiâ utebatur, communes fuerint. Jam de doctrina, quam illæ orationes continent, non nihil est observandum.

Digitized by Google

Veram & intimam communicationem corpori & sanguini Christi Domini, hæc verba significant : *Ut in puro testimonio conscientiæ nostræ suscipientes partem sanctificatorum tuorum uniamur sancto corpori Christi tui, ea dignè suscipientes.* Itaque agnoscunt qui ita loquuntur, fideles accipientes μεῖδα τ ἁγιασμάτω, *particulam elementorum consecratorum*, uniri corpori Christi, & quod sequitur, *habere illum habitantem in cordibus suis.* Neque hîc arguendi locus est, quasi unio illa fiat per fidem, ex cujus effectu solo, ut vulgò docent Protestantes, panis & calix fiant, dignè communicantibus, corpus & sanguis Christi. Nam non loquuntur de verè, sed dignè suscipiendo corpore & sanguine Domini ἀναξίως τοῦτα ἀξίως. Qui verò indignè suscipiunt, privantur spe & viatico vitæ æternæ, fructu scilicet Eucharistiæ, non corpore & sanguine Domini. Nam, ut alibi fusiùs demonstravimus, Græci & Orientales omnes Christiani, credunt impios accipere corpus Domini.

Verùm, si quæ foret in illis verbis difficultas, evanesceret illa procul dubio, per ea quæ in sequenti oratione leguntur. *Qui sanctificasti proposita dona ista, per illapsum sanctissimi tui Spiritus.* Ex illis enim agnoscitur consecrata jam fuisse, & facta esse corpus & sanguinem, non expectatâ illorum participatione per fidem communicantium : effectum verò non illorum fidei, sed operationi Spiritus sancti totum tribui, ut probant omnes Invocationis Spiritus sancti formulæ, quæ, nisi manifesta vis verbis fiat, non possunt aliud significare, ut alibi fusiùs probatum est.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας. *Oratio inclinationis capitis.* P. 77. l. 19.

AD suscipiendam benedictionem Sacerdotis, & postea generalem absolutionem. Maxima ejus pars legitur in Coptica Cyrilli Liturgia, non in Basiliana : at in altera ista, totum locum Interpres Maronita mirè corrupit : ut infra particulatim ostendetur. *Purifica nostrum interiorem hominem, sicut purus est unigenitus filius tuus, quem suscepturi sumus.* Ea verba perfectè repræsentat interpretatio Coptica hujus loci, in Cyrillina : quibus unigenitum Filium Dei suscipi in Eucharistia confitentur Alexandrini.

Ex Liturgia Præsanctificatorum D. Marci. P. 79. l. 20.

LOcus multùm animadvertendus, docet extitisse apud Ægyptios Liturgiam Præsanctificatorum, & quidem nomine D. Marci, de qua re alibi nihil quidquam legimus. Fuisse apud eos Præsanctificatorum Missam dubitari non potest, cùm Ecclesia Græca, ultra omnem memoriam illam usurpaverit, quæ disciplina adhuc viget : neque minùs certum, scriptam fuisse, quamvis huc usque in Codicibus Alexandrinis non reperiatur, neque Græcè, neque Copticè. Cùm verò ea, quam Euchologium exhibet, Præsanctificatorum Liturgia nullius autoris nomen ferat, fortasse Ægyptii qui hanc Basilianam descripserunt, illam

Digitized by Google

aut similem aliquam, D. Marci appellaverunt, quod usus illius Alexandriæ vulgaris esset. Verùm, ut ex multis locis observari potuit, titulorum, ut varietas, ita incertitudo maxima est: quæ enim hîc dicitur esse oratio ex Missa Præsanctificatorum D. Marci ea, aut saltem similis occurrit in Liturgia Græca Basilii. Ηνυσται καὶ τετέλεσται, ὅσον εἰς ἡμετέραν δύναμιν Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, τὸ τῆς σῆς οἰκονομίας μυστήριον. Εχομεν γὰρ τοῦ θανάτου σου τὴν μνήμην· εἴδομεν τῆς ἀναστάσεως σου τὸν τόπον· ἐνεπλήσθημεν τῆς ἀτελευτήτου σου ζωῆς· ἀπηλαύσαμεν τῆς ἀκενώτου σου τρυφῆς, ἧς καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι πάντας ἡμᾶς καταξιωθῆναι εὐδόκησον. *Perfectum est & consummatum, quantum in potestate nostra erat, Christe Deus noster, tuæ dispensationis mysterium. Habemus enim mortis tuæ memoriam. Vidimus resurrectionis tuæ typum. Repleti sumus vitâ tuâ, quæ finem non habet. Fruiti sumus deliciis tuis, quæ evacuari non possunt, quibus & in futuro sæculo omnes non dignos effici benignè concede.* Utramque orationem ex eadem origine profluxisse, satis apparet, quamvis Alexandrina pluribus verbis expressa sit. Inde ejus antiquitas demonstratur; simulque designatur, communem illis precibus titulum, antiquitus fuisse, cùm Marci Liturgiæ tribuatur ista oratio, ut aliæ nonnullæ quæ leguntur in Basiliana.

P.80. l. 19. Δέσποτα κύριε ὁ Θεὸς. *Dominator Domine Deus.*

HÆc oratio titulum in Græco codice nullum habet, at in Copticis qui illam repræsentant, vocatur, *Oratio absolutionis ad Patrem*; id enim & Coptica & Arabica verba significant, non *communionis* sive *consociationis*, ut existimavit vir Clarissimus & doctissimus Guillelmus Bonjour Augustinianus, qui illam orationem Romæ cum aliquot aliis Basilianæ Liturgiæ edidit anno 1699. Est autem hæc oratio, absolutionis cujusdam generalis formula, quæ pronunciari solet paulò ante communionem, illi non absimilis, quæ initio Liturgiæ dicitur, & de qua superiùs dictum est, quantùm opus erat.

P.82. l. 23. *Sacerdos elevat* Σπουδικὸν.

EX hac rubrica quam Codex Regius utraque lingua repræsentat, certam habemus disciplinæ Alexandrinorum probationem circa elevationem, & adorationem Eucharistiæ, de qua pauci admodum, etiam inter Catholicos accuratè scripserunt, cùm cæremoniam illam quærerent in loco non suo, nempe statim atque pronunciata sunt verba Christi. Totius quippe Orientis Christiani consuetudo fert, ut non priùs elevetur Sacramentum, & populo ostendatur, quam dicatur, *Sancta sanctis.* Ex hoc errore factum est ut multi, Orientalibus Ecclesiis ignotam esse elevationem temerè affirmaverint; & quasi compertum foret, adorari non posse Eucharistiam, nisi elevetur & ostendatur, quidam ulteriùs progressi, nullam illius adorationem in Oriente fieri statuerunt. Istud παράδοξον cùm Claudius Carentoniensis à sordidissimis autoribus mutuatum, quasi exploratam, & de qua dubitari non esset, veri-

Digitized by Google

tatem propoſuiſſet, velut bello adversùs Catholicos feliciter confecto, inter ſuos triumphavit. At iſtius Liturgiæ ſolius teſtimonium omnes illius rationes evertit, cùm ex eo conſtet, Euchariſtiam elevari, oſtendique populo; unde illam adorari ſequitur, ex ipſius Claudii & aliorum ratis ſententiis. Videnda quæ de hoc argumento alibi ſcripta ſunt, quibus plura, ſi vita ſuppetet, adjiciemus. *Perpet. T. 4. l. 3. c. 3.*

Vox Σανδικὸν quæ hîc occurrit, fruſtra quæretur in Gloſſariis Græco-Barbaris, non magis quàm in Arabicis Lexicis אסבאדיכון *Iſbadicon*, cùm eam peregrinam eſſe ſatis appareat. A Græca Διαστικὸν, formatam eſſe nempe, ut ſubintelligatur σῶμα, dubitari non poteſt: certè talem ſignificationem illam habere, ſeries orationum demonſtrat. Quippe Σανδικὸν eſt particula panis conſecrati major, quæ à cæteris ſecernitur, ex qua conſignatur calix, & quæ in meditullio diſci collocatur. Itaque quod vox illa ſignificat ſatis eſt perſpicuum: & cùm dicitur, *Sancta ſanctis*, nihil aliud quàm Euchariſtia poteſt deſignari, cùm præter illam ἅγια & ἁγιάσματα in altari nulla ſint, ad quæ ſoli ſancti admitti debeant. *Sancta* illa, eſſe Euchariſtiam, probat veteris Eccleſiæ diſciplina, cùm ſtatim communio diſtribui ſoleret, & eo ſpectaret celebris illa admonitio, ne alii quàm qui ad percipienda myſteria parati eſſent, accederent. Jamque etſi nondum percepta, *Sancta* exiſtimabantur: & ſecundùm quaſdam verſiones Syriacas hæc verba ita intelligebantur, ut ſignificarent, eſſe *Sancta ſanctorum*. Hæc quidem acclamatio non extabat in Codice Scaligerano, nec in Regiis aut in noſtro: verùm eam repræſentat Codex Regius ex recenſione Gabrielis Patriarchæ, qui & illius in Rituali ſuo meminit, unde illam in verſione noſtra repoſuimus, cùm illam omnium cujuſcumque linguæ Liturgiarum commendet autoritas, iſtius præſertim Græci, qui Copticum antiquitate ſuperat.

Ὁ ἱερεὺς λέγει τὴν Ὁμολογίαν. *Sacerdos dicit Confeſſionem.* *Pag. 83. l. 2.*

CONfeſſio iſta in omnibus Alexandrinis Græcis & Copticis Liturgiis reperitur, eſtque inſigne, ſi quod unquam, fidei de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, illarum Eccleſiarum teſtimonium. Vetuſtatem illius probat Liturgia Græca D. Marci. Cùm verò non integra referatur, ſed primæ tantùm voces Σῶμα ἁγιον: de tota illius forma qualis in primæva Orthodoxorum Alexandrinorum Liturgia extabat, judicari non poteſt. Ut enim ſe habet in Codice Regio, eam Jacobitis propriam eſſe certum eſt; cùm unius in Chriſto naturæ profeſſionem, quæ ad ſententiam Orthodoxam reduci non poteſt, contineat. Verùm magna ſe offert difficultas circa illam Confeſſionem. Legimus enim in Hiſtoria Patriarchali Gabrielem filium Tarich, qui inter illos LXX. numeratur, in prima Liturgia, quam more majorum in Monaſterio S. Macarii celebravit, pronunciaſſe illa verba, *fecit illam unam cum divinitate ſua*, & reliqua quæ ſequuntur: Monachos illa cum ſtupore audiviſſe, tanquam ſibi incognita, nec in ſuis Eccleſiis dici ſolita; tum de illorum ſenſu dubitaſſe, quaſi confuſionem, miſtionem, & *Hiſt. Patr. Alex. p. 502.*

Digitized by Google

alterationem inducerent. Respondisse Gabrielem, Confessionem se pronunciasse, quomodo ab Episcopis qui manus illi imposuerant, præscripta, verbatimque suggesta fuerat: statutum tamen eximendæ suspicionis causâ, ut adderetur, *sine mistione, confusione, aut alteratione.* Gesta sunt hæc statim post Gabrielis ordinationem, quæ facta est anno Martyrum 847. Jesu Christi 1131. Additionem porrò illam factam fuisse antequam Codex Græco-Arabicus Regius scriberetur, manifestum est; & illam omnes deinde Codices pervasisse inde efficitur, quod nullus huc usque visus sit, qui illam non exhibeat. Fortasse Alexandriæ recepta jam fuerat additio prima, quam Macariani Monachi nondum acceperant: quod tamen non nisi conjectando dici potest. At cùm prima Confessionis pars, nempe *Corpus sanctum*, usque ad illa: *Accepit illam ex B. Virgine*, Græcè dicenda præscribantur in Copticis Liturgiis, illa verò posterior pars non nisi Copticè, dubium inde nascitur, & quidem non inverisimile, quod antiquitus Confessio primis duabus periodis terminaretur, reliqua à Jacobitis addita postmodum fuerint. Ratio est quia quæcumque Græcè exstant in Copticis officiis, ex veteribus Græcis retenta sunt, ut adhortationes Diaconorum ad circumstantes: Προσχῶμεν. Στῶμεν καλῶς. Προσεύξασθε. Ἄξιον καὶ δίκαιον, & aliæ. Unde quòd tota ultima periodus Græcè non dicatur in Copticis Liturgiis, recentiorem illius institutionem non obscurè significat. Quod in hac Basiliana Græcè extat, non est certum antiquitatis indicium: sed illud significat huc usque ab omnibus ignoratum, fuisse Jacobiticas Ecclesias Ritus Alexandrini, quæ linguam Græcam in sacris conservaverint: cùm distinctio Jacobitarum & Orthodoxorum Patriarchatus Alexandrini certa videretur, quòd isti soli Græcè, ut etiamnum solent; nunquam à Muhamedanorum initio Copticè sacra fecissent: illi hac solâ linguâ, Græcè nunquam. At esse potuerunt homines Jacobitæ satis Græcè periti, ut hæc pauca verba transferrent, in quibus etiam barbaries quædam animadvertitur. Quidquid tandem sit, si de autoritate hujus Confessionis dubitandi vel minima causa superesset, confirmatur illa egregiè, ex comparatione Græci exemplaris, quod huc usque incognitum fuerat: tum Æthiopici, quod eamdem refert acceptam ab Alexandrina Ecclesia Jacobitica, quæ à tempore Benjamini Patriarchæ, qui sedem tenuit cùm Muhamedani Ægyptum subegerunt, omnes Æthiopibus sacrorum leges præscripsit.

In secunda Confessionis parte legitur ἡ σὰρξ ζωοποιὸς *caro vivifica*, quam vocem Coptitæ retinent: Arabes per גסד quæ *corpus* significat, reddiderunt, quod idem est. De voce, *vivifica*: quæstio etiam olim fuit sub Joanne Patriarcha LXXII. qui ordinatus est anno J. C. 1147. cùm Monachi nonnulli eam novitatis arguerent. At illi à Macario Semnudæ Episcopo & aliis, autoritate Cyrilli qui eâ usus fuerat confutati sunt. Nullum verò Codicem vidimus ubi ea non legatur. Quæ de eadem Confessione dicenda supersunt, fusè exposuimus in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam. In Codice Græco, præter eam Rubricam quæ Elevationem præscribit: aliæ nullæ sunt. Sed cùm in Copticis ritus

Hist. Patr. Alex. p. 526.

ritus minutatim explicatur, eumdem fuisse apud eos qui Græcè sacra celebrabant, non est dubitandum. Si qui fortè Codices Liturgiarum Græcos Alexandrini Ritus nanciscentur, ex illis quas indicavimus notis, hanc materiam uberiùs illustrare poterunt.

Observandum quoque obiter est in Liturgia D. Marci, turbatum aliquid videri, cùm *Sancta sanctis*, dicendum assignetur ante Fractionem, quod stare non potest : nam illa priùs fieri debet, non minùs quàm consignatio & unio utriusque speciei, antequam mysteria eleventur & populo ostendantur. Tum Confessione dictâ, statim communicat Sacerdos, mox aliis communionem distribuit.

Ὁ λαὸς λέγει ψάλμον ν'. *Populus dicit Psalmum 50.* P. 84. l. 12.

ERrore factum, ut *Sacerdos* excusum sit. Psalmus dicitur ad misericordiam à Deo implorandam, veniamque peccatorum. Κοινωνικὸν, oratio est ex earum genere quæ dicuntur ante communionem : modulus seu προσόμοιον in vulgatis Græcis Liturgiis, ut notat Goarius, qui apud Græcos dicitur ante fractionem ; hîc rectiùs post eam, & priusquam communio distribuatur. Esse autem ejusmodi κοινωνικὰ diversa, secundùm dierum varietatem, locus hic testatur. Sunt illa duplicis generis : nam quædam in Liturgiis adscribuntur, & dicuntur publicè, præeunte Diacono. Altera privati officii sunt, qualia extant in Horologio Græcorum, ea in parte quæ dicitur Ἀκολουθία τῆς ἁγίας μεταλήψεως ubi nonnullæ orationes reperiuntur, Basilio & Chrysostomo tributæ, & quarum magna pars ex illorum Liturgiis depromta est. Codicem quo κοινωνικὰ Alexandrinorum contineantur, nullum vidimus ; extitisse tamen non est dubitandum : nam Ecclesiastici libri aliquot recensentur ab Abulbircat, qui vix reperiuntur : & ex tali numero nonnulli esse possunt, qui κοινωνικὰ continerent. Græci hujus generis secundùm Ritum Alexandrinum multò rariores sunt, quia Constantinopolitani Patriarchæ omnes ferme suppresserunt, qui ab Ecclesiæ suæ consuetudine diversi essent. Euchol. p. 146.

Συναχθῆτε καὶ εἰσέλθετε οἱ Διάκονοι. *Congregamini & intrate Diaconi.* Ib. l. 15.

CUm rubricæ hoc in codice vix ullæ sint, & Coptici cæremonias diversas contineant, conjectandum est, sed secundùm verisimilitudinem. Observamus secundùm disciplinam Alexandrinæ Ecclesiæ, intra Βῆμα seu *sanctuarium*, constitisse Sacerdotes, Episcoposve, si sacris interessent, non verò Diaconos, nisi altaris ministerio fungerentur. Nam unus Diaconus altari adstabat, & ministrabat, ut passim notant rituum Interpretes : haud plures, ut in aliis propè omnibus Ecclesiis. Hoc igitur loco intelligendum videtur, Diaconum ministrantem vocare collegas suos ad Communionem, quam suscipiunt, postquam commu-

Digitized by Google

nicavit Sacerdos celebrans, & Sacerdoti socio seu ministranti dedit particulam consecratam, in manum, vel in cochleari, ut notat Gabriel: tum Diacono ministranti, & deinde aliis Diaconis mysteria impertit. Itaque vocantur his verbis, ut ad altare accedant, ubi communionem accipere solent, reliqui etiam ex Clero. Videnda sunt quæ de illius ritu diximus in notis ad Copticam Liturgiam: quamvis enim in cæremoniis fit aliqua diversitas, (nulla quippe Ecclesia est, aut fuit, quæ proprios aliquos non haberet, quod de Ægyptiacis testatur Abulbircat,) illa tamen levis admodum videtur fuisse: saltem explicari meliùs non potest, quàm ex ea quæ in Copticis officiis observatur.

P. 84. l. 18. Εὐχὴ εὐχαριστίας. *Oratio Gratiarum actionis post communionem.*

ISta, & quæ sequuntur orationes non eædem omnino sunt, si verba spectentur, ac illæ quibus officium terminatur in Coptica Liturgia. Nempe, ut superiùs observatum est, illarum orationum variæ formæ sunt ex diversis Liturgiis petitæ, neque omnes dici solent, nisi ad Sacerdotis arbitrium, sed omnium una sententia est. Prima quæ incipit, *Impletum est gaudio os nostrum*, paucis immutatis legitur in Copticis Codicibus. Sequitur alia quæ γονυκλισίας dicitur: in Copticis titulum habet, *Impositionis manuum*, sed oratio ipsa diversa est. Nec ista etiam exemplaria inter se perfectè consentiunt: nam ultima benedictio quæ extabat in Scaligerano Codice, omnino differt ab ea, quam Regii & alii Codices repræsentant. Idem observari potest in officiis Latinis, non modò Romani Ritus, sed Gothici, Mosarabici, Ambrosiani, Gallicani, præter singulares, multarum Ecclesiarum usu confirmatos. Nempe ante Communionem, & eâ peractâ, pronunciabantur benedictiones diversæ super populum à Sacerdotibus: & erant nonnullæ Episcopales dictæ, quia à solis Episcopis dicebantur. De illis accuratè & fusè scripsit Cardinalis Bona, quem consulere operæ pretium est, cùm multas ejusmodi benedictiones collegerit. Episcopalium collectiones extant in manuscriptis Codicibus, qui idcirco vocati sunt olim *Benedictionales libri*. Utque in hoc Ritu Alexandrino Diaconus dicit, Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ Θεῷ κλίνατε. *Inclinate capita vestra Deo*, ita in Latino, *Humiliate vos ad benedictionem*. In Gothico Missali præscribuntur orationes quæ dicuntur, *Post communionem* & *Collectio*: talis illa est in Missa in die Nativitatis Domini. *Sit nobis, Domine quæsumus, medicina mentis & corporis, quod de sancti altaris tui benedictione percipimus, ut nullis adversitatibus opprimamur, qui tanti remedii participatione muniuntur.* Tum occurrit prolixior benedictio populi, ad finem Missæ Innocentium. Similis in Missa Circumcisionis Domini: ubi duplex occurrit una ante, altera post communionem. *Respicere dignare hos populos tuos, qui per nostri oris officium benedictionum tuarum dona desiderant. Reple eos tua scientiâ voluntatis, ut in omnibus, mandatorum imperio, pie venerationis famulentur officio. Averte jocundas & noxias corporum voluptates, &c.* In secunda, *Benedicat vos Dominus omnipotens, & per abundantiam misericordiæ suæ cor*

Rer. Liturg. l. 2. c. 16.

Pag. 269.

P. 277.

P. 280.

veſtrum corroboret : mentem ſanctificet , vitam amplificet , caſtimoniam decoret , atque ſenſus veſtros in bonis operibus , ſemper ædificet : proſpera tribuat, pacem concedat. Variantur illæ benedictiones ſecundùm diverſas ſolennitates , argumento ſumto ex myſteriis quorum agitur memoria, aut ex ſanctorum quorum feſta celebrantur, rebus geſtis. Ita in aliis officiis : unaque omnium ſententia eſt , ut benedictiones ſuper populum myſteriis ſalutaribus refectum , à Deo effundantur , præſertim verò ſpirituales : neque omittuntur preces ad obtinenda divina beneficia, ad hujus vitæ tranquillitatem & ſecuritatem. Hæc verò ſunt quæ ultimis illis orationibus continentur , quæ, ut etiam Copticæ, ex variis Liturgiis collectæ ſunt , & ſub diverſis titulis leguntur. P. 289. 297. & 304.

Reliqua quæ ad iſtam Liturgiam poſſent obſervari , cùm in notis ad alias explicata ſint , præterimus.

****

IN LITURGIAM GRÆCAM SANCTI GREGORII ALEXANDRINAM NOTÆ.

LITURGIA SANCTI GREGORII. P. 90.

EAm cum Baſiliana , repræſentat Codex Regius Græco-Arabicus : de eaque idem dicendum eſt quod de præcedenti : magnam ſcilicet eſſe illius cum Coptica conformitatem , adeo ut una & eadem haberi debeat : cùm diverſitas ſit in illis ſolis orationibus , quæ ad ſacram Actionem ſeu Anaphoram propriè dictam non ſpectant : ut ſunt præparatoriæ , Gratiarum actionis, & aliæ nonnullæ.

Ὁ ὅπως ψάμψος ἡμᾶς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. *Qui viſitaſti nos in miſericordia & miſerationibus.* Ib. l. 4.

HÆc oratio non legitur in Copticis exemplaribus, neque in Græco-Arabico titulum ullum habet : occurrit autem in Liturgia ſancti Jacobi, inde notam illam toto Oriente fuiſſe manifeſtum eſt. Pag. 17.

Digitized by Google

P. 92. Εὐχὴ τῦ ἁγίυ εὐαγγελίυ. *Oratio Evangelii.*

ISta oratio non eſt loco ſuo poſita, cùm non dicatur Evangelium, ante eam quæ mox ſequitur: neque intermitti ſolet, ut commemorationes fiant. Itaque ſecunda iſtius pars, ad primam non pertinet, & ab ea eſt diſtinguenda.

Pag. 95. l. 7

Ibid. lin. 27. Εὐχὴ τῦ καταπετάσματος. *Oratio veli.*

DIverſa eſt ab ea quam Copticus codex habet: de qua videndæ notæ ad hunc locum. Iſta verò, Ὁ ὢν ἅγιος legitur in Liturgia Græca Baſilii, ſed dum canitur hymnus Cherubicus, ut etiam in ea Chryſoſtomi.

P. 50. & 90.

Εὐχὴ τῦ καταπετάσματος παρ' αἰγυπτίοις. *Oratio veli apud Ægyptios.*

EA ſola reperitur in Codice Coptico, neque temerè nota adjuncta eſt, quâ illam Ægyptiis propriam eſſe ſignificatur: cùm aliæ ex diverſis Liturgiis deſumtæ ſint: quæ ſi cum Copticis & aliis comparentur, etſi nonnulla ſit diverſitas, ſunt tamen ſimiles ſententiæ & eadem ſæpe verba. Unde conſtat preces illas non ſingularis alicujus, ſed univerſalis Orientalis Eccleſiæ fuiſſe.

Duæ quæ ſequuntur Orationes oſculi pacis, eædem ſunt ac illæ quas Codex Copticus repræſentat; ut etiam aliæ prope omnes quæ ſequuntur, de quibus nihil occurrit dicendum, quod in notis ad reliquas dictum non fuerit. Illud ſingulare iſti & paucis quibuſdam aliis Officiis Liturgicis, quod tota recitatio inſtitutionis Euchariſtiæ ita refertur, ut ad Chriſtum, in ſecunda perſona, oratio dirigatur.

P. 105. l. 25. Αὐτὸς οὖν διάθετα τῇ σῇ φωνῇ τὰ προκείμενα μετάποίησον. *Ipſe igitur Domine tua voce hæc propoſita tranſmuta.*

HUjus orationis ſententiam explicavimus in notis ad eundem locum Liturgiæ Copticæ, quæ expreſſiùs ſignificat realem Chriſti in altari præſentiam: de qua controverſia moveri nulla poteſt, cùm illa verba παρὼν, præſens ita explicentur, *qui coram nobis poſitus es.* De momento conſecrationis peractæ non diſputant Orientales, ideoque fruſtra in illorum orationibus ſignificatio quæreretur, reali tranſmutationi contraria. Invocant Chriſtum, ut myſterium hoc perficiat: non negant idcirco, conſecrationem jam factam, cùm ejus autorem & perfectorem, ut præſentem & coram ſe poſitum alloquantur. Sed tunc demum perfectum myſterium eſſe credunt, cùm omnia quæ ex inſtituto Chriſti, per Apoſtolos tradito obſervanda ſunt, perfecere. Cauſam

Digitized by Google

transmutationis principem, Christum & Spiritum sanctum agnoscunt: ministerialem, Sacerdotem qui verba Christi rite pronunciat, & ab eo petit, ut mittat Spiritum sanctum, qui omnia consummet atque perficiat. Sed hæc fusiùs explicata sunt.

Eâdem notâ dispunximus absurdissimum Claudii Salmasii Commentarium in illam periodum Invocationis Spiritus sancti, quæ est in Liturgia Coptica. Græca lectio illum ita refellit, ut cum tali interpretatione stare nullatenus queat, atque adeo, si quid obscuritatis foret in Copticis aut Arabicis exemplaribus, discuteretur illa subitò. Quæ igitur ad alias Invocationis formulas annotavimus, abunde sufficiunt.

Τῶν ἐυσεβῶς βασιλευσάντων. *Eorum qui piè regnant.* P. 108. l. 11.

VErti posset, *qui piè regnaverunt*; sed utramque significationem expressit Coptica Liturgia, ut etiam versiones Arabicæ. Qui hac Liturgiâ, aut aliis Alexandrini ritus utebantur Christiani, ex vetusta consuetudine, & ex Pauli Apostoli præcepto, orabant pro Imperatoribus & Regibus, quorum nullus tunc Christiani nominis hostis non erat. Mox oratum est pro iisdem, postquam Christo nomen dederunt, non quòd Christiani essent, sed quòd Imperatores. Illi verò cùm à Constantino usque religionem servassent, verè *pii & Christum amantes* dicebantur, unde hæc formula in Codices Liturgicos ubique recepta est. Videtur autem ea sola ratione conservata fuisse, quòd illam immutari debere nemo crederet, cùm id fieri non posset absque regnantis principis contumelia. Itaque hæsit in libris Missalibus, quamvis in aliquibus leviter immutata; nam in multi, simpliciter oratio fit pro Regibus. Nestoriani veterem formulam absque mutatione retinuerunt; ut legitur in Græca ista, nempe dum officio satisfacere videbantur, Principes quosdam suæ sectæ Christianos animo designabant, ut Tartaros illos, quorum Imperator à Ginghizchano profligatus est; & Indos quosdam in Malabarica Regulos. Similiter Jacobitæ Ægyptii de Regibus Æthiopiæ & Nubiæ cogitabant, qui erant, ut sunt etiamnum, Alexandrinæ sedi subjecti. De Muhamedanis Califis, Sultanis, aut aliis, verba Liturgiarum non possunt intelligi: nec tamen inde sequitur vetustiores esse Liturgias Muhamedano Imperio, ut nunc se habent. Sunt sanè institutæ longè ante illa tempora, cùm ex Græcis expressæ sint, sed aliquam diversis locis mutationem passas esse negari non potest: at neque designari quidquam quod ad insinuandam realis transmutationis doctrinam pertineat.

Προοίμιον τ̃ κλάσεως. *Procemium Fractionis.* P. 114. l. 3.

HÆc oratio non habetur in Copticis exemplaribus. Continet autem brevem & distinctam Theologiæ Orientalis explicationem, istis verbis: *qui Sacerdotes quidem in ordine ministrorum constituisti, per invisibilem autem tuam potestatem, ea transmutasti*, vel ad verbum *transelementasti*. Concilium Romanum anno 1079. in causa Berengarii ait. *Tom. 10. ed. Paris. p. 378.*

Digitized by Google

In 1. Cor. c. 10. Tom. 9. Conc. p. 1058.

Panem & vinum per ſacra orationis verba & Sacerdotis conſecrationem Spiritu ſancto inviſibiliter operante converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum, natum de Virgine. Remigius. *Panis quem frangimus, utique primùm conſecratur à Sacerdotibus & à Spiritu ſancto.* Aſcelinus Ep. 2. ad Berengarium. *Panem* ait, *& vinum in altari, Spiritus ſancti virtute per Sacerdotis miniſterium, verum corpus verumque ſanguinem Chriſti effici:* quæ teſtimonia ex multis aliis ſelecta, variis ex Ambroſiano, Gothico, Moſarabico aliiſque autoritatibus confirmantur: tantùm abeſt, ut quiſquam olim exiſtimaverit detrimentum inferri ſacro Sacerdotum miniſterio, ſi Chriſto & Spiritui ſancto ut cauſæ principi, conſecratio tribuatur. In ultima parte, ut in multis aliis, erratum eſt à librario, qui ſcripſit διὰ παντὸς περίχοντος, cùm manifeſtè περίχου legi debeat. Hoc loco deficit verſio Arabica.

Ib. l. 30.

Oratio Fractionis.

NEque illa extat in Copticis Codicibus: ſed quamvis iſti alios antiquitate non ſuperent, hæc tamen oratio ob perſpicuam Jacobitæ doctrinæ expoſitionem, Calchedonenſi Concilio vetuſtior eſſe non poteſt, cùm unius naturæ in Chriſto confeſſionem contineat, ſed abſque confuſione, aut alteratione. Quod ſequitur, agnoſcere Jacobitas Chriſtum eſſe *conſubſtantialem Patri ſecundùm divinitatem: conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem*, etſi mirum illis videri poſſit, qui illorum opinionem non novere, niſi ex vulgatis autoribus, veriſſimum tamen eſt. Quæ enim in hac oratione leguntur reperimus in Coptico Euchologio Bibliothecæ Regiæ, ubi inter *Theotokia*, ſeu Preces ad Deiparam, hæc occurrunt. *Verbum factum eſt homo, abſque diviſione, unus ex duobus, divinitate pura abſque corruptione, æqualis, ſive, conſubſtantialis Patri: humanitate indiviſa, conſubſtantialis nobis.* Reliqua totidem verbis exprimuntur in hymno ad Chriſtum. Plura de illorum opinione circa Incarnationem reperiuntur in Hiſtoria Patriarchali, & de illa dicendum erit alibi fuſiùs. Sed hæc oratio accuratè illam explicat, magnamque habere debet autoritatem: cùm variis fidei Confeſſionibus, Theologorumque ſententiis accuratè reſpondeat,

Hiſt. Patr. Alex. p. 305. 361. 365. 471. & 582.

Orationes fractionis aliæ quæ ſequuntur, ea præſertim quæ occurrit ultimo loco p. 117. cùm exſtent in Copticis exemplaribus, jam explicatæ ſunt in Notis ad Gregorianam illâ linguâ Liturgiam. Ex utriuſque porrò codicis comparatione, ſi quæ erat in alterutro obſcuritas, plenè diſcutitur, & veræ, non metaphoricæ tranſmutationis fides quam continent, egregiè confirmatur tribus diverſis linguis, Græcâ, Ægyptiacâ, & Arabicâ. Iſtâ verò ultimâ linguâ, cùm plures verſiones habeamus, creſcit majorem in modum teſtium veteris fidei numerus: inter quos nullus, aut interpretando, literalem & ſimplicem ſignificationem, ad figuratas locutiones avertit, aut per obſervationem adjunctam, ut aliter quàm verba ſonant intelligerentur, admonuit.

Digitized by Google

Oratio alia Fractionis.

P.117. l. 23.

Benedictus es Christe Deus noster. Cùm hæc oratio legatur in Coptico exemplari, multa quæ in ea obſervatu digniſſima ſunt, expoſuimus in notis ad eumdem locum, quas vide.

Εὐχὴ ἄλλη ὁμοίως. *Oratio alia ſimiliter dicenda.*

Pag.120. l. 1.

Σὺ γὰρ εἶ ὁ κλῶν & κλώμενος, καὶ ἄκλαστος. *Tu es enim qui frangis & frangeris, quamvis non fractus.*

SEntentia hæc, & aliæ ſimiles quæ in Græcorum Orientaliumque libris paſſim occurrunt, illis qui veram elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutationem rejiciunt, venire numquam poſſunt in mentem: nec ab illis, quacumque ratione illas torqueant, poſſunt explicari. Chriſtum ſcilicet, Orientales in Euchariſtia præſentem ita agnoſcunt, ut viventem, Sacerdotemque ſecundùm Ordinem Melchiſedech, Pontificem futurorum bonorum, qui Sacramentum quod ipſe inſtituit, præſentiâ ſuâ, & ineffabili operatione Spiritus ſancti perficiat. Eò ſpectant illa quæ ſuperiùs leguntur. *Qui tunc benedixiſti, etiam nunc benedic: qui tunc ſanctificaſti, etiam nunc ſanctifica: Qui tunc fregiſti, etiam nunc frange: Qui tunc dediſti diſcipulis & Apoſtolis tuis, etiam nunc domine da nobis & omni populo tuo.* Igitur Sacerdos antequam Euchariſticum panem frangat, quod facere debet, ut Chriſti exemplum imitetur, eum invocat, ut fractioni præſens ſit, eamque ſanctificet: eaque ratione, Chriſtus frangit per Sacerdotis miniſterium, ſicut benedicit & ſanctificat eodem illius miniſterio. Cùm verò panis ille conſecratus, ſit ipſum corpus vivum Chriſti Domini, dicunt Coptitæ, Chriſtum eſſe ipſum qui ut Deus, præſens omnipotenti virtute ſua, ſacramenta per Spiritum ſanctum inviſibiliter perficiens: per Sacerdotem viſibiliter operans, frangit, id eſt, idem facit quod in Euchariſtiæ inſtitutione fecerat. Eſſe quoque ipſum qui frangitur: quia corpus ejus vivum, ſub ſpecie panis frangitur, manet tamen ἄκλαστον, quia nulli jam paſſioni eſt obnoxium, idem corpus. Ita Neſtoriani in Liturgiis ſuis dicunt, *Oblationem vivam & rationalem primitiarum noſtrarum, victimamque non immolatam, Deo offerri.* Item, *Agnum Dei qui quotidie ſacrificatur ſacramentaliter, & vivit in ſecula:* & alia de quibus videndæ notæ ad Theodori Liturgiam. Pari intellectu Græci dixerunt, Chriſtum eſſe in Sacramento eum qui offert, & qui offertur, ſecuti Gregorium Theologum, qui ita locutus eſt in Apologetico. Ὅτι μιᾶς ἀξίας ἐστὶ μεγάλου θεοῦ, & θύματος, καὶ ἀρχιερέως, ὅστις μὴ πρότερον ἑαυτὸν παραστήσει τῷ θεῷ θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν. *Dignum eſſe neminem, magno Deo, hoſtiâ & Pontifice, qui non prius exhibuerit ſe Deo hoſtiam vivam, & ſanctam.* Ea occaſione turbæ non mediocres excitatæ ſunt in Eccleſia Conſtantinopolitana anno Chriſti M. CLVI. Sub Manuele Comneno, de quibus Cinnamus l. 4. Nicetas l. 7. & autores alii fusè ſcripſerunt. Nempe cùm Baſilius Diaconus interpretando Evan-

P.114.

Lit. Theodori.

gelium, publicè hanc doctrinam ex pulpito prædicasset, Michael Protecdicus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Nicephorus Basilacius, & alii, eam, tanquam hæresin Nestorianam induceret, impugnaverunt, quibus adhæsere Soterichus Panteugenus Patriarcha Antiochenus designatus, Eustathius Metropolita Dyrrachii, & alii nonnulli. Synodo habita eodem anno, anathema pronunciatum in illos est, qui explicatam à Basilio doctrinam impugnarent. Totam istius controversiæ historiam accuratè ex Græcis autoribus explicavit Leo Allatius; tum multa Theologorum veterum & recentiorum testimonia collegit, non modò ex libris editis, sed etiam ex manuscriptis. Ea omnia Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus, transtulit in Enchiridion suum, seu editionem Tractatûs quem, titulo *Scuti fidei Orthodoxæ*, scripserat, quique Synodi Hierosolymitanæ seu Bethleemiticæ, quia in ea probatus & confirmatus fuerat, nomine Lutetiæ olim editus est. Tantùm abest porrò, ut quod anno M. DCLXXII. scripserat, Synodoque proposuerat, retractaverit, quin potiùs ea novis & quidem multis argumentis confirmavit. Quòd ab Allatio descripsit magnam testimoniorum partem, id eum λανθάνεσθαι fuisse non probat, cùm in odio Romanæ Ecclesiæ consenuisse eum sciant omnes, qui Constantinopoli aut Hierosolymis illum viderunt, & satis demonstret Nectarii, cujus discipulus fuit, liber adversùs Primatum Romani Pontificis; cujus operis, autorem illum potiùs quam editorem fuisse, fama in Oriente fuit. Verùm cùm illud publicaverit & in Præfatione quâ Nectarii vitam breviter complexus est, illum ab inimicitiis quas contra Latinos perpetuò exercuerat, impensè laudaverit, non minùs quàm Meletium Syrigum, cujus refutationem Confessionis Cyrilli Lucaris simul edidit, frustra illius in Latinos propensio quæritur, à qua longissimè remotus fuit. Cùm verò Allatianam testimoniorum ex Græcis Autoribus Collectionem in opus suum transfudit, eâdem operâ nullam inter Græcos Latinosque de Eucharistiæ fide controversiam esse professus est; agnovitque nihil ab Allatio referri, quod Græcis ignotum foret aut improbatum. De eadem controversia videnda etiam quæ scripsit idem Allatius in Præfatione ad excerpta varia Rhetorum & Sophistarum, in qua multos & quidem gravissimos Wolphii, dum Nicetam interpretatus est, errores emendat.

Exercit. 26. adv. Creighton. p. 522. & seq.

Enchir. p. 47. & s.

Roma 1641.

Pag. 120. Εὐχὴ τῆς ἀπολύσεως.

INtelligenda est oratio *Absolutionis* quæ paulò ante Confessionem fidei de Eucharistia, pronunciari solet, ut in aliis Liturgiis observare licet. Nulla ad hanc partem Græci Codicis, extat versio Arabica. Sed de sententia dubium esse nullum potest, cùm eo ipso loco notetur in Codice Coptico, dicendam esse orationem Absolutionis, sed quæ sumenda sit ex Liturgia sancti Basilii: quæ diversa est ab ea quam Græcus Codex & Copticus repræsentant. Sunt quippe variæ istarum absolutionum formulæ.

Sequitur Confessio fidei *Corpus sanctum* & reliqua, quæ cum aliis omnino consentiunt; atque adeo nullis novis observationibus indigent, ut neque preces aliæ quibus hæc Liturgia concluditur.

IN LITURGIAM GRÆCAM SANCTI MARCI SIVE SANCTI CYRILLI NOTÆ.

HUjus officii pars prima, non est Anaphora propriè dicta, sed eas orationes complectitur quæ aliis Liturgiis servire possunt ad præparationem, extenduntur que usque ad Orationem osculi pacis. Quòd autem huic officio præmissæ sunt, ea ratio reddi potest. Fuisse Ecclesias ritus Alexandrini, in quibus sola ista Liturgia usurparetur, non duæ alteræ, Basilii & Gregorii Theologi: aut cùm in Codice Cryptaferratensi, hæc unica reperiretur, ne Sacerdotes eâ utentes ad sacrorum mysteriorum celebrationem, alio codice quo preces συμπροσφορικαὶ; & aliæ continebantur opus haberent, ex illo adjunctas esse; quod factum observamus in aliquot Copticis exemplaribus, ubi una ex tribus sola descripta erat Liturgia. In illis prima ista pars sumebatur ex Basilii Liturgia, quam sub hoc titulo Græci cognovisse non videntur, sed sub Marci nomine, quia propria erat sedis Alexandrinæ, ab illo fundatæ. Inde fit, ut plures orationes, quæ in prima sunt, in ista legantur. Si in reliquis non accuratè respondent omnia, sive preces, sive ritus, mirum esse non debet, cùm circa preces, insignis & alicujus momenti diversitas nulla sit: ritus verò non modò in diversis Provinciis (nam multas Alexandrina Diœcesis complectebatur;) sed in una urbe per Ecclesias, possint esse diversi: ut in Ægypto, singulares quosdam habebant Monachi sancti Macarii, quod Abulbircat & alii testantur. Verùm si momenti alicujus discrimen inter illas Liturgias aliquibus observari posse existimetur, illis præsertim qui illas obiter tantùm inspexerunt, ea illius causa videtur esse, quòd ista Marci non tam ad Jacobitas, quàm ad Orthodoxos Alexandrinos olim pertinuit, cùm in ea vix quidquam Monophysitarum doctrinæ simile reperiatur. Nec aliam, ut existimamus, designavit Marcus Patriarcha Alexandrinus, cùm de illa sententiam Theodori Balsamonis exquireret. *Pag.* 131.

Juris Orient. l. 5. Ed. G. L. p. 362.

Digitized by Google

Ib. l. 11. *Ευχαριστοῦμεν, &c. Gratias agimus.*

HÆc eſt oratio Gratiarum actionis, ut vocatur in Copticis exemplaribus; quæ hoc loco non eamdem modò ſententiam, ſed ipſa verba repræſentat. Vide notas ad eum locum.

P. 132. l. 25. *Orate pro Rege.*

VErtendum potiùs fuit, *pro Imperatore*: nam hæc oratio ſimul cum aliis Liturgicis, ſcripta eſt antequam Muhamedani Ægyptum ſubegiſſent. Copticas Liturgias Joſephus Scaliger vetuſtiores Græcis eſſe cenſebat, quia ſtante adhuc Romano Imperio ſcriptæ videbantur: at Græcum exemplar primarium & archetypum eſſe, quamvis multa argumenta non probarent, ex iſta & duabus aliis Liturgiis Alexandrinis Græcis demonſtratur. Illam autem, ut Græcè extat, orationem, immutatam ab antiqua lectione eſſe ſuſpicamur, quando ut ſe habet, non modò Chriſtianis principibus, ſed aliis poteſt convenire; cùm in Liturgiis Conſtantinopolitanis & aliis, etiam Orientalibus, ſæpe adjunctum reperiatur πιστῶν, *Fidelium*. Eſt etiam unde ſuſpicemur iſtam orationem & reliquas quæ ſequuntur eſſe tranſpoſitas: cùm in aliis Liturgiis Alexandrini ritus, ſequantur Orationem *Abſolutionis*, cui in Græco codice præmittitur.

P. 134. l. 1. *Beatiſſimum Pontificem noſtrum Papam N.*

HOc loco non agitur de Romano Pontifice, ſed de Patriarcha Alexandrino, cui *Papæ* nomen dudum tribuitur, non ob inſulſam
Eutych. T. 1. p. 74. Eutychii rationem, quaſi, quòd eſſet Pater Epiſcoporum, qui Patres vocari ſolebant, ipſe *Papa*, hoc eſt avus, appellaretur, ſed ex vetuſtiſſima conſuetudine, de qua alibi dictum eſt. Quòd ſi Maxrizius & alii nonnulli Eutychium ſecuti ſunt, hominis dignitas eos circumvenit: neque Muhamedanus divinare poterat Patriarcham Alexandrinum in Originibus Eccleſiæ ſuæ, peccaſſe tam graviter. Sed hæc alibi, quantum opus erat, explicata ſunt.

p. 135. l. 1. *Oratio Introitus.*

CAve ne Introitum hîc intelligas Romano more. Is enim de quo agitur, eſt quem Græci *Minorem Introitum* vocant, illatio ſcilicet Evangelii, de qua mox dicetur.

Digitized by Google

*Ita, & *.*

Ib. l. 18.

IBi aliquid deesse notavit primus editor & interpres Joannes à sancto Andrea. Sed fortasse desunt plura quam ipse existimavit. οὕτως ἐν ἐμοὶ ἰμᾶς τὸν πεπιστωκότας δήλως ζῶ ἐν τῇ αὐτῇ φ τῆς ἱερουργίας ταῖς * τοῖς ἐπιτίτοις, ad hæc verba annotavit. *Deest aliquid in contextu Græco, quale est* προσδέξαι δεήσεις *suscipe orationes Episcoporum, &c. aut potiùs* ἐπιβλέψας δεήσεσιν τὰ αἰτήματα τοῖς, *&c.* Nihil minùs, ut videtur. Oratio est, *Absolutionis*, generalis scilicet illius, quæ ritu Alexandrino inter primas præparatorias solet recitari, non modò super circumstantes, sed super Sacerdotem celebrantem, ab eo qui dignior est, si quis Liturgiæ interfit. Sensus igitur abruptus est, nisi periodus aliqua supponatur deesse, quæ ad absolutionem illam pertineat. Cùmque in Liturgia Basilii, sequatur *Oratio thuris*, cujus mentio est in verbis illis quæ lacunam proximè sequuntur, duæ orationes in unam videntur, aut librariorum negligentiâ, aut codicis mutilatione coaluisse.

Εισόδος Ευαγγελίου. *Introitus Evangelii.*

P. 136. l. 11.

IS est quem εἰσοδον λόγου Græci appellant, cujus ritum accurratè descripsit Jacobus Goarius in notis ad Missam Joannis Chrysostomi, cùm scilicet infertur Evangeliorum liber cum cereis accensis, thuribulis fumantibus, & Ecclesiasticorum processione. Eadem Orientalium hoc in parte disciplina est, de qua dictum est ad Liturgiam Basilii. Eam Evangelii illationem sequitur oratio ante ejus lectionem: sed cùm aliæ dicantur ante lectiones Epistolarum Pauli, & Catholicarum, supplendæ illæ sunt ex alia Liturgia, nihil enim ex Scripturis legitur in Orientali ritu, absque prævia singulari oratione. Quæ ad Evangelium legendum pertinet, ejusdem sententiæ est, ac illa quàm Codex Copticus, Syriaci & alii repræsentant. *Euchолog. p. 16.*

Trisagium.

Pag. 135. l. 15.

HOc loco non assignatur in aliis Liturgiis. Quod verò legitur hîc, ut apud Orthodoxos cani solebat, absque additione illorum verborum *qui crucifixus es pro nobis* quam Petrus Gnapheus induxit, Orthodoxæ doctrinæ signum est, simulque antiquitatis. Jacobitæ quippe Ægyptii, non minùs quàm Syri illa verba subjungunt: unde constat hanc Liturgiam ad illos non pertinuisse, verùm ad Orthodoxos: idque eo verisimilius est, quòd in illa nihil occurrit quod Monophysitarum hæresin vel leviter redoleat.

Συναπτή.

Pag. 138. l. 19.

NOn est propriè loquendo Collecta, quo sensu illa vox in Latinis Missalibus usurpatur, sed oratio quæ lectioni Evangelii statim subjungitur. Continet autem preces pro omnibus personis, & publicis necessitatibus, pro quibus oratur ante inceptam Anaphoram & post

Digitized by Google

consecrationem. Inter alias animadvertenda est oratio *pro aquis fluminis*, Nili scilicet, de quibus solis hæc verba intelligi possunt ἀνάγαγε εἰς τὸ μέτρον: *Eleva eas ad justam mensuram*; quod certum indicium est pertinuisse illam Liturgiam ad Ecclesias Ægyptiacas; non minùs quàm Copticas in quibus idem legitur. De hac oratione dicta sunt plura in nostris ad easdem notis. Oratio quoque fit pro Regibus, quos dum hæc Liturgia scripta est, Christianos fuisse verisimile est: nam infidelibus verba non conveniissent.

P. 139. l. 26. Διάκονος λέγει τὰς τρεῖς.

AD hanc rubricam hæc notavit Joannes à sancto Andrea. *Fortè Litanias tres intelligit, quarum tamen prima ante Evangelium; reliquæ duæ, recitato Evangelio dicuntur in D. Basilii Missa.* Nihil simile hîc intelligendum est. Tres orationes significantur, quas exhibet prima Coptitarum Liturgia: quæ sunt Oratio τῶ καταπετάσματος: 2. Pro pace. 3. Pro Patriarcha & Ordine Ecclesiastico, & universa Ecclesia, quæ, ut notissimæ omittuntur, petendæ scilicet ex alio codice. *Litania*, nostro more loquendo, nullæ in ritu Orientali sunt; etiamsi *Kyrie eleison* pluries repetatur, à qua formula Litaniæ nostræ incipiunt, & eâdem concluduntur. Sed neque Græci illas noverunt. Hanc opinionem habuit Josephus Scaliger, Litanias esse illas orationes, ubi *Kyrie eleison* sæpius repetitur, & existimavit à Diptychis manasse: ingeniosè, sed non verè. Diptycha adhuc conservantur in Ritu Alexandrino, ut etiam ipsa vox: neque commune quidquam habent cum ista oratione, quàm *Litaniam* vocavit hujus Liturgiæ interpres. Sacerdos orat pro omnibus, & de omnibus. Diaconus initio cujusque orationis, quarum aliquam & majorem partem Sacerdos secretò dicit, alta voce monet circumstantes, ut orent, secundùm Sacerdotis intentionem. *Orate pro pace, pro Papa, pro Ecclesia*, &c. Populus acclamat, *Kyrie eleison*, ter ut plurimùm, aliquando pluries. Nulla sanctorum, ut in Litaniis nostris, commemoratio. Orationes porrò quæ hic leguntur, Copticis persimiles sunt, ut etiam aliis cujuscumque ritus. Una difficultas supereſt, quòd tres Orationes non dicuntur à Diacono, sed à Sacerdote celebrante; verùm ea non magni momenti est, cùm Diaconi officium sit, monere non modò populum, sed ipsos etiam Sacerdotes quid dicendum sit, ut apud nos annunciatur celebranti à cantoribus Antiphona. Intelligi etiam potest τὰς τρεῖς, non ipsas orationes Sacerdoti recitandas significare; sed totidem Diaconi prævias ad populum monitiones.

Ep. ad Marcum Velserum.

P. 141. l. 6. *Videte ne quis Cathecumenorum.*

ISTud ex veteri disciplina, quod Liturgiæ antiquitatem significat. In Copticis nihil simile, quia usus expulsionis Catechumenorum & pœnitentium obsoleverat: ut hoc Liturgiæ loco, de suis Syris testatur Jacobus Edessenus, & eum secutus Dionysius Barsalibi. Catechumenis

Digitized by Google

verò locus non fuit, ex quo Muhamedanorum tyrannide Ecclesiæ Orientales oppressæ sunt: nam ne in Barbarorum servitutem rapiantur Christiani infantes, statim baptisari solent, cùm tales Christi charactere insignitos, non tam facilè Muhamedani rapiant.

Hic psallant Cherubim mysticè. P. 141. l. 8.

SEntentia est quam obscuravit interpres, cani hoc loco orationem quæ incipit. Οἱ χερουβὶμ μυστικῶς, quæ quidem non refertur nisi vocibus initialibus: similisque est aliis quæ occurrunt eo ipso loco ad hymnum Cherubicum.

Εἰσόδιον. Ib. l. 7.

NIhil minus est quàm quod dicit Interpres *munus honorarium*. Εἰσόδιον nisi subintelligenda est vox *hymnus* aut alia similis, idem est ac εἰσόδος, sive *magnus*, ut Græci vocant, *Introitus*, cùm panis Eucharisticus, simul cum calice, & ampullis vini & aquæ ad sacrificium destinatis, infertur cum solenni pompa à *Prothesi*, sive ut nos vulgò dicimus, *Credentia*; aut etiam ex scevophylacio, sive sacristia, ad altare. Ritum integrum, ut à Græcis observatur, descripsit Jacobus Goarius, & ex illius descriptione intelligi potest is quem sequuntur Orientales, de quo etiam diximus in notis ad alias Liturgias. Tanta est enim illorum erga Eucharistiam religio, ut non modò eam venerentur, & adorent, sed panis & vini elementa, statim atque consecrationi destinata sunt, honore prosequantur, majori quàm ille sit quem sacris imaginibus & sanctorum reliquiis exhibent; minori quàm Eucharistiam. Neque enim audiendi sunt qui Græcos & alios Orientales calumniantur, quasi elementa nondum consecrata adorent, non ipsam Eucharistiam, quando consecratio peracta est: nihil enim magis frivolum, aut magis falsum. Ex futura consecratione vocantur ἅγια, *sancta*, elementa, quæ mox consecranda sunt, quia inchoatam quamdam sanctitatem obtinent: ut apud Syros, *mysteria*, quia mysteriis celebrandis destinata sunt. Nihil de hoc ritu occurrit in prima Græca Liturgia, quia rubricas habet pauciſſimas, ut plerique veteres codices nullas, cùm cæremoniæ aliunde peti solerent. Verumtamen celebratum esse *Introitum* illum seu *Illationem* munerum, eodem quo apud Græcos apparatu in Ecclesia Alexandrina, discitur ex Rituali Patriarchæ Gabrielis, Autore Scientiæ Ecclesiasticæ, Abulbircat & aliis, quorum testimonia referuntur in Notis ad Basilii Copticam Liturgiam. Euchol. p. 132.

Εὔχεται τὸν ἀσπασμόν. P. 142. l. 6.

NOn recte Interpres. *Salutationi apprecatur.* Ἀσπασμὸς *salutationem* significat, sed in usu Ecclesiastico *salutationem in osculo pacis*: & hoc loco ut in multis aliis, Orationem quæ osculo præmittitur. Vocem ipsam Græcam Coptitæ, ut ipsi Syri & Arabes, retinuerunt, ut patet ex

Digitized by Google

variis Autoribus & Hiſtoria Patriarchali. Variæ ſunt orationes illæ, adeo ut, cùm una tantùm ad quamcumque Liturgiam dici ſoleat, plures in omnibus prope Codicibus reperiantur, ut tres in Græca Baſiliana Alexandrini ritus: duæ in Coptica, & ita frequenter in aliis. Illarum aliquam, ad libitum Sacerdos eligit, alias omittit.

P.143.l.12. *Et poſt oſculum pacis Diaconus elata voce.*

HÆc malè interpuncta ſunt. Poſt Oſculum pacis, Diaconus alta voce dicit. *Offerte juxta morem*: hoc eſt, *Mementote offerre ſacrificium rite, & ſecundùm Eccleſiæ diſciplinam*: quæ admonitio ex vetuſta conſuetudine, Græcè dicitur apud Coptitas: in quorum libris quibuſdam Προσφέρων κατὰ τὸ ἔθος ἡμῶν In Scaligerano male Προσφερόμενα: nempe ſcribere voluerunt Προσφέρειν μὲ φόβο. Mox ad populum, Στῶμεν, *ſtate*, & in multis codicibus additur, Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε. *Ad Orientem aſpicite.*

Ib. l. 15. *Credo.*

HIc fortaſſe turbatum aliquid eſt. Nam Symbolum in Baſiliana Alexandrina Græca & Coptica, dicitur prius Oſculum pacis. Neque locum ſuum tenet Oratio Προσόμοιος, quæ, priùs & ante Introïtum, ſive Εἴσοδον aſſignatur in aliis Liturgiis. In illis etiam mentio nulla eſt ſigni crucis ſuper oblata facti, dum recitatur Symbolum; quem ritum, fortaſſe ſingularem fuiſſe in Eccleſia, ad cujus uſum Codex Cryptaferratenſis ſcriptus eſt, exiſtimare poſſumus, ſed Alexandrinæ communem fuiſſe, non conſtat.

P.144. *l.* 1. *Super hunc panem, & hos calices.*

IN Copticis Codicibus Cyrilli Liturgiæ, & in aliis ejuſdem ritûs aut linguæ, mentio nulla fit plurium panum & calicum, cùm ex analogia diſciplinæ ad inſtitutionem Sacramenti à Chriſto factam, fideles unum corpus ſint, quia de uno pane, & de uno calice participant. Offerebantur quidem à fidelibus panes plures ad altare, ſed ex uno Euchariſtia conſecrabatur: atque etiam apud Græcos, ex eo media pars eximitur, reliquæ non conſecrantur, ſed ἀντίδωρα, ſeu, ut loquimur, *panis benedicti* loco diſtribuuntur. In orationibus Liturgicis, quæ ad Sacrificium maximè pertinent, ut in Invocatione Spiritus ſancti, unius panis & unius calicis mentio eſt. *Unus panis* hoc loco dicitur: *calices* in plurali numero, quia ſcilicet, ut ſæpe factum in Eccleſiis Occidentalibus, erant præter calicem primarium alii, qui dicebantur miniſteriales. De illis ita ſcripſit Cardinalis Bona. *Conſtat quoque ex antiquis Ritualibus plures in uno ſacrificio adhibitos olim calices, quorum unus ipſi ſacrificanti, & miniſtris & aliis Sacerdotibus, ſi qui erant priſco ritu concelebrantes, inſerviebat: alii plures vel pauciores, pro numero fidelium communicantium apponebantur, qui grandiores & capaciores erant, & dicebantur miniſteriales, quorum*

Rit. Liturg. l. 1. *c.* 25.

Digitized by Google

ſæpe fit mentio in vitis Pontificum. Reſpexit ad hanc calicum pluralitatem Liturgia Jacobi, in qua Diaconis præcipitur, ut attollant diſcos, id eſt patenas & calices ad impartiendum populo. Liturgia Jacobi, ſanctificationis, ſeu conſecrationis plurium calicum non meminit, ſed confirmationis tantùm, per immiſſam corporis Chriſti particulam. Tamen cùm, ut alibi ſæpe monuimus, non omnia quæ ad cæremonias ſpectant in Codicibus annotata ſint, exiſtimari veriſimiliter poteſt, factum eſſe ritu Hieroſolymitano, ad quem Jacobi Liturgia referenda eſt, id quod alibi in uſu erat, cùm plures calices in altari collocabantur; nempe ex majori refuſam eſſe vini conſecrati partem, in illud quod conſecratum non fuiſſet. De illa ſingulari diſciplina, quam Jacobi Liturgia refert, agemus in Notis ad eam ejuſdem nominis quæ apud Syros uſurpatur. Quamvis autem, ut ſuperiùs obſervatum eſt, eadem confirmandi calices ratio, Jacobitis familiaris ſit, ut ex variis Autoribus probatum eſt, unius tamen calicis mentio eſt in orationibus, & in rubricis: quia, ut veriſimile eſt, duo vel plures, quaſi unus & idem habiti ſunt: neque in Orientalibus Theologis aut Rituum Interpretibus occurrit quidquam, unde uno calice excepto, reliquos aliter quàm per refuſionem & ſacræ particulæ immiſſionem conſecratos eſſe appareat. *Not. ad Lit. Baſil. p. 292. & ſeq.*

Surſum corda. *P. 144. lin. 25.*

HIc incipit Anaphora propriè dicta, ſeu *Actio ſacra* & προσκομιδὴ *Oblatio*, ſicut appellatur in Baſiliana prima Græca, ut in Copticis omnibus exemplaribus, ubi novo titulo ſcribitur. Ἀναφορὰ τῶν ἁγίων Βασιλείου: atque ea ſacri officii pars, Canonis noſtri, apud Orientales rationem habet. Eadem nota adjicitur in Codice Cryptaferratenſi, ſed paulo poſt, nempe cùm dictum eſt à populo, *Dignum & juſtum eſt*: Ὁ ἱερεὺς ἄρχεται τῆς ἀναφορᾶς: ubi interpres, *Anaphoram, ſive elevationem inchoat.* Anaphora nec apud Græcos, nec apud alios Orientales, ad quos migravit illa vox, ex uſu Eccleſiaſtico, *elevationem* ſignificat; neque ſacra Actio, *Elevatio* appellata legitur: ſed neque ſententia verbis convenit, cùm elevatio continuatam actionem non habeat.

Vere dignum & juſtum eſt. *Ib. lin. 31.*

HOc loco animadvertere quiſque poteſt, maximam ſententiarum & verborum hujus Orationis conformitatem, cùm Coptica Cyrilli: adeo ut verè ſcriptum fuerit ab Abulbircat, eamdem eſſe quæ à nonnullis Marco attribueretur. Id perſpicuè confirmat ſingularis orationum diſpoſitio, ab illa parte uſque ad conſecrationem. In aliis enim omnibus Liturgiis poſt illa verba, *Vere dignum & juſtum eſt*, Sacerdos pronunciat orationem, quæ Præfationi Gregoriani ritus reſpondet, quæ in Gallicano, Gothico & aliis, *Conteſtatio* vocatur, in qua Dei erga humanum genus beneficia, cum gratiarum actione recitantur, uſque ad hymnum Cherubicum, *Sanctus.* Breviores ſunt aliquando orationes illæ, interdum pro-

Digitized by Google

lixiores, sed in ista solummodo Liturgia, tam Græca quam elucidamus, quàm Coptica, interponitur series orationum pro omnibus & de omnibus : tum Diptycha recitantur. Hujus disciplinæ exemplum, etsi in Oriente rarissimum, submministrat tamen Canon Latinus, qui eadem ferme capita, sed brevissimè persequitur. Inter istam verò & Copticam Liturgiam leve discrimen est, quòd in Græca, Diaconi verba & hortationes ad orandum, omittuntur ut notissimæ : in altera describuntur.

P.148. l. 37.

Marci.

QUod nomen ejus legatur in hac Liturgia eidem attributa, hac admonitione munivit Joannes à sancto Andrea. *Nomen autoris Liturgiæ hîc adhiberi, minime novum videri debet : cùm id quoque factum reperiatur in Liturgiis D. Clementis & Chrysostomi, ut exempli tantùm causâ, auctorum nomina inserantur : eademque ratione in libris legis, Mosis ipsius decessus continetur.* Quàm nulla sit illius modi titulorum fides, dictum est susè in Dissertatione de Liturgiis : quàm inaniter verò ex titulorum parum firma autoritate Rivetus & alii, illas ut suppositicias explodere conati sint, ostendimus : tum illud etiam quòd autoris nomen post multos annos, in Liturgia à se ordinata inseri potuerit, nec idcirco corruptelæ vel suppositionis possit suspicione aspergi. Sed neque Marco ob aliam causam Liturgia adscribitur, nisi quia propria fuit Ecclesiæ Alexandrinæ, ab illo fundatæ. Clementis Liturgia, nulla unquam in Græcis Ecclesiis celebrata legitur : Chrysostomi nomen, illi quæ titulum ejus habet, ex usu posteriori, ut insignis inter Constantinopolitanos Antistitis adjectum est. Hæc dixisse interpretem oportuit, non aliâ se de libris Mosis disquisitione involvere.

P.154. l.22.

Sanctus, &c.

AB hoc loco maxima similitudo est hujus & reliquarum Liturgiarum, atque adeo quæ ad orationes in quibusdam locis explicandas spectant, in Commentariis ad Copticam & alias sufficienter expositum est. Observari solùm debet, verba consecratoria Christi Domini, eodem tenore referri, quo passim occurrunt in Græcis & Orientalibus omnibus Liturgiis, atque ea ratione satis demonstrari, quàm calumniosa fuerit quorundam hominum accusatio, quasi Orientales eadem corruperint, ut à Romana forma deflecterent, quam in libris Missalibus, quos reformavere Censores Romani & Lusitani, tanto studio reponendam curaverunt, quod planè necessarium non fuit, magno imbecillium & illiteratorum scandalo, quos istæ interpolationes, alieniissimos à concordia faciunt.

Te

Te rogamus & obſecramus &c.

INvocationem Spiritus ſancti omnibus Orientalibus Liturgiis communem continet hæc oratio. Illa autem, ut omnia quæ præcedunt, uno tenore referuntur in exemplari Cryptaferratenſi. In Coptica Cyrilli ut in duabus aliis, intermiſcentur ea quæ à populo in fidei teſtimonium, & à Diacono, ut ad orationem & attentionem religioſam excitet, dici ſolent: quæ differentia nullius momenti eſt; nam Diaconorum & populi verba ſupplenda erant aliunde. Sententia Invocationis ſimplex eſt & Græcis codicibus conformis, atque ita ſincera lectio, omnium gentium Chriſtianarum teſtimoniis confirmatur. Neque novis & Schiſmaticis Græculis tribuendum eſt, quod tota per univerſum Orientem celebravit Eccleſia, multis ſæculis ante quàm naſcerentur illi quos *deteſtanda hæreſis* architectos vocare ſolent, quicumque lectores ad Beſſarionis opuſculum de Euchariſtia, & alia ejuſmodi remittunt, ut in Invocatione monſtra videant, quæ vetus Eccleſia nunquam agnovit, nec talibus terriculamentis abduci ſe paſſa eſt ab Orientalium Eccleſiarum communione. Sed de ea Oratione fusè tractatum eſt in Commentario ad Copticam Baſilii Liturgiam.

Quantùm ad reliqua uſque ad Liturgiæ finem, nihil ſingulare occurrit quod aliqua obſervatione indigeat, niſi circa communionis diſtributionem. Cùm enim Copticæ Liturgiæ & Alexandrinæ priores duæ Confeſſionem illam eximiam de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, integram exhibeant, in iſta leguntur tantùm prima verba Σῶμα ἅγιον: & ad calicem Αἷμα τίμιον. *Corpus ſanctum & ſanguis pretioſus*: quod dupliciter accipi poteſt. Primò, ut voces illæ initium orationis ſolùm deſignent, cujus reliqua pars ex alia Liturgia peti debeat. Secundò, ut paucioribus verbis Confeſſio antiquitus facta fuerit, quo magis ad vetuſtiſſimam illam formam accederet, quæ uſurpabatur in primitiva Eccleſia, in qua dicebatur tantummodo, *Corpus Chriſti*, *Amen*. & *Sanguis Chriſti*, *Amen*. Quocumque modo hæc formula intelligatur, ſententia eſt prorſus eadem. Nam veteres intellexiſſe id quod communicantibus præbebant, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, & τὸ *Amen*, fidem ſuſcipientium quantum opus erat expreſiſſe, certiori nullo argumento probari poteſt, quam enucleatiori illa confeſſione quæ ſequentibus ſæculis apud Ægyptios inſtituta eſt, aucta deinde ſingulari unius in Chriſto naturæ confeſſione, quæ ab aliis quàm à Jacobitis proficiſci non potuit, ſed eſt tamen antiqua, cùm legatur Græcè in duabus Baſilii & Gregorii Liturgiis non minùs quàm in Copticis. An iſtis hac in parte, hæc tertia ſimilis ſit erit, ſciri non poteſt.

Cùm verò hujus Liturgiæ antiquitas indubitata ſit, fruſtraque vexatam illam à Criticis præſertim Proteſtantibus fuiſſe certis, niſi vehementer fallimur, argumentis demonſtretur; eam quoque ad Alexandrinam Eccleſiam pertinuiſſe æquè certum ſit, rituum ratio ex ejuſdem Eccleſiæ diſciplina peti debet. Illam, quantum accuratè potuimus, in Com-

Digitized by Google

mentario primo exposuimus, qui ad eam elucidenda, quæ aliquid obscuritatis habere viderentur, sufficiet. Notas paucissimas adjecit Joannes à S. Andrea, plerumque parum accuratas; nullas Margarinus Bigneus, qui illam Liturgiam Bibliothecæ Patrum inseruit, quod prudenter ab eo factum est: cùm illæ quas aliquot aliis Liturgiis ad marginem apposuit, summam arguant rerum Ecclesiasticarum imperitiam. Conjecturæ autem quas variis in locis adtribuit, ut Jacobi Liturgiam Græcam & alias interpolatas esse probaret, præsertim in Invocatione Spiritus sancti, & in forma Christi verborum, ex ista ultima penitus refutantur. Nam Græcis Ecclesiæ Constantinopolitanæ & aliis eidem subjectis ignota prorsus erat Marci Liturgia, imò & Alexandrinis, quando Marcus ipse Patriarcha, Balsamonem de ea consulendum censuit, à quo rejecta est. Convenit tamen in verborum Christi, & Invocationis forma cum Græcis aliis Liturgiis, & plerisque Orientalibus. Igitur dolo malo, corruptela hæc quam suspicantur, à Græcis recentioribus invecta esse non potuit, cùm illorum Codices eodem modo se habeant, quo Alexandrini Jacobitarum, in quos Constantinopolitani jus nullum habebant, & ipsorum Orthodoxorum qui illis Liturgiis non utebantur, & vix illas noverant. Sed istam Marci nomine appellatam ex comparatione cum reliquis Alexandrinis, cum Græcis antiquioribus & omnibus Orientalibus, satis quisque intelliget, non modò à vetustate, sed ab usu Christianorum Ægyptiorum, & conformitate orationum & rituum cum aliis, summam habere dignitatem, esseque insigne Ecclesiasticæ antiquitatis monumentum.

Digitized by Google

APPENDIX

AD LITURGIAS ALEXANDRINAS;

Continens Dissertationem de Patriarcha Alexandrino Coptitarum; & ritum ordinationis ejusdem ex Pontificali Bibliothecæ Seguieriana Latinè conversum.

LITURGIIS Alexandrinis Jacobitarum subjungere visum est ob argumenti conformitatem. Dissertationem de Patriarcha Alexandrino, secundùm Ecclesiæ Copticæ disciplinam, ex probatissimis Autoribus explicatam. Quamvis enim ex Historia Patriarchali nuper edita, præcipua disciplinæ ad electionem Patriarcharum spectantis capita, morem Comitiorum Ecclesiasticorum, dotes in Patriarcha requisitas, illius auctoritatem, Diœceseos limites, & reliqua alia intelligi satis perspicue possint; tamen materiæ istius novitas difficilem facit exemplorum comparationem, ita ut ex illis, juris communis aliqua regula constitui certò vix queat. Illud à nemine huc usque satis explicatum est, cùm Autores Ægyptios qui Juris Canonici peritiâ inter suos maximè commendantur, nemo eruditorum nostræ ætatis noverit, aut appositè testimoniis illorum usus fuerit. At Ebnassalus, Abulbircat & alii, tradunt diligenter, quid Ecclesia Alexandrina observaret, tam in eligendis quàm in ordinandis Patriarchis, quod jus illis competeret, eaque accuratiùs quàm Itinerariorum, aut regionum descriptores, qui sui solùm temporis rationem habuerunt, vetustasque origines prorsus ignoraverunt. Scissio Ecclesiæ in partes duas Orthodoxorum & Jacobitarum, plerisque incognita fuit: & ipse Indiculus Patriarcharum, olim publicatus in *Lingua Ægyptiaca restituta*, ex utrisque consarcinatus est, atque adeò nullius, nisi ad fraudem Lectoribus faciendam, usûs fuit. Alii, quos in Historia Eutychii non observaverunt, quia solos Orthodoxos recensent, ex Patriarcharum numero exemerunt; neque hæc ignorantia solis se literatorum scriptis continuit, sed in gravissimas hallucinationes induxit, quos falli minimè oportebat. Quis enim Clementi VIII. non publicè privatimque gratulatus est, quòd Ecclesiam Alexandrinam susceptâ Gabrielis Patriarchæ legatione & literis, ad unitatem Catholicam reduxisset: quæ legatio, qualiscumque foret, fructu caruit. Verùm vulgò existimabatur, ut inscriptiones, numismata, aliaque monumenta publica palam faciunt, totam Ecclesiam Alexandrinam reconciliatam cum Romana fuisse: cùm interea Meletius Piga Græcus ejusdem Patriarcha, literis publicè scriptis gravem calumniam sibi fieri quereretur, & anathemata in Latinos per totum Orientem, Poloniam & Lituaniam emitteret. Protestantes æque illis insultabant, quòd Georgius Douza nuper Alexandriâ redux, nullum Gabrielem Patriarcham

Digitized by Google

Alexandrinum esse, sed solum Meletium dejeraret: quem errorem secutum fuisse virum celeberrimum, qui per multos annos de rebus Orientalium Ecclesiasticis scribere non cessavit, satis mirari non possumus. Ignorabant igitur duos ab annis mille trecentis Alexandriæ fuisse Patriarchas, Orthodoxorum unum, Jacobitarum alterum.

De Græcis Patriarchis hîc non agitur, qui ut Ecclesiæ Græcæ fidem, ita & disciplinam sequuntur, & Constantinopolitano subjecti sunt, a quo instituuntur pleno jure: adeo ut suffragiorum Episcoporum, Cleri & sæcularium ratio nulla habeatur. Cùm verò sede Constantinopolitana vacante, ex veteri consuetudine, illius administrationem habeant Alexandrini Patriarchæ, abfuerunt sæpe multi à sua Diœcesi, & ad Patriarchatum Constantinopolitanum evecti sunt, malis ut plurimum artibus. Itaque disciplina apud eos dudum eversa est, cujus multa vestigia apud Coptitas supersunt, quæ sequenti Dissertatione exponere aggrediemur. Ex Historia porrò Patriarchali nuper edita, agnoscere quisque poterit nihil ab Autoribus qui de Patriarcharum electione, ordinatione, autoritate, & officiis scripserunt, memoriæ proditum fuisse, quod non exemplis confirmetur.

Adjecimus Officium Ordinationis Patriarchæ Alexandrini Latinè interpretatum, ex codice Seguieriano Coptico-Arabico, quia similis Officii forma nulla unquam edita est: neque enim in imperfecto illo Rituali Ordinationum, quem ex Symmictis Allatii, in opus suum transtulit Vir Clarissimus Joannes Morinus, de Patriarcha ordinando quidquam occurrebat. Habet autem singularia multa hæc Ordinatio, in quibus ab Episcopali differt, non tamen in iis quæ ad Sacramenti [illegible] pertinere possunt; sed in cæremoniis. Neque enim ut Nestorianorum consuetudo dudum fuit, eligi in Patriarcham solet, qui jam alteri Ecclesiæ per præcedentem Ordinationem alligatus fuerit, cùm nullus apud Coptitas, à Dioscori tempore Episcopus, ad illam dignitatem assumptus fuerit. Sed neque Græci ipsi, à quibus hac in parte Canones antiqui violati sunt, & inter quos frequentissimæ sunt Episcoporum translationes, novam Ordinationem celebrant, sed solum [illegible]. In isto verò Coptitarum Officio Ordinationis multa occurrunt disciplinæ vestigia, quæ Græcas, Syras & Latinas illustrant, ut periti Lectores satis animadvertent, modò Commentarium Joannis Morini, & Haberti Pontificale Græcorum legerint. Illi enim præ cæteris sacrarum Ordinationum doctrinam, simulque omnium sæculorum disciplinam, tam accuratè tractaverunt, ut si quæ adversùs Orientales Ordinationes suspicio viris in antiquitate Ecclesiastica parum versatis injecta fuerat, eam penitus discusserint. Notas necessarias sed breves adjecimus, quia de sacris Ordinationibus, si Deus vitam concesserit, Commentarium dabimus, in quo omnia quæ ad disciplinam Orientalium, circa illas pertinent, fusiùs exponentur.

Digitized by Google

DE PATRIARCHA ALEXANDRINO.

I CUM toto hoc opere noſtro frequentiſſima ſit Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum memoria, atque in ea ſecta, quæ neque in Occidente, neque Conſtantinopoli, aut in Græcia cathedram Epiſcopalem habet, primam illi dignitatem obtineant, operæ pretium viſum eſt uno quaſi conſpectu referre quæcumque ad illorum titulos, autoritatem, electionemque pertinent, ſicut de Neſtorianorum Catholicis aliquando fiet. Hanc enim præ reliquis ſectis, quæ vel omnino interciderunt, vel adhuc ſuperſunt, prærogativam habet Jacobitica, quòd Epiſcoporum non interruptam ſucceſſionem huc uſque conſervat, ab illis ordinatorum qui in Eccleſia Catholica manuum impoſitionem acceperant, quales erant Dioſcorus & Dioſcori ſucceſſores. Ita quamvis hæretici & abſciſſi ab Eccleſiâ, validam tamen ordinationem habebant, cùm impoſitionem manuum accepiſſent ab Epiſcopis legitimè priùs ordinatis, antequam in hæreſin cecidiſſent. Neque inter tot calamitates quæ à Concilii Calchedonenſis tempore, uſque ad Muhamedanos, Eccleſiam Alexandrinam turbaverunt, aliquod inſigne temporis intervallum effluxit, in quo ex ſua ſecta Antiſtitem non habuerit.

Alexandrini Jacobitarum Patriarchæ ab Epiſcopis in Eccleſia Catholica ordinatis, ſucceſſionem ducunt.

II. Græcis, licet Orthodoxis, idem non evenit: cùm à captâ Ægypto anni ſeptem & nonaginta lapſi fuerint, quibus nullum Alexandriæ, aut in ipſa regione habuerunt Patriarcham: nempe ex quo Georgius Patriarcha, Alexandriâ Conſtantinopolin fugit, anno 3°. Califatus Omari Ebnelketabi; donec conſtitueretur Coſmas, anno 7°. Califatus Hiſchami, fuit Cathedra Alexandrina abſque Patriarcha Orthodoxo, per annos nonaginta ſeptem. Ita Eutychius, qui ut pote in ea dignitate conſtitutus, res Eccleſiæ ſuæ ſcire poterat: atque ex eo Makrizius, & quidam alii.

Interrupta fuit Orthodoxorum ſucceſſio.

Tom. 2. p. 387.

III. Antiocheni Jacobitarum Patriarchæ, quamvis ſucceſſionem habent propriorum ex ſua hæreſi Antiſtitum, ea tamen non adeo certa eſt, cùm Severus Antiochenus, & Jacobus Baradæus multas contra communem Eccleſiæ diſciplinam or-

Antiochenorum Patriarcharum Jacobitarum ſucceſſio non adeo certa eſt.

Digitized by Google

dinationes celebrassent, quarum validitas vocari in dubium poterat. Et sanè parum commodè sensisse de illis Nestorianos, testantur Maris & Amrus, qui Jacobum Baradæum simplicem sacerdotem fuisse scribunt. ordinasse tamen Episcopos & sacerdotes bis millenos & amphùs. Neque unquam tenuerunt Antiochenam Cathedram Syri Jacobitæ, ut Alexandrinam Ægyptii, ita ut nullus in ea esset Orthodoxus Episcopus. Nam Antiochenum Patriarchatum huc usque absque interruptone successionis, Orthodoxi obtinuerunt; sæpe verò & diu absque Jacobitarum Patriarcha, hæc primaria sedes fuit.

Nestoriana multo minùs Apostolicam successionem habet.

IV. Longiùs adhuc abest ab illius non interruptæ successionis prærogativa Nestorianorum communio. Quamvis enim Nestorius Constantinopolitanæ Ecclesiæ præesset, quæ ex privilegio, Patriarchalis facta fuerat, cùm tamen dignitate spoliatus & in exilium pulsus est, neminem qui à suis ejus loco, saltem postquam diem suum obiit, substitueretur, aut quamvis illegitimam, saltem continuatam Patriarcharum successionem servaret, deprehendimus. Nam omnes Nestoriani ex Romano Imperio pulsi, ad Persarum limites, aut in eorum provinciis sedes fixerunt. Hinc post annos satis multos, cùm Ecclesiam Seleuciæ Parthorum invasissent, quæ quidem ex nuper instituta sub Justiniano Catholici dignitate, novam autoritatem consecuta erat, eam suæ religionis Cathedram primariam esse voluerunt; atque inde nullum majorem titulum quam *Catholici Seleuciæ & Ctesiphontis*, Patriarchis suis veteribus attribuerunt. At ipsa nominis, non ante sextum sæculum usurpati ratio, satis magnum est, quamvis alia multa non suppeterent, novitatis argumentum, quo plenè dejiciuntur illorum summi Patriarchæ, tum ab illa, quam falsò sibi vindicant antiquitatis gloria: tum etiam ab ipsa autoritatis dignitatisque prærogativa, quâ omnes alias Episcopales sedes sibi Nestoriani subjecerunt, aut subjicere conati sunt.

Catholici dignitas quam Patriarchæ suo tribuunt sæculo sexto non est vetustior.

V. Quippe nemo in originibus Ecclesiasticis mediocriter versatus, ignorat, Catholici dignitatem & jurisdictionem Patriarchali minorem fuisse, quamvis Metropolitanorum ordinem antecelleret: tum extra Antiochenum Patriarchatum, nullos fuisse ejusmodi Catholicos. Unde satis manifestum est, Nestorianos, qui omnes retro suæ sectæ Patriarchas, Catholicos appellatos reperiunt, frustra laborasse, ut successionem eorum ad Apostolos usque promoverent, quamvis id conati fuerint

Digitized by Google

Maris Salomonis filius, & qui eum in Epitomen redegit Amrus Mathæi filius, sed prorsus infeliciter. Neque enim ex tam recentium autorum testimonio probari potest, ab ipsi Apostolis ordinatos eos, qui primi Cathedram Seleucien sem tenuerunt, aut Catholicorum titulo fuisse designatos, cujus nominis natales quingentis saltem annis recentiores sunt. Illud omnino tanquam auri micam ex sterquilinio colligimus, ex absurdis illis narrationibus constare, etiam apud illos hæreticos qui à tot sæculis Ecclesiâ depulsi sunt, quod ex inveterata à primis Christianismi initiis opinione crediderint, Ecclesiam esse non posse, ubi Apostolicæ successionis linea deficeret. Illa verò cùm Nestorianis deesset, neque antiquioribus ex ipsorum communione veniisset unquam in mentem, ea excogitare quæ constans omnium Ecclesiarum traditio perspicuè refelleret, non ante fraudi faciendæ quisquam ex illis adjecit animum, quàm ubi per Arabum tyrannidem, vastatis Ecclesiis, magnâque veteris historiæ ignorantiâ, totum Orientem obtinente, facilius fuit ea figmenta populis insinuare, quæ ad eos in errore retinendos maxime opportuna videbantur.

VI. Occasio verò alia potior non fuit, quàm Nicænorum Canonum versiones Orientales variæ, quæ post stabilitum totâ ferme Asiâ & Africâ Muhamedanorum Imperium prodierunt. Nam legitimis viginti, adjuncti sunt alii permulti, quos Arabicos vulgò appellant; in quibus de dignitate Primatuque Seleucien is Ecclesiæ, quædam statuta reperiuntur. Ea statim Nestoriani arripuerunt, atque eo adminiculo antiquitatem Catholicorum suorum ad Nicæna tempora promoverunt: qui conatus inutilis planè futurus apud antiquæ historiæ peritos viros fuisset, sed apud ignaros Ecclesiasticarum originum, quales tunc erant Orientales Christiani, successu non caruit. Huic primo ædificio, ex fictis & inconditis narrationibus fastigium impositum est, ut Ecclesia Nestoriana Seleucien sis, Apostolicæ successioni conjungeretur.

Occasio fabulosæ illius historiæ, ex Nicænis Canonibus Arabicis.

VII. At in Alexandrina Ecclesia Jacobitarum, nihil simile: nam ut certæ sunt ex vera historia, illius à Marco Petri discipulo origines, usque ad Cyrillum, cujus se discipulos esse existimant: eidemque successisse legitima ordinatione Dioscorum pariter certum est; ab eo successionem Patriarcharum suorum deducunt, non imaginariam, ut Nestoriani à Seleucien sibus Episcopis, sed constantem; & non modò ab illorum histori-

Alexandrinorum successio vera.

Digitized by Google

cis, sed à Græcis Latinisque confirmatam. Notum enim est pulso Dioscoro, Orthodoxos ejus loco Patriarchas constitutos, quos Jacobitæ pro intrusis & prædonibus habent. Illo defuncto, ejus sequaces Timotheum Ælurum substituerunt, qui occiso Proterio, Cathedram occupavit, ejectusque & restitutus, sub Basilisco tyranno, & Zenone, qui Dioscorianis favebant, eam per viginti duos annos retinuit, secundùm Severi & aliorum Jacobitarum sententiam. Timotheo, Petrus Moggus, Athanasius, Joannes, Joannes alter, Dioscorus junior, Timotheus, Theodosius, Petrus, Damianus, Anastasius, Andronicus successerunt, atque huic Benjamin cujus anno XII. J. C. DCXL. Alexandria ab Arabibus capta est, statimque Benjamin ejectus & in monasteriis latitans, restitutus est sedi suæ, atque omnem, pulsis Orthodoxis Græcis, ipsoque Georgio Patriarcha, qui Constantinopolin fugit, Ecclesiasticam autoritatem obtinuit. Ut autem certa est ea quam fusè explicavimus in Historia Patriarchali Jacobitarum Patriarcharum à Dioscoro ad Benjaminum, ita quoque certissima est hodiernorum Alexandrinorum Antistitum ex eadem secta, ad Benjaminum usque successio. Nam etsi per illud, de quo mox dicebamus, intervallum unius ferme sæculi, quo Melchitæ sive Orthodoxi, Patriarcham non habuerunt, videbatur omnino futurum ut eorum continuata ab Apostolicis temporibus linea abrumperetur, esseretque periculum, ne Barbari, qui Christianorum jura ex sola possessione constituebant, non facilè paterentur restitui Græcis quos suspectissimos habebant, Patriarchalem dignitatem, factum id tamen est circa annum Hegiræ CXII. qui respondet anno æræ Christianæ DCCXXX. Atque deinceps suos quoque Melchitæ Patriarchas semper habuerunt; & illorum legitimus successor est Græcus, qui Græcè sacra celebrat, & primum in Ecclesia Græca locum, post Constantinopolitanum obtinet.

Tituli Patriarcharum Alexandrinorum.

VIII. De illo quoniam multi multa scripserunt, neque instituti operis ratio postulat, ut in Græcarum Ecclesiarum rebus quæ satis explicatæ sunt, operam impendamus, ea solummodo referemus, quæ omnino dictu necessaria erunt. Amplissima sanè dignitas illius est, ut ex Balsamone, Nilo Doxapatrio, Notitiis, variisque aliis autoritatibus constat, quæ viris eruditis notissimæ sunt. Ambitiosum quoque titulum usurpat Κύριος Οἰκουμένης *Judicis totius orbis*, cujus tamen tituli, qualis antiquitas

quitas sit, non planè perspicuum est, sed ab annis plus minus ducentis, in usu fuit, ut ex variis literis patet, quarum extant nonnullæ apud Crusium in Turco-Græcia, aliæ apud Allatium: unam refert Georgius Douza in Itinere Constantinopolitano, alias habemus Meletii Pigæ, ante centum & aliquot annos scriptas: sed de eo titulo nihil ad Jacobitas pervenit, nempe quia, ut verisimillimum est, novus est omnino & insolens. At *Papæ* appellantur utrique, tam Græcus quàm Jacobita, à Cyrilli quidem tempore, si Balsamoni credimus, in Tractatu de Privilegiis Patriarcharum: quod in Ephesina synodo vices Romani Pontificis sustinens, ab eo privilegia acceperit, atque ipsum *Papæ* nomen; sicut & Ἀῶον quod vocant, sive *Pallium* ab eo tempore, eadem ratione gestare cœperit, secundùm ejusdem Balsamonis opinionem. *Balsam. in Phot. Nomocan. Tit. 8. C. 1.*

IX. Aliam nominis Papæ rationem referunt Autores Orientales, quorum cùm antiquissimus Eutychius sit, ab eo acceperunt reliqui, non Christiani modò, Autor Chronici Orientalis, Elmacinus, & alii, sed & Makrizius Muhamedanus; & originem ad Heraclæ Patriarchæ tempora referunt. *Cùm* inquit Eutychius, *plebeii homines & laici audirent Episcopos appellantes Patriarcham*, Abba, *hoc est* Patrem, *inter se dixerunt: Quando quidem nos Episcopum appellamus* Abba, *eodemque modo Episcopus Patriarcham appellat* Abba, seu patrem, *oportet ut eum nos* Papam *appellemus*, hoc est avum, *cùm sit Pater Patrum, ita ab Heraclæ tempore, Patriarcha Alexandrinus vocatus est* Papa. Elmacinus eadem ferme verba refert. Severus autor antiquior & melior, nihil omnino de hac appellatione scribit. Makrizius, licet quod apud Eutychium legerat, non contemserit, & ex ejus sententia scripserit vocatum esse *Papam, quasi Patrem Patrum, Patriarcham Alexandrinum*, duo tamen adjungit: nempe quod ita vocabantur jam à tempore Aniani, qui Marco Evangelistæ successit; & id sanè verum, cum commune nomen hoc esset, non solùm Episcopis primarum sedium, sed omnibus: tum *quod ille honoris titulus translatus fuisset ab Alexandrino Patriarcha ad Romanum, quia Roma erat sedes Petri Principis Apostolorum.* Scribebat autem hæc Makrizius secundùm usum temporis sui: quem sciebat talem esse ut solus Romanus Pontifex ita appellaretur. Tamen Coptitarum Patriarchæ Alexandrini, quos Makrizius potissimum noverat, titulum illum usurpare non desierant, qui à Græcis quoque retentus

Origo tituli Papæ Alexandrino tributi.

Eutych. T. 1. p. 383.

Hist. p. 1. Ms. Ar.

Digitized by Google

Hist. Patr. Alex. p. 28. est. De iis plura à nobis dicta sunt in vita Heraclæ, ubi locum Makrizii integrum retulimus.

Jacobitarum Patriarcharum Alexandrinorum tituli

X. Quæcumque verò posteriorum Græcorum ambitio fuerit, in qua modum tenuisse vix unquam videntur, veteres, ut ex multis Epistolis constat quæ apud Athanasium extant, aut in Conciliorum actis, *Archiepiscopi Alexandriæ* appellabantur: reliquorum titulorum usus nullus erat. Dudum est verò, cùm Jacobitæ titulos Patriarcharum suorum ita exprimunt, ut legitur in Systaticarum Epistolarum forma Copticè & Arabicè *Pater N. sanctissimus Archiepiscopus magnæ urbis Alexandriæ, & Fostati Babylonis, & Nomorum Ægypti, Thebaidis, Pentapolisque Africanæ, regionisque Æthiopiæ, & Axumitarum; Nubiæque, & Macoureos, regionisque superioris.* Titulos quorum forma ex veteribus libris ad eos pervenerat, ipsi Coptitæ non satis intelligunt, unde mirum non est si nonnullas voces perperam scripserint, quæ vel ex aliis locis, vel ex conjectura emendari possunt. Primæ quidem significant, *Patrem sanctissimum*, quam vocem, *Abba* ex Græca, *Papas* fecisse existimandi sunt, cùm ea vox apud Ægyptios peregrina sit, nec eam adhibere soleant ad significandos Abbates, seu Archimandritas, quos voce Græca Ηγουμένους appellant.

Illorum explicatio.

XI. Alexandria veteri nomine Ægyptiaco *Racot* appellatur, quæ vox occurrit non modò in Nomenclatoribus omnibus, sed etiam apud Strabonem & alios autores. Φόσσατον *Cahiram* urbem significat, novam scilicet ab Amro filio El As ita appellatam, quòd tentorium suum eo loco erexerat, & reliquerat erectum auspicii causa, quia columba in ejus fastigio ova posuerat. Voce illa, tentorium significari scribunt Arabes; quamvis verisimilior conjectura sit, à *Fossato*, voce barbara, quæ castra significat, & quam ut alias innumeras Græcia recentior à Latinis accepit, ita appellatam. Videndum eruditissimi Cangii Glossarium in hac voce, & Glossæ Tacticorum editæ & manuscriptæ. De Fostato aut Fostata, tot scriptores laudari possunt, quot de rebus Arabum Ægyptiacis occurrunt, sunt autem innumeri, tum historici tum Geographi. Multa & accurata leguntur in notatis à viro doctissimo Jacobo Golio ad Alfraganum. Illo enim loco docet non temerè ab antiquis Bellorum trans mare à Christianis gestorum scriptoribus, Cahiram vocatam esse, *Babiloniam Ægypti* cùm in loco vicino castrum esset quod adhuc *cereorum* seu *luminum* diceretur, quia, ut rectè

Elmac. p. 24.

Digitized by Google

conjectatur, πυρεῖον quoddam illic olim fuerat, ex veteris Chaldæorum ſuperſtitionis reliquiis. Attamen Babylonis nomen illi urbi conſervatum fuiſſe, nec Hiſtoricis nec Geographis Arabibus notum videtur: neque ad id probandum etiam ex Chriſtianis autoritates ullæ facilè occurrebant, præter illas ſolemnium Actorum formulas. In illis verò conſtanter occurrit nomen illud, *Babylonis*, ad ſignificandam veterem urbem quam Arabes *Meſr* appellant: nos, ut etiam Orientales non pauci, Cahiram veterem. Nempe antiquiſſima eſt illarum urbium, vel potiùs partium, quæ vaſtam illam, Cahiræ communi nomine ſignificatam componunt. Ea partim deſtructa, ſed tamen reſtituta eſt: & ex altera Nili parte, quâ Arabiæ vicinior, *Foſtata* ab Amro ædificata, quæ idcirco *Foſtata Meſræ* dicta eſt, quia prope veterem urbem & in ejus territorio erat. Ea verò quæ Cahira ſingulariter appellata fuit, à Gieuharo Fatimidarum exercitus duce extructa eſt anno Hegiræ CCCIX: Boulac, Giza & alia loca, eâ quoque urbe, tanquam partes ejus concluduntur.

XII. Ut ad res Eccleſiaſticas redeamus, notandum eſt Patriarchas Alexandrinos diu ſolo *Archiepiſcoporum Alexandriæ*, titulo contentos fuiſſe, qui omnes reliquos continebat. Jam dudum enim in Concilio Nicæno ſtatutum fuerat, ut omnium Eccleſiarum Alexandrinæ ſedi ſubjectarum haberent poteſtatem. Verùm ex quo Alexandria capta à Muhamedanis, caput regionis Ægypti & Metropolis ſæcularis eſſe deſiit, adjecerunt Patriarchæ Jacobitarum priſtinis titulis ſuis hanc provinciarum ſibi ſubditarum enumerationem, cujus apud Græcos veteres nullum, ut exiſtimamus, occurrit exemplum. Dicebatur autem Archiepiſcopus, non Alexandriæ modò, ſed totius Ægypti, quia uſque ad undecimum aut duodecimum fortaſſis ſæculum, quando Damiatenſis Epiſcopatus, Metropolitani dignitatem obtinuit, nullus apud Jacobitas, præter Patriarcham in Ægypto erat Archiepiſcopus, etſi magnus eſſet ea in provincia Epiſcoporum numerus.

Archiepiſcopi totius Ægypti cur dicti.

XIII. Ea fortaſſis ratio fuit cur Jacobitæ cœperint appellari Archiepiſcopi, non urbis ſolùm Alexandrinæ, ſed Miſræ totiuſque Ægypti. Cur verò Babyloniæ ſeu Cahiræ mentionem facerent, contra antiquam diſciplinam, quæ non patitur ut unus diverſarum urbium appelletur Epiſcopus, alia, quantùm conjicere poſſumus, cauſa fuit; nempe cùm non

Cur ſe Archiepiſcopos Miſræ appellaverint.

Digitized by Google

Alexandriæ, sed Cahiræ, Muhamedanorum Satrapæ sedem Præfectorum Ægypti constituissent, veriti sunt Patriarchæ ne Episcopi illius urbis favore principum, apud quos ambitione & largitione aditus ad omnia molimina aperiebatur, non modò ab obedientia sua recederent, sed etiam traherent ad se magnam autoritatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ partem. Itaque rarò Alexandriæ manebant, sed Cahiræ aut in vicinis Monasteriis, ut passim in nostra historia observari potest: & in urbe Ecclesiaque sua Metropolitana, præter solennem ordinationem, quam ex vetusta consuetudine recipiebant, tum etiam Εὐηρτισμὸν seu proclamationem, vix quidquam fiebat. Imò conati sunt aliquando Patriarchæ, Episcopatum Cahiræ abolere, & sibi adjungere, ob eamdem rationem: idque tentavit inter alios Macarius qui inter eos numeratur LXIX. post Samutii Episcopi mortem. Sed obstiterunt Misræ cives, negantes licere secundùm Canonicam disciplinam, ut Episcopus duas sedes haberet. Cùm igitur hunc Episcopatum invadere non possent, Archiepiscopos illius urbis se appellaverunt, ut supremæ autoritatis in eamdem Ecclesiam signum in titulis suis haberent. Cùm autem *Fostatam* nominant, in formula Copticè scripta, adjiciunt Babylonis, ut veterem novamque Cahiram comprehendere se significent.

Hist. Patriar. Alex. in vita Macharii.

Provinciarum enumeratio.

XIV. Provincias autem numerant Χημ seu Ægyptum, quo nomine Inferiorem significant, Μάρς sive Superiorem, quæ ab Arabibus *Sahid* appellatur. Primum illud nomen satis notum est. Sequitur Pentapolis Africana, quæ ex Græcis Latinisque notissima est, etsi solo titulo Christianis provinciis accensenda fuerit. Quippe ab origine rerum Muhamedanarum in Ægypto, vix mentio occurrit Ecclesiarum in Pentapoli, aut Episcoporum illuc missorum. Occurrit unum modò exemplum in vita Yuçabi LII. ordinati anno J. C. DCCCXXXI. qui multos in eas regiones Episcopos misisse dicitur: sed postea nulla Christianismi memoria reperitur in Historia Patriarchali. Non ita Æthiopes; nam cùm olim à Frumentio, quem *Fremonatos* vocant, sub Athanasii magni Pontificatu Christianam fidem accepissent, in ea perseveraverunt. Verùm illo temporis intervallo, quo Alexandrina Ecclesia Orthodoxis Patriarchis caruit, per annos nonaginta septem, acceperunt à Jacobitis Metropolitas, ea hæresi quæ apud eos vigebat infectos, atque ita eam imbiberunt, ut ad hæc usque tempora eam re-

Digitized by Google

tineant, suosque Metropolitas non aliunde quàm Alexandriâ missos accipiant. Est enim de Æthiopibus singularis disciplina in Canonibus Nicænis Arabicis, ut Metropolitam creare non possint, sed ab Alexandrino Patriarcha eum cogantur accipere.

XV. Nubia eodem modo ad Jacobiticam communionem pertracta est, ut perspicuè docet Eutychius, eo qui mox indicatus est loco, postquam ab Alexandrinis Jacobitis Episcopos accepit. Nam antea Orthodoxos fuisse Nubas non minùs quàm Æthiopes, omnino verisimile videtur. Nihil tamen de eorum Christianismo novimus, nisi sub Muhamedanorum imperio, ea quantùm judicare licet ratione, quod antiquitus Æthiopum genti quæ numerosissima erat, adjungebantur: unde tam apud Plinium & Melam, quàm apud antiquiores Geographos de illis occurrunt multa, quæ Æthiopiæ hodiernæ convenire nequeunt, & ad Nubiam videntur referenda. Fuisse olim quoque missos in eam regionem Episcopos à Patriarchis Alexandrinis legimus in Historia Ecclesiastica illorum. An ea autoritas adhuc supersit illis Antistitibus, sciri vix potest, cùm à Salaheddini tempore, altissimum sit in historiis de Nubia silentium. Eam autem regionem *Nabodiam* vocant Coptitæ, aut *Nobates*. Neque etiam prætereundum est, quòd Æthiopibus antiquissimam *Axumitarum* appellationem servaverint, cujus exemplum alibi non facilè reperitur apud Orientales. Neque id ignoratione proprii illorum nominis factum, ut existimavit Ludolfus. Nam Græcorum potior fides in antiquitatibus ejusmodi, quàm ipsorum Æthiopum, quorum infantia suis in originibus quàm perpetua sit, ex ipsis Ludolfi Commentariis satis apparet. At Axumitæ appellantur ab Athanasio, Epiphanio, Nonnoso & aliis Ecclesiasticis scriptoribus, idque nomen Ptolemæo, Arriano, Stephano, Procopioque notum, ad Coptitas cum multis vocibus pervenit. Neque ignota est, ut existimant nonnulli, Arabibus Geographis *Axuma* Æthiopiæ Metropolis, juxta Nonnosum, cùm ipsius meminerit Kaswinius, Persa Geographus, & plures alii, qui tamen hanc vocem aliter scribunt, quàm scripsit Scaliger, ex genio potiùs quàm Orientalium autoritate. Sed hæc omnia fusiùs & commodiùs tractabuntur, ubi de rebus Æthiopicis. Qui sint *Macurai* divinare non facilè est, neque magno periculo potest ignorari. De illis porrò Diœcesibus dicetur uberiùs, ubi agetur de Ecclesiasti-

Nubia.

Not. ad Compar. Æthiop.

ca Patriarcharum Alexandrinorum jurisdictione, cùm ea quæ delibavimus, ad titulos eorum explicandos unicè pertineant. Cùm scribit ipse Patriarcha literas, quæ, ut plurimum, Copticos titulos habent, vel etiam figilla Copticis literis exarata, se appellat *Archiepiscopum magnæ urbis Alexandriæ, Cahiræ & totius Ægypti, Africæ, Pentapoleos, Lybiæ, Æthiopiæ & Nubiæ*: ubi verò ad eum scribitur, præter ubertatem titulorum, quorum Oriens feracissimus est, appellatur, *Pater Patrum*, *Antistes Antistitum*, *Patriarcha Alexandriæ*, &c. etsi ejusmodi compellationum forma non una est.

Summa eorum dignitas præ reliquis Orientalium Patriarchis.

XVI. Verùm de titulis hæc satis superque sunt. Est sanè dignitas illius Patriarchæ apud Jacobitas amplissima, non modò quòd antiquam secundùm Canones retinet, sed quòd eam mirum in modum auxerunt Alexandrini, ab annis circiter mille, ex quo ab Ecclesia Catholica sejuncti, autoritatem quam Dioscorus & proximi ejus successores, sententiâ Concilii Calchedonensis amiserant, favore Muhamedanorum recuperaverunt. Cùm enim antea Romani Pontificis dignitatem superiorem agnoscerent, de qua etiam veteres Constitutiones Conciliorum perscriptas in Collectionibus suis conservant, Constantinopolitano quoque ex novo jure, ob urbis Imperialis dignitatem primas deferrent, ut etiamnum faciunt Græci Patriarchæ: ipsi nunc à Muhamedanorum regni initio, primi sunt omnium Jacobiticæ sectæ Antistitum, & superiorem non agnoscunt. Ea enim à multis jam sæculis est sedium Patriarchalium dispositio, ut non minùs Jacobitæ, quàm Nestoriani, & Syriani quidam Melchitæ, qui schismatici sunt, Græcorum exemplo, omnes tandem etiam Muhamedani, sciant prærogativam dignitatis esse penes Romanum Pontificem: atque adeo primam sedem, extra omnium tam schismaticorum, quàm hæreticorum communionem esse fatentur.

Patriarchatuum limites.

XVII. Græci atque omnes quos Melchitarum communi denominatione Orientales complectuntur, hos habent Patriarchatus, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum, quos obtinent Episcopi Græci ritus, qui adhuc Græcâ Linguâ celebrant officia Sacramentorum omnium. In eorum communione sunt Syri multi, qui Syriacè sacra celebrant. Nestoriani qui antiquissimi hæreticorum sunt, quorum memoria supereſt, nullum omnino Patriarchatum habent ex quatuor veteribus, sed prima-

Digitized by Google

ria ſedes eorum, ipſiuſque ſectæ Metropolis, Bagdadi eſt, aut vicinis in locis, abſque titulo urbis, ſed ſolo dignitatis, quâ ſe *Catholicos* vocant. Nempe quia ſucceſſerunt Catholicis Modainæ, ſive Seleuciæ & Cteſiphontis, ubi olim reſidebant, antequam illa Perſarum regia, à Muhamedanis everſa foret; nam poſtea Bagdadum ſe tranſtulerunt, quæ urbs ab Almanſore Abbaſſidarum Califarum II. condita eſt anno Hegiræ CXLV. J. C. DCCLXII. Nullus unquam eorum Conſtantinopolitanum, Antiochenumve Patriarcham, vel titulo tenus appellavit. Hieroſolymis quidem circa ea tempora quibus Franci regnum obtinebant, antiſtitem ſuæ ſectæ habebant Jacobitæ; verùm abſque Patriarchali titulo, ita ut ſolo Metropolitani honore gauderet. Suum quoque Metropolitam in urbe ſancta Neſtoriani inſtituerunt, quodque ſummæ abſurditatis eſt, contra Canonum Nicænorum diſpoſitionem, vigeſimum ſecundum inter Metropolitas locum attribuerunt, qui primus omnium, juxta ſedis ſuæ dignitatem eſſe debebat. Nam reliquæ Neſtorianorum Metropoles, ut ex Notitia illorum patet, extra illam ſectam vix habebant Epiſcopos; tantùm abeſt, ut honore præcedere deberent Hieroſolymitanum, qui poſt quatuor Patriarchas primus dignitate ubique fuit, & à Nicæno Concilio jubebatur honorari.

XVIII. Jacobitæ duorum Patriarchatuum titulos ſervaverunt, Alexandrini ſcilicet, atque Antiocheni. Alexandrinam vero Diœceſin ita obtinuerunt, ut Orthodoxis & plures eſſent quodammodo, & autoritate ſuperiores. Nam ex quo Arabes Ægyptum ſubegerunt, omnes ferme Græci profugientes vacuam Alexandriæ Eccleſiam hæreticis reliquerunt. Nativi Ægyptii ad Jacobitarum hæreſin propenſiſſimi, eam ubique amplexi ſunt, atque ita in Thebaide, omnes Chriſtiani eam intra paucos annos acceperunt. In Nubia & Æthiopia cùm ſacerdotes & Epiſcopos à Jacobitis ordinatos haberent, Jacobitæ quoque intra unius ſæculi ſpatium facti ſunt. Iidem cùm ex veteri quodam jure Patriarcharum Alexandrinorum, Paleſtinam ſuæ ſedi ſubjectam eſſe vellent, Hieroſolymis Metropolitam ordinaverunt. Antiochenum quoque Patriarcham, quaſi Severi ſucceſſorem legitimum agnoſcunt omnes Syri Monophyſitæ: illius ampliſſima autoritas eſt, vocaturque inter eos, *Papa Orientis*. Hic præter Metropoles & Epiſcopatus complures, ſubjectos habet ſuæ autoritati alios quoſdam ſecundi generis Patriarchas

Jacobitæ Patriarchatus Alexandrinum & Antiochenum obtinuerunt.

Digitized by Google

quos, *Catholicos* appellant. Ea quippe nova dignitas sæculo 5o. vel 6°. instituta est ante scissam per Jacobitas Ecclesiam, ut unus diceretur Persidis, alter Armeniæ. Ille Takritæ ad Tigrin diu sedem habuit, vocatusque est *Mosriano*: hic dictus Armenorum Patriarcha: qui tamen Antiocheni jurisdictionem agnoscebat, sed ita ut honoris tantùm gratiâ, superiorem eum dignitate fateretur. Nam ex quo Persicum regnum ad hodiernam familiam transiit, & Chah Abbas magnus, sæculi superioris initio, Armenorum Julfæ prope Ispahanam, coloniam constituit, illisque ampliſſima privilegia attribuit, Armenorum Patriarchæ omnem sibi jurisdictionem vindicaverunt, eò faciliùs, quòd per Regem Turcis inimicum non licebat cum Antiocheno Patriarcha, qui in eorum clientela erat, habere commercium.

Electio Patriarchæ Alexandrini.

XIX. Jam ad ea quæ Patriarchæ electionem spectant veniendum est. Quæ observari hoc in genere possunt, ad duo capita referuntur, ea scilicet quæ ante schismata, & quæ postea, præsertim Muhamedanorum tempore observari solebant, ad eligendos Patriarchas. Etsi verò antiquitatum Ecclesiasticarum memoria, in libris Orientalibus nulla, nisi fabulis contaminata sit, eaque longè certiùs ex Græcis Latinisque monumentis, quàm ex Arabicis habeatur, nam Coptica supersunt omnino nulla, tamen quia in ipsa licet non planè limpida traditione extant aliquando vestigia veteris disciplinæ, ea prorsus non contemnenda visa sunt.

Olim fiebat ab Episcopis, Clero & plebe.

XIX. Ac primò quidem illud pro certo tenendum est, Alexandrinam Ecclesiam communi cum reliquis omnibus jure usam fuisse, circa Episcoporum suorum electionem. Nempe, quod ab initio ubique, illic idem quoque observatum est, ut Episcopus eligeretur ab Episcopis, Clero & plebe, atque ab Episcopis per manuum impositionem ordinaretur. Aliter si factum fuisset, recessissent Alexandrini à communi omnium Christianorum disciplina, cujus, ut & orthodoxæ fidei, retinentissimi erant. Neque contraria erat consuetudo, cujus testis est Hieronymus, de duodecim Alexandrinis Presbyteris, qui ex suo numero unum eligebant, quem Episcopum nominabant. Verba Hieronymi ex Epistola 85. ad Evagrium ita se habent. *Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus*

xercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industriùm noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit exceptâ ordinatione Episcopus; quod Presbyter non faciat? Verba illa mitis commentariis vexata, toties in medium produxerunt Protestantes, quoties de Episcoporum & Presbyterorum æqualitate disputatum est: etsi Anglos, qui non infimum in Reformatorum communione locum tenent, à contraria sententia, removere nunquam potuerint. Hanc quæstionem quæ planè Theologica est, examinare non est hujus loci, jamque id à multis Theologis præstitum est. Adjunxit Hieronymi autoritati Seldenus Anglus, inter Presbyterianos nominatissimus, leviorem omnino, vel potiùs nullam Eutychii Alexandrini Patriarchæ autoritatem. Is in vita Marci ita scribit. *Constituit Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cùm vacaret Patriarchatus, eligerent unum è duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent & Patriarcham eum crearent.... Neque Alexandriæ defiit institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo* CCCXVIII. *Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent.* Ex autoritate tam futili, Joannes Seldenus παράδοξα duo satis probari existimavit: 1. quòd Alexandrinus Patriarcha à Presbyteris eligeretur & consecraretur: 2. quòd hæc ordinatio nihil aliud esset quàm ipsa electio.

XXI. Quæ inde contra legitimam & vetustissimam per Episcoporum manus ordinationem in libello de Originibus Ecclesiæ Alexandrinæ edito Londini 1642. prolixissimè, more suo disputavit, jam à multis refutata sunt, & hoc uno argumento satis refelluntur, quòd à nemine simile quidquam literis proditum est. Absurdum autem prorsus videtur existimare hominem in Ægypto natum sæculo decimo, & in fæce Græciæ barbaræ, ea de antiquis Alexandrinorum institutis sciviſſe, quorum ne vestigium quidem in tot Athanasii causam spectantibus actis & epistolis, totque aliis Ecclesiasticis monumentis appareat. Imò neque ipse constare videtur sibi, cùm disciplinæ, quam refert, ne unum quidem exemplum proponat. Autorem opere singulari refellit Abrahamus Echellensis Maronita, cui titulum dedit, *Eutychii vindicati*, & in quo Seldeni ignorantiam tam solidè demonstrat, ut mirari liceat cur Protestantes, Angli

Seldeni de ea judicium refellitur.

Digitized by Google

præsertim, vix illius meminerint. Quæ ad dogma Theologicum Ordinationis non aliter celebratæ quàm per impositionem manuum Episcoporum, & falsitatem opinionis, quam in Aerio & paucis aliis sancti Patres hæreseos damnaverunt, possent pertinere, ea, cùm ad hanc Dissertationem non spectent, referemus in illa, quâ sacras Ordinationes explicare conabimur. Quæ historiam disciplinæ ad eligendos & consecrandos Patriarchas spectant, paucis exponemus.

Electio Patriarcharum.

XXII. Electum Patriarcham ex Presbyterorum collegio tradidit Hieronymus, cujus autoritas major est quàm Eutychii, atque ita factum aliquando credi potest, imò secundùm communem disciplinam fuit, ut Episcopi ex ipsius Ecclesiæ, in qua per ordinationem alligati erant, gremio adsumerentur, quod factum est in omnibus ferme Ecclesiis, etiam ex quo magnum Ecclesiastica disciplina detrimentum accepit, eaque adhuc regula observatur in Germanicis Capitulis, quæ jus eligendorum Episcoporum conservant, ut Episcopus, præterquam ex Ecclesiæ gremio, eligi nemo possit. Verùm neque Hieronymo, neque illis autoribus dictum est, aut venit in mentem, Presbyteros ordinasse Episcopum. Cùm enim eo ipso loco quem urgent tantopere ad convellendam Episcopalem dignitatem, subjiciat. *Quid facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat*, satis significavit, ordinationem non modò majorum Antistitum, sed omnium quicunque in gradu Ecclesiastico constituti sunt, ad Episcopos pertinere. Quis enim existimet eum ordinari potuisse à Presbyteris, quibus neque inferioris ordinis Clericum ordinare fas esset? Quis etiam ullum ex Ecclesiastica historia promere exemplum potuit, quo constaret Episcopum à Presbyteris ordinatum, quem Canones antiquissimi à tribus Episcopis ordinari constituunt: quos Canones habent Coptitæ in suis Collectionibus, observatosque illos fuisse ex illorum historia demonstratur. Hæc sanè notissima apud omnes historiæ disciplinæque Ecclesiasticæ peritos, probare fusiùs necesse non est. Verùm ut in traditione Alexandrinorum Jacobitarum consistamus, hæc de Eutychii narratione observanda occurrunt.

An à duodecim Presbyteris.

XXIII. Ac primò quidem observandum est, nihil extare in Severi Episcopi Aschmoninensis Historia, quod Eutychii testimonio pondus adjicere queat: non in vita Marci, neque in vita Heraclæ, aut Alexandri. Elmacinum nihil moramur,

Digitized by Google

qui nihil ferme habet circa antiqua illa tempora, quod non ex Eutychio deſcripſerit: levior adhuc eſſe debet Makrizii Muhamedani autoritas, qui tamen rectiùs & accuratiùs ſententiam Eutychii, quàm Seldenus videtur aſſecutus. Verba ejus ſunt. *Poſtquam Marcus, Hananiam qui & Anianus dictus eſt Patriarcham Alexandrinum conſtituit, adjunxit ipſi duodecim Presbyteros, quibus præcepit ut quando Patriarcham diem ſuum obire contingeret, ejus in locum, ex ſe ipſis unum conſtituerent, aliumque ex Chriſtianorum numero ſufficerent, ita ut ſemper duodenarius ſubſiſteret Presbyterorum numerus: neque deſierunt creari Patriarchæ ex Presbyteris, donec congregati ſunt trecenti decem & octo.* Deſcript. Ægypti Mſ. Ar. Senſus igitur quem in Eutychii verbis Makrizius intellexit, non alius eſt quàm quòd inſtitutum fuerit ab Evangeliſta Marco duodecim ſacerdotum Collegium, ex quorum numero eligi ſolerent Patriarchæ. Etſi verum id eſſe concederemus, nihil inde contra Epiſcoporum autoritatem dignitatemque, nihil pro adſtruendo ordinationis jure Presbyteris, concludi poſſet.

XXIII. Verùm præter quàm quòd ignota eſt penitus antiquis autoribus ejuſdem Collegii ſacerdotalis inſtitutio: Orientales hiſtorici qui de Alexandrina Eccleſia ſcripſere, narrationis hujus fidem evertunt. Nam ſtatim ubi de Cerdonis electione ſcribitur, qui tertius à Marco numeratur, *ad eam convenisse*, ſcribit Severus, *plebem Orthodoxam, ſacerdotes & Epiſcopos, & ab illis electum Cerdonem*: atque ita in reliquorum Patriarcharum hiſtoria: neque de ullo uſque ad Athanaſium memoriæ proditum eſt, quod ex duodecim Presbyterorum Collegio fuerit, aut illorum mentio fit ſaltem leviſſima. Plebem electioni interveniſſe, etiam ubique legitur, & aliquando, quaſi ſolius populi ſuffragiis electi dicuntur Epiſcopi: ſæpius ab Epiſcopis, Clero & populo, nunquam verò in primorum Patriarcharum hiſtoria legimus, aliquem à ſolis ſacerdotibus electum, multo minùs ab illis duodecim. Exempla illa ex Severi hiſtoria partim retulit Abrahamus Echellenſis: & ea fuſiùs à nobis relata ſunt in Epitome noſtra, ubi hoc Eutychii teſtimonium expenditur. Refellitur hæc opinio exemplis ex hiſtoria petitis. *Hiſt. Patr. Alex. p.* 10.

XXIV. Aliam præterea ſolvendæ illius difficultatis viam propoſuit idem Echellenſis, ut doceret qua ratione intelligenda forent ea verba, quæ ſignificare videntur ſacerdotes undecim uni ex ſuo numero manus impoſuiſſe, atque ita ordina- Echellenſis opinio de verbis Eutychii.

Digitized by Google

tionem Episcopalem ab ipsis perfectam fuisse. Observat enim duplicem fuisse manuum impositionem, seu Χειροτονίαν: unam ad suffragia ferenda: alteram ad sacrum ordinationis ministerium: primam, quæ manuum extentione ad consensum suum significandum constabat, non modò à sacerdotibus, sed etiam à Laicis fieri potuisse: secundam non item: & de prima intelligendum esse Eutychium. Hæc explicatio, modicam, aut nullam certitudinem habet: & si fundamento non caret penitus secundùm Græcæ linguæ originem, at in Arabica nihil simile. Quod enim usu venit in pleriſque linguis quæ voces peregrinas accipiunt, ut persæpe alio prorsus significatu accipiantur, quam in primaria sua origine, id circa vocem Χειροτονίας observamus in Arabica. Eam scilicet vocem Arabes Christiani servaverunt; & *Chartoniat* in eorum libris occurrit aliquando ad significandam Ordinationem, quæ fit per impositionem manuum Episcoporum; quæ propria & unica significatio est Græcæ vocis apud Christianos. Nam altera quæ ad suffragii per manus extentionem ferendi, aut simplicem Magistratuum electionem spectat, etsi antiquis scriptoribus familiaris aliquando fuerit, vix tamen à Christianis usurpata legitur: neque magis valet alterorum autoritas ad illam confirmandam, quàm si quis Ecclesiæ vocem, eo quòd apud Demosthenem & reliquos Oratores frequentissimè occurrit, ex illorum sententiis juberet interpretari. Occurrit igitur Χειροτονία sive ut ipsi efferunt *Chartoniat*, apud antiquiores Canonum Interpretes, eo sensu quem habet apud autores omnes Ecclesiasticos, pro Ordinatione. Verùm communior omnino usus illius vocis est in diversa planè significatione, nempe *Simoniæ*, sive pecuniarum, aut munerum exactione pro ordinationibus. Ea acceptione frequenter reperitur in Historia Saracenica, nec eam interpres intellexit. Frustra ergo laboratur in illius vocis etymologia explicanda, cùm rem ipsam, de qua agitur, teneamus. Quippe certum est ex Severo Episcopo Aschmonin aliisque autoribus, nunquam electionem Patriarcharum Alexandrinorum ad solos Presbyteros, præsertim duodenos illos, quos à Marco institutos volunt, pertinuisse, sed, ut ubique, ad plebem, Clerum, & Episcopos. Neque id solùm probant Historiæ Alexandrinorum Jacobitarum, sed Canones antiqui & recentiores ab Ægyptiis collecti, præsertim Echmimensi & Ebnassalo: tum etiam Collectiones aliæ minoris pretii, sed non levioris

apud eos autoritatis. Eam porrò disciplinam stabiliunt ex Canonum Apostolicorum & Clementinarum Constitutionum autoritate, quæ apud eos inconcussa est. Si quid contra Alexandriæ observatum fuisset, notatum foret, & ex Marci Evangelistæ institutione commendatum.

XXV. Quod ergo verisimilius est ad interpretationem Eutychii, proponemus. Fatemur eum fabulam de duodecim Presbyterorum Collegio ita intellexisse, ut ipsis eligendi Patriarcham, jus tributum crediderit. Dum verò ait manus ipsi sacerdotes imposuisse, nihil aliud significatum voluit, quàm electum à se sacerdotem, ordinandum curasse, sicut in vita Agrippini Patriarchæ x. legimus *convenisse populum & manus imposuisse illi, atque illum ordinavisse Patriarcham & in sede D. Marci collocavisse*. Nempe populus proponebat: suffragia à Presbyteris, & Episcopis confirmabantur: tum procedebatur ad Ordinationem, ab illis faciendam, qui ordinandi jus haberent, nempe Episcopis; non Presbyteris, multò minùs Laïcis. Certum quippe est ex sequentium sæculorum disciplina, quæ antiquioris præcipua lineamenta retinuit, impositionem manuum ad dandum Spiritum sanctum, potestatemque ligandi & solvendi, & alia ad fungendum rite & legitimè sacerdotium necessaria, nunquam ab aliis factam esse, quàm ab Episcopis: neminem inter tot Patriarchas aliter fuisse constitutum, quàm Episcopali ordinatione, aut in sede D. Marci, quæ ultima erat cæremoniarum pars, collocatum ab aliis fuisse, quàm ab Episcopis. Quid verisimilius videatur dicendum de Eutychii testimonio.

XXVI. Neque prætereundum est, quod ulteriùs ad evertendam narrationis Eutychii fidem pertinet, constare ex ipsa Alexandrinæ Ecclesiæ historia, eo temporis intervallo quo Patriarchas ex duodecim Presbyterorum numero assumtos esse contendit, duos reperiri, Agrippinum & Demetrium, qui ex eorum ordine non erant. Nam primus, ex *plebe Christiana* fuisse dicitur, hoc est Laicus: de altero non modò scribunt eum Laicum fuisse, sed uxorem habuisse: unde etiam orta non levis contentio est, multis eum repellentibus, quia nullus, inquiebant, à D. Marco, usque ad illa tempora ad Episcopatum Alexandrinum promotus fuerat, nisi nuptiarum expers, & qui virginitatem ab ineunte ætate servasset. Unde Demetrius integritatem suam ab opere conjugali miraculo asseruit, jussâ uxore ut prunas ardentes in sinu vestis circumge- Refellitur ex historia. *Hist. Patr. Alex. p.* 20.

Digitized by Google

ſtaret, quam hiſtoriam deſcripſimus in vita Demetrii. Athanaſius Diaconus erat, non ex Preſbyterorum collegio.

An tunc nulli eſſent in Ægypto Epiſcopi.

XXVII. In eadem Eutychianæ hiſtoriæ particula, quam Seldenus Latinam fecit, etiam novum τὸν δόξον legitur, quòd nulli tum eſſent *in provinciis Ægyptiacis Epiſcopi* uſque ad Demetrium. Jam ab Echellenſi obſervatum fuit & à nobis in vita illius Patriarchæ, aliter ſcriptum ab Eutychio, qui ſingulare nomen adhibet, ex quo interpres plurale fecit. *Provincia Ægypti* non totam regionem, ſed Inferiorem, quæ aliter Delta appellatur, ſignificat: atque ea eſt quam Ægyptii propriè Χημι appellant, ut ex forma Epiſtolarum encyclicarum appareret, ſcribi ſolitarum poſt ordinatum Patriarcham. In illis enim Χημι diſtinguitur, à Sahide, ſive ſuperiori Ægypto. Fieri potuit ut aliquando unus Alexandrinus Epiſcopus totam inferiorem Ægyptum rexerit, etſi id omnino repugnet ipſorum Arabum, qui Eutychio non minùs fidem merentur, teſtimoniis: dum ſcribunt ad electionem Patriarcharum, qui ante Demetrium fuerunt, Epiſcopos conveniſſe. Neque tam inſignis facti meminit Severus Aſchmoninenſis, cujus autoritas æqualis, aut fortaſſe ſuperior eſt. Tum & illud abſurdiſſimum ſequeretur contra omnium Eccleſiarum mores, ut Epiſcopi nulli in Ægypto fuiſſent, ante Demetrium Patriarcham Alexandrinum à Preſbyteris ordinatum: quod ſi veriſimile Preſbyteriano viſum eſt, at omnibus qui aliquem diſciplinæ Eccleſiaſticæ guſtum habent, nunquam ſuaderi poterit, etiam ſi Eutychii centum id affirment. Quis enim dubitet in multis Eccleſiaſticis cauſis exemplum Eccleſiæ tam celebris valiturum fuiſſe contra Epiſcopos, cujus tamen nemo meminit: non ipſe Hieronymus, qui parum favens Epiſcoporum autoritati, Ordinationis tamen prærogativam, eo ipſo quo abutuntur Hæretici teſtimonio confirmat, quâ ſimplices Preſbyteros ſuperent? His adjungi poteſt argumentum ex ipſo Eutychio petitum qui poſt captam Ægyptum, docet Melchitas ſuos, cùm Alexandrinum Patriarcham per annos nonaginta ſeptem non haberent, ad Epiſcopos Tyri miſiſſe ordinandos Epiſcopos. Si hæc traditio nota fuiſſet, erat tunc in ſumma rerum neceſſitate locus, ut Preſbyteri, veteri illo ſuo jure uterentur: neque cum tantis periculis extra provinciam ordinationes peterentur. Verùm, ut autor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ rectè obſervavit, tam exigua eſt hominis barbari, & ſæculo X. ſcribentis autoritas, de illis rebus quæ ſecundo vel tertio ſæculo geſtæ ſunt, ut eum

Eutych. T. 2. p. 385.

Digitized by Google

fusiùs refellere operam sit abuti suam. Si tamen tanta videtur esse Protestantibus, sequantur eam in omnibus aliis fidei aut disciplinæ capitibus, & se extra Ecclesiam Catholicam esse statim agnoscent.

XXIX. Verùm ut jam ad modum electionis in Patriarchis creandis observatum veniamus, quæ ante Muhamedanorum tempora facta sunt, omittimus, quia nullam Alexandrina Ecclesia singularem consuetudinem habuit, nisi fortasse jus illud Presbyterorum, ut unum ex numero suo eligerent, quod alibi etiam observabatur, ita tamen ut electio populi suffragiis confirmaretur, & ab Episcopis consecratione perficeretur. Athanasius erat in ordine Diaconatûs, cùm ad supremam Ecclesiæ suæ dignitatem assumtus est: omnes electione plebis, sacerdotum & Episcoporum ad Patriarchatum pervenerunt, non modò Athanasii successores primi, antequam Ecclesia scinderetur à Jacobitis: sed etiam qui Dioscoro, ubi in exilio mortuus est, à suis sectatoribus suffecti sunt. Constans ab eo tempore disciplina fuit, ut post obitum Patriarcharum Episcopi Alexandriam convenirent, & postquam Muhamedani rerum potiti sunt, aliquando Cahiræ comitia Patriarchalia habita sunt: aliquamdiu alternatum est, ita ut Alexandriæ, & dein Cahiræ conveniretur. Et si quando vices erant Alexandrinorum & tamen in altera urbe celebrarentur, Alexandrini in electione præcipuas partes habebant. Modus eligendi Patriarcham.

XXX. Qui porrò ad ea convenirent, docet nos exemplum literarum systaticarum quæ extant in Pontificali & in Collectione Abulbircat, nempe Episcopi, Clerus, & primores Alexandriæ, tum Clerus & præcipui urbis Misræ, sive Cahiræ, atque ita constanter observatum reperimus, in plerisque, quarum memoria supereſt, electionibus. Nam Muhamedanis hæc initio Imperii sui lex præcipua fuit, ut Christianos cujuscumque sectæ, suis moribus vivere permitterent, neque ab ea recesserunt, nisi postquam ipsi Christiani, vel sectarum diversarum inter se pugnantium, vel in eadem communione quorumdam nefarii conatus, ad dignitates capessendas, barbaros in eorum perniciem armarunt, ut multis ex historia Alexandrina exemplis apparet. Qui ad electionem convenirent.

XXXI. Diximus vicibus alternis Alexandriæ & Cahiræ cives jus electionis habuisse: id verò quando institutum fuerit non tradunt historici: primum enim exemplum est in vita Ad Alexandrinos & Cahiranos quomodo pertinuit.

Digitized by Google

Christoduli Patriarchæ LXVI. qui ordinatus est circa annum J. C. MLVIII. illum enim ab Alexandrinis electum scribit historicus, quod ad illos electio hac vice pertineret. Cyrillum ejus successorem Mistræ cives pari jure elegerunt: rursus Michaelem qui ei successit, Alexandrini: Macarium postea Cahirani: verum ejus successorem Gabrielem filium Tarich, adhuc iidem elegerunt, ut observant historici, nulla ratione designata, cur successive duas ad se electiones traherent. Rationem, ex conjectura tamen tantùm, hanc in Epitome nostra proposuimus, quòd Alexandrini biennium & ampliùs labi passi fuissent, antequam de candidato proponendo inter eos convenisset, quo prætextu, &, ut verisimile est, cum aliquo fundamento ex recepta inter eos consuetudine, Cahiræ cives, eam electionem consentientibus Episcopis fecissent. Poterant etiam facilè Jacobitarum primores, qui in Officiis domûs Sultanorum, Divanisque, seu Ministeriis aulicis munera amplissima occupabant, autoritate principum, plus juris usurpare quàm sibi competeret.

Exemplum electionis per Monachos factæ.

XXXII. Exemplum unicum occurrit electionis per Monachos factæ, Marci filii Zaraæ Patriarchæ LXXIII. ad quos, ait historicus ejus vitæ, tunc pertinebat. Verùm id unico illo exemplo constare non potest: cùm neque Abulbircat, neque Ebnassalus, aut alii qui leges electionum fusè exposuerunt, eas aliquando ad Monachos pertinuisse scripserint. Aut igitur illis concessa est eligendi Patriarcham potestas, absque ullo partium præjudicio, aut quia ad S. Macarii Monasterium comitia Episcoporum habebantur, in sententiarum, studiorumque diversitate datum illis est, ut quem ipsi designarent, is omnium votis salutaretur. Fieri etiam potuit ut, quando quidem jam ab eo tempore consuetudo invaluerat, Patriarchas ex ordine religioso assumendi, quæ adhuc servatur, Monachis permitteretur eum designare, quem digniorem existimarent. Quippe non solùm congregationi Monachorum celeberrimæ, & quæ apud Jacobitas magna sanctitatis & doctrinæ opinione florebat, id aliquando tributum fuisse videmus, sed etiam Monachis quorum fama major esset, aut qui ad hanc dignitatem communi consensu expetiti, eam acceptare detrectabant, concessum fuit, ut quem vellent, designarent. Ita ex senis qui sanctitate commendabatur, & quem multi nominaverant, designatione, electus est Mennas Patriarcha LXII. & Gabriel filius

filius Tarich LXX. monitu Joſephi cujuſdam Syri Monachi: nec non alii in eumdem modum. Aliter, quantum ex Hiſtoria Alexandrina colligere licuit, Monachi ſoli ad eligendum Patriarcham nunquam jus habuerunt. Poſt mortem Joannis filii Abugaleb LXXIV. quæ incidit in annum Martyrum DCCCCXXXII. J. C. MCCXVI. cùm mutuis calumniis diſſidiiſque tam Eccleſiaſticorum quàm Laicorum, ambituque Davidis cujuſdam ſacerdotis, qui tandem Patriarchatum obtinuit, vacaſſet ſedes per annos prope viginti, everſa eſt diſciplina vetus, neque jam ab aliquot ſæculis, alia eligendi Patriarchæ ratio eſt quàm alibi paſſim in toto Imperio Turcico, nempe, ut is ordinetur qui Diploma Principis obtinet, quod pecunia redimitur. Verùm ut ad antiquiora tempora, quorum propriè hiſtoriam ſcribimus revertamur, ea prorſus conſuetudo fuit ut electio libera ſervaretur, & in ea plebs ſuffragium ferret.

Laici quodnam in electione jus haberent.

XXXIII. Et quidem antiquitus, non alterius ut videtur, ratio plebis haberi ſolebat, quàm Alexandrinæ: idque communi jure privilegium fundabatur. Cùm enim Eccleſiæ Alexandrinæ proprius Epiſcopus eſſet, is qui ex adjuncta ſedi ſuæ prærogativa, ampliſſimis Ægypti aliarumque provinciarum Diœceſibus præſidebat, Patriarchali titulo, debebat ab ipſis eligi, quorum proprius & privatus paſtor futurus erat. Itaque ante Muhamedanorum tyrannidem, Alexandriæ convenire ſolebant tum Epiſcopi, tum alii ad quos electio, vel conſecratio novi Antiſtitis ſpectabat. Ex quo Miſra, ſive Cahira caput Regni, principumque ſedes fuit, cùm Laicorum primarii, quos voce Græca Ἄρχοντες vocant, Copticè Niarchon, in ea urbe ſedem haberent, (plerique enim erant in principum miniſterio,) eorumque conſenſus neceſſarius foret, ne diverſis partium ſtudiis ſchiſmata, ex duplici electione naſcerentur, inſtitutum fuiſſe videtur, ut conventus tum Epiſcoporum, tum Laicorum Miſræ haberetur, qui olim Alexandriæ fiebat. Accedebat enim alia non minoris momenti ratio, quòd cùm abſque Sultanorum aut præfectorum mandato conſecrari novus Patriarcha non poſſet, ſtatim atque in alicujus nomen conſenſerant, obtinebatur electionis confirmatio. Quòd ſi Alexandriæ Concilium illud haberetur, periculum erat, ne qui repulſam paſſi fuiſſent, aut qui aulicis officiis adſtricti, abſentium rationem non habitam fuiſſe moleſtè ferrent, calumniis apud Prin-

Digitized by Google

cipes, quæcumque Alexandriæ constituta fuissent, irrita fieri procurarent. Ita paulatim factum, ut Comitia Patriarchalia Misræ seu Cahiræ haberentur: ad honorem verò urbi primariæ, & quæ olim, non minùs regni quàm religionis in Ægypto caput fuerat, aut Ordinatio, aut tandem ἐνθρονισμὸς Alexandriæ celebraretur, quæ disciplina exponetur accuratiùs, cùm agetur de Patriarchæ Ordinatione.

Alternationis Cahiranorum & Alexandrinorum origo: & electionis ratio.

XXXIV. Alternatio illa Alexandinorum & Cahiranorum, cujus nullum sæculo undecimo antiquius exemplum occurrit, nata est, ut videtur, eadem occasione; cùm Laicorum Jacobitarum primarii ad urbem regiam fortunas omnes suas transtulissent. Illi enim cùm suâ interesse existimarent, ne se inconsultis Patriarcha renuntiaretur, tum etiam ne impedimentum ex confirmationis, quæ à Principe postulanda erat, defectu aut retardatione, nasceretur, cùm nobiliores illi plerique Alexandrinæ civitatis jus haberent, obtinuerunt tandem, ut Comitia Patriarchalia Alexandriæ & Cahiræ alternatim haberentur. Ea autem ratio Comitiorum erat, ut qui jus electionis haberent, proponerent universo Episcoporum & aliorum concilio, eum qui maximè dignus videretur. Postea verò ob eas, quas exposuimus, rationes, consuetudo invaluit, ut semper Cahiram conveniretur: idque vulgò dudum fieri dicunt testes fide digni, nihil enim historici de hac disciplina, præter ea quæ diximus, perspicuè scripserunt. Si Alexandrinorum vices essent, primas illi sententias dicebant: si Cahiranorum, illi pariter; proponebant nomen candidati, quem præferebant; illum verò acceptare aut rejicere poterant Episcopi, aut alii qui suffragii ferendi jus habebant. Quòd si inter se diversa hominum studia conciliari non possent, tunc aut Alexandrini adversùs Cahiranos, & viciſsim: aut Episcopi adversùs Laicos, pro suo quisque candidato, contendebant. Neque ullum in tota Alexandrina Jacobitarum Historia occurrit exemplum electionis à Laicis factæ, quæ absque Cleri & Episcoporum consensu rata fuerit; adeo ut propriè loquendo, jus populi & Cleri æquale quodammodo in suffragiis ferendis fuerit. Nam populus, quem volebat designabat: si ab universo concilio, aut majori ejus parte rejiciebatur candidatus, aliusque ab Episcopis, aut ab alterutrius civitatis nobilioribus proponeretur, repelli quoque ab illis, qui alium nominaverant, poterat. Clerus & Episcopi neminem

Digitized by Google

proponebant, niſi poſtquam ille, qui primùm expetitus à populo fuerat, repulſam tuliſſet.

Conveniebant aliquando ad S. Macarium.

XXXV. Aliquando factum legimus, ut neque Alexandriam, neque Cahiram convenirent, ſed ad Monaſterium D. Macarii ad vallem Habib, ut factum eſt ad electionem Cyrilli LXVII. & Macarii LXIX. Nempe quia jam à multis ſæculis ſolent eligi Patriarchæ ex ordine Monaſtico: idcirco quoties non ſatis apud ſe tam Epiſcopi quàm Laici nobiles conſtituerant, quis ſupremo illo honore dignus videretur, ad ipſa Monaſteria proficiſci optimum factu videbatur, ut eos, qui ipſis commendabantur multorum teſtimoniis, poſſent per ſe ipſi cognoſcere, & de eorum fide, moribus, & animi dotibus, per Hegumenos & Monachos quibus perſpecti eſſe debebant, certam relationem habere.

Mos ad Monaſteria mittendi.

XXXVI. Moris illius ad Monaſteria mittendi, aut etiam eo proficiſcendi, teſtimonium continent Epiſtolæ Syſtaticæ, de conſecratione novi Patriarchæ, in quibus ita legitur. *Mitti igitur decrevimus ad deſerta ſancta Scetis, quæ ſunt ad montem Nitriæ, diligentiamque omnem adhibuimus ad cognoſcendum, quis ſummo illo pontificatu dignus foret...* Et paulò poſt. *Tum Deo dirigente, oculos noſtros convertimus in Deo devotum ſacerdotem & piiſſimum Monachum, habitantem in celebri Laura Patris noſtri ſancti Macarii in Sceti.* Tales fuerunt Coſmas XLIV. Chail ejus ſucceſſor, poſt Theodorum, Mennas XLVII. Marcus, Jacobus, Joſephus, Chail alter LIII. ejuſdem Monaſterii Archimandrita, Coſmas ejus ſucceſſor, Senuda LV. Oeconomus ejuſdem Eccleſiæ, Philotheus LXIII. & alii. Ita quod initio factum fuerat abſque ulla certa lege, tranſiit quodam modo in rem judicatam, adeoque, quantum ex virorum fide dignorum relationibus ſciri poteſt, dudum eſt ex quo nullus Patriarcha eligitur, niſi ex Monaſtico ordine, præſertimque ex Monaſteriis, quæ adhuc vocantur deſertum S. Macarii.

Diſciplina Comitiorum Patriarchalium.

XXXVII. Verùm antequam ulterius progrediamur, obſervare neceſſe eſt, quæ Comitiorum illorum Patriarchalium diſciplina fuerit. Poſtquam Patriarcha Alexandrinus diem ſuum obierat, ut mos erat omnium Eccleſiarum, qui ipſius Syncelli fuerant, & præcipuè ſecretarii, litteras ad Epiſcopos, Monaſteria, & præcipuos Laicos mittebant, quibus de illius morte ſignificarent: juſque illos ad novi Patriarchæ electio-

Digitized by Google

nem convocandi, penes Alexandrinos erat, quia, ut superiùs observavimus, ad illius Ecclesiæ Clerum, ex communi omnium Christianorum consuetudine spectabat, ut sibi Episcopum eligerent. Nunquam tamen à nobis observatum est in recentiorum Patriarcharum historia, aut in aliis monumentis, ad quem convocationis illius cura spectaret, aut quis esset Sedis vacantis administrator, quemadmodum apud Nestorianos proximi Episcopi Cascarensis cura hæc erat, & prærogativa. Dudum invaluit tyrannica planè consuetudo apud Arabes & Turcas Ægypti dominos, ut statim atque Patriarcha mortuus est, Cella, sive domus Patriarchalis ab Ærarii Præfecto obsignetur: atque sæpe hac occasione sub talibus custodibus, quidquid supellectilis aut pecuniæ reperiebatur, ipsa etiam alimenta, ejus domesticis subtrahebantur. Neminem igitur observamus, cui convocandorum Episcoporum & Cleri cura competeret; sed illud tantummodo, quod ea occasione statim Misram convenerint Episcopi, nisi fortasse, aut Sultanus, aut Præfecti provinciales prohiberent.

Præsidebat senior Episcopus.

XXXVIII. Cùm porrò inter Episcopos Ægypti nulla alia, quàm ætatis, prærogativa esset, (nulli enim erant Archiepiscopi, neque Metropolita ullus inter Jacobitas appellatus est, nisi Damiatensis, idque duodecimo sæculo, ut in historia nostra monuimus,) idcirco inter eos primum locum habebat is Episcopus, qui senior ordinatione erat, quemque majorem, aut præsidem nominabant. Nulli verò sedi alligatam fuisse hanc honoris prærogativam scimus, quia diversarum Ecclesiarum Episcopi recensentur, qui eam habuerunt. Alia fuit sub Orthodoxis, sive Melchitis, disciplina, & Alexandrinus Patriarcha diversas Metropoles habuit, de quibus dicetur suo loco: sed apud Jacobitas præter Damiatensem, nullus in Ægypto Metropolita fuit.

Preces pro electione: licentia à Sultano.

XXXIX. Advenientibus igitur Episcopis, antequam deliberaretur de eligendo Patriarcha, preces publicæ ad aliquam Ecclesiam indicebantur, jejunia, solennes Liturgiæ, atque, ut plurimum, antequam ulteriùs procederetur, postulabatur licentia à Muhamedanis principibus, ne libertas publica turbaretur, neve alicui præceptum concederetur, quo aditus ipsi contra disciplinam fieret ad Patriarchalem dignitatem. Nunquam enim majores calamitates Orientalis Ecclesia sustinuit, quàm ab ambitiosis hominibus, qui talia præcepta licita-

Digitized by Google

bantur, & armata manu ad honores graſſari ſolebant. Exempla paſſim occurrunt, tam in Coptitarum, quàm in Neſtorianorum hiſtoria. Nunc verò toto Oriente vix aliter fiunt Patriarchæ: neque libertas, quam aliquando Chriſtiani obtinent, aliter haberi poteſt, niſi plura præſtando, aut pollicendo, quàm nebulones apud ærarii præfectos polliciti ſunt, aut repræſentaverunt. Ne igitur defectu autoritatis principum ſchiſmata per diverſas factiones fierent, prudenter inſtitutum fuit, relatumque inter Conſtitutiones Eccleſiaſticas, ut nemo, niſi probata eſſet per ſæculares Principes ejus electio, in Patriarcham conſecraretur, aut eligeretur. Ea ratione approbantibus Epiſcopis irrita facta eſt electio Georgii Diaconi Eccleſiæ Saca, qui abſque permiſſu Abdel-Azizi præfecti, à quibuſdam electus fuerat: & Iſaacus XLI. ejus loco conſtitutus. Et poſt obitum Theodori XLV. Jacobitæ diu neminem elegerunt in ejus locum, quia Kaſſemus Ægypti præfectus licentiam negaverat. Alia ejuſmodi exempla ſuppetunt.

XL. Qua verò ratione concilium haberi ad electionem Patriarcharum ſoleret, docet vita Chailis XLVI. In ea enim refertur Epiſcopos, ſtatim atque Miſram venerunt, Hafethum Ægypti præfectum adiviſſe, licentiamque eligendi Patriarcham poſtulaſſe: illum reſpondiſſe, ut inter ſe conſentirent circa eum quem Theodoro defuncto ſufficere cogitabant, poſtea redirent, ſeque, quod optimum factu videretur, imperaturum. Conſederunt in Eccleſia Epiſcopi juxta ordinem ſuum, hoc eſt antiquitatem Ordinationis ſuæ: ſacerdotes prope Epiſcopum quiſque ſuum: in medio ſacerdotes Eccleſiæ Alexandrinæ, cum Protopapa ſuo, qui Alexandrinorum nomine verba faciebat. Is erat Preſbyterorum primus, quæ dignitas non apud Jacobitas modò, ſed etiam apud Melchitas Græci ritus vigebat, unde etiam Arabicè ſcribentes vocem Πρῶτος ſervaverunt: Talis erat is, quem vir Clariſſimus Guillelmus Beveregius, autorem exiſtimavit verſionis Arabicæ Canonum, quam edidit ante annos aliquot: quamvis, ut alio loco obſervavimus, nihil aliud verba quæ ad frontem Codicis Mſ. reperta ſunt, ſignificent, niſi quòd Joſephus ille poſſeſſor libri fuerit, qui, ut Orientales ſolent, hanc inaugurationis ſuæ notam, dum otiaretur, præfixerat. Πρῶτος igitur erat, ut vulgò diceremus, antiquior ſive Decanus ſacerdotum Eccleſiæ, & in ſingulis Eccleſiis ſuus erat Πρῶτος.

Modus procedendi ad electionem.

Digitized by Google

Sacerdotes Alexandrini.

XLI. In illis igitur comitiis Eccleſiaſticis, primas tenebant ſacerdotes Alexandrini, quia antiquitus dum ſibi Epiſcopum eligebant, reliquis Eccleſiis Archiepiſcopum & ſupremum Antiſtitem dabant. Attamen ex quo Ægyptus in Muhamedanorum poteſtatem venit, imminuta eſt illorum autoritas, cùm etiamſi jus primæ propoſitionis retinere conarentur, nihil tamen efficere poſſent abſque Cahiranorum, & aliorum qui populum Chriſtianum Jacobiticum repræſentabant, ſuffragio & approbatione. Certum id ex variis acerbiſque inter eos & Epiſcopos concertationibus, quæ aliquando electionum Comitia aut planè ruperunt, aut ad menſes & annos produxerunt; ſacerdotes autem Alexandrini intelligendi ſunt, qui erant ex Eccleſia S. Marci, quæ Patriarchalis quodammodo dignitatem & autoritatem obtinebat. Illi ex ea prærogativa non ſolùm jus ſententiæ primùm dicendæ retinebant, ſed totum Clerum Alexandrinum repræſentabant. Attamen non tantùm valuit eorum autoritas, quin aliorum ex eadem urbe ſacerdotum oppoſitionem paterentur. Docet nos ita nonnumquam contigiſſe, Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum in vita Simonis XLII. Nam Alexandrini ſacerdotes duas in factiones diviſi erant, aliis Joannem Abbatem Nitriæ, aliis Victorem Abbatem alterius Monaſterii proponentibus; illi verò erant ex Collegio Eccleſiæ *Angelii*. Neuter tamen eorum electus eſt, atque ſæpius irritam fuiſſe Alexandrinorum aut Cahiranorum nominationem, ſi Epiſcopi diſſentirent, multa exempla declarant. Fuit tamen ſemper ea tum Cleri utriuſque urbis, tum primorum Laicorum opinio, quòd ipſi jus præcipuum ad eligendum Patriarcham haberent, Epiſcopis ſola competeret manuum impoſitio, per quam Ordinatio perficeretur. Ita in Theophanii vita legimus eum, cùm ſuperbè nimis ſe efferret adversùs Alexandrinos, & ea quæ ipſis ante Ordinationem pollicitus fuerat, præſtare renueret, eos dixiſſe, ornatum illum & veſtem quâ cæteris præſtabat, ſuum ipſorum munus eſſe, & ad ſe qui dederant, pertinere. Verùm hæc non minùs contumelioſa quàm falſa erant: certum illud tantummodo quòd, niſi conſenſus communis omnium accederet, nihil peractum cenſebatur.

Miſræ ſeu Cahiræ civium jus ſuffragii ferendi.

XLII. Ubi Miſræ comitia indicta erant, eſſetque civibus & Clero illius urbis jus proponendi quem digniorem exiſtimarent, dicebant illi ſententiam ſuam primo loco, ſicut olim

Digitized by Google

quando Alexandriæ eligebatur Patriarcha, hæc erat Alexandrinorum prærogativa. Quo loco obſervandum eſt ex vita Macarii LXIX. Cahiræ Clerum & cives, quando ad eos electio ſpectabat, novam quoque autoritatem adrogaſſe ſibi, literas encyclicas ad omnes Epiſcopos convocandos per totam Ægyptum mittendo, quod erat adversùs juris Eccleſiaſtici communes regulas. Quippe Alexandrinis id licebat, qui amiſſo Epiſcopo ſuo, nomine Eccleſiæ paſtore viduatæ, more majorum ſcribere ad alias Eccleſias poterant, ut pote Clerus ſedis vacantis. At Cahirani qui Epiſcopum haberent, ſine quo ſecundùm Canones agere nihil poterant, Clerum ab ejus corpore divulſum non conſtituebant, neque alia hujus innovationis cauſa cenſenda eſt, quàm quòd nobiliores indigenæ, Cahiræ potiùs quàm Alexandriæ degentes, & ſacerdotes ipſi, non minùs ſe ad Alexandrinam Eccleſiam, quàm qui in ea ipſa urbe eſſent, exiſtimabant pertinere.

XLIII. Præter Clerum & populum utriuſque urbis, qui alternatim eligendi jus ſibi vindicabant, occurrit exemplum, quod mox obſervabamus, Marci filii Zaraæ, de cujus electione ſcribit hiſtoricus, quòd ad Monachos ſpectaverit, unicum ſanè, & quod diſciplinæ regulis & exemplis contrarium eſt. Alterum, ſed diverſi generis, ſubminiſtrat hiſtoriâ Macarii LXIX. in qua legimus, Miſræ cives & Monachos S. Macarii in ea electione jus habuiſſe: ex quo teſtimonio, duo nobis colligi poſſe videntur. Alterum quòd Monachorum nomine, non alii intelligendi ſunt quàm illi qui erant in Monaſteriis ſancti Macarii: alterum quòd Miſræ cives qui electionem ad ſe pertinere arbitrabantur, eos in concilium ſuffragiique ferendi conſortium admiſerint. Cùm enim, ut multis exemplis conſtat, plerumque candidati ex Monaſteriis aſſumerentur, ſæpeque magis placeret eligi eos, qui mundo incogniti in oratione, ſacrarumque litterarum ſtudio majorem vitæ partem conſumſerant: neceſſe erat adduci, aut Archimandritas, aut majoris dignitatis Monachos, qui de eorum virtute, doctrina, & prudentia teſtimonium apud congregationem populi & Epiſcoporum ferre poſſent. Neque hac ſimplex inaniſque conjectura eſt, ſed fundata ipſo electionis inſtrumento. In eo enim Epiſcoporum, Sacerdotum, & Clericorum, tum populi primorum ſeu Ἀρχόντων mentio fit, tanquam ad electionem conſentientium, eamque ſuffragiis ſuis

Exemplum electionis à Monachis S. Macarii factæ, & quodnam propriè jus ipſorum fuerit.

Digitized by Google

comprobantium. De Monachis dicitur, quòd *ab illis quæsitum fuerit, eorumque testimonio constiterit de spirituali ejus profectu sanctaque conversatione.* Itaque non alio titulo locum in illis electionibus habebant, nisi ut testes pietatis, fidei & religionis essent, ejus qui ad Patriarchalem dignitatem promovebatur: neque ordinem singularem constituebant qui ad eligendum jus haberet, sed censebantur inter Laicos, qui nullo gradu Ecclesiastico insigniti erant: vel inter sacerdotes, si qui sacerdotio fungebantur. Si aliter aliquando factum, ut duobus exemplis quæ adduximus, probari quamvis parum certò potest, Monachos in partem electionis vocatos fuisse, rarum id & præter consuetudinem, maximè quando Alexandriæ comitia habebantur. Quando Cahiræ, suspicari possumus advocatum honoris gratiâ fuisse Archimandritam Scetis, seu S. Macarii, quia subscriptio ejus notatur in instrumento electionis, post Alexandrinos Sacerdotes & Diaconos, ante Laicorum primarios. At nullus assignatur locus Monachis ad subscribendum, etsi in alia litterarum formula, mentio fiat consensus ab illis præbiti ad electionem Patriarchæ. Quòd si Monachi ratione ordinis sui, habitusque, ut vocant, Angelici, locum inter suffragatores tenuissent, assignatus fuisset ipsis locus procul dubio, ut tres saltem subscriberent, sicut tres sacerdotes & totidem Diaconi Alexandrini reliquorum nomine, quod in neutro exemplari litterarum observatur.

In electione Alexandrinorum præcipua ratio habita.

XLIV. Illud quoque observationem meretur, quòd, etiamsi Laicorum seu totius populi magna esset ad electionem autoritas, eaque Cahiræ fieret, etiam quando ad ejus urbis cives spectabat, honos tamen talis habebatur Alexandrinis, ut eorum præcipuè res agi videretur. Nam eo spectant ea quæ leguntur in laudatis Epistolis. *Cùm igitur perspecta nobis foret Alexandrinorum caritas erga patres suos, sciremusque eos nolle diutiùs orphanos permanere, eapropter festinavimus ad perficiendum opus Dei*, & quæ sequuntur. Atque hæc etiam prærogativa insignis fuit, quod electionis instrumento subscriberent Alexandrini, & non aliarum Ecclesiarum Clerici.

Conventus ad electionem, propositio eligendi: qui à defuncto designatus, sæpe præferebatur.

XLV. Celebratis precibus, & Liturgiis, senior Episcoporum, vel aliquis inter eos conspicuus, solebat ad cœtum verba facere, & ea in mentem revocare, quæ observari oportebat ad novi Antistitis electionem. Statimque aut ab Alexandrinis,

drinis, aut à Cahiranis proponi ſolebat aliquis, qui, ſi vota omnium conſpirarent, proclamabatur. Sæpe id factum, ſtatim atque populus & omnes præſentes, Ἄξιος inclamaſſent. Habebatur etiam ratio eorum, quos non ſuſpectis teſtimoniis conſtaret à defuncto Patriarcha ſucceſſores expetitos: ita de Iſaaco XLI. ſcribitur, valuiſſe apud eos qui ad electionem convenerant, quòd renunciatum eſſet Joannem ejus deceſſorem, dignum eum judicaſſe qui illi ſuccederet. Ita ſcribunt de Marco XLIX. & de Jacobo ejus ſucceſſore. Majorem porrò autoritatem hujus commendationis fuiſſe judicari poteſt, quòd non adeo frequens eſſet, unde non multa ejus exempla reperiuntur: neque magis valebat, quàm aliorum teſtimonia, niſi candidato talis etiam fama virtutis & probitatis eſſet quæ illam confirmaret.

Conſenſus omnium requiſitus: Epiſcoporum maximè neceſſarius.

XLVI. Ubi convenerant, & Alexandrini, ſive Cahirenſes aliquem propoſuerant, nihil actum erat, niſi communi conſenſu electio approbaretur: atque id erat Epiſcoporum munus proprium, quorum in talibus comitiis magna erat autoritas. Itaque frequentiſſimè in hiſtoria obſervatur, repulſis qui primò nominati fuerant, alios vel ab Epiſcopis, vel à Sacerdotibus, vel tandem à quibuſcumque propoſitos fuiſſe, omiſſis qui priùs deſignati fuerant. In repulſa, magna erat Epiſcoporum autoritas, quia negabant manus ſe impoſituros illis, qui indigni judicarentur: at in approbatione non major erat eorum poteſtas, quàm Sacerdotum & populi, cùm diſciplina perpetuò conſervata, prohiberet ordinari quemquam, niſi conſenſus Ἀρχόντων, plebiſque accederet. Ubi aliqua erat ſententiarum diverſitas, mittebant ad monaſteria, præſertim ſancti Macarii, ut à ſenioribus Monachis diſcerent, qui eſſent inter ſuos ad Patriarchale munus ſuſtinendum præ cæteris idonei.

Præcepta principum de electionibus.

XLVII. Si quis commendatione principum dignitatem affectaret, afferretque præceptum de Ordinatione ſua, quia hic ambitus contra Canones erat, ſolebant Epiſcopi, primoreſque Jacobitarum ad aulam proficiſci, privilegiaque ſua exponere, quibus ſibi ſecundùm communem diſciplinam Eccleſiarum, integra Antiſtites ſuos eligendi libertas concedebatur, raroque cogebantur ad eum acceptandum qui minùs placeret. Ita poſt Chailis XLVI. mortem, cùm Petrus quidam Diaconus tale ab Almanſore præceptum obtinuiſſet, nulla illius ratio habita eſt: ſicut in vacatione ſedis per annos propè viginti poſt

Digitized by Google

obitum Joannis Patriarchæ LXXIV. cùm David ſacerdos, qui Cyrillus in Patriarchatu vocatus eſt, talia ſæpe mandata Sultanorum ad Epiſcopos alioſque ad electionem convocatos detuliſſet, ſemper ea reſciſſa ſunt, donec contentionibus per concordiam de eo eligendo finis impoſitus fuiſſet. Poſt Philothei LXIII. obitum, Abraham qui magna apud Hakemum Califam ex Fatimidis tertium gratiâ pollebat, etſi pari autoritate munitus, tamen repulſam paſſus eſt, electuſque Zacharias. Neque prætereundum eſt, quòd mirum ſanè videtur in tot turbulentis electionibus Patriarcharum, quorum hiſtoria ſupereſt, uſque ad ultima Yubidarum Salaheddini ſucceſſorum tempora, hoc eſt per annos ampliùs ſexcentos, neminem à Jacobitis autoritate principum, collocatum fuiſſe in ſede Alexandrina, ſed omnes more majorum electos.

Quid fieret ubi erat ſententiarum diverſitas.

XLVIII. Ubi verò, quod ſæpe ſolebat, eſſet magna ſententiarum diverſitas, dabant operam Epiſcopi qui comitiis præſidebant, ut amicè, quantùm fieri poterat, componerentur: conſumebanturque aliquando dies, menſes & anni, antequam communibus ſuffragiis dignitas in aliquem conferretur. Nam ſi rejiceretur, quem ii ad quos electio ſpectabat proponebant, contingebat ſæpe ut quem Epiſcopi aut alii proponerent, ipſe quoque repulſam ferret. Ut enim non negabant Epiſcopi, jus eſſe Alexandrinis aut Cahiranis proponere quem ipſi vellent, ita pertendebant ſe dignitatis & indignitatis eorum, qui ab Alexandrinis aut Cahiranis deſignabantur, eſſe judices, quòd neminem ipſis ordinare liceret, qui non eas corporis animique dotes haberet, quæ Canonibus præſcribuntur. Si pertinaciùs obſiſterent Alexandrini aut Cahirani, ut ſæpe faciebant, tunc aliquis inter Epiſcopos autoritate conſpicuus eos compeſcebat, atque ſimili occaſione factum legimus ut, cùm in comitiis Eccleſiaſticis poſt Theodori XLV. mortem habitis, Alexandrini cum pleriſque Epiſcopis Ægypti inferioris, urgerent ut qui à Protopreſbytero eorum nomine deſignatus fuerat, renunciaretur; obſiſtentibuſque Epiſcopis aliis reſpondiſſent, electionem ad ſe ſolos pertinere, ordinationem ad Epiſcopos; Moſes Epiſcopus Viſſim qui æger in conſeſſum delatus, in lectulo decumbebat, ſurgens Alexandrinos acriùs increpitos ex Eccleſia, baculo depulerit, ſicut, inquiunt hiſtorici, Chriſtus ex templo vendentes & ementes ejecerat.

Electio per ſortem, ejuſque ratio.

XLIX. Accidebat autem frequentiſſimè, ut non modò inter

Digitized by Google

plebem ſeu Laicos contentio, ſed inter ipſos Epiſcopos eſſet, dum ex pluribus deſignatis, cuidam adhærerent, excluſis reliquis. Nam in ſuffragiis ferendis ea conſuetudo obſervabatur, ut Sacerdotes & omnes Eccleſiaſtici, præter Epiſcopos, ſimul cum Laicis vota ſua conjungerent, non ſeorſim ad ſuffragia vocarentur. In illis contentionibus, quando componi non potuerant, conſuetudo fuit ut electio per ſortem fieret, ſed ita ut non ſine precibus ſolennibuſque Liturgiis perficeretur. Ejus forma talis erat. Si plures candidati ab illis ad quos pertinebat, nominati reperirentur, per ſuffragia ſeligebantur ex eorum numero qui plura tuliſſent, cæteri excludebantur: atque, ut ex vita Sanutii Patriarchæ LXV. diſcimus, ſeligebantur ex omnibus Monaſteriis, Aſcetæ centum qui dignitate cæteros anteirent. Ex primo iſto numero eligebantur quinquaginta: & ex iſtis viginti quinque, mox decem: & in illo ſcrutinio quod ultimum erat, tres qui plura puncta tulerant, reſervabantur; & niſi aliqua ſubita acclamatione quaſi per inſpirationem, unus ex tribus proclamaretur, electioque omnium votis ſtatim comprobaretur, ſorti res committebatur. Vocabatur autem ſors illa *Heikelia* ab *Heikel*, quæ *ſanctuarium* atque *altare* ipſum ſignificat, quia in altari fiebat, ut divino nutu fieri videretur, Deuſque judicare ſineretur, quis trium candidatorum dignior foret, ſicut primitus Apoſtoli fecerant, dum in locum Judæ proditoris, electus eſt ad Apoſtolatum Mathias. Trium igitur illorum, in quibus pendebant hominum judicia, adeo ut quis magis idoneus foret, determinare non poſſent, nomina totidem chartulis inſcribebantur: adjiciebatur quarta *inſcripta nomine Jeſu Chriſti Paſtoris boni*: & poſtea omnes in urnam conjiciebantur, quæ ſub altari collocabatur. Tum in eo ipſo altari celebrabatur Liturgia, aliquando ſemel, aliquando per triduum, continuabanturque die & nocte preces in eadem Eccleſia, ad implorandam divinam opem. Peractis precibus & ſacrificiis, adducebatur infans, ea ætate quæ omnis peccati ſuſpicione caret, ne fraus aliqua ſubeſſet, jubebaturque manum in urnam immittere, unamque ex ſchedulis quatuor educere. Si trium alicujus deſignatorum nomine inſcripta ſchedula educeretur, ſtatim is Patriarcha ſalutabatur, per repetitas acclamationes Epiſcoporum, Sacerdotum, reliquorum Clericorum & Laicorum, neque con-

Digitized by Google

tradicere quiſquam audebat. Quòd ſi ſchedula prodiret nomen habens Jeſu Chriſti, ita apud ſe ſtatuebant, neminem trium candidatorum Deo acceptum eſſe, atque ita rurſus ad electionem trium aliorum ex ſeptem reſiduis poſt ultima ſuffragia, procedebatur: eorum nomina ſchedis inſcribebantur preces & ſecunda ſortitio fiebat, donec nomen alicujus educeretur. Hæc fuit ſortis Eccleſiaſticæ ad eligendum Patriarcham ratio, ſecundùm quam electi fuerunt apud Jacobitas Alexandrinos, Patriarchæ Joannes XLVIII. & Michael LXXI.

Alibi quoque eadem ſors uſurpata.

L. Adhibitam quoque illam fuiſſe ad electionem Epiſcopi Miſræ, legimus in vita Macarii Patr. LXIX. Neque ſingularis hæc fuit Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudo; nam eadem apud Neſtorianos uſurpabatur ad electionem Catholici ſui Bagdadenſis, qui ſupremus Patriarcha illius ſectæ eſt. Nova ſanè hæc ratio electionis tranquillè peragendæ, componendarumque controverſiarum Muhamedanis ipſis nota & probata fuit. Nam in vita Cyrilli legitur, quòd cùm inter Jacobitas graviſſimæ diſſenſiones eſſent circa electionem Patriarchæ, Adel Sultanus, conſuluerit, ut quem morem Bagdadi apud Chriſtianos obſervaverat, eum ſequerentur. Negaverunt fieri id apud ſe poſſe, ſed apud Francos licitum exiſtimari, quod tamen falſum eſſe, electio Joannis XLVIII. multis annis vetuſtior ſatis oſtendit. Joannes filius Narſis Catholicorum Bagdadenſium LII. anno J. C. DCCCLXXXIV. ita electus ſcribitur: & alius Joannes cognomine Abu-Iſa LXI. anno J. C. MVII. Obſervatur tantùm hæc diverſitas quòd apud Neſtorianos, ſchedæ à ſene & qui prope uſum oculorum amiſerat, Epiſcopo, in ultima electione eductæ ſunt, tum quòd inſcripta fuerunt quinque candidatorum nomina, primaque ſortitio, eo quòd fraudis ſuſpicio injecta fuerat, irrita habita ſit: id quod apud Ægyptios nunquam accidiſſe legimus. Illius quoque diſciplinæ teſtes ſunt Ebnaſſalus & Abulbircat, atque ex eorum teſtimonio refellitur autoritas quæ ex hiſtoria electionis Cyrilli iſtius filii Laklaki duci poſſet, quia tunc ejus fautores negaverunt coram principe tale quidquam apud Coptitas uſurpari. An huc uſque ea conſuetudo ſervata apud Coptitas fuerit, nobis obſcurum eſt: ſed quantum ex aliis cognoſcere potuimus, adeo proculcata eſt jam à Turcis diſciplina omnis Eccleſiaſtica, ut nullum prope veſtigium illius ſuperſit. Nam

Digitized by Google

Baſſæ, ſive Præfecti, qui Conſtantinopoli mittuntur cum ſumma autoritate, cùm unum id deſignent, ut exhauſtâ provinciâ ditiores abeant, Chriſtianis ſi ullam relinquunt electionum libertatem, ea non niſi pecuniis obtinetur, atque ut plurimum, is eligitur qui præceptum à Muhamedanis habet, quo vetatur Epiſcopis ne alium ordinent.

Proclamatio electi Patriarchæ.

LI. Ubi tandem vel ſorte vel acclamatione omnium ordinum alicujus candidatorum electio comprobata fuerat, clamando nempe Ἄξιος, aut linguâ vernaculâ *Dignus eſt*: tunc nomen ejus pronunciabatur ab Epiſcopo ſeniore, qui voce perſpicua ad ſacerdotes, populumque verba faciebat, ut ſciret, an in ejus electionem conſentirent. Nam opus erat vel communi omnium conſenſu, vel majoris ſaltem partis, eam probari, ut legitima foret. Unde non ſolùm in primo illo electionis actu, verùm in Ordinatione, Epiſcopus qui eam celebrabat, non ſemel officia intermittebat, ad interrogandum populum, an electioni conſentiret. In quo autem conſiſteret dignitas ejus, qui ſecundùm Eccleſiaſticas leges ad Patriarchatum idoneus cenſebatur, jam nobis explicandum eſt. Eas conditiones paucis complexus eſt Ebnaſſalus, Operis ſui Theologici c. 55°. & multi alii, ut etiam Præfatio Pontificalis Seguieriani, quas compendio trademus, & quantum neceſſe videbitur, ex hiſtoria diſciplinaque illarum Eccleſiarum explicabimus.

Quæ conditiones requiſitæ fuerint in Patriarcha.

LII. Prima conditio quam in Patriarcha deſignando neceſſariam volunt Canones antiqui apud Orientales recepti, eſt, ut ſit liber, ingenuuſque ex ingenuis liberiſque procreatus. Atque etiam ea lex valebat in Eccleſia Alexandrina, ut nemo ſervilis conditionis ordinari poſſet Epiſcopus aut ſacerdos. Itaque in vita Cyrilli LXVII. legimus ſenem monachum ad Patriarchatum votis publicis poſtulatum, cùm eam dignitatem rejeciſſet, inter alias excuſationis ſuæ cauſas hanc protuliſſe, quòd, cùm libertinus eſſet, ordinari ſecundùm Canones non poſſet. Unde cùm de multis adversùs diſciplinam peccatis accuſaretur Cyrillus F. Laklaki Patriarcha LXXV. objectum illi inter alia fuit, quòd ſervilis conditionis homines paſſim ordinaret. Itaque conſtitutum eſt in ſynodo, ne quid ſimile deinceps liceret, neque Clericalis, multo minùs Epiſcopalis dignitas ex ejuſmodi Ordinationibus in contemtum venirent. Attamen ob communem Chriſtianorum Ægypti,

Digitized by Google

& aliorum in Oriente calamitatem, qui ſæpe per bella quæ annis ferme CC. inter Muhamedanos arſerunt, in ſervitutem abducebantur, & aliis dominis venumdabantur, tum propter Nubas & Æthiopes qui barbarorum incurſionibus ex patria abacti, ſub haſta veniebant, idcirco diſcrimen inſtitutum eſt inter ſervitutem ex captivitate, & eam quæ ex nativitate: adeo ut prior ab Ordinibus ſacris non excluderet, ſed tantùm poſterior: tum etiam Nubis & Æthiopibus id indultum, ut ſi præclaris dotibus & moribus commendarentur, ſervitus ipſis fraudi eſſe non poſſet.

Natus ex matre virgine.

LIII. Secunda, ut natus eſſet ex matre virgine, hoc eſt ex ea quæ alteris nuptiis conjuncta non fuiſſet, antequam ab ejus patre duceretur. Inſtitutum id novo jure, quia in veteri Teſtamento ſummus ſacerdos uxorem virginem ducere tenebatur, idque pertinere judicabant ad honeſtatem ejus natalium, quem Patriarcham ordinabant, ut ex matre ſecundis nuptiis non implicata, natus foret. Quamvis enim ſecundas & tertias non damnent prorſus Orientales, eas tamen ex veteri diſciplina, non carere culpâ exiſtimabant, ideoque eas non iiſdem precibus benedicebant, quæ in primis adhibebantur: neque corollas ſponſis imponebant, ex quibus, ut apud Græcos, Matrimonii benedictio, *Coronatio* apellatur. Ob turpitudinem igitur illarum nuptiarum diſtinguebant inter filios qui ex matribus coronatis, aut non coronatis naſcebantur, quod diverſitatem natalium non unius generis includebat. Nam coronatæ matres dicebantur quæ primo matrimonio conjungendæ benedicebantur: in non coronatarum claſſem veniebant præter multinubas, concubinæ, meretrices; & quicumque ex talibus natus eſſet, ab Ordinibus excludebatur, multo magis à ſupremo ſacerdotio. Attamen omnino ex bigamis parentibus natus non excludebatur, ſed tantùm, qui ex matre alteris nuptiis copulata. Nam in vita Macarii LXIX. Patriarchæ legitur quòd, cùm omnes in ejus electionem conſenſiſſent, & miſſi fuiſſent qui eum adducerent ex Monaſterio S. Macarii, ipſeque hanc dignitatem fugeret, dixerit ſe eligi ſecundùm Canones non poſſe, quandoquidem natus erat ex ſecundo conjugio, cujus tamen defectûs nulla ratio habita eſt.

Sanitas corporis & integritas.

LIV. Tertia recenſetur ſanitas corporis, membrorumque omnium integritas, adeo ut neque morbis perpetuis, ſi-

Digitized by Google

cut lepra,& alii ejuſmodi, obnoxius foret, neque infirma adeo valetudine, ut omnia officia ſua peragere non poſſet. Imò ſi in morbum fœdum, contagioſum, aut incurabilem decideret, deponi eum poſſe ſcribit Ebnaſſalus.

LV. Quarta, ætas annorum ut minimum quinquaginta, junioribus excluſis, tum quòd juventus ad vitia pronior ſit, tum ob neceſſariæ experientiæ defectum. Cùm de eligendo Macario, de quo mox diximus, conſilium haberetur, multi Joannem Monachum virtute doctrinâque commendatum proponebant, at quia junior quinquagenario erat, repulſam tulit, prælatuſque eſt Macarius. Electus tamen fuit Gabriel F. Tarich anno ætatis 47. Repulſi quoque leguntur nonnulli ob ætatem decrepitam. Ætas.

LVI. Quinta conditio, ut virgo ſit, non modò nullo carnis peccato, aut illegitimo congreſſu maculatus, ſed omnino conjugii expers: qua ratione factum eſt, ut tandem omnes Patriarchæ ex ordine Monaſtico aſſumerentur, quòd jam ubique ferme obtinet, quæ etiam conditio poſtmodum reliquis acceſſit, & de ea dicetur inferiùs. Nam uxoratos omnes ſacerdotes aut Eccleſiaſticos excludunt. Vetuſtiſſima ſanè apud Coptitas traditio eſt, quam referunt Severus Epiſcopus Aſchmonin & alii, de Demetrio ſcribentes, qui ordine eſt XII. cùm à Juliano deceſſore ſuo deſignatus eſſet, tanquam pontificatu digniſſimus, atque maxima pars in ejus electionem conſenſiſſet; multos reclamaſſe, quòd uxorem haberet: neminemque à D. Marci tempore Patriarcham fuiſſe, qui non virginitatem ſervaſſet, quam Demetrius miraculo comprobavit. Ita factum poſtquam Minas ſeu Mennas LXI. electus eſt: nam etſi Monachus eſſet, tamen quia acceperunt, poſtquam ex more proclamatus fuit, eum olim uxorem duxiſſe, quæ adhuc in vivis ſupereſſet, idque multorum teſtimonio conſtitiſſet, Epiſcopi ad quos Ordinatio ſpectabat, manus illi imponere noluerunt, niſi poſtquam didiciſſent, eum quidem à parentibus coactum uxorem duxiſſe, ſed eam non attigiſſe, cùm ipſi ſtatim poſt nuptias perſuaſiſſet, ut virginitatem ſervarent. Eâ causâ poſt mortem Simonis LI. rejectus eſt Iſaac F. Andunæ. Virginitas.

LVII. Sexta memoratur ab Ebnaſſalo & à quibuſdam aliis, ut nunquam manu ſua ſanguinem effudiſſet: id enim nefas habetur apud eos ſacerdotibus ut ullum animal ma- Nunquam ſanguinem effuderit.

16. Cod. Biblioth. Reg.

nu ſua mactent aut ſanguinem fundant, ut ex Canone XLVII. Collectionis Syrorum Jacobitarum & diverſis aliis manifeſtum eſt.

Linguæ peritus.

LVIII. Septima, ut linguam populi cui præficiendus erat, familiarem haberet, adeo ut agere cum ſuis abſque interprete poſſet, ſacraſque ſcripturas ex ſuggeſtu facilè in linguam vernaculam interpretari. Ea regula peregrinos non excludit, modò linguæ vernaculæ uſum habeant, quamvis in quibuſdam Canonibus præcipiatur, ne extranei Epiſcopi dentur Eccleſiis, quod tamen non ſemper obſervatum videtur, ſed tantùm optimum factu judicatum eſt, ſi poſſet obſervari. In Patriarcha Alexandrino deligendo nulla, ut videtur, patriæ ratio habita eſt. Syri duo ad hanc dignitatem aſſumti ſunt Simon XLII. & Marcus F. Zaraæ LXXIII. ſeriùs & propiùs ad hæc noſtra tempora, Jounes ſive Joannes quidam, qui numeratur LXXXV. Damaſcenus, & eo antiquior LXXIX. Theodoſius quidam Francus. Obſervatum tamen à nobis eſt in hiſtoria vicennalis vacationis, quæ ante Cyrilli F. Laklaki Ordinationem, Alexandrinam Eccleſiam tam miſerè vexavit, objectum fuiſſe ab ejus adverſariis inter alia, quòd Fiumâ oriundus eſſet, quæ ad Sahid ſive Thebaidem ſpectabat, ex qua non debebat eligi Patriarcha, quod tamen electionem ejus non impedivit: & in Catalogo poſteriorum, qui manu recentiori adjunctus eſt Codici Abulbircat quo uſi ſumus, xc. recenſetur Mathæus ex Sahide, ſive Thebaide. In vita Yuçabi LII. legitur in frequenti Concilio ſtatutum fuiſſe, ne ullus ex Alexandrinis civibus ad Patriarchatum eligeretur quia ob faſtum, luxum, moreſque incompoſitos malè audiebant: ſed aut illa lex non fuit ad poſteros valitura, aut abrogata eſt. Nam Theophanius LX. & Zacharias LXIV. Alexandrini fuerunt.

Doctrina.

LIX. Octava, doctrinæ facultas, etſi aliquos planè illiteratos fuiſſe legamus. In quibus autem hæc doctrina conſiſtat paucis explicandum. Ex quo Arabes Ægypto potiti, linguam ſuam intulerunt, adeo ut intra unius ſæculi ſpatium vernacula eſſe cœperit, retinuerunt veteris ſuæ Copticæ uſum plerique Jacobitæ Chriſtiani, adeo ut inter eos communis eſſet. Servata eſt diutiùs in Thebaide, remotioribuſque provinciis, ubi major Chriſtianorum numerus, Muhamedanorum minor erat. At in Ægypto Inferiori, Alexandriæ & Miſræ

Miſræ citiùs obſolevit, & tantummodo in Officiis Eccleſiaſticis libriſque conſervataeſt, ſicut accuratiùs explicatum eſt in Diſſertatione de lingua Coptica. Ita paucis annis elapſis factum eſt, ut non communis jam eſſet lingua, ſed doctrinæ & religionis. Prima igitur eruditi viri dos fuit, ut libros Copticos legere & interpretari poſſet : nec alii ſignificabantur, quàm ſacræ literæ, Officiaque Eccleſiaſtica, & Synaxaria, in quibus Legendæ Sanctorum continerentur. Patriarcham in ea lingua peregrinum non eſſe, ipſa muneris ſui ratio exigebat : vulgóque illius peritiores erant Monachi ſancti Macarii, quàm Clerici ſæculares, quia ex veteri conſuetudine quam docet nos Abulbircat, nulla Lectio aut Oratio in eo Monaſterio, aliâ linguâ perficiebatur; cùm alibi ob ejus ignorantiam Lectiones veteris & Novi Teſtamenti, & Orationes aliquot, poſtquam Copticè lectæ fuerant, Arabicè explicarentur, quod ad S. Macarium non licebat. Michael tamen cognomine filius Dakalti, qui ordinatus eſt anno J. C. MCXLVI. non modò Copticè legere non poterat, ſed erat literarum Arabicarum planè expers. Unde dilata eſt ejus Ordinatio, donec memoriter Liturgiam D. Baſilii didiciſſet. Verùm id rariùs primis temporibus : nam cùm Patriarchæ non modò ſermones ad populum facere tenerentur, verùm ſacras literas ex Copticis exemplaribus vernaculè explicare, rarò illiterati aſſumebantur, non modò ad Patriarchatum, ſed nec ad Epiſcopatum. Cyrillus LXVII. magno labore Evangelia Copticè legebat, eorumque interpretationes Arabicas, quia ſcientia illi erat adeo mediocris, ut in contemtum Epiſcoporum veniret. At Canonum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aut Theologiæ inſigniter peritum, vix reperire aliquem licet, inter tot Patriarchas : atque ita quidquid operum à Coptitis conſcriptorum habetur, aut ab Epiſcopis, aut à privatis Theologis compoſitum fuit. Nec minùs erat neceſſarius Copticæ linguæ uſus, non modò ad Officia celebranda ; (nam ab aliquot ſæculis quæ legunt, non intelligunt) ſed etiam ad Acta & inſtrumenta, quæ ad Patriarcham propriè pertinent, & quæ aliter quàm Copticè ſcribi non ſolent. Tales erant olim Epiſtolæ Paſchales, quas Heortaſticas vocant, etſi ſimul, veluti in aliis omnibus, adjungeretur Arabica tranſlatio. Verùm qui ab Actis & epiſtolis Patriarchæ erant, eas ſcribebant, & Patriarcha ſubſcribebat.

Monasticæ vitæ professio.

LX. Nona conditio, quam ut necessariam refert Ebnassalus, erat Monasticæ vel Anachoreticæ vitæ, à prima juventute professio. Ab initio nihil tale exigebatur. Andronicus XXXVII. qui Benjaminum, sub quo Muhamedani Ægyptum invaserunt, præcessit, erat Diaconus Ecclesiæ dictæ *Angelion*, in urbe Alexandrina. Agathon Benjamino suffectus, Joannes, Isaac, Joannes XLVIII. Ephræm LXII. Zacharias LXIV. Gabriel F. Tarich LXX. Marcus F. Zaraæ LXXIII. Joannes ejus successor, Monachi non fuerunt, antequam ordinarentur. Reliqui ferme omnes ex Ordine Monastico assumti, præsertim verò ex famoso Monasterio S. Macarii, Vallis Habib, quæ est antiqua *Scete*. Cùm vero jam à multis sæculis consuetudo invaluerit, ut soli Religiosi ad Patriarchatum assumantur, inde factum est ut in formula instrumenti de facta novi Patriarchæ electione & consecratione, legatur. *Mitti igitur decrevimus ad deserta sancta Scetis, quæ sunt ad Moniem Nitriæ .... & convertimus oculos nostros in Deo devotum & piissimum Monachum, habitantem in celebri Laura seu Monasterio S. Patris nostri Macarii in Sceti, ubi educatus est à pueritia sua, sub disciplina sanctorum Patrum* &c. Neque ulla differentia erat inter eos qui in Cœnobio vixerant, aut eos qui in Cellis remotis à reliquorum Monachorum consortio, qui propriè Anachoretæ erant, & quos *Habis* Arabicè vocant; quasi recluſos. Eam vocem non intellectam, aliquando in historia Saracenica perperam exposuit Erpenius, existimans significare *captivum* qui carceri mancipatus fuerat. Rationes autem cur Monachi potissimum eligerentur, multæ & quidem gravissimæ fuerunt. Nam cùm virginem eligi oporteret, necesse erat ut is caperetur, quem professio castitatis à prima pueritia, talem esse suadebat: tum in vita solitaria, major omnino quàm in sæculo esse videbatur sanctitatis opinio, & à curis sæculi liberior animus; tum quòd ignoti mundo, magis apti ad ministerium Patriarchale viderentur; præsertim verò carebant amicis illis & patronis ex aula Sultanorum & Præfectorum, quorum familiaritas sæpe magno Ecclesiarum malo vertebat. Accedebat etiam opinio, quòd in Monasteriis doctiores quàm in Clericorum sæcularium numero sacerdotes reperirentur. Sed quàm sæpe sua Coptitas opinio fefellerit, & quàm multos ex ipsis strictioris vitæ Monasteriis nebulones promo-

Digitized by Google

verint, hiſtoria noſtra ſatis oſtendit.

LXI. Decima, quæ multas alias complectitur, dignitatem & integritatem morum propriè ſpectat, nempe teſtimonium bonum, etiam ab illis qui foris ſunt: non ſit iracundus, non ebrioſus, non percuſſor, non turpis lucri cupidus: ut potens ſit opere: verbo & doctrinâ, atque adeo poſſit fidei adverſarios coarguere: quæ omnia deſumta ſunt ex Epiſtolis ad Timotheum & ad Titum: utque omnes virtutes habeat, quas Apoſtolus in Epiſcopo exigit: quarum etiam dotium nonnullæ jam locum non habent: ut quòd Epiſcopus non ſit Neophytus, quam tamen in libris ſuis præſcriptam ſervant, honore potiùs Apoſtoli & ſacrorum Canonum, quàm ex poſteriorum temporum diſciplina, in qua uſurpari hæc cautio non poteſt. Neque enim quidquam, rariùs accidit, quàm ut ex Judæis aut Muhamedanis quidam, ad fidem Chriſtianam convertantur, & Epiſcoporum ex ejuſmodi proſelytis factorum, aut rariſſima aut nulla exempla ſunt. Imò cavent Chriſtiani Orientales, ne Epiſcopi inſtituantur illi, quorum fratres aut affines Muhamediſmum amplexi ſunt: & aliquot exemplis hæc diſciplina confirmata reperitur in Hiſtoria Catholicorum Bagdadenſium. Verùm aliam, & quidem inſignem præ cæteris, antiquæ & puriſſimæ ſanctitatis teſtem conditionem apponemus, cujus neque Abulbircat neque Ebnaſſalus, aut alii meminerunt, ſed cujus certa & nunquam interrupta fuit in Alexandrinis Patriarchis conſtituendis obſervatio. Mores.

LXII. Undecima, eſt quòd Epiſcopus non ſit: nam in alia ſede ordinatum nunquam transferendum exiſtimaverunt ad ampliſſimam, & quâ nulla inter eos major eſt, Patriarchæ dignitatem. Etſi verò lex ſingularis nulla Jacobitis propria adversùs translationes Epiſcoporum perſcripta ſit, ſed commune tantùm jus ſequantur, illius hac in parte obſervantiſſimi fuerunt. Nam à D. Marco uſque ad Cyrillum filium Laklaki, qui ordinatus eſt anno Martyrum DCCCCL. J. C. MCCXXXIV. nullus occurrit, qui alium antea Epiſcopatum geſſerit: cùm inter Neſtorianos plerique, ex aliis Eccleſiis ad Modaïnenſem, ſeu poſtea Bagdadenſem, cui alligata erat ſummi apud eos Antiſtitis dignitas, tranſlati fuerint, abſque ulla Canonum reverentia. In vita Agathonis Patriarchæ Alexandrini XXXIX. (is autem ſecundus fuit ex quo Muhamedani Ægyptum ce- Non Epiſcopus.

Digitized by Google

perunt) legitur : quòd, cùm Joannem Semnudæum, qui ipsi succeſſit, divinitus cognoviſſet ad eam dignitatem perventurum, eum ad diverſos Epiſcopatus poſtulatum, ordinare Epiſcopum noluerit, ne viam illi ad Patriarchatum præcluderet. Plura leguntur in vita Chailis XLVI. qui, cùm electionem, vel potiùs intruſionem Iſaaci Epiſcopi Harranenſis in ſedem Antiochenam comprobare juberetur ab Abdalla Abbaſſida, qui Metropolitas duos, quòd Iſaaco, cui favebat, acriter pro tuenda diſciplina reſiſterent, occiderat, nunquam adduci potuit, ut eam ratam haberet : aſſerens ſe anathema ſecundùm Canones pronunciaſſe adversùs eos qui favore principum Eccleſiaſticas dignitates ambirent, tum qui ex Epiſcopis Patriarchæ fieri conarentur. Laudanda ſanè in tam ſancta diſciplina conſervanda Coptitarum religio, cùm in omnibus aliis ſectis nulla prorſus ratio illius habita fuerit. Nam præter communem apud Neſtorianos tranſlationem Epiſcoporum ad Patriarchalem dignitatem, nihil in illorum hiſtoria frequentius, quàm tranſlationes Epiſcoporum ad Metropoles. Ita factum apud Syros Jacobitas Græcis vicinos, qui in iſta mutatione ſedium modum à multis ſæculis nullum tenent, cùm Eccleſia Romana, uſque ad Formoſum ea reprehenſione caruerit.

Non favore principum.

LXIII. Duodecima conditio, ne quis favore principum aut ſæcularium, Patriarchatum ambiret, qui ambitus non minori ſeveritate, quantum ad reliquas dignitates Eccleſiaſticas, damnatus eſt. Vix tamen quidquam eſt in quo liberiùs & impudentiùs à Jacobitis & aliis Orientalibus omnibus peccatum fuerit, & peccetur quotidiè. Ambitioni virorum impiorum latiſſimam viam aperuit Muhamedanorum avaritia, quæ innatum quoddam apud omnes vitium fuit : adeo ut nonniſi ſub optimis principibus, quales apud eos pauciſſimi extiterunt, aliquam Chriſtiani in eligendis Patriarchis ſuis libertatem ſervaverint. In Ægypto, ex privilegio quod à primis Califis obtinuerant, licebat illis ſecundùm leges & inſtituta ſua vivere. At apud barbaros, qui arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo, ſi Chriſtianos duriſſima ſervitute affligerent, & qui non aliam legem quàm quod Principi placuerat, ſequebantur, magnas ſæpe turbas privatorum ambitio excitavit, ut in Hiſtoria noſtra multis exemplis confirmatur. Et tamen pleriſque ambitus ſuus fraudis fuit : cùm inter ſe-

Digitized by Google

ptuaginta quatuor Patriarchas, quorum à D. Marco ad Cyrillum res geſtas habemus, ne unus quidem occurrat mandato Sultanorum ita ordinatus, ut non majorem, aut aliquam ſaltem non contemnendam ſuffragiorum partem tulerit. Nam, ut ſuperiùs obſervatum eſt, cùm non haberi comitia Patriarchalia ſolerent, abſque principum venia, ſtatutumque ipſo jure Eccleſiaſtico fuiſſet, ne eorum injuſſu Sacerdotes, Laicorum primores, aut Epiſcopi congregarentur ad eligendum defuncto Patriarchæ ſucceſſorem, ubi hæc licentia conceſſa erat, rariùs præcepta ab ambitioſis candidatis obtinebantur, imò & conceſſa facilè reſcindebantur, ubi principi ſignificatum fuerat, violari leges Eccleſiaſticas, quæ olim à primis Muhamedanorum ducibus, Califiſque confirmatæ fuiſſent. Unde pleriſque infeliciter ceſſit ſua ambitio; nam aut miſerè perierunt vexati atque in carcerem conjecti, quòd promiſſas pecunias repræſentare non poſſent, aut exoſi reliquis ſuæ ſectæ Chriſtianis, fidem abnegaſſe reperiuntur. Neque tamen tot funeſta exempla reliquos emendaverunt: nuncque, ut à multis accepimus, ut Conſtantinopoli apud Viziros, ita Cahiræ apud Præfectos, publicæ quodammodo fiunt Patriarchatûs licitationes.

LXIV. Decima tertia conditio eſt, ut ſit Orthodoxus, nullaque de fidei ejus rectitudine ſuſpicio fuerit. Etſi verò conſtet quanta fuerit iſtius conditionis neceſſitas, quæ ex communi jure ſatis intelligi videtur, ſubeſt tamen apud Chriſtianos Coptitas occultior quædam ratio, & ad mores eorum propriè ſpectans. Ea eſt, quòd cùm ex Monachis aut etiam Anachoretis ab omni hominum conſortio remotis, electi ut plurimum fuerint Alexandrini Patriarchæ, illorum fides perſpecta multitudini eſſe non poterat, niſi diligens per Epiſcopos, aut eos, qui, dum Comitia haberentur, ad Monaſteria ſolebant mitti, inquiſitio fieret, ex qua per idoneos teſtes conſtaret, an omni erroris ſuſpicione carerent. Illa verò præcipuè neceſſaria in Ægypto cura adhibenda erat erga Monachos & Anachoretas, quia ut ex vitis Patrum & variis Collectionibus ſententiarum & hiſtoriarum, quæ ad Eremiticam hiſtoriam pertinent, notum eſt, multos ex illorum numero variis hæreſibus infectos fuiſſe conſtat; variiſque id exemplis ex Palladio, & Collectione Coteleriana, manifeſtum eſt. Erant autem antiquis temporibus mul- Fidei integritas

Digitized by Google

to plures Orthodoxi inter Monachos, quàm hæretici Dioſcoriani; neque enim ante Muhamedanorum tyrannidem, Monaſteria deſerti Scetis & Nitriæ, aliaque in deſertis S. Macarii obtinuerant. Cavebant igitur Jacobitæ primis illis ſæculis, ne Orthodoxus aliquis in Patriarchalem ſedem induceretur. Sed præterea in ipſa Monophyſitarum ſecta, erant Gaianitæ complures: Acephali propriè dicti, qui olim ab ipſis Dioſcorianis ſeceſſerant: Semidalitæ: Quartadecimani: Phantaſiaſtæ, ſeu meri Apollinariſtæ: imò & Meletiani, quorum reliquiæ adhuc, ante ſeptingentos annos variis in locis ſupererant, ut de ſingulis dictum eſt in variis Hiſtoriæ noſtræ Alexandrinæ locis. Hæreſin quoque tegere poterat ſumma plerorumque ignorantia: quis enim locus fuiſſet Monachis, aut in ſolitudine, aut in ipſis cœnobiis de fide loquendi, ubi neque conciones, neque collationes de fide habebantur, ſtudia Theologica nulla florebant? Ad vitandam igitur electionem alicujus qui talibus opinionibus infectus eſſet, ſumma diligentiâ in fidem eorum inquirebatur: & ſi aliqua ſuſpicio ex virorum fidelium relatione incideret, ſatis erat, ut non ampliùs de illis cogitaretur. Exemplum ſubminiſtrat vita Michaelis LXVIII. Cùm enim Cyrillo ejus deceſſore mortuo, neque Alexandrini, ad quos electio pertinebat, neque Epiſcopi conſentire inter ſe poſſent de ejus ſucceſſore, miſſi ſunt ad Monaſterium S. Macarii, qui inquirerent an eſſent inter Monachos aliqui, quos concilio Epiſcoporum & Laicis primoribus proponere, optimum factu videretur. Deſignatus, & præ cæteris commendatus fuit Samuel quidam Anachoreta: ſed cùm intellexiſſent, abſurdas quaſdam eum opiniones habere, circa Incarnati verbi myſterium, ſtatim eum rejecerunt. Michael verò qui electus eſt, cùm propoſitus fuiſſet à pluribus Epiſcopis, non priùs acceptus ab illis fuit, quàm ad urbem vicinam Cellæ in qua recluſus vivebat, miſſi fuiſſent, qui ex publica fama, civiumque teſtimoniis cognoſcerent, an fides & opera illius, opinioni quæ de eo apud omnes magna erat, reſponderet.

Interrogabant de Fide electum priùs quàm ordinaretur.

LXV. Imò poſtquam ad ſuffragia itum erat, comprobataque omnium ordinum ſententiis ejus electio, Epiſcopi non prius ſtatuebant imponendas illi eſſe ad conſecrationem manus, quàm de fide ab illis interrogatus fuiſſet. Neque ea ſolùm ratione experimentum faciebant fidei, ejus qui Patriar-

Digitized by Google

cha deſignandus erat: ſed in ipſa Ordinatione Confeſſionem pronunciabat. Celebris eſt præ cæteris illa, quæ ritu Alexandrino ante Communionem pronunciari ſolet, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia: cui poſt Muhamedana tempora, adjunxerunt Coptitæ particulam quæ Monophyſitarum doctrinæ medullam contineret. Illa porrò Confeſſio exigebatur, etiam poſtquam proclamatio & Ordinatio facta erat, ut ex variis autoribus diſcitur, illamque pronunciabat Ordinatus, cùm Euchariſtiam manu teneret. Alexandrini Confeſſionem fidei petierunt à Gabriele LVII. qui poſt annum J. C. DCCCC. ordinatus eſt: idque juxta conſuetudinem antiquitus à deceſſoribus ſuis obſervatam: utque illam publico inſtrumento & ſubſcriptione firmaret. Dixit ille non opus eſſe ut nova fidei formula ſcriberetur: adhærere ſe ſymbolo Trecentorum decem & octo Patrum Nicænorum, cui nihil adjici, nihil detrahi deberet. Formulas ſanè aliquot à Patriarchis & Epiſcopis diverſarum ſectarum ſcriptas, occaſione ordinationis ſuæ reperimus in diverſis codicibus Mſſ. Michael Patriarcha LXXIII. cùm electioni ejus omnes aſſenſum præbuiſſent, has conditiones accepit, inter alias quæ ab ipſo exigebantur, ut ſcriptam & ſubſignatam Confeſſionem daret fidei ſuæ, ei ſimilem quam in collatione cum Epiſcopis habere ſe, teſtatus fuerat. David Sacerdos, qui poſtea Cyrillus fuit appellatus, quique ambitione & malis artibus effecit, ut per annos prope viginti, nullum Alexandriæ Patriarcham Jacobitæ habuerint, cùm à multis rejiceretur, inter alias repulſæ cauſas hanc etiam expertus eſt, quòd ab Epiſcopo Fiumenſi, ex cujus Diœceſi erat, excommunicatus fuiſſet, tanquam de fide ſuſpectus. Tandem cùm ſæpe conventus Epiſcoporum & Nobiliorum Laicorum adverſùs eum fierent, adeo ut nihil propius fuerit, quàm ut Patriarchatu dejiceretur, coactus eſt novam dare fidei Confeſſionem, eo quòd in multorum ſuſpicionem incurriſſet, quaſi ad Francorum, hoc eſt Latinorum, religionem propenſior, ſecreta cum illis per internuncios conſilia agitaviſſet. Atque hæc exempla ſufficiunt ad oſtendendum quantâ olim curâ Coptitæ operam dederint, ut nemo ad Patriarchalem dignitatem aſſumeretur, de cujus fide, vel levis eſſet ſuſpicio.

LXVI. Hæc ferme ſunt quæ de conditionibus ad conſtituendum Patriarcham ex eorum diſciplina requiſitis, Ca- Electionis approbatio.

Digitized by Google

nonum, aut Theologorum libri repræsentant, & historia confirmat. Quæ observatæ fuerint, usuque perpetuo stabilitæ, quæ verò extra libros locum non habuerint, penitusque obsoleverint, ex notis quas singulis articulis adjecimus, manifestum est. Omnia porrò quæ notavimus, observata fuisse ante annos quadringentos, & quidem satis accurratè, non est quod dubitemus. Ut verò reliqua ad disciplinam spectantia expediamus, quando omnes Sacerdotes, Laicorumque primarii in alicujus nomen consenserant, si is præsens aderat, statim acclamationibus τὸν Ἄξιος, electio approbabatur, & nisi Episcopi obsisterent, confirmabatur. Ubi illi dissentiebant, nihil actum erat: alium quidem sæpe Antistites nominabant: sed si ab aliis repelleretur, nihil poterant Episcopi, nisi moram interponere, Canonum autoritatem prætexendo, secundùm quos, is qui designabatur ordinari non poterat. Nam in septingentorum & amplius annorum decursu, cujus historiam qualemcumque habemus, nunquam observari potuit, aliquem ab Episcopis ordinatum, nisi Cleri & populi consensus accederet. Neque ordinari poterat quisquam, invitis Episcopis, nam ex ipsorum Coptitarum jure novo, duodecim saltem Episcopi requiruntur ad ordinandum Patriarcham. Etsi autem ingens olim erat Episcoporum in tota Ægypto multitudo sub Christianis Imperatoribus, sub Muhamedanis redacti ad longè pauciores fuerunt, adeo ut si quadraginta aut circiter, ad Comitia Patriarchalia intervenirent, ea frequentissima esse judicabantur. Nunquam igitur factum legimus, ut cùm esset sententiarum diversitas, de Ordinatione cogitaretur, donec concordia inter eos qui electioni repugnabant coaluisset: sive electus adesset, sive abesset. Si aderat, statim in medio constituebatur, & omnium votis & acclamationibus excipiebatur. Si aberat, eligi solebant aliqui ex Episcoporum numero, qui cùm Laicorum Nobiliorum Missis, ad Monasterium S. Macarii proficiscebantur, aut etiam ad aliud, vel ad Cellam in Eremo, ad eum adducendum in quem vota reliquorum omnium conspiraverant. Ibi ulterior de ejus conditione, moribus, doctrina, & fide inquisitio fiebat: poterat enim adhuc rescindi electio, quamvis consummata videretur, si quidpiam vitii in electo reperiretur, cujus ignoratione factum fuisset, ut eligeretur, qui repelli debebat. Audiebantur Archimandritarum, seniorumque

seniorumque Monachorum testimonia, tum si ea famæ responderent, assumebant eum Episcopi & Alexandriam, aut Cahiram deducebant.

Electo vincula injecta.

LXVII. Porrò cùm olim accidisset ut nonnulli se honore supremi Sacerdotii indignos judicarent, fugamque sanctorum antiquorum exemplo molirentur, atque adeo vi constringendi essent, quod de Demetrio XII. narrat Severus in ejus vita, inde consuetudo fluxit, ut electo statim catenæ injicerentur; atque ita illis etiam qui ambitu & largitione dignitatem adipiscebantur, vis quodammodo fiebat, ut reluctantes onus subiisse viderentur. Ea fabula quamvis erga plerosque qui nullatenus resistebant, satis ridiculè peracta, in legem transiit, quam referunt Ebnassalus, Abulbircat & Pontificalis liber, neque catenæ solvuntur, nisi inter ipsa Ordinationis officia. Catenarum ejusmodi usus fuit erga Macarium XLIX. Yuçabum sive Josephum LII. Sanutium LV. Mennam LXI. Ephræmium ejus successorem: non verò erga Philotheum virum improbum, & aliquot alios, qui non modò vim sibi fieri non exspectaverunt, sed ante Ordinationem indumenta Patriarchalia, assumserunt, ut Christodulus, & Michael, ille LXVI. iste LXVIII. Postea tandem servata est cæremonia, eos vinciendi qui aliud omnino quàm fugam cogitabant, ridicula prorsus & impudenti fictione.

Missam ductus novus Patriarcha.

LXVIII. Quando designatus Patriarcha, erat in eorum potestate qui à Concilio Episcoporum, & reliquorum ordinum missi erant ut eum adducerent, vetusti moris erat ut nullam novæ dignitatis notam assumeret, priusquàm Cahiram venisset, ubi confirmabatur præsentis electio, idque antequam deduceretur ad principes Muhamedanos, sine cujus licentia Ordinatio fieri non poterat. Verùm, ut mox diximus, fuerunt nonnulli qui ex Monasteriis suis proficisci renuerunt, nisi ornamenta Patriarchalia, etiam ante Ordinationem ipsis imponerentur. Ita Christodulus LXVI. cùm electus fuisset, consensu Episcoporum, Cleri & populi, missique essent ad vallem Habib, ubi erat Hieromonachus in Laura Primi, decem viri qui eum Alexandriam deducerent: ille Cellâ pedem efferre noluit, priusquam exteriori veste Patriarchali indueretur, ne, inquiebat, si contentiones de ejus electione reviviscerent, & ea irrita fieret, ludibrio foret omnibus. Major adhuc fuit Michaelis LXVIII. protervia &

Digitized by Google

impudentia: non modò enim antequam Monaſterio exiret, ornari in morem Patriarchæ voluit, ſed ab Epiſcopis qui ad eum deducendum miſſi fuerant, manus imponi ſibi, conſuetaſque ad Ordinationem preces ſuper ſe recitari. Neque facilè occurrit ſimile exemplum, ordinati extra publicum conventum Patriarchæ Alexandrini. Macarius LXIX. licet renuens, ſtatim veſte Patriarchali ornatus eſt.

Ordinationis ritus, & antecedentes cæremoniæ.

LXIX. Communis diſciplina erat ut Alexandriam vel Cahiram electus ſtatim deduceretur, offerreturque congegatis in Eccleſia Epiſcopis, Clericis, Laicorumque primoribus. Tum Epiſcopus ſenior pauca in laudem ejus præfatus, ad populum verba faciebat, eorumque conſenſum exquirebat. Poſtquam omnes Ἄξιος multoties inclamaſſent, Epiſcopique ſuffragia aliorum, ſuis quoque comprobaſſent, idem ſenior Epiſcopus, electionem ratam eſſe declarabat: tam ſuo quàm reliquorum nomine.. Tum conficiebatur inſtrumentum electionis quod Arabicè תזכיה *Tazkiet* vocant, quaſi dicas teſtimonium de ejus dignitate: in Coptico exemplari Ψήφισμα voce Græca; cujus loco in Gloſſariis occurrit ψῆφος, eodem ſignificatu.

Pſephiſma.

LXX. Talis porrò fuit illius Pſephiſmatis forma, quam Copticè & Arabicè Abulbircat, Pontificalis liber Seguierianus etiam Græcè repræſentat, ſed miſerè corruptam, quòd ab hominibus linguæ Græcæ imperitis deſcripta fuerit. Loquuntur omnium nomine Epiſcopi Jacobitæ, congregati cum Sacerdotibus, Diaconis, omnique populo Chriſtum amante urbis Alexandriæ, totiuſque Ægypti. Ex quibus verbis intelligitur, Alexandrinis conſervatam honoris prærogativam in omnibus ferme actis aut inſtrumentis, etiam poſtquam alternare cum Cahiranis cœperunt, neque niſi per vices, jus primæ ſententiæ in Comitiis dicendæ retinuerunt. Quippe ad eos propriè ſpectabat electio, neque ad nobiles ſeu Ἄρχοντας Laicorum, qui Cahiræ ſedes habebant tranſiit, ob aliam rationem, quàm quòd eſſent plerique ex Alexandrinis familiis. Obſervandum quoque eſt in eodem electionis Decreto, quocumque loco illa facta fuerit ſive Alexandriæ, ut olim uſque ad Muhamedanos ſemper, poſtea aliquando, dein alternis vicibus, ſemel Cahiræ poſtea Alexandriæ: tandem Cahiræ ſemper, ut ſuffragiis Chriſtianorum, ſtatim autoritas Magiſtratuum & Principis accederet,

Digitized by Google

tamen Episcopos & reliquos, non suo, aut privatæ alterutrius Ecclesiæ nomine, sed omnium Christianorum Ægypti communionis Jacobiticæ nomine loqui & electionem factam publicare & comprobare.

Laudes defuncti Patriarchæ.

LXXI. Sequuntur laudes defuncti Patriarchæ, quæ aliquando fusiùs enarrantur, nam illarum avari nusquam Orientales fuerunt: nomen ejus inseritur, & memoriæ fidelium commendatur. Exprimitur deinde luctus publicus, ex communis patris obitu: moxque dicitur, qua ratione congregati omnes more majorum, eum elegerint qui maximè hoc honore dignus, onerique sustinendo idoneus videbatur, atque electi nomen cum laudibus etiam multis inseritur, declaraturque votis omnium expetitus, electusque Patriarcha. Episcopi, instrumentum seu Decretum scribi jubent, testanturque se illud probare cum omnibus simul congregatis, Sacerdotibus, Diaconis, Clericis, Monachis & omni populo urbis magnæ Alexandriæ, post accuratam de ejus moribus, fide, & præclaris dotibus inquisitionem factam in Monasteriis Scetis & Nitriæ, auditisquæ Monachorum de ejus pia conversatione testimoniis.

Subscriptiones.

LXXII. Subscriptiones Episcoporum primo loco adjunguntur, subscribuntque singuli juxta ordinationis suæ antiquitatem; neque enim aliqua erat sedium prærogativa, sed illis comitiis, ut & conciliis Ecclesiasticis omnibus, præsidebat is quem seniorem Episcopum vocabant אבבר *Akbar*, sive מקדם *Mokaddem* appellatus. Marcus Episcopus Balinæ, Joannes Episcopus Saca, Sanutius Episcopus Misræ, ita appellati leguntur: unde liquet nulli Episcopali sedi, imò nec Damiatensi, quæ Metropolis titulum obtinuit sæculo circiter XII. hanc prærogativam adjunctam fuisse. Formula subscriptionis Episcoporum erat linguâ Copticâ in hunc modum, *Ego* N. *Episcopus urbis N. Christum amantis, consentio huic Psephismati.* Post Episcopos subscribebant tres Sacerdotes Alexandrini, & tres Diaconi, qui Ecclesiæ Alexandrinæ Clerum repræsentabant. Mentio subscriptionis Sacerdotum & Diaconorum nomine Cleri Misræ seu Cahiræ nulla occurrit. Sed post Sacerdotes & Diaconos Alexandrinos subscribebat Archimandrita Scetis seu Monasterii S. Macarii, & postea aliquot Ἄρχοντες, seu primariæ nobilitatis inter Laicos viri, tam Cahiræ, quàm Alexandriæ. Eum in modum electio con-

Digitized by Google

ſummata cenſebatur, atque hoc Decretum in Acta referebatur, & ſervabatur à *Katibo* ſive ſecretario: quo in officio plures erant apud Patriarchas, quorum dignitas & officia eadem prope erant, ac Syncellorum apud Conſtantipolitanos. Debebant autem exemplum illius decreti paratum habere, ut ex Ambone ſeu pulpito legeretur in frequenti Eccleſia, paulo antequam Ordinatio novi Patriarchæ celebraretur.

Ordinum infetiorum collatio.

LXXIII. Si electus eſſet Archipreſbyter, ſeu *Komos*, ut vocant, ſtatim ordinari debebat Patriarcha, hoc eſt Epiſcopus Alexandrinus: neque enim quantum ad Ordinationis ſolennem ritum, & officia pertinet, obſervari poteſt in rebus neceſſariis diſcrimen ullum inter communem formam ordinationis Patriarchalis, & Epiſcopalis, quod in Alexandrina Eccleſia Jacobitica ſingulare eſt. De illis quæ ad pompam aut cæremonias pertinent, aut honoris amplitudinem, atque adeo ſunt extra *ὅρια* ſacramenti, non loquimur, ſed de ipſius ſacramenti partibus. Nam apud Neſtorianos, quamvis plerique eorum, qui Catholicorum nomine ſummam apud illos autoritatem obtinuerunt, jam ordinati eſſent, quippe qui erant aliarum ſedium Epiſcopi aut Metropolitæ, tamen & manuum impoſitionem ſuſcipiebant, & per illas preces benedicebantur, quæ in conſecrandis Epiſcopis præcipuam vim habent, quod ex editis à viro Clariſſimo Joanne Morino Ritualibus, manifeſtum eſt, & pluribus ex Hiſtoria exemplis confirmatur. Atque hæc conſuetudo à graviſſimo iteratæ ordinationis peccato excuſari nullatenus poteſt. Simile aliquid factum apud Jacobitas Antiochenos, cùm manuum impoſitionem non minùs neceſſariam judicarent, ad poteſtatis amplioris, quæ Patriarchali dignitati conjuncta eſt, collationem, quàm ad Epiſcopum inſtituendum. Unde etiam apud utroſque, non ſine precibus & manuum impoſitione, Epiſcopus ad Metropolin transferebatur, haud minori vitio. Verùm, quia, ut diximus, inter tot ignorantiæ & hæreſeos mala, quibus Jacobitica Eccleſia Alexandrina conflictatur ab annis mille & ampliùs, hanc ſanctiſſimam diſciplinam Coptitæ retinuerunt incorruptam, ut nullus per tranſlationem ab alia Epiſcopali ſede ad Alexandrinam promoveretur, idcirco Patriarchæ Ordinationem ſervaverunt legitimè celebratam, qualis eſſe ſacerdotis debet, qui ad Epiſcopatum promovetur.

Digitized by Google

LXXIV. Ex ea igitur lege si electus, consecratus est in *Komos* seu Archipresbyterum, vel, quod idem est, *Hegumenum*, statim ordinatur more solito in Episcopum. In Pontificali notatur præterea, electum, si antea Monasticam vitam professus non fuerit, suscipere Habitum, sive Schema, quod illi imponitur, dictis simul omnibus orationibus, quæ ad faciendum Monachum pronunciari solent. Nec in exteriori cæremonia consistitur: nam simul obstringitur omnibus officiis, præsertimque abstinentiæ, & jejuniis inter Monachos observatis. Unde inter crimina Macario objecta, illud fuit, quòd carnes in Cella Patriarchali ad mensam adhibuisset. Ea porrò dignitas Ecclesiæ Copticæ propria est. *Komos* Arabicè, etsi vox peregrina esse videatur, vulgò in Glossariis Coptico-Arabicis, tum editis quàm Mss. respondet Græcæ Ηγούμενος: hoc est *Abbas* seu *Archimandrita*. Sunt tamen Hegumeni duplicis generis: nam ita appellantur aliquando, etiam servata in Arabico sermone, Græca voce, Monasteriorum Abbates seu Archimandritæ, ut ex Liturgia & aliis Ecclesiasticis libris patet: & in Diptycho Basilianæ, ubi memoria fit Abbatis Joannis Hegumeni, in Arabica versione legitur *Komos*. Alteri sunt Presbyteri qui dignitatem habent Sacerdotali majorem, Episcopali minorem, adeo ut quodammodo Chorepiscopis similes fuerint, & fortasse *Komos* à voce Græca, deductum est Κώμη, ad significandum vicorum & pagorum rectores Presbyteros; aut etiam parochos, ut apud nos appellantur: nam ex eorum ordinatione patet, consecratos fuisse ad altare alicujus urbis aut loci, ut in eo curam pastoralem exercerent. Ita tum veri Hegumeni, seu Abbates Monasteriorum, tum titulo alicujus Ecclesiæ addicti Sacerdotes, & honorem Sacerdotio simplici majorem habebant, & Ordinationem singularem, cujus disciplinæ ratio, vix aliunde quàm ab antiquis Chorepiscopis duci potest.

Komos quid significet.

LXXV. Quia verò Patriarcham, ut etiam Episcopum, habere oportebat Ordines sacros omnes, si simplex Monachus esset, Diaconus ordinabatur, neque enim videntur Minorum Ordinum, aut etiam Subdiaconatûs rationem habuisse: sed interstitia diei unius observabantur inter singulos ordines, ita ut primo Diaconus, secundo Sacerdos, tertio ordinaretur *Komos* seu Hegumenus; expectabaturque dies Dominica ad ordinandum eum Patriarcham; neque enim

Ordines omnes nisi haberet, electo conferebantur.

Digitized by Google

alio die Episcopi consecrari debebant. Ita observatum erga Michaelem LXXI. legitur in ejus vita.

Califæ aut principis salutatio.

LXXVI. Verùm antequam manus electo imponerentur, atque etiam antequam primos, quibus insignitus nondum erat Ordines susciperet, deducebatur ab Episcopis & Laicorum primoribus ad Califæ, Sultani, Præfective prætorium, ut electio comprobaretur, simulque præceptum Ordinationis obtineretur, ne contrario aliquo mandato interveniente, turbaretur. Frequenter id observatum initio rerum Muhamedanarum, & postea in legem transiit. Legitur in vita Isaaci XLI. Georgium Diaconum electum à majori parte, deductum esse ad Abdel-Azizum Præfectum, jam assumto ornatu Patriarchali, & irritam factam ejus electionem jussu Principis, ejusque loco Isaacum constitutum. Adibant igitur Sultanum aut Præfectum Episcopi, Christianorumque primores Laici, offerebantque electum, & si probabatur, statim Diploma, quod *Sigel* sive sigillum vocabant, obtinebatur, quo in dignitate confirmabatur, Christianisque plena facultas concedebatur eum ordinandi: tum omnibus præcipiebatur principis nomine, ut omnes tanquam Patriarchæ suo ei obtemperarent. Sæpe in gratiæ demonstrationem, Orientalium more, vestem à Sultano accipiebat, dabanturque ex cohorte prætoriana qui eum ad ædes Patriarchales deducerent, idque non rarò magnâ pompâ factum est. Tunc enim cùm Christiani tranquillè agerent, eosque Sultani vexari à Muhamedanis non paterentur, prodibant ad aulam magno psallentium ordine, eoque modo qui in publicis supplicationibus observari solebat. Nempe sacerdotes vestibus sacris ornati, procedebant cum cereis, crucibus, Evangeliorum libris, & thuribulis, psalmos canentes: Diaconi, & alii ex Ordine Clericali ordinatim: tum Episcopi eodem modo, & Patriarcham novum cingebant, qui asino vehebatur, tum ad imitandum exemplum D. Jesu Christi, tum quòd apud Muhamedanos vetitum esset Christianis, ne equis veherentur. Laicorum primarii & reliqua multitudo sequebantur. Postea cùm ad Ecclesiam ex qua processerant, redeundum erat, adjiciebantur honoris & præsidii causa, manipuli aliquot militum, prohibituri ne vulgus promiscuum semper in Ægypto turbulentum & procax, maxime Dervisii, & Meschitarum æditui, ad injuriam Christianorum semper parati,

Digitized by Google

aliquam ipsis molestiam inferrent.

LXXVII. Postquam ad Ecclesiam redierant, designabatur Ordinationi dies, ea tamen ratione quam tetigimus, nempe ut ea non nisi dominica die, secundùm antiquam omnium Ecclesiarum disciplinam celebraretur. Licebat autem, ut si novus electus alium Ordinem non accepisset, quàm Diaconorum, aliis diebus ordinaretur, servato tamen interstitio, ut non uno eodemque, duplicem Ordinationem acciperet. Ea autem celebrabatur ab Episcopo seniore, eodem modo, atque illis ipsis precibus adhibitis, quæ in communi Ordinum còllatione solebant observari: verùm singulare illud erat, quòd omnes Episcopi aderant, atque in eorum pleno consessu, ad Ordines quos non receperat promovebatur. Ordinatio die dominico.

LXXVIII. Porrò vetustissima consuetudo fuit, ut Ordinatio Patriarchæ Alexandriæ fieret, idque meritò. De antiquioribus Patriarchis ante Muhamedanorum tempora dubitari non potest, etsi qui proximè Benjaminum præcesserunt Jacobitæ, cùm Orthodoxi omnes Ecclesias Alexandriæ obtinerent, neque alii suos conventus in urbe agere per leges Imperatorias sinerentur, in Monasteriis videantur secretò ordinati: nempe quia tunc necessitas excusare à lege videbatur. Postea tamen ex quo integram Jacobitæ libertatem nacti sunt, plerumque ordinati sunt Alexandriæ, in Ecclesia *Angelion* dicta. Ita ordinati Simon XLII. Alexander ejus successor: Theodorus XLV. Chail XLVI. Marcus XLIX. Jacobus post eum: deinde Yuçabus: Chail LIII. Sanutius LV. Gabriel ejus successor: Minas sive Mennas LXI. Ephræm LXII. Sanutius LXV. Christodulus ejus successor, & hujus Cyrillus. Et fortasse de aliis idem existimandum est, cùm id historici tanquam notissimum tacuerint. Consuetudo vetus ordinandi cum Alexandriæ.

LXXIX. Primum exemplum Ordinationis extra Alexandriam factæ, secundùm historicos nostros, occurrit in Michaele LXVIII. qui Cella sua propè Sinjaram inclusus egredi noluit, priusquam Episcopi manus ipsi imposuissent, & legitimis Orationibus pronunciatis eum ordinassent, novo sanè exemplo, ex quo originem habuit alia disciplina, ut qui extra Alexandriam ordinatus fuisset, in majorem ejusdem urbis Ecclesiam veniret, ibique ejus proclamatio, & inthronisatio fieret, quod postea accuratè observatum fuit.

Digitized by Google

Poſtea Miſræ ſeu Cahiræ.

LXXX. Macarius qui Michaeli ſucceſſit, Alexandriæ ordinatus legitur, ut Gabriel F. Tarich LXX. Michael LXXI. Verùm Joannes LXXII. Miſræ ſeu Cahiræ ordinatus eſt: feſtinantibus Epiſcopis & Laicorum primoribus, ſtatim atque præceptum de ejus Ordinatione à Califa obtinuerant, quia ſcilicet Junes quidam Monachus, ambitu & largitione apud aulicos effecerat, ut morâ interpoſitâ, electio ejus in quæſtionem coram Muhamedanis judicibus vocaretur, & ſi fieri poſſet, irrita declararetur, Simili exemplo Joannes filius Abugaleb Patriarcha LXXIV. Miſræ ordinatus dicitur: nam de Marco F. Zaraæ ejus deceſſore, ubi ordinatus fuerit, ſilent hiſtorici. Tandem Cyrillus F. Laklaki, in quo deſinit Hiſtoria Patriarchalis, ordinatus fuit Alexandriæ; ſed, ut ex narratione autoris æqualis manifeſtum eſt, quia poſt annorum prope viginti contentiones, & lites, tandem præceptum à Sultano Adelo obtinuerat de ſua Ordinatione, in quam plerique Jacobitarum conſenſerant, Decretoque de ejus electione ſubſcripſerant. Illud ut Principis autoritate confirmaretur, Alexandriam profectus erat, ubi ille ob aeris clementiam, valetudinis curandæ gratiâ tunc commorabatur. Poſtea verò inſtitutum videtur fuiſſe majoris ſecuritatis causâ, ut Ordinationes Patriarcharum Miſræ ſeu Cahiræ fierent in Eccleſia Muhallaca, quam conſuetudinem ut ſuo tempore receptam, perſcripſit Ebnaſſalus. Verùm quia, ut videtur, varia jam erat, nec ſemper eadem diſciplina, paulo poſt ſcribit, deducendum eſſe Alexandriam, atque ibi conſtitui, ordinarique Patriarcham. *Poſtquam*, inquit, *ordinatus eſt Komos, ſive Hegumenus, cum ampliſſimo comitatu, Miſrâ eum deducunt Alexandriam, ad quam ſi pervenerit ante Dominicam diem, in ſuburbiis manet, donec matutinum ejuſdem diei tempus advenerit: tuncque cives exeunt ei obviam, & in ejus obſequio procedunt uſque ad Eccleſiam Sotir, hoc eſt ſalvatoris*, quamvis Abulbircat qui erat recentior, aſſignet ordinationi Eccleſiam D. Marci, reſpiciens, ut veriſimile eſt, ad temporis ſui diſciplinam.

Sacri ritus Ordinationis ex Ebnaſſalo.

LXXXI. Porrò licèt Ordinationis ritus accuratè explicentur in Pontificali, cujus verſionem ſubjungimus, videtur tamen operæ pretium, ea referre quæ de iiſdem vitibus leguntur apud autores. Ebnaſſalus quidem qui ſub Cyrillo filio Laklaki Patriarcha LXXV. vivebat & anno J. C. MCCXXXIX.

Epitomen

Epitomen Canonum, quæ Epiſcopis urgentibus facta eſt, & publicata ad reformationem Eccleſiarum, ſub nomine ejuſdem Patriarchæ, ritus illos qui ſui temporis diſciplinam ſpectabant, paucis explicavit, & ejus verba referemus. Quo die, inquit, conſtitutum fuit ut Ordinatio celebraretur, dicuntur Orationes matutinæ diei dominicæ: poſtea Liturgia celebratur, ſecundùm conſuetum ordinem à ſeniore Epiſcopo. Cùm finita fuerit lectio Actuum Apoſtolorum, omnes Epiſcopi eum comitabuntur & deducent ad Thronum, ſeu ſedem Patriarchalem: electus convertet faciem ſuam ad Orientem, Epiſcopi verò ad Occidentem: poſtea lavabunt manus ſuas, illaſque imponent ſuper eum: ſtabuntque interea Laici, & omnis multitudo cum timore & ſilentio. Epiſcopi verò dum manus imponent ſuper eum dicent. *Imponimus manus noſtras, ſuper hunc ſervum electum à Deo, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ad conſtituendum illum in gradu præclaro & firmo Eccleſiæ unicæ, immaculatæ, Eccleſiæ Dei vivi, inviſibilis: ad judicium rectè adminiſtrandum, manifeſtationemque ſanctitatis, doctrinamque & gratiam ſanctam. Amen. Is eſt qui Eccleſiæ univerſali præpoſitus eſt, autoritate Trinitatis ſanctæ per myſterium crucis.* Tum inclamabit antiquior Epiſcoporum hæc verba. *Probatiſne, quòd ſit iſte Patriarcha veſter, judexque inter vos, vobis, & ſuper vos:* quæ ab eo ter repetentur: tertiò verò adjiciet: *an approbatis hunc eſſe primatem ſuper vos, & perſpectum habetis eum eſſe dignum iſto gradu?* Cumque dixerint, *Dignus eſt*, vertet faciem ſuam ad Orientem, dicetque orationem, & adolebit incenſum. Primuſque Epiſcoporum, ſive antiquior Ordinatione & ſecundus poſt eum imponent manum ſuper electum, ordinabuntque eum per orationem Ordinationis quæ nota eſt: & quæ cum aliis ſingulari libro Pontificali continentur. Cùm Epiſcopi uno gradu deſcendunt, novus Patriarcha ſimul aſcendit, donec ad ſummum pervenerit, atque ita reliquis omnibus ſuperior ſit. Cùm verò ad lectionem Evangelii perventum fuerit, deferet librum coram illo ſenior Epiſcoporum, legetque Patriarcha ſectionem ubi ſunt hæc verba, *Ego ſum Paſtor bonus*: quæ ter ab ipſo legentur: & ad ſingulas vices, ſenior Epiſcoporum librum imponet capiti ejus; & alta voce dicet: *Dignus eſt*, Dicetque univerſa multitudo ſimul Ἄξιος. Lectione illa peracta, perficietur Liturgia: Poſtquam verò Ordi-

natio perfecta fuerit, osculabuntur eum Episcopi juxta ordinem suum: tum Sacerdotes, & ministri altaris, primarii Laicorum, & universa plebs osculabuntur manum ejus, eique adprecabuntur, ut Deus illum ipsis perficiat pastorem bonum, & per eum ipsos quoque perficiat. Ad finem Liturgiæ primus ipse communicabit sacris mysteriis & aliis omnibus juxta ordinem suum communionem distribuet, dimittetque eos cum pace & benedictione.

Eadem ex Abulbircat.

Fusiùs paulò eamdem ἀκολουθίαν sive Rituum ad Ordinationem Patriarchæ formam, refert Abulbircat. Primò observat, ut si electus fuerit ex ordine sæcularium, atque adeo Monasticum habitum antea non fuscoperit, celebretur erga eum, Officium integrum habitus imponendi, cum orationibus consuetis, imponanturque ipsi singulæ schematis seu habitus Angelici partes, ita enim vocant Religiosorum vestes sacras, de quibus extat Ordo singularis in diversis Codicibus Mss. Expectatur deinde proxima dies Dominica, extra quam Ordinationes facere non licet: atque, ut autores alii notant, eo temporis intervallo, si vel simplex Monachus est, ut multi tunc erant nullo Ordine Ecclesiastico insignitì, quales plerique ἐγκλειστοὶ seu *Recluſi* quos *Habis* vocant, extra cœnobia in Cellis viventes, tunc incipiendo à Diaconatu, novus electus ordinabatur, ita ut ante diem Dominicam proximè sequentem, ad Hegumeni sive Archimandritæ dignitatem promoveretur. Cùm destinata dies illuxit ligatus deportatur, ad Ecclesiam S. Marci, ubi conveniunt omnes Episcopi & sæculares. Post Canonem Psalmodiæ completum, hoc est Officium diei Matutinum, incipit Liturgia. Absolutâ scripturarum lectione, solvuntur vincula quibus electus constringitur: diversæ autem Lectiones veteris novique Testamenti leguntur, partitis functionibus inter Episcopos & Sacerdotes. Finita lectione Actuum Apostolorum, Archidiaconus advocat Episcopos, qui ad altare accedunt, & in sanctuario locum capiunt, juxta suæ Ordinationis antiquitatem. Advocatur deinde electus, qui a duobus Sacerdotibus ex utraque parte eum tenentibus adducitur, solo stichario indutus & mantile circa collum habens, capite inclinato. Sacerdotes procedunt juxta ordinem suum: tum antiquior Episcopus, præcedente Archidiacono, qui gestat codicem Evangeliorum: alius Sacerdos fert incensum: sequuntur or-

Digitized by Google

dinatim Diaconi, cum omnibus, psallentes coram Evangelio sancto: omnesque procumbunt & venerantur altare. Episcopus consecrator, dictâ oratione Evangelii, altarique salutato, sedet super thronum, hoc est sedem Patriarchalem, omnesque Episcopi hinc & inde considunt juxta ordinem suum: Sacerdotes & Diaconi consistunt in loco inferiori, ut etiam electus facie ad Orientem conversâ, capite inclinato, tenentibus eum Sacerdotibus duobus. Tum antiquior Episcopus, instrumentum electionis sive Psephisma descriptum à secretario, antequam in Ecclesiam veniatur, tradit uni ex Diaconis, qui conscenso Ambone, illud legit alta voce.

Post illius instrumenti lectionem, Archidiaconus dicet hymnos præscriptos in Pontificali, & quoties nominabit electum, prostrationem, quam metanœam, ut Græci, vocant, ad eum conversus faciet. Post hymnos, dicetur ter *Kyrie eleison*. Deinde Episcopi ex throno descendent, consistentque prope altare ad ordinandum Patriarcham. Adolebitur incensum ab antiquiore Episcopo, & post orationem thuris, duasque alias sequentes, nempe illas quæ in Liturgia occurrunt, populus dicet multoties *Kyrie eleison*. Completis aliis orationibus, quæ ex Pontificali petendæ sunt, antiquior Episcopus dextram imponet super electi caput, dicetque Archidiaconus Orationem ab istis verbis incipientem. *Divina gratia quæ infirma sanat*. Ea est autem ejusdem omnino sententiæ, & iisdem prope concepta verbis, ac illa apud Græcos Ἡ θεία χάρις, de qua Morinus, Goarius & alii fusè & doctè disputaverunt, & nos dicemus alibi. Quod verò scribit Abulbircat, dici eam ab Archidiacono, non ita accipiendum, quasi officium ipsius sit, orationem in qua non minima virtus Ordinationis consistit, pronuntiare: nam testibus aliis omnibus autoribus, eam Episcopi pronunciant, cùm manus imponunt ordinando. Verùm sententia talis est, quòd Archidiaconus qui ex munere ordinario inchoat orationes omnes, quæ à pluribus dicendæ sunt, prima etiam istius verba incipiat, ut eam Episcopi rite pronuntient. Tum Episcopus converti jubet electum ad Orientem & Occidentem: signansque pollice caput ejus in modum crucis dicit. *Ordinavimus super Ecclesiam Dei sanctam, N. Archiepiscopum: super Ecclesiam Dei sanctam quæ est in magna urbe Alexandria*: & post moram interpositam *N. Archiepiscopum, Patriarcham super Ecclesiam Dei Catholicam, Apostoli-*

cam prædictum, in urbe Alexandria, maxima Orthodoxarum: in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.

Induitur deinde novus Antistes stichario, & aliis vestibus, nempe Pallio, & *Couclo* sive Casula, sed à nostra diversi generis, invocaturque super eum nomen Patris & Filii & Spiritus sancti. Tum ascendunt ad thronum, atque antiquior Episcoporum, antequam ascendat, illum veneratur, in eo electum collocat, & circa illum considunt reliqui Episcopi juxta ordinem suum: ipse primum collocatur in infimo gradu. Postea *Taklid* sive instrumentum Ordinationis suæ, quod *Systaticam* vocant, dat in manus Magistro sive Doctori Diaconorum, ut illud ex Anbone recitet. Formam istarum literarum, Pontificalis liber repræsentat, vetustissima autem & Muhamedanis temporibus superior disciplina est, ut literæ illæ legantur Græcè, Copticè & Arabicè, & illas tribus linguis, Codex Seguierianus refert: Græcè quidem ob honorem antiquitatis: cùm Alexandriæ Græcam linguam popularem fuisse ante Muhamedanos, notissimum sit: Copticè, quia ubi linguæ alterius communis usus desiit, aut numquam fuit, ut in superiori provincia, & extra urbes, omnium intererat nosse quid in electione novi Patriarchæ gestum fuisset, tum quia Officia sacra eâdem linguâ celebrabantur: Arabicè tandem ex quo Muhamedanis Ægyptus subjecta est, quòd plerique indigenæ, cum libertate, nativæ non minùs, quàm Græcæ linguæ usum amisissent. Unde in vita Macarii LXIX. qui ordinatus est anno J. C. MCIII. Systaticæ literæ lectæ fuisse dicuntur inter Missarum solemnia Græcè, Copticè, & Arabicè, eamque consuetudinem vigere etiamnum, suadent Codices non multùm antiqui, in quibus triplici lingua Systaticarum forma descripta est. Porrò non est quòd quisquam existimet, eam omnem cæremoniarum formam quam ex Ebnassalo & Abulbircat describimus, recentiorem esse aut nuper adinventam: omnes enim in historia fundatæ sunt, neque ulla illarum particula est, quæ non variis exemplis possit confirmari.

Lectâ Systaticâ, Archidiaconus dicit Orationes decem; I. pro pace; II. pro conservatione electionis: hoc est fausto ejus successu; III. pro patribus, seu Episcopis præsentibus & Clero; IV. ad confirmationem obtinendam per Spiritum sanctum; V. pro Ecclesiis super quas ordinatur; VI. ut Deo

acceptus ſit; VII. pro ejus longævitate; VIII. pro felici vita ejus; IX. ut dignus efficiatur ea obtinere ad quæ deſuper vocatus eſt; X. pro eo & pro aliis. Poſtea proclamatur adhuc novus Patriarcha ab Epiſcopo ſeniore, his verbis: *Declaramus N. electum à Deo & ſervum ejus, Archiepiſcopum & Patriarcham, in una indefectibili Eccleſia.* Tunc omnis populus ter dicit, Ἄξιος, *Dignus eſt*: & ad ſingulas acclamationes, attollunt Evangelia ſuper caput ejus. Poſtea elevato iterum ſuper caput ejus Evangeliorum codice, ſenior Epiſcoporum imponit manum ſuam capiti illius, dicitque Archidiaconus *Gratia divina quæ infirma ſanat &c.* Populus dicit *Exaudi Domine.* Tum antiquior Diaconus, Epiſcopos ad orationem hortatur: qui præſcriptas in Pontificali orationes recitant, ſinguli juxta ordinem ſuum, tenentes interea manus impoſitas capiti Ordinati. Ad uniuſcujuſque finem dicit Archidiaconus. Ἔτι τὰ κυρίε δεηθῶμεν: populus reſpondet *Kyrie eleiſon.* Dicuntque Epiſcopi. *Imponimus manus noſtras ſuper electum Dei, &c.* uſque ad finem orationis: & cùm illorum unuſquiſque illam compleverit, populus dicet ter, *Dignus eſt.* Tandem induitur a ſeniore Epiſcopo, ornamentis Patriarchalibus, & dicitur Doxologia ad S. Trinitatem. Omnes Epiſcopi & populus ſimul rurſus clamant, *Dignus eſt.* Poſtquam omnia ornamenta acceperit: Epiſcopi antiquiores duo, de throno deſcendentes, Patriarcham ſuper eum collocant, tenentes manus ejus: inclamante populo Ἄξιος. Collocatur autem ter in ſede, ad honorem Trinitatis ſanctæ: & Epiſcopus antiquior, magna voce dicit, *Collocatur Pater N. Archiepiſcopus ſuper ſedem ſanctam Apoſtolicam, Evangelicam S. Patris noſtri, benedicti, Deum videntis Marci, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Populus reſpondet ter, Ἄξιος: & poſtea proclamationem novi Patriarchæ facit Græcâ linguâ: Ἀββα Ἀρχιεπίσκοπος μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας & τῶν νόμων αὐτῆς. *Pater N. Archiepiſcopus magnæ urbis Alexandriæ & Nomorum ejus, ſeu regionum ei ſubjectarum*: ut explicatur Arabicè. Tandem collocatur in ſede Patriarchali, neque ſe ampliùs movet, habens in ſinu Evangelium S. Marci. Accedunt Epiſcopi & oſculantur eum; dicuntque adhuc ter, Ἄξιος. Tum Laici, poſt Sacerdotes & alios ex Clero, oſculantur manum ejus. Recitatur coram eo Prologus, qui eſt Oratio quædam, de qua dictum eſt alibi: tum pſalmus: deinde datur ipſi Evan-

gelium Joannis ex quo legit caput 23. ubi hæc verba sunt. *Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium*, usque ad ista: *& fiet unum ovile & unus pastor.* Cum ad ea verba pervenerit. *Ego sum Pastor bonus*, omnes inclamant ter, Ἄξιος. His peractis celebrat Liturgiam juxta consuetudinem, omnibusque distribuit sacra mysteria, datque illis pacem, hoc est ultimam benedictionem: neque enim hoc loco, intelligi debet pacis osculum. Nam ut Græci, ita Orientales omnes, salutant invicem in osculo sancto, ante Præfationem, non paulo ante communionem, ut Romano ritu fieri solet. Sacerdotes interea canunt hymnos, donec spoliatus fuerit vestimentis sacris, quibus ad celebrandam Liturgiam usus fuerat, eique antiquior Episcopus imposuerit stolam nigram. Postea iterum collocatur in Throno Patriarchali, continuantibus hymnos interea, Sacerdotibus & Diaconis. Dat benedictionem, & egressus ex Ecclesia ducitur ad Cellam Patriarchalem, seu Patriarchium D. Marci nomine dedicatum, vehiturque jumento suo. Episcopi sequuntur, & omnis populus: Sacerdotes præeunt, canentes hymnos: simulque procedunt prasidiarii à principe vel magistratu missi, ante quos tres cruces præferuntur. Cum in mediam urbem ventum est, consistunt: atque unus ex Diaconis incipit alta voce orationem Ἔτι πάντες καὶ ἐκτενῶς δεώμεθα, κύριε ἐλέησον. *Dicamus omnes & oremus intentiùs, Kyrie eleison*: Populus clamat *Kyrie eleison.* Patriarcha dicit orationem cujus initium, *Domine Deus omnipotens*: & postea dicit, *Pax vobis omnibus*: & illum versum: *citò anticipet nos misericordia & clementia tua, Domine.* Populus dicit, *Kyrie eleison* multoties: & post aliam benedictionem, procedunt Patriarcha & Episcopi ad Patriarchium, cumque illic consederit, rursus eum prostrati venerantur. Festivitas autem continuatur per dies tres: primo, in Ecclesia Angeli: secundo, in Ecclesia S. Archangeli Michaelis: tertio, in Ecclesia S. Marci: ubi post completam Liturgiam, accipit in sinu suo caput S. Marci Evangelistæ. Huc usque Abulbircat. Ex Ebnassalo reliqua persequamur.

Reliqui ritus ex Ebnassalo.

LXXXII. Postea inquit festos dies tres celebrant in Cella Patriarchali, cum magno gaudio spiritualique festivitate: & die tertio, omnis populus cum eo proficiscitur ad domum filiorum *Elsocari* ubi est caput Marci Evangelistæ;

Digitized by Google

factaque oratione arcam educunt, & ſuper lapidem collocant, thus interea adolentes: aperiturque arca, & oſculatur Patriarcha caput D. Marci, poſtea arcam claudunt & populus eam oſculatur. Diximus de ea traditione in variis locis Hiſtoriæ noſtræ Patriarchalis, dudumque eſſe apud Jacobitas Ægyptios communem opinionem quod caput D. Marci fuerit in domo privata familiæ Chriſtianæ, dictæ filiorum Elſokari: olim quidem poſt multa pericula conſervatum apud ſenem quemdam Abuzachariam, quo mortuo, tranſlatiſque ſacris illis reliquiis, magnas Chriſtoduli LXVI. Patriarchæ tempore, nonnulli qui ad ſenis illius familiam pertinebant, calamitates perpeſſi fuerunt. Ultimum verò quod in hiſtoria noſtra occurrit de eadem reliquiarum D. Marci in domo filiorum Socari conſervatione teſtimonium, habetur in vita Cyrilli filii Laklaki qui ordinatus eſt anno J. C. MCCXXXV. Verùm autor vitæ teſtatur dubitatum eſſe jam illo ipſo tempore, de hujus traditionis, licet antiquæ, veritate, adeo ut multis perſuaſum fuerit, caput fuiſſe Petri Hieromartyris, non Marci Evangeliſtæ, quod ſimul cum ejus corpore, Venetias à Rumæis ſeu Græcis adſportatum fuerit. Abulbircat, hujus tranſlationis tanquam ſuo tempore, certæ meminit: caput tamen relictum apud familiam *Elſokari*, teſtatus eſt.

LXXXIII. Quod verò ad ipſam Ordinationem non attinet, ſed ad novi Patriarchæ ſuſceptionem, quando non niſi ex hiſtoria peti poteſt, ex eadem explicare jam aggrediemur. Diximus Ordinationem non modò primis ſæculis, ſed etiam dudum poſtquam Ægyptus in Arabum poteſtatem venit, Alexandriæ factam, ex antiqua diſciplina: poſtea & ſeriùs fieri cœpit Cahiræ: nempe ut ex principum autoritate minus turbaretur. Ita tamen immutata eſt vetus illa conſuetudo, ut quando liceret, Alexandriæ potiùs quàm Cahiræ Ordinatio celebraretur. **Cæremoniæ poſt Ordinationem.**

LXXXIV. Quando in hac urbe facta fuerat, oportebat novum Patriarcham ſtatim Alexandriam proficiſci, ut in Eccleſia Patriarchali ejus proclamatio fieret; & donec ea facta fuiſſet, Alexandrini Patriarcharum novorum juriſdictionem non agnoſcebant, neque eorum nomen in Diptycha referebant. Novus igitur Patriarcha Alexandriam adveniens, excipiebatur à Clero & primoribus civitatis, aliiſque, qui licet ea in urbe domicilium non haberent, **Proclamatio Alexandriæ facienda ſi ibi ordinatus non fuiſſet.**

Digitized by Google

eo tamen pergebant, ad honorem ei deferendum. Exemplum occurrit in vita Joannis LXXII. quem primum Miſræ ordinatum legimus anno J. C. MCXLVII. Is quippe Alexandriam poſt Ordinationem ductus eſt, atque ibi proclamatio ejus facta. Modus autem is fuit: ut extra urbem in aliquo Cœnobio, vel Eccleſia pernoctaret: poſtridie veniret ad Eccleſiam D. Marci, aut aliam, cùm continuæ à Muhamedanis vexationes, incendia, ruinæ, in eâdem, officia Eccleſiaſtica celebrari ſemper, non permitterent. In Eccleſia igitur ad ſolennem proclamationem delecta, novus Patriarcha ſacra faciebat, & antequam Liturgiæ initium fieret, Acta duo de quibus dictum eſt ſuperiùs, ſcilicet Electionis Decretum, & Syſtatica, ſive literæ teſtimoniales Ordinationis celebratæ, ex Anbone legebantur Græcè, Copticè & Arabicè: & ad illarum lectionem, Epiſcoporumque qui illum ordinaverant publicum teſtimonium, acclamabant omnes Ἄξιος, ſicut in electione & Ordinatione factum fuerat. Tum ipſe Liturgiam celebrabat magno apparatu, omnibuſque tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus Euchariſtiam diſtribuebat.

Fidei profeſſio.

LXXXV. Ex diverſis verò hiſtoriæ locis intelligimus, novum Patriarcham, antequam ejus electio acclamationibus confirmaretur, ſæpe coactum fuiſſe publicam facere fidei ſuæ profeſſionem. Talem poſtulaverunt Alexandrini à Gabriele LVII. qui novam facere recuſavit, veteres formulas ſufficere teſtatus. Michael LXVIII. anno J. C. MXCIII. cùm Alexandriam proclamandus adveniſſet, juſſus eſt, ſcriptam dare fidei ſuæ confeſſionem. Expreſſa quoque eſt, ſub depoſitionis interminatione, etiam poſt Ordinationem & Proclamationem à Cyrillo filio Laklaki. Mirum id tamen, factum fuiſſe erga Patriarchas jam ordinatos, cùm jam res integra non foret: ſed aliud hujus diligentiæ in perſpicienda eorum Orthodoxia argumentum ſuppeditant exempla duo, de quibus mox dicemus, cùm de profectione ad S. Macarium agendum erit.

Pacta conventa.

LXXXVI. Solebant quoque Alexandrini ante Ordinationem aut Proclamationem, conditiones quaſdam, ſeu pacta conventa ſuis Patriarchis proponere, exigereque ut ad eorum obſervationem ſubſcriptione publici inſtrumenti ſe obſtringerent. Quædam, privatas Eccleſiæ Alexandrinæ res ſpectare videbantur, alia ad communem utilitatem pertinebant.

Digitized by Google

bant. Primi generis erat, annua mille, mox quingentorum aureorum pensio, quam Patriarchæ, Alexandrino Clero præstare tenebantur, ad ædificiorum instaurationem, luminaria, quotidianasque Ecclesiæ impensas. Origo pensionis illius à Chailis LVI. temporibus repetenda est, qui ordinatus fuit circa annum J. C. DCCCLXXXI. Is enim ingenti pecunia multatus, ab Achmede filio Tolouni Ægypti Præfecto, cùm solvendo non esset, ab Alexandrinis obtinuit, ut domos quasdam, diversasque illorum Ecclesiæ possessiones venderet, ea conditione, ut quotannis mille aureos ipsis persolveret, de qua pactione instrumentum confectum est. Sub Zacharia LXIV. media pars deducta est: & postea redacta ad aureos ducentos, sub Macario LXIX. Ea vero causa magnas & sceleratas peperit pecuniarum exactiones, ac simoniacis Ordinationibus, prætexendo necessitatem, januam aperuit. An huic oneri hucusque subjaceant Coptitarum Alexandrini Patriarchæ, nobis incompertum est. Reliqua pactorum capita, aut ad jura Ecclesiæ Alexandrinæ spectabant, aut erant de disciplina. Sed quæ communem omnibus Ecclesiis disciplinam, reformationemque ejus, tam in capite quàm in membris spectare judicabantur, ea ut plurimum ante Ordinationem scripto comprehensa, novo Patriarchæ subscribenda proponebantur, aut de illis præstandis fidem faciebat. Neque tamen idcirco desinebant Alexandrini eamdem subscriptionem exigere, quæ vel manebat in Ecclesiæ tabulario, vel apud seniorem Episcopum deponebatur. Exempla occurrunt Patriarcharum, ut Michaelis LXVIII. qui tales syngraphas vi & anathematibus sibi restitui jusserunt. Is porrò cùm talem pactionem quadruplici exemplo fecisset atque unam haberent Sacerdotes Alexandrini: aliam Joannes Episcopus Saca, ut Episcoporum antiquior: aliam Episcopus Misræ: omnes excommunicavit, nisi exempla quæ habebant, restituerent, quod tamen facere Episcopus Misræ Sanhutus constantissimè renuit: sed ab eo Ecclesiâ suâ pulsus est. Si quando tamen ejusmodi controversiæ inter Alexandrinos Patriarchas & subditos ejus autoritati Jacobitas accidebant, statim ad Sultanos aut Præfectos provocabatur, quæ postrema causa fuit eversionis disciplinæ, cùm ferme semper secundùm eos Muhamedani judicarent, qui plus pecuniæ repræsentabant. Ea occasione observandum est pleraque

Digitized by Google

Conſtitutiones recentiorum Patriarcharum, Chriſtoduli, Gabrielis, Cyrilli & aliorum de quibus in Hiſtoria noſtra dictum eſt, aut quarum teſtimoniis in toto hoc opere noſtro ſæpius utimur, factas fuiſſe ex ejuſmodi pactis conditionibus, inter novos Patriarchas, & ſubditos ipſis Eccleſiaſticos, & Laicos: quarum non poſtremæ fuerunt, ut ad reformationem diſciplinæ tales Conſtitutiones ſcriberentur, & obſervarentur.

Proclamatio Miſræ ubi Ordinatio Alexandriæ facta fuerat.

LXXXVII. Si Alexandriæ ordinatus fuerat novus Patriarcha, eadem omnia quæ mox explicata ſunt, Miſræ ſeu Cahiræ obſervabantur. Nempe ad eam urbem cum pompa deducebatur, & die ſolenni ſacra faciebat: Proclamatio ejuſdem per Epiſcopos eodem ritu fiebat, legebaturque ex Ambone decretum electionis, & Syſtatica Ordinationis, Græcè, Copticè & Arabicè: acclamabatur Α"ξιος: & omnes qui Ordinationi non interfuerant, tum Clerus Eccleſiarum Cahiræ, obſequium ei ſolenniter deferebant, & communionem ex ejus manu accipiebant. Verùm jus quod habebant Alexandrini ad præſcribendas quodammodo leges novo Patriarchæ, antequam obedientiam præſtarent, nomenque ejus in Diptycha relatum ad altare & in quotidianis extra Liturgiam precibus commemorarent, non videntur habuiſſe Cahiræ primores Chriſtiani, licet propter opes, & dignitates (nam plerique in Divanis, aut Aulico Miniſterio officia exercebant) idem jus habere viderentur. Quamvis enim omnium Jacobitarum Ægypti ſupremus Pontifex foret Patriarcha, & ad eum ſpectaret cura Eccleſiarum illius ſectæ omnium, tamen in ipſa ſua inſtitutione proprius erat Alexandrinorum Epiſcopus, atque ad eos idcirco, tanquam ad Diœceſanos immediatos ſpectabat, ut antequam ſuſciperetur, cum eo tranſigerent de conditionibus ſecundùm quas autoritatem exercere ſuam deberet. Obſervamus tantummodò feciſſe id Cahiræ cives, quando propria ſuæ Diœceſeos Epiſcoporumque jura adversùs Patriarcharum ambitionem conſervanda fuerunt. Nam cùm iſti negociorum Eccleſiaſticorum causâ ſæpe Cahiræ commorarentur, & ad Eccleſiam *Muhallacam* dictam, quæ erat in *Kaçer-el-chemah*, loco, ut exiſtimant, Pyræi veteris, ubi etiam antiqua Babylon Ægypti ſita erat, hoſpitium haberent: eam Eccleſiam cum domibus vicinis, hortis & prædiis ad eam ſpectantibus, aliqui Patriarchæ

Digitized by Google

ſui juris facere conati ſunt, atque inter alios, Chriſtodulus LXVI. qui illam Eccleſiam & alias inſuper duas S. Mercurii, & S. Mariæ in vico Græcorum, occupaverat poſt mortem Epiſcopi Philothei. Itaque defuncto Cyrillo, qui proximè Chriſtodulo ſucceſſit, Miſræ cives non priùs Michaelem ut Patriarcham ſuum acceptare, ejuſque autoritati ſe ſubjicere voluerunt, quam pollicitus fuiſſet ſe illas Eccleſias, & alias quaſdam à ſuis deceſſoribus occupatas in diverſis Diœceſibus, Epiſcopis propriis reſtituturum. Dixerunt quippe, Patriarcham non omnium Eccleſiarum, ſed unius, cui per Ordinationem ſuam alligatus eſſet, Alexandrinæ, eſſe Epiſcopum, neque magis illi licere occupare aliorum Epiſcoporum Eccleſias, quàm viro conjugato alterius uxorem rapere. Michael verò, etſi ſubſcripto inſtrumento pollicitus fuiſſet ſatisfacturum ſe Epiſcopo Miſræ Sanhuto, cùm tamen illum inauditum condemnaſſet, & depoſuiſſet, conatus eſt per ejus abſentiam, nam ipſe fugâ ſalutem quæſivit, occupare Eccleſiam S. Sergii prope Muhallacam; jamque miſerat ad Oeconomum illius Eccleſiæ, quæ neceſſaria erant ad celebrandam in ea ſolennem Liturgiam, in feſto Pentecoſtes. Promiſerat inſuper primariis Laicorum, facturum ſe ut illa Eccleſia Patriarchalis eſſet, velleque ſe eſſe Epiſcopum eorum: ſed omnia ejus conſilia, ſubita mors intervertit. Conatus eſt etiam Epiſcopatum Cahiræ ſeu Miſræ invadere, eumque per vicarios ſuos, aut per ſe ipſum adminiſtrare Macarius LXIX. qui Michaeli ſucceſſerat, eaque ratione protrahebat nominationem Epiſcopi poſt Sanhuti mortem, dicens Cahiranis ordinaturum ſe quem ipſi vellent. Ipſi interea per ſortem Eccleſiaſticam, ſibi Epiſcopum elegerunt, rejicientes extraordinariam illam Patriarchæ autoritatem, quâ ipſorum Eccleſiam ſubjicere ſibi immediatè ſatagebat. De reliquis porrò ad publicam omnium Eccleſiarum diſciplinam ſpectantibus, etſi non minùs Cahiræ quàm Alexandriæ tractaretur, non tamen id civium aut Cleri nomine, qui ex dignitate urbis apud Muhamedanos principis, novam nullam autoritatem comparaverant, ſed totius Jacobititæ Eccleſiæ nomine fiebat.

LXXXVIII. Poſtquam Alexandriæ ordinatus fuerat novus Patriarcha, proficiſcebatur ad Monaſterium S. Macarii, de qua conſuetudine ita ſcribit Ebnaſſalus. Poſtea ex ſuburbio Alexandriæ profectus, venit ad Monaſterium S. Macarii, Proclamatio in Monaſterio S. Macarii.

Digitized by Google

nempe illud quod eſt in Sceti : vulgò in valle Habib. Cùm prope eſt, egrediuntur in occurſum ejus Monachi, qui congregati ad obſequium illi præſtandum, ſtatim atque in conſpectum ejus venere, ter proſternunt ſe, metanœas faciendo. Tum ipſe deſcendit ex aſino quo vehitur, & univerſos veneratur, metanœam illis faciens. Ipſi iterum, factâ versùs eum metanœâ, imponunt illum aſino ſuo : & Archimandrita S. Macarii imponit oram pallii ſui ſuper collum aſini ejus, eumque deducit. Sacerdotes Hieromonachi S. Macarii ſeorſim hymnos legunt & canunt ad ingreſſum ejus, donec pervenerit ad altare Benjamini, in Eccleſia majori ubi corpora ſanctorum requieſcunt. Altare illud ſeu *Heikel*, quod more noſtro, Capellam poſſumus appellare, nomen habet à Patriarcha Benjamino qui XXXVIII. numeratur, & primus fuit inter eos qui ſub Muhamedanis Eccleſiæ Jacobitarum Alexandrinæ præfuerunt. Is autem dedicavit Eccleſiam majorem S. Macarii in radice montis ædificatam, quia antiquior, præterquam quod ruinis deformata erat, cùm eſſet in montis ſupercilio, Monachi ſenio aut morbis debiles, vel quorum Cellæ ſitæ erant in remotiori parte deſerti, non niſi difficulter ad eam accedere poterant. Hujus Eccleſiæ ſumma eſt inter Coptitas commendatio, & Canones habent in Collectionibus ſuis, qui ad ejus dignitatem tuendam pertinent. Conſecrationis illius memoria quotannis celebratur octavâ Tybi, in Coptico Calendario, atque eodem die agitur commemoratio ejuſdem Patriarchæ. Quia verò ab illius tempore, integram quam ſub Chriſtianis Imperatoribus non habebant, Coptitæ libertatem adepti ſunt, eaque Eccleſia prima omnium eſt, quam ſub Muhamedanis principibus ædificaverunt, eamque Benjamin magnâ pompâ conſecravit : hinc, ut veriſimile eſt, originem habuit illa lex proficiſcendi ad S. Macarium, ibique ſolennem Liturgiam celebrandi, quæ deinde ab omnibus Patriarchis obſervata eſt.

Ea conſuetudo legis vim obtinuit.

LXXXIX. Ita vero ipſa conſuetudo in legem tranſiit, ut poſtmodum Monachi S. Macarii non priùs agnoverint novos Patriarchas, quàm in eorum Eccleſia proclamati, ibi Liturgiam celebraſſent. Si Miſræ ſeu Cahiræ ordinati erant, ſtatim Alexandriam proficiſci debebant, tanquam ad omnium Ægypti Eccleſiarum Metropolin. Si vero Alexandriæ facta fuiſſet Ordinatio, prius ad S. Macarium ire illos oportebat.

quàm Cahiræ in Eccleſiis celebrioribus, Muhallaca, S. Michaelis, aut S. Sergii ſacra feciſſent. Exemplum habemus in hiſtoria Macarii LXIX. qui ordinatus eſt anno J. C. MCII. Is enim cùm Alexandriæ ordinatus & proclamatus fuiſſet more majorum, inde Miſram venit, ut in Eccleſia Muhallaca proclamaretur. Sed intervenerunt Monachi S. Macarii, oppoſitâque veteri conſuetudine proteſtati ſunt, ſe neque nomen ejus in Diptycha relaturos, neque ipſum in Eccleſiam ſuam poſtea ſuſcepturos, aut ullam cum eo communionem habituros, ſi Miſræ priùs ſacra feciſſet. Itaque die ſequenti, quærat Dominica, ne illos offenderet Liturgiam non celebravit, & ſtatim ad S. Macarium profectus eſt.

Cæremoniæ in eodem Monaſterio ad Patriarchæ ſuſceptionem.

XC. Proſequitur Ebnaſſalus. Patriarcha cùm ad Eccleſiam acceſſerit, procumbit coram altari, illo Benjamini ſcilicet: & Archimandrita S. Macarii pronunciat ſuper eum *Orationem abſolutionis*, , quæ eſt initio Liturgiæ: mox ingreditur ad altare, ſuper quod ſacra celebrat, communionemque ſanctorum myſteriorum diſtribuit. Tum veneratur ſancta corpora, & ab illorum reliquiis benedictionem captat, tandemque recipit ſe in Cellam Patriarcharum: & poſtea ſi velit, ad reliqua deſerti Monaſteria proficiſcitur. Hæc paucis Ebnaſſalus, quæ explicanda ſunt. Oratio *abſolutionis* ea eſt quæ in verſione Liturgiæ Copticæ Baſilianæ, à Maronitis facta, occurrit ſub falſo titulo *Glorificationis ad filium*. Eſt autem oratio pertinens ad petendam remiſſionem peccatorum, præſertim pro Sacerdote aut Epiſcopo celebrante, omnibuſque circumſtantibus, ejuſque verba & ſententiæ, à formulis orationum, quibus in Oriente pœnitentes abſolvuntur, parum differunt. In communi ordine Liturgiæ, ea oratio pronunciatur ſuper Sacerdotem celebrantem, ab alio Sacerdote: quòd ſi Hegumenus, aut aliquis Epiſcopus ſacro interſint: tanquam dignitate ſuperiores, eam pronunciant. In hac igitur prima Liturgia, quam novi Patriarchæ celebrant ad ſanctum Macarium, honori Monaſterii & Ordinis Monaſtici dignitati tribuitur, ut Archimandrita Abſolutionis orationem pronunciet. Etiam alia quoque ratio hujus diſciplinæ fuit, quòd cùm multi Patriarchæ aſſumti fuerint ex eodem cœnobio, in quo ſub illius Archimandritæ obedientia vivebant, hoc poſtremum humilitatis documentum dare voluerint, ut ab ipſis benedicerentur, quos paulo ante ſuperiores habuerant.

Digitized by Google

Lectio publica Actorum Electionis & Ordinationis.

XCI. Antequam porrò Liturgia celebraretur, eodem modo quo Alexandriæ & Cahiræ fieri solebat, legebatur ex Ambone instrumentum electionis & alterum Ordinationis: utrâque linguâ, Copticâ scilicet, atque Arabicâ. Cùm porrò illæ literæ in Ecclesia Arabicè legebantur, decedebatur ab inveterato, & usque ad sæculum XIV. & fortassis huc usque conservato, usu illius Ecclesiæ, in qua nihil omnino nisi Copticè legebatur, cùm in aliis Ecclesiis, Evangeliorum, Epistolarum, & aliarum scripturarum lectiones, Arabicè fierent, postquam Copticæ lectiones præcesserant. De ea consuetudine testis Abulbircat, & quidam alii. Porrò jus illud, quod post Muhamedana, tempora, stabilitum in Ecclesia Jacobitica Alexandrina reperimus, constanterque observatum, à veteri nulla disciplina ortum habuisse verisimile videtur. Quamvis enim magna esset in tota Ecclesia, maximè verò in Ægypto, ubi multa millia Monachorum erant, Ordinis Monastici dignitas, jus tamen ad electionem Episcoporum nullum habebant: nam inter Laicos numerabantur. Cùm verò celeberrimum Monasterium S. Macarii, Benjamin Patriarcha occupasset, hæresique suæ addixisset, & ex eo tanquam rediviva prodierit illa, caputque sub Arabibus efferre cœperit, verisimile omnino est, ea occasione factum, ut Monachis qui vitæ asperitate jam commendati, habebant præterea laudem non mediocrem conservatæ Jacobiticæ fidei, jus tribueretur suffragium ferendi in Patriarcharum electione, subscribendi electionis Decretis, tandemque approbandi electionem & Ordinationem; dum tenebatur novus Antistes ad sanctum Macarium proficisci, ibique proclamari, & sacra facere. Nec alia omnino causa hujus consuetudinis nobis occurrit.

Non erat hæc simplex cæremonia.

XCII. Porro non est cur quisquam existimet nudam cæremoniam fuisse, eam quam exposuimus in S. Macarii Ecclesia Proclamationem: habebat enim probationem quamdam & confirmationem Electionis, & examen, ut ita dicamus, fidei Patriarchæ, quod insignibus exemplis duobus manifestum est, Gabrielis filii Tarich Patriarchæ LXX. & successoris ejus Michaelis. Illi ob addita quædam verba in confessione fidei ante communionem dici solita, à Monachis Macarianis priùs non recepti sunt, quàm illarum rationem dedissent, ut expositum est in Historia Patriarchali. Reliqua in eo Monasterio, sicut alibi, observabantur nullo discrimine.

Hist. Patr. Alex. p. 502. 526.

Digitized by Google

XCIII. Poſtea, proſequitur Ebnaſſalus, redit Cahiram Patriarcha: cúmque pervenerit ad Monaſterium *Nehiet* in Giſa prope urbem, ibi ſacra faciet, & Monachis benedicet: tum ſequentibus diebus celebrabit Liturgiam in Monaſterio *Elkemah*: poſtea veniet ad Eccleſiam S. Michaelis, ad caput Aquæductus extra Miſram, ubi ſacra faciet, atque inde ſe transferet ad Eccleſiam Muhallacam intra urbem, horâ matutinâ diei Dominicæ, non alio die. Ibi Liturgiam celebrabit præſentibus Epiſcopis, Sacerdotibus, & populi multitudine: illis benedictionem dabit, orabitque Deum ut ſe per illos & illos per ſe perficiat. Idem faciet in Eccleſia S. Mercurii: tum in Eccleſia *Haret-el-roum*, ſeu *Vici Græcorum* in nova Cahira. Legetur autem Decretum electionis, ſimulque inſtrumentum Ordinationis, non ſolùm Alexandriæ, ſed in Monaſteriis & in omnibus Eccleſiis in quibus ſacra faciet. Hæc omnia ſtatuta obſervabuntur, quorum pleraque ſacris Canonibus continentur, alia conſuetudine introducta ſunt à ſanctis Patribus Patriarchis, qui antea fuerunt. Huc uſque Ebnaſſalus. Reliqua minoris momenti ſunt, neque ſemper obſervata reperiuntur: quæ tamen, quantum ex Hiſtoria Patriarchali colligere potuimus, referemus hoc loco, & reliquis ſubjiciemus. Redit Cahiram.

XCIV. Inter alia, aliquando initio Patriarchatus, nomen aliqui mutaſſe reperiuntur, ſed tamen raro exemplo. Primum occurrit Cyrilli LXVII. qui ante Ordinationem, Georgius vocabatur. Joannes LXXIV. vocabatur Abulmeged; Cyrillus ejus ſucceſſor vocatus fuit ante Ordinationem David: alia exempla non occurrunt, ſed Epiſcoporum aliquot qui pariter in Ordinatione nomen mutaverunt. Unde factum id caſu potiùs, aut affectatione, quàm ulla lege aut conſuetudine Eccleſiaſtica. Nonnulla alia obſervata. Nominis mutatio.

XCV. Quod proxime poſt Ordinationem à pleriſque Patriarchis factum legimus, obſervare jam oportet: nam Eccleſiaſticas res ordinare, gravibus negociis providere, & alia ejuſmodi munia, non magis ad Patriarcham pertinent quàm ad Epiſcopos in ſuis quique Diœceſibus. Verùm quod ſtatim ut plurimum, factum eſt à novis Patriarchis, conſecratio Epiſcoporum fuit, præſertim quando ſedes diu vacaverat, ne Eccleſiæ diutiùs Paſtore viduatæ, detrimenti quidquam in fide, aut moribus paterentur. Inſtabant ſæpe tum Epiſcopi, Ordinationes Epiſcoporum.

Digitized by Google

tum Laicorum primores, ut id ſtatim poſt ejus inaugurationem perficeretur, ea maximè ratione, quòd quandoquidem in conventu tum Cleri tum Laicorum ad electionem congregato, renovabantur Canones antiqui adversùs Simoniacas ordinationes, non videbatur facilè fore ut leges illæ, quibus obſervandis vulgò novi Patriarchæ per ſolennem ſubſcriptionem ſe obſtrinxerant, ab ipſis proculcarentur; quas tamen ſæpè inſuper habebant. Nullum enim gravius in diſciplina malum Eccleſiæ Orientales à multis ſæculis expertæ ſunt, quàm Simoniacam labem, qua pauci admodum inter eos à mille annis caruerunt: quamvis pleni ſint anathematiſmis adversùs illam eorum libri Eccleſiaſtici. Primus vero qui eam magis impudenter exercuit, legitur fuiſſe Chail LVI. qui à ſingulis Epiſcopis quos ordinavit, magnas extorſit pecunias, atque ita ferme omnes. Excuſabant ſe ob imperatas ſæpe à Sultanis mulctas ingentes, quas cùm ſolvendo non eſſent, in carcerem à Muhamedanis conjiciebantur: ſed de illis dictum eſt variis Hiſtoriæ Patriarchalis locis.

Epiſtolæ Synodicæ ad Antiochenos Jacobitas.

XCVI. Statim etiam poſt Ordinationem, ſolebant Alexandrini Patriarchæ literas Synodicas ſcribere ad Antiochenum Jacobitarum Patriarcham. Jam à Severi tempore magna fuit utriuſque Patriarchæ conjunctio: Severum enim in Ægyptum veniſſe, etiam conſecrata illius adventus memoria II. menſis Paophi in Kalendario Coptico, & Alexandrinæ Eccleſiæ traditio teſtantur. Imò delituiſſe eum per plures annos in Dioeceſi Saca, & in Ægypto diem ſuum obiiſſe, atque ibi ſepultum eſſe, communis opinio eſt, quam confirmant vota ad ejus tumulum facta, curationeſque, ut credunt, per miraculum multæ. Is autem, ut habet hiſtoria vitæ Joannis Patriarchæ xxx. quique *Makiota* appellatur in Breviario Liberati, meliùs à Copticis *Nikiota*, ſcripſit primus literas Synodicas de communi fide ad Joannem: qui congregatis Epiſcopis ſuis, eas legi in omnibus Eccleſiis curavit: & ad eum alias literas dedit, quibus eamdem ſe unius naturæ fidem tenere profitebatur, anathemaque Neſtorio & Concilio Calchedonenſi denunciabat. Talis illarum literarum origo fuit: quæ *Synodicæ* dictæ ſunt, ſervatâ apud Arabes Græcâ voce, quia primùm in Epiſcoporum Synodo, atque ex communi illorum ſententia, ſcriptæ fuerunt. Poſtmodum verò, etſi à ſolo Patriarcha ſcriberentur, quia tamen non ſuo ſolùm,

ſolùm, ſed totius Jacobiticæ Ægypti Eccleſiæ nomine loquebatur, Synodicarum ipſis nomen conſervatum eſt. Sub Anaſtaſio XXXVI. Anaſtaſius Antiochenus Jacobitarum Patriarcha, non modò literas Synodicas miſit, ſed ipſe paulo poſt in Ægyptum venit. Interruptam fuiſſe per bella, quæ totum Orientem depopulata ſunt, literarum miſſionem veriſimile eſt: nam ſub Benjamino & ejus proximis ſucceſſoribus ſub Arabum Imperio, nulla earum occurrit memoria. Verùm ſub Simone XLII. antiqua, ut aiunt, conſuetudo revocata eſt, ſcripſitque is Synodicam ad Julianum Antiochenum. Elias ejus ſucceſſor, ſcripſit ad Alexandrum XLIII. ad quem etiam literas miſit Athanaſius Eliæ ſucceſſor. Uſque ad Chailem XLVI. nulla miſſarum literarum memoria occurrit. Ad eum Iſaacus Epiſcopus Harran ſcripſit, ſed cùm contra Canones Antiochenam ſedem favore Abdallæ Sultani occupaſſet, occiſis Metropolitis duobus, qui maximè conatibus ejus obſiſtebant, ejus Epiſtola Synodica à Chaile recepta non fuit, quamvis eam miſiſſet per Epiſcopos duos, Damaſcenum & Emeſenum: imò invaſori anathema denunciatum. Poſtea Joannes XLVIII. ſcripſit ad Georgium Antiochenum, qui Athanaſio ſucceſſerat, electo poſt Iſaaci mortem. Georgius in vincula conjectus reſcribere non potuit: ſed Cyriacus ejus ſucceſſor, cui Joannes, & qui proximè Cathedram tenuit Marcus, reſcripſerunt ſub Jacobo L. Dionyſius Patriarcha Antiochenus in Ægyptum veniens, antiquam communionem utriuſque ſedis, præſens cum eo & Ægyptiis Epiſcopis renovavit: Joannes Dionyſio ſuffectus ad Yuçabum LII. ſcripſit, Epiſtolamque Synodicam miſit per Epiſcopos duos, ad quas Yuçabus honorificè reſpondit. Ad eumdem Joannem Coſmas LIV. ſcripſit ſimiliter, Epiſcopis duobus eâ causâ Antiochiam legatis: ita Sanutius ejus ſucceſſor. Joanne in exilium pulſo curam Eccleſiæ Antiochenæ, quantum per mandata & literas poterat, geſſit Zacharias LXIV. Chriſtodulus LXVI. ſcripſit quoque ad Antiochenos: quorum Patriarcha Dionyſius ad eum literas dedit, ſed quæ non niſi poſt ejus obitum ſucceſſori ejus Cyrillo redditæ ſunt. Ita deinceps in ea conſuetudine perſeveratum eſt à Patriarchis tam Alexandrinis quam Antiochenis, neque illa videtur interrupta fuiſſe, niſi occaſione bellorum quæ toto Oriente per annos multos exarſerunt, præſertim ex quo Franci Hieroſolymitano regno ſtabilito,

Jacobitas Antiochiâ exegerunt. Mos porrò ad ultima usque tempora inter illos Patriarchas obſervatus fuit, ut, ſi quando novus Patriarcha ad alterum Synodicam non miſiſſet, is inter Miſſarum, ſolennia, nomen ejus ex Diptychis commemorari non patiebatur. Ne verò hæc omiſſio integram abſciſſionem communionis inducere videretur, ſed eâ inter utramque Eccleſiam conſervatâ, tamen ad novum Patriarcham, donec de ejus fide per literas Synodicas conſtaret, non pertineret, uſus erat commemorandi ex Diptychis nomen defuncti Patriarchæ, inter vivos, quamvis eſſe non deſiiſſet. Ita Chriſtodulus fecit, cùm mortuo Joanne nomen ejus ad altaria quaſi viventis commemorari juberet, omiſſo Baſilio ejus ſucceſſore, quia Synodicam non ſcripſerat.

In Cellam ſeu Patriarchium ſe recipiebat novus Patriarcha.

XCVII. Quod reliquum eſt, cùm alia omnia, quæ Patriarcham obſervare oportebat, non magis ad Alexandrinum quàm ad alios pertineant, ea paucis attingemus. His quas ſuperiùs expoſuimus publicis cæremoniis perfuncti Patriarchæ in *Cellam* ſe recipiebant: ita vocatur in hiſtoriis, Domus Patriarchalis ſive Patriarchium, ea ratione quòd cùm plerique, ut diximus, ex Ordine Monaſtico aſſumerentur, ſervabant etiam in ſuprema Eccleſiæ ſuæ dignitate appellationem, quæ priſtinæ vitæ humilitati conveniret. Præcipua verò illarum Cellarum ſeu Domorum, Patriarchalium, Alexandriæ erat, propè Matrem Eccleſiam, quæ tamen ſæpe mutata eſt, cùm ſub Muhamedanis varia Chriſtianorum omnium atque ipſorum quoque Jacobitarum conditio fuerit. Nam cùm initio fugatis Orthodoxis Græcis, vacanteque Patriarchatu, Eccleſias omnes occupaſſent, ſibi tanquam legitimis poſſeſſoribus traditas ab Amro filio El-Aſſi, eas poſtmodum ſub Abbaſſidis Orthodoxi recuperaverunt. Ad præcipuam ergo Eccleſiam, quæcumque fuerit, adjuncta erat Cella Patriarcharum Alexandriæ. Miſræ pariter ſeu Cahiræ, ubi ſæpius morari conſueverant, aliam habebant: aliam tandem in Monaſterio S. Macarii. Nam præter ſolennem illum ingreſſum, de quo dictum eſt ſuperiùs, ex antiqua conſuetudine, quæ tamen Muhamedanorum temporibus antiquior non videtur, ſolebant Patriarchæ Quadrageſimam tranſigere in eadem eremo, ibique etiam Paſchalem ſolemnitatem celebrare. Memoria illius conſuetudinis extat in vita Marci XLIX. Chailis LIII. & aliorum. Imò, quod præcipuum erat, ſole-

Digitized by Google

bant Patriarchæ eodem in Monaſterio conſecrare quotannis *Myron* ſeu Chriſma, aut feria 6. Hebdomadis 6. aut, ut poſtea factum eſt, Feria 5. Majoris hebdomadæ, quem morem invaluiſſe à tempore Ephræmi LXII. teſtatur Abulbircat, & de illa conſecratione Chriſmatis, multa habentur in Hiſtoria Patriarcharum.

XCVIII. In Cella porrò Patriarchali, obſervabatur vitæ monaſticæ regula, adeo ut à carnibus ſemper abſtineretur: nam hæc eſt perpetua Orientis Monachorum abſtinentia. Eam verò ſervabant, ut faciunt etiamnum Epiſcopi Græci, Syri, Armeni, & alii prope omnes, quia aſſumuntur ex Ordine Monaſtico. Neque enim exiſtimant Epiſcopatum, cui major omnino quàm privatæ in cœnobio vitæ perfectio neceſſaria eſt, abſolvere ab ejus regulis, illos qui eas ſemel profeſſi fuerunt. Hanc abſtinentiæ à carnibus legem omnibus Patriarchis proponit Ebnaſſalus, & Philotheo inter alia multa crimina objectum eſt, quòd quotidie in Cella convivia celebrarentur, carneſque convivis apponerentur.

Vitæ Monaſticæ regula in Patriarchio ſervabatur.

XCIX. Mos quoque erat ut apud Patriarcham, ſive in Cella, ſive in vicina Eccleſia; nam ſemper Eccleſiæ proxima erat, Officium quotidianum, diurnæ ſcilicet nocturnæque preces recitarentur, quemadmodum in Monaſteriis. Habebat enim contubernales Clericos, aut Hieromonachos, qui curſum Eccleſiaſticum ſimul peragerent.

Curſus Officii Eccleſiaſtici in eo obſervabatur.

C. Adhibebat autem Patriarcha ad privatam illam ſocietatem quos maximè idoneos judicabat, ad ſublevandum ſe in cura rerum Eccleſiaſticarum, erantque quaſi conſiliarii perpetui, quorum operâ uteretur, tum in cauſis inter Chriſtianos judicandis, tum in ſcribendis Epiſtolis, tum in colligendis eleemoſynis, aut fructibus percipiendis, qui ad Patriarcham ſpectabant, tandem in omnibus quæ ad communem totius Ægypti Eccleſiarum utilitatem pertinebant. Idcirco ſeligebantur ad hoc miniſterium, qui inter alios doctrina eminerent, præcipue ad obeundum munus *Katibi*, ſive ejus qui eſſet Patriarchæ ab Actis & Epiſtolis. Eorum autem non unum genus erat: nam Synodicæ, quales ad Antiochenos mittebantur, Heortaſticæ ſive Paſchales, quas olim quotannis ex antiquiſſima conſuetudine ſcribere debebant, cùm expoſitionem fidei continerent ejuſque ex antiquorum Patrum ſententiis confirmationem, doctos eſſe oportebat qui illis ſcri-

Ab Actis & Epiſtolis Clerici.

Digitized by Google

bendis adhiberentur. Paschales, ut & multæ aliæ, quæ ad Ecclesias Ægyptiacas mittebantur, Copticè scribebantur; atque ita in ejusmodi Secretariis, requirebatur non vulgaris intelligentia illius linguæ, quæ, ex quo Arabica passim obtinuit, non tam ex usu communi, quàm studio librorum disci solebat. Peritos etiam illos esse oportebat formularum quæ in Actis & Epistolis usurpabantur, atque ita non vulgarem, sed reconditiorem quamdam veteris idiomatis habere facultatem debebant. Accedebat etiam quotidiana necessitas, quia in festis solennibus, quando Patriarcha Liturgiam celebrabat, tenebatur exponere sacræ scripturæ lectiones ex libris Copticis, & non modò eas interpretari lingua vulgari, sed sermonem ad populum habere de Evangelio aut Epistolis: quam explicationem ex Coptico memoriter olim & quasi extempore faciebant, priusquam eo ignorantiæ deventum fuisset, ut illæ interpretationes, tam quæ simplicem versionem spectabant, quàm homiliam, in libros referrentur. Secretarii autem, erant quodammodo Patriarcharum interpretes & studiorum adjutores: multos enim maximè illiteratos in Alexandrina Jacobitarum Ecclesia sedisse, ex ipsorum historia manifestum est.

Arabicæ linguæ periti.

CI. Nec minùs erat necessaria in Secretariis, Arabicæ linguæ peritia, nam cùm quotidie negocia Christianorum ad Muhamedanos Principes vel Magistratus deferrentur, qui ex Orientali supercilio vix aliter quàm per libellos adeuntur: qui illis scribendis operam dabant, eos inanem illam eloquentiam Arabicam excoluisse oportebat, quæ semper apud illos barbaros plurimùm potuit. Nempe is apud eos olim, atque etiamnum, facundiæ supremum gradum attigisse creditur, qui pauca multis, iisque obscuris, antiquis, & ab usu communi remotissimis verbis explicat, vel potius involvit, iisque ita collocatis, ut per homæoptota, antithetaque, tinniendo aures afficiant; si quis simpliciter & perspicuè sententiam explicet suam, is eloquentiæ vacuus, infantissimusque judicatur.

Canonum periti.

CII. Canonum peritia non minùs in illis Secretariis requirebatur. Nam cùm ad tribunal Patriarchæ omnes ferme Christianorum causæ spectarent, scire illos oportebat, quid in singulis causis disciplina Christiana præscriberet. Neque enim de solis Ecclesiasticis rebus, sed etiam de illis quæ ad sæcularia judicia spectabant, cognoscere soliti erant Patriarchæ. Tales erant causæ omnes matrimoniales, pacta dotalia, hæ-

Digitized by Google

reditates, teſtamenta, & ſi quæ ſunt alia ad jus civile ſpectantia. Nam ex Chriſtianis conceſſo antiquitus privilegio, cauſæ illæ omnes ab Epiſcopis & Patriarchis judicabantur. Quia verò maxima illarum pars ſecundùm Leges Imperiales, non ſecundùm Canones Eccleſiaſticos debebat judicari, idcirco ex Legibus, Edictis, Novellis aliiſque Principum Conſtitutionibus, ea excerpta ſunt quæ ad jus inter Chriſtianos dicendum maximè opportuna cenſerentur. Atque ex illis excerptis nati ſunt *Canones*, quos vocant, *Imperiales*, quorum multæ diverſæque Collectiones extant in libris Orientalibus. Reliquæ dotes, ut ſcientia ſcripturarum, Theologiæ & Philoſophiæ peritia, quando in aliquo ex Syncellis ſeu contubernalibus Patriarchæ eminebant, gradum illi faciebant ad Patriarchalem dignitatem, quia notus erat omnibus, non Laicis modò, ſed etiam Eccleſiaſticis & Epiſcopis, qui, eo quod nemo illorum transferri ad primam ſedem poterat, ambitione carebant. Satius igitur ipſis ſæpe viſum eſt, ut ex Syncellis ſeu Secretariis eligeretur novus Antiſtes, quàm ex Monachis, aut Recluſis, qui abſque ulla experientia rerum Eccleſiaſticarum electi, ſæpe eas peſſimè & imprudentiſſimè adminiſtraſſe reperiuntur.

CIII. Aſſumebant aliquando Patriarchæ ad hæc munera Epiſcopos, quamvis id contra Canonicam diſciplinam foret, qui ſub eorum autoritate res Eccleſiaſticas curabant, ſed plerique in illa adminiſtratione non rectè verſabantur, præſertim ſub ſenibus aut imbecillis Patriarchis. Uno verbo, ſumma erat in hoc conſilio domeſtico inſtituendo, aut deſtituendo illorum autoritas: imò ea occaſione magna fuit ſemper Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſio. Nam Monachi qui aliquà doctrinæ laude commendabantur, aut alii actuoſi & ſolitudinis impatientes, ad Cellam Patriarchalem veniebant, negotiiſque ſe implicabant, non modò Eccleſiaſticis, ſed etiam ſæcularibus. Alii Epiſcopatus ambiebant, aut ambitum aliorum adjuvabant: ſæpe Muhamedanorum principum gratiam nacti, per malas artes apertamque licitationem ad Patriarchatum graſſabantur: quorum criminum plena eſt Hiſtoria Alexandrina, eo fine, ut plurimi poſt excommunicationem, aut alias pœnas canonicas, quas ſibi accerſiverant, ad Muhamedanam impietatem aperte defecerint, & Chriſtianorum acerbiſſimi poſtmodum hoſtes evaſerint.

Aliquando Epiſcopi in Syncellos aſſumti.

Digitized by Google

Patriarchæ Alexandrini Diœceſes.

CIV. Jam de autoritate Patriarchæ Alexandrini Jacobitæ dicendum eſt, quæ erat ampliſſima. Notum eſt porrò ex Concilio Nicæno olim eidem Patriarchæ attributam fuiſſe Ægyptum, Pentapolin & Lybiam, ut ſicut Canone VI. conſtituitur eorum omnium qui in iſtis provinciis eſſent Chriſtianorum Alexandrinus Epiſcopus haberet primatum. Atque hi fuerunt antiquiſſimi limites Patriarchatûs Alexandriæ, de quibus multa apud autores omnes paſſim occurrunt, doctis notiſſima. Mos obtinet, inquit Epiphanius hæreſi 68. ut Alexandriæ Epiſcopus, totius Ægypti ac Thebaidis, Maræotæque ac Lybiæ, Ammoniacæque, Maræotidis & Pentapoleos, Eccleſiaſticam habeat adminiſtrationem. Fines Diœceſeos explicatiùs dedit Nilus Doxapatrius, cujus excerpta refert Leo Allatius l. 10. de perpetuo utriuſque Eccleſiæ conſenſu, & ipſi convenit cum diverſis Notitiis, editis & manuſcriptis. Verùm illæ Notitiæ Diœceſes continent quæ Græco Patriarchæ ſubjectæ erant, non quæ Jacobitico, cujus juriſdictionis diſpar omnino fuit ratio. Alexandrinus, inquit, totam Lybiam poſſidebat, & Æthiopiam & Marmaricam, uſque ad Tripolin Africanam; nec non univerſam Ægyptum & Paleſtinam ipſam, in qua ſunt Hieroſolyma. Habet itaque & ipſe Provincias varias & Metropoles tredecim. At in Jacobitarum Patriarchatu, nulla hujuſmodi Metropoleon mentio eſt, præterquam Damietæ & Æthiopiæ, de quibus dicetur inferiùs. Fuiſſe tamen in Ægypto Metropoles, præter Notitiarum autoritatem, probat ſacra Theodoſii junioris ad Dioſcorum, in qua ſcribit ad illum ut aſſumtis decem Metropolitis qui ſub ejus eſſent Diœceſi, tum decem aliis Epiſcopis, Epheſum proficiſcatur. In ſubſcriptionibus Epheſini Conciliabuli, aliquæ Ægyptiorum Epiſcoporum occurrunt, ſed nullius cum Metropolitæ titulo, cujus etiam nulla, quod ſciamus, memoria eſt apud Athanaſium. Metropoles illæ, quales ſæculis poſterioribus fuerint, uno conſpectu intelligi poteſt ex Geographiæ Eccleſiaſticæ compendio, quod poſtremæ Conciliorum editioni præfixum eſt.

p. 168.

De Africa in quam jus habuit.

CV. Africa propriè dicta, cùm ad ſedis Romanæ juriſdictionem pertineret, eum tamen titulum Alexandrini Jacobitæ aliis ſuis adjunxerunt, ut ſe totius Africæ Patriarchas appellarent. Sed quamvis titulus ille in omnibus Actis & monumentis, quorum certa autoritas eſt, ſemper reperiatur, uſum talis

Digitized by Google

autoritatis in Africa illos habuiſſe, vix credibile videtur. Neque enim ſtante Romano Imperio ulla fuit juriſdictio Alexandrinorum Patriarcharum in Africa, quæ Carthaginenſi Epiſcopo parebat, ſervato appellationis ad Romanum Pontificem ordine. Poſtquam verò Africa à Barbaris, Wandalis, aliiſque Septentrionalibus peſtibus vaſtata eſt, tanta fuit Eccleſiarum calamitas, ut nunquam planè inſtauratæ fuerint. Si quid Chriſtianorum ſupererat, perierunt illi ſub Muhamedanis qui Chriſtianam fidem illis in regionibus funditùs deleverunt, adeo ut inter paucas admodum familias conſervata fuerit, quas, ſi hiſtoricis Hiſpanicis credimus, reperit in expeditione ſua Africana Carolus V. deplorandas, florentiſſimarum quondam Eccleſiarum reliquias. Verùm illi nec Epiſcopos habebant, nec Eccleſias, aut ſi quando habuerunt, ut ſub Gregorio VII. habuiſſe conſtat ex Epiſtolis 22. & 23. libri 1. ad Carthaginenſes & ad Cyriacum eorum Epiſcopum, tum ex 19. 20. & 21. libri tertii, tam exiguus erat eorum numerus, ut duo tantùm Epiſcopi reperti tunc fuerint, adeoque unum ipſe Romæ ordinaverit, ut legitimus numerus non deeſſet ad Ordinationes Epiſcopales celebrandas. Ex illis Chriſtianis orti erant qui ſuperiori ſæculo in Africa reperti ſunt. Omnes verò, tam illi de quibus Gregorius loquebatur, quàm poſteriores de quibus obſcura admodum memoria eſt, Latinum ritum, Romanæque Eccleſiæ communionem retinebant, neque ullam in eos Patriarcha Alexandrinus juriſdictionem exercebat. Nulla quoque prorſus in Monumentis Eccleſiaſticis memoria eſt Eccleſiarum diverſi ritus in Africa propriè dicta: nec Jacobiticam hæreſin eas in regiones penetraſſe ullo vel levi indicio conſtat. Nam initio cùm in Romanæ linguæ Eccleſias ea hæreſis vix penetraverit, ſed Orientem & Ægyptum infecerit: tandem poſt aliquot ſæcula, Græcis Eccleſiis omnino depulſa, in Syris & Ægyptiacis regnavit. Ita cùm nunquam in Africa Chriſtianos fuiſſe legamus, qui aliter quàm Latinè ſacra facerent, ex eo ſolo argumento ſufficienter intelligimus, nihil omnino juris in eos Patriarchæ Alexandrino, ſive Orthodoxo, ſive Jacobitæ, fuiſſe. Et ſanè quamvis titulus Africæ inter Provincias huic poſtremo ſubjectas reperiatur, monendi tamen lectores ſunt, eo nomine non tam Africam propriè dictam intelligi, quæ ad Romanam juriſdictionem tam civilem quàm

Eccleſiaſticam ſpectabat, ſed eam partem quam Arabes propriè *Afrikiet*, ſive Africam vocant. Eo enim nomine intelligunt eam, quæ eſt inter deſertum Barcæ, quod conſtat Cyrenaicæ, Marmaricæ, Lybiæque exterioris Boreali tractu, ubi & Barcæi ſeu Barcitæ veterum, & urbem Bona, quæ Hippo eſt B. Auguſtino inclyta. Ita vir doctiſſimus Jacobus Golius commentario ad Alfraganum & quidem rectè, ex Orientalium Geographorum communi ſententia. Reliquam vaſtiſſimæ hujus regionis continentem, à Barca uſque ad Mare Atlanticum, vocant *Mogreb*, ſive Occidentalem regionem: quam in tres partes dividit Abulfeda: extremam quæ Mare Atlantico alluitur: mediam ab Orano & Telmeſana, quam Tremecen noſtri appellant, ad Bugiæ fines: tertiam inde uſque ad Barcæ regnum, quæ etiam Orientalis ab ipſis Africa dicitur: atque hanc ultimam Coptitæ intellexerunt, cùm eam quaſi Patriarchæ ſuo ſubjectam in ejus titulis numeraverunt: nam etſi Φρικη legatur in Copticis Epiſtolis quæ vox Africam propriè dictam videtur deſignare, certum eſt, eam non alio ſenſu accipi debere, quàm eâ quem in Arabica lingua habet, & quem mox explicavimus.

P. 105.

In Pentapolin miſſos aliquando à Jacobitarum Patriarchis fuiſſe Epiſcopos ſuperiùs à nobis obſervatum eſt, ſed tamen rara admodum exempla ſunt. Id ab Yuçabo Patriarcha LII. factum eſſe, docet ejus hiſtoria: ſed an ad vacuas per Epiſcoporum obitum ſedes, alios miſerit: an novos Epiſcopatus inſtituerit: an, ut fieri ſolitum erat, abſque ulla certa ſede Epiſcopos in eas regiones deſtinaverit qui Chriſtianis præeſſent, affirmare non poſſumus, neque ſaltem conjectando aſſequi nobis licuit. Nulla enim ferme illarum regionum apud Arabes notitia eſt, neque Chriſtianorum memoria, aut Græci aut Ægyptiaci ritus; tanta tamque ſæva fuit vaſtitas à Muhamedanis illata.

Nubia illi ſubjecta.

CVI. At in Nubiam miſſos fuiſſe Epiſcopos à Jacobitis Alexandrinis dubitari non poteſt. Ante hæreſin eorum factum id ab Orthodoxis Epiſcopis fuiſſe, quamvis certis argumentis confirmare non facile ſit, cauſa tamen ſilentii circa Nubarum Eccleſiam ea eſt, quòd apud Græcos Latinoſque ſcriptores ſub Æthiopum generali appellatione comprehenſi fuerint; atque adeo quæ de Æthiopum Eccleſia occurrunt, ad Nubas quoque videntur pertinere, ut diverſis

sis Historiæ Patriarchalis locis expositum est. Verùm eo temporis intervallo, quod à capta Ægypto usque ad restitutam Græcis Orthodoxis Patriarchalem dignitatem effluxit, quodque unius propemodum sæculi fuit, ut docet Eutychius, cùm nullus tunc apud eos foret Patriarcha, Nubii qui Episcopos more majorum Alexandriâ petebant, eos cùm à Jacobitis Patriarchis ordinatos, atque hæresi infectos suscepissent, eam quoque incauti acceperunt, & in hunc modum tota Nubia facta est Jacobitica. Deinceps verò nullum omnino vestigium occurrit restitutæ inter eos fidei Orthodoxæ. Isaac Patriarcha XLI. qui circa annum J. C. DCLXXXVII. sedere cœpit, per literas hortatus est Nubiæ & Æthiopiæ reges ad pacem inter se componendam, quia scilicet integram in eos habebat jurisdictionem. Cyriaci Episcopi Nubiæ meminit vita Chailis Patriarchæ XLVI. Georgius rex designatus, à Zacharia patre, in Ægyptum missus est sub Yuçabo LII. cùm aliquot ex Nubia Episcopis; post annum J. C. DCCCXXXI. Anno MLXXIX. Salmon rex abdicato regno, cùm vitam monasticam in deserto amplexus fuisset in Ægyptum adductus est: ubi diem suum obiit, cujus etiam meminit Abuselah Armenus in Chronico suo. Præterea docet nos idem autor Raphaelem Regem Nubiæ, Dunkalæ quam urbem Metropolin regni esse, vulgò Arabes existimant, ædificasse Ecclesiam, juxta architecturam Yrakensem, quæ à nobis *Morisca* appellatur: fuisse quoque alias ibidem Ecclesias, ut etiam in urbe *Sibrem*. Sub Salaheddino Ægypti Sultano, fratrem ejus Chemseddoulam, Ecclesias diruisse, & ex Nubia cum Episcopo septuaginta millia captivorum abduxisse, testantur historici. Ab illius expeditionis tempore, cujus Makrizius & alii meminerunt, vix quidquam de Nubis Christianis, apud autores Christianos aut Muhamedanos legitur, nisi quòd illa regio subdita sit Cathedræ Jacobitarum Alexandrinæ: & id præter Severum & alios Historiæ Patriarchalis scriptores, Ebnassalus, Abulbircat, Abuselah, omnesque tandem confirmant: ut exempla literarum systaticarum sæpe à nobis laudata, in quibus inter Diœceses Alexandrino Patriarchæ subjectas, Nubia seu, ut scribitur, Nabodia, recensetur. Mitto historiam quam refert Elmacinus de expeditione Regis Nubiæ Kyriaci contra Ægyptum, cum equitibus centum millibus, sub Chaile XLVI. anno, ut vult Elmacinus, J.

Eutych. T. 2. p. 385.

P. 83.

Digitized by Google

C. DCCXLV. vel DCCXXXVII. ut alibi in ejuſdem Patriarchæ vita dictum eſt. Eam autem ex antiquioribus hiſtoricis narrationem accepit: nam omnes eam referunt. Atque ex iſtis ſatis intelligitur, ſummam fuiſſe in Nubas Chriſtianos Alexandrini Patriarchæ autoritatem, cujus tamen diſtinctè non meminit Collectio vetus Canonum Arabicorum, qui Nicæni ab Orientalibus appellantur, ea fortaſſis ratione quòd ſub Æthiopum nomine; Nubæ intelligendi ſint; aut quòd nulla ſingulari mentione opus eſſet, circa Eccleſiam quæ non Metropolitam cum ſingulari prærogativa haberet, ut Æthiopica, ſed ſimplices Epiſcopos, ſive unum, ſive plures, qui ab alio quàm ab Alexandrino Patriarcha ordinari non poſſent. Obſervandum tandem eum in ejuſmodi Ordinationibus ita verſari ſolitum fuiſſe, ut ſicut de Æthiopiæ Metropolitis dicetur inferiùs, vix unquam indigenæ eam dignitatem obtinerent; ſed eligebantur ex Ægyptiis Sacerdotibus, qui ad eam idonei maximè judicarentur, atque in Nubiam mittebantur.

Ut etiam Æthiopia.

CVII. Par erat ratio juriſdictionis quam habebat, ſervatque etiamnum Alexandrinus Patriarcha in Æthiopicam Eccleſiam. Ejus quippe ſupremus Antiſtes, quem malè Patriarcham appellant, eſt Metropolita: cujus electio, & Ordinatio ad ſolum Alexandrinum ſpectat. Jam porrò ab initiis rerum Muhamedanarum obſervatur, morem illum mittendi Metropolitas in Æthiopiam, à Patriarchis Jacobitis eſſe uſurpatum, de quo multa occurrunt in Hiſtoria Alexandrina. Autoritatem hæc conſuetudo magnam habet ex Canonibus Nicænis Arabicis, in quibus perſcripta eſt. Neque indigena ullus aſſumitur, ſed Ægyptii mittuntur, ut ex multis exemplis obſervare licet. Jus iſtud huc uſque Alexandrini Patriarchæ in Æthiopiam exercent, nunquam interrupta conſuetudine, niſi ſuperiori ſæculo, cùm Româ à quibuſdam Regibus concordiæ procurandæ ſtudioſis, accepti ſunt Latini Patriarchæ, ſed infelici planè ſucceſſu: ut fuſiùs in Hiſtoria Baltaſaris Tellezii, & qui omnia ab eo accepit, Jobi Ludolfi aliiſque recentioribus autoribus legi poteſt. Mitto Joannem Bermudem, qui, etſi indigena, non magis tamen à pleriſque Æthiopibus receptus eſt, quàm miſſi ex Societate Jeſu tres, Nonius Barretus, Andreas Oviedus, & ſucceſſor ipſis deſignatus Appollinaris de Almeida. Quæ porrò ſucceſſio

Digitized by Google

eorum Patriarcharum fuerit & quid de ſingulorum miſſione & Ordinatione Hiſtoria Alexandrina complectatur, præter multa quæ in ejus ſerie à nobis dicta ſunt, dicetur accuratiùs, in Diſſertatione de Eccleſia Æthiopica.

CVIII. Paucis obſervare ſufficit omnem prorſus Eccleſiaſticam autoritatem ab annis ampliùs mille, ita in Alexandrino Patriarcha Jacobitarum erga Æthiopes fuiſſe, ut non modò ordinandorum, ſed nec eligendorum Metropolitarum ſuorum facultatem haberent. Verùm quotieſcumque illi diem ſuum obierant, mittebantur ad Patriarcham Alexandrinum literæ Regis & Primatum regni, quibus de vacatione ſedis certiorem eum faciebant, rogabantque ſimul ut novum ſibi Antiſtitem ordinaret. Voluerunt aliquando Æthiopes cogere Metropolitam ſuum, Gabriele F. Tarich Alexandrinam Eccleſiam obtinente, ut plures ſeptenis Epiſcopos ordinaret, quod ille conſtantiſſimè recuſavit: quia fuiſſet id præter morem & antiquam legem, ne ſi duodecim Epiſcopos haberent, quot Orientales requiri cenſent ad ordinandum Patriarcham, ſubjectioni Alexandrinæ ſedis ſe eximerent, & proprium ſibi Antiſtitem crearent atque ordinarent. Atque ex ea hiſtoria intelligitur Metropolitis Æthiopiæ jus relictum fuiſſe ordinandi Epiſcopos, modò ſeptenarium illum numerum non excederent, non verò illos Alexandriâ accepiſſe jam ordinatos, ſicut erga Nubas factum fuiſſe veriſimile eſt. Mira ſanè conſuetudo hæc fuit, multiſque incommodis obnoxia, ſed quæ tamen huc uſque perſeveravit, atque Æthiopas in Jacobitica hæreſi retinuit. Eos autem Metropolitas qui ab Ægypto mittebantur, præter itineris longitudinem (nam biennii fere ſpatium effluebat, antequam novus Metropolita in Æthiopiam perveniſſet magno ſuo periculo,) linguam ediſcere oportebat, cùm nullus Ægyptiacæ aut Arabicæ apud Æthiopes uſus foret, vel in civili commercio, vel in rebus Eccleſiaſticis. Nam in ſacris uſurpatur dudum inter eos lingua, quam Æthiopicam propriè apellamus, à vulgari ſatis diverſa, & in quotidiano uſu, ea quam Amharicam vocant: & quamvis ritus utriuſque Eccleſiæ ſint valde ſimiles, eſt tamen, ut adhuc obſervatur, aliqua inter eos differentia. Aliud jus præter inſtitutionem Metropolitæ non videntur habuiſſe Patriarchæ Alexadrini in Æthiopiam: non fructus, eleemoſynarum nomine inde perci-

Æthiopes ne eligere quidem poſſunt ſuum Metropolitam.

piebant, non aliam contributionem, quales ex Ægypti Episcopatibus & Monasteriis exigere, etiam absque simoniæ suspicione solebant. Sed quoties mittebat Rex Æthiopiæ in Ægyptum, ad postulandam Metropolitæ Ordinationem in defuncti locum, munera simul mittere solebat ad Patriarcham, ut aliquot Historiæ Alexandrinæ exemplis manifestum est. In signum etiam jurisdictionis, scribebant Patriarchæ quotannis literas in Æthiopiam, non quidem synodicas, ut ad Antiochenam Ecclesiam, cujus Patriarchis, ut fratribus & consacerdotibus, rationem reddebant fidei suæ, & communionem inter utramque sedem renovare satagebant: verum *Heortasticas* seu Paschales mittebant solummodo, tanquam superiores ad inferiorem Ecclesiam.

De Hierosolymitana Diœcesi.

CIX. De Hierosolymitana Diœcesi, certum est, quòd inter Græcos, ut observat Nilus Doxapatrius, Alexandrino Patriarchæ subjecta fuerit, etsi jam ab aliquot sæculis proprium habeat Patriarcham, qui, ut reliqui omnes Græcæ Ecclesiæ, Constantinopolitanum superiorem agnoscit, & ab eo instituitur, pleno jure, neque ullam habet Alexandrino subjectionem. Constat id ex Notitiis Episcopalibus variis, quas fusiùs ad examen revocare non est hujus loci. Id unicum observabimus: quòd per annos mille & ferme ducentos in Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum historia nihil occurrit, quo hæc eorum autoritas in suæ sectæ homines possit stabiliri. Quippe ante Cyrillum F. Laklaki ordinatum an. J. C. MCCXXXV. non legimus, institutum fuisse Hierosolymitanum Metropolitam ab Alexandrino ullo Patriarcha: atque inter alia accusationis capita, quæ adversùs istum proposita sunt, illud fuit, quòd Metropolitam Hierosolymis constituendo, jura Antiocheni Patriarchæ, ad quem Palestina spectabat, violasset. Inde cùm mutatio maxima rerum facta fuerit, nullaque ferme in Oriente secta, aliquam Ecclesiam in urbe sancta non habeat, servata est consuetudo, ut proprium omnes habeant Episcopum. Ita Nestoriani, priùs quàm Jacobitæ suum illic Metropolitam instituere ante septingentos annos cœperunt, suum habebant: Ægyptii suum: Syri Jacobitæ, & Armeni suum: præter Græcum, & Latinum, qui Patriarchæ dicti sunt. In Patriarcharum Alexandrinorum titulis, nullus qui jurisdictionem illam in Hierosolymitanam Diœcesin significet, à nobis huc usque repertus est.

Digitized by Google

CX. Etsi verò non de Orthodoxis, sed de Jacobitis agamus, & dispositio sedis Alexandrinæ, ejusque in varias Metropoles divisio, ad priores pertineat, quia tamen fraudi lectoribus esse potest Notitia, quæ à Guillelmo Beveregio publicata est, in notis ad Canonum Collectiones varias, & existimari posset aliquam illius provinciarum divisionis formam sub Jacobitis supersesse, eam paucis explicare operæ pretium erit: quia quantùm spectat ad recentiorem Ægypti Geographiam, Græcis Notitiis videtur accuratior. Ea dicitur excerpta fuisse ex Codice scripto manu Eutychii Alexandrini Patriarchæ, qui ex historia sua satis notus est. De Notitia Diœceseos Alexandrinæ à Beveregio publicata.

CXI. I. *Sedes*, inquit, *est Archiepiscopi Maræotidis.*

CXII. II. *Metropolitæ Barca & Pentapoleos Africanæ*, ita enim vertendum, non ut Beveregius, *quinque urbium Occidentalium.* Qui sic interpretari volet, non verba sed origines nominum interpretabitur. Nam *Mogreb*, etsi ex etymologia Occidentem significet, usu tamen certo apud Arabes, *Africam* significat: neque חמש מדין *quinque urbes*, sed provinciam, sub quinque urbibus comprehensam designat, sive quod idem est *Pentapolin.*

CXIII. III. *Archiepiscopus Misræ seu Cahiræ & ditionum ejus, usque ad terram supremæ Thebaidis.* At sub Jacobitis *Misra*, seu *Cahira*, hoc est urbs vetus & nova, solo Episcopatus titulo insignis erat. Quod verò, *usque ad superiorem Thebaidem* hæc Diœceseos pertigerit, id fortasse verum apud Melchitas, qui Jacobitarum comparatione paucos habebant Episcopatus in Thebaide: atque ita facile fuit ut hæc Metropolis ad superiorem usque regionem pertingeret. Id eo verisimilius videtur, quòd reliquæ Metropoles ad inferiorem paucis exceptis Ægyptum pertinent, aut peregrinæ prorsus sunt. Inde etiam constat differre quàm plurimùm istam sedium divisionem, ab ea quam autores Græci, licet non semper eodem modo, repræsentant.

CXIV. IV. *Est Metropolis Sindiæ & Indiæ & ditionum quæ illis continentur.* Ita editor, quem non temere fortassis judicabimus, aut in vitiosam scripturam incidisse, aut pravè legisse, aut tandem autorem quem secutus est hallucinatum fuisse. Nam quid Alexandrino Patriarchæ cum India commune esse potuit? Notum quippe est ex Græcis Notitiis, & Nilo Doxapatrio, Indiam, ut alias regiones Orientis propriè dicti

ferme omnes, ad Antiochenam ſedem pertinuiſſe. Neque cum commentatore laborandum eſt, ut oſtendatur Indiam & Sindiam in Aſia eſſe, multo minùs exiſtimandum ex hac Notitia conſequi Patriarchæ Alexandrini poteſtatem intra Africæ limites coercitam non fuiſſe. Imò potiùs inde certiſſimè efficitur, Notitiam eſſe falſiſſimam, quæ cum aliis omnibus, & omnium hiſtoriarum teſtimonio pugnare deprehendatur. Neque enim de Indiæ antiquis Chriſtianis, ſatis perſpectum eſt, quando ad fidem Chriſtianam venerint: ſed jam ab octavo ſæculo, ſcimus omnes Indiæ propriè dictæ Chriſtianos ſub Catholicorum Modainenſium, ſeu Bagdadenſium Eccleſiaſtica poteſtate fuiſſe, & à miſſis eas in provincias ſacerdotibus & Epiſcopis, Neſtorianiſmum didiciſſe, in quo perſeverabant adhuc, cum Luſitani ſub finem xv. ſæculi eò navibus pervenerunt. Bagdado in Indiam mittebantur Metropolitæ, uſque ad ultimum ſæculum: omneſque illic ferme Neſtorianos fuiſſe, teſtatur ſatis Hiſtoria Alexii de Meneſes, qui ad eorum converſionem tantùm operæ poſuit. Idem de antiquiori tempore probant autores qui de Catholicorum rebus ſcripſere, Maris, & Amrus: ut alibi fuſiùs explicabimus. Unde rectè legimus in Ordine Metropoleon illius ſectæ, *Metropolin Indiæ & Sinarum*; quem titulum uſurpabant, ultimi à Bagdadenſi Catholico ſuperiori ſæculo ad Angamalenſem Eccleſiam miſſi, Mar Jacob & Mar Joſeph, quos Meneſius & Inquiſitio Luſitanica ſede ſua exturbaverunt. In India aut Sindia, quæ ejus pars eſt, vix ulli unquam Jacobitæ reperti, præterquam in Socotra Inſula, de quibus dictum eſt alio loco.

Æthiopia. CXV. v. *Sedes eſt Metropolitani Habaſſiæ & omnium ditionum ejus*: Æthiopiæ ſcilicet propriè dictæ. Illius mentio nulla in Græcorum Notitiis: quia ſcilicet ex quo ſciſſa eſt Eccleſia, præſertim quando Arabes Ægyptum ſubegerunt, Jacobitæ, qui ſoli per annos prope centum Cathedram Patriarchalem tenuerunt, miſſis Epiſcopis ſuæ ſectæ, totam illam regionem ad ſuam hæreſin tranſtulerunt. Itaque etiam eo loco Notitia illa falſa eſſe deprehenditur. Quòd autem Interpres *Habaſſiam*, ut illi vocare placuit, partem ait eſſe Æthiopiæ ſuperioris, quid deſignaverit, difficile eſt agnoſcere: vox enim Arabica totam quanta eſt, Æthiopiam ſignificat, neque ulla in libris Arabum Geographicis diſtinctio

Digitized by Google

est Æthiopiæ superioris & inferioris : utramque in solidum Metropolita obtinebat.

CXVI. VI. *Metropolitanus Almaris, & omnium ditionum ejus :* Ita in versione, at in Arabico, Episcopus tantùm dicitur. *Sed hîc*, inquit Beveregius, *in tenebris versamur : neque enim alibi hæc vox regionem aliquam urbemve significans, nobis occurrit.* Nos eam non semel reperimus in Copticis libris, præsertim in formulis litterarum encyclicarum & systaticarum, ubi *Mares* scribitur, & per Sahid sive Thebaidem exprimitur. Atque inde opinor facta illa vox *Maræotidis duplicis*, pro qua *Mareştidis* scripsit in versione loci ex Epiphanio Her. 68. Leo Allatius. Itaque in Notitia Beveregii *Maris*, seu *Mares*, Episcopalis sedes erat, quæ Sahidis, sive Thebaidis, superiorem saltem complectebatur partem. Melchitæ nullas ferme tamen, in ea regione habebant Ecclesias, cùm omnes prope in Jacobitarum hæresi essent. Multi quoque alii Episcopatus commemorantur in Thebaide apud scriptores Jacobitas. Unde verisimile est istum Episcopatum titulo tenus fuisse apud Melchitas, non minùs quàm præcedentem & sequentem Metropoles. Almaris.

CVII. VII. *Metropolitanus Nubiæ*; de qua jam superiùs dictum est: nec occurrit quoque hæc Metropolis in Græcis Notitiis, quia ab initio rerum Muhamedanarum Jacobitæ omnem in religione autoritatem illic obtinuerunt. Nubia.

CXVIII. VIII. *Metropolita Pharmæ*, quæ apud Jacobitas erat urbs Episcopalis, notissima apud Geographos & Historicos Arabes, à Kolzuma seu Clysmate, unius diei, noctisque itinere distans : nulla ejus apud Græcarum Notitiarum autores mentio, nisi per *Pharan* designetur. Pharma.

CXIX. IX. *Metropolitanus Tinnis & Lybiæ & ditionum ejus.* Urbs quoque hæc notissima : Episcopum habuit antiquitus in secta Jacobitica. Octavam Metropolin numerat Nilus Tonesin, in septimo Nili ostio sitam. At Lybia quomodo huic sedi conjuncta esse potuerit, nisi titulo tenus, judicare difficile est. Tinnis.

CXX. X. *Metropolitanus Damietæ :* urbs notissima ex variis Francorum expeditionibus. Illam autem Nilus recenset extra numerum octo Metropoleon, quæ alios Episcopatus sibi subjectos habent. Εἰσὶ δ' λοιπαὶ πέντε μητροπόλεις αὐλῆς οὐκ ἔχουσαι ἐπισκοπὰς ὑφ' ἑαυταὶς· εἰσὶ δὲ αὐτοαὶ ἡ Δαμιάτα, ἡ Σάλα, ἡ Damieta.

Digitized by Google

Ἐρυθρᾶς Θαλάσσης ἢ Φαρὰν & ἢ Ἄρη. *Sunt & alia quinque Metropoles nullos ſibi ſubjectos Epiſcopatus habentes : ſunt autem iſtæ Damiata, Sata,* legendum *Saca : Maris rubri, Pharan & Are*. Secundam omiſit in verſione ſua Leo Allatius, etſi apud Ægyptios notiſſimam, & Epiſcopatu inſignem : atque ita cùm autor quinque ejuſmodi Metropoles eſſe dicat ; quatuor tantùm in verſione exhibentur. *Damiata*, Græci ſcribunt, ut etiam Coptitæ, etſi primam literam per T exprimant, quia eam haud aliter quàm ⲇ pronuntiant. Arabes *Dimiat*. Ea urbs ſingulari diſtinctione apud Jacobitas, ſed ſerò circa tempora Marci F. Zaraæ, poſt annum Martyrum DCCCLXXX. J. C. MCLXIV. Metropolitanam dignitatem obtinuit, atque eo titulo appellatum reperimus Michaelem, qui multis adversùs Marcum filium Elkonbari diſputavit, pro abolenda peccatorum Confeſſione : de qua hiſtoria diximus in Diſſertatione de Pœnitentia, & in vitis Patriarcharum. At in Græcis Notitiis melioribus ſedes tantùm Epiſcopalis erat, ſub Metropoli Oxyrincho.

Chata. CXXI. XI. *Epiſcopatus Chatæ & urbium ejus :* ſed *Pagorum* habet Arabicus textus. Forte legendum *Chatab* ut in Nomenclatore, ſed malè, nam Copticè legitur *Choti* quæ vox fortè etiam vitiosè ſcripta eſt. Neque dubium eſt eam eſſe quæ apud Nilum Doxapatrium ἡ Σάϊα dicitur : nam *Sch.* Græci non habent. Adjungit interpres Anglus ex Camuſio, ſive Lexico Arabico *Chata* eſſe pagum Ægypti. *Hic autem*, inquit, *totam aliquam regionem aut provinciam ſignificat, in qua plures etiam urbes fuerunt, ac propterea ejus, etiamſi Epiſcopus ſimpliciter appelletur, revera tamen Metropolitanus fuit.* Hæc, inquam, omnia abſque ulla idonea autoritate dicta ſunt. Neque enim ſatis intellexiſſe videtur autor, in quo hæc Metropolitanorum abſque ſuffraganeis dignitas conſiſteret. Sed de his poſtea.

CXXII. XII. *Epiſcopatus Ariſchi & Worada.* עריש ſive עֲרִישָׁה, eſt ea urbs quam autores noſtri *Lariſſam* vocant, & *Laris*, ut Guillelmus Tyrius, qui eam ait antiquam fuiſſe urbem ad mare ſitam in ſolitudine, quam vocant *Tiet bani Iſrael*, ſive *Deſertum filiorum Iſrael :* quod quadraginta paraſangas in longitudinem, totidemque in latitudinem patere inter Kolzum, & Mare Syriacum, atque Erythræum ſcribunt Geographi, Yacutus Hamatheus, Ebnwerdi, & alii.

De

Digitized by Google

De alia voce nihil habemus dicendum, eamque non carere mendo, ſuſpicio eſt.

CXXIII. XIII. *Sedes* eſt *Epiſcopi Kolzum & Rayæ.* De hac voce multa & quidem obvia, atque ex editis autoribus, interpres congeſſit, quibus plura & meliora adjicere facile eſt ex Geographis qui eam deſcribunt, atque inter alios Abulfeda, Yacuto, Ebn Werdi & aliis. Eam autem eſſe *Clyſma* veterum, dudum Jacobus Golius & alii eruditi docuerunt. *Rayam* locum eſſe vicinum, ubi Monaſterium Juſtinianus condidit, Eutychius ſcribit. Per Kolzum intelligi Epiſcopatum Maris Erythræi, de quo Nilus Doxapatrius, certiſſimum videtur. Ea enim urbs hoc in litore præcipua, à qua etiam totus ille Arabicus ſinus nomen accepit: nam illud Arabes vocant *Mare Kolzum*: niſi à Mari ipſo urbs præcipua ita denominata exiſtimetur. *Abulf. §. 63.* *T. 2. p. 163.*

CXXIV. XIV. *Tandem ſedes dicitur ea quam obtinet Metropolitanus Rif Miſræ, quæ inferior terra dicitur. Eſtque Biblis; prior Keiravan, unà cum ditionibus ejus: & ei quinque ſunt ſedes, quibus ex ejus parte quinque Epiſcopi præfuerunt.* Ita Beveregius & quidem obſcuriſſimè, neque ex prolixiſſimo commentario multùm, ut videtur, lucis affulget. *Rif*, ſive *Elrif*, pars eſt Occidentalis inferioris Ægypti, deſerto Barcæ contermina, quod Notitiæ autor cum Kairowana videtur confundere. Sed hic *Balbaïs* locum habere non poteſt, cùm longè poſita ſit, & ex alia omnino parte Paleſtinæ deſertum verſus: multo minùs, *Biblis*, quam vocem interpres ſubſtituit. Itaque aliter omnino legendum videtur in hunc ſenſum *Rif Ægypti, quæ etiam regio inferior dicitur: eaque contermina eſt Kairoüanæ limitibus. Habet autem Thronos ſive ſedes Epiſcopales quinque, quibus quinque Epiſcopos præficit.* Atque ex dictis patet, opinor, exiguam omnino, vel nullam, potiùs eſſe fidem Notitiæ illius, quæ nullum propriè autorem habuit, ſed in codicis folio reperta eſt: quando neque cum Græcis antiquis, neque cum recentioribus poteſt ullatenus conciliari, ut omnes inter ſe comparanti, manifeſtum eſt. Nam ſtatim intelligitur inter illas omnes Metropoles, vix ullam fuiſſe in Thebaide, ubi erant multi Epiſcopatus inſignes. Neque tamen eſt quòd miremur viris etiam doctiſſimis aquam hærere in abſtruſis ejuſmodi diſquiſitionibus. Nam cùm quotidie viros antiquarum originum peritiſſimos Rif.

videamus, dum peregrinantur, & occurrunt projecta diversis in locis famosissimarum urbium cadavera, quamvis ex locorum situ veterumque descriptionibus, eas cognoscere quandoque liceat, sæpius tamen ignorare: multo minùs mirandum est, post tantas clades quibus Ægyptus à Romanorum ætate ad hæc usque tempora vastata est, amplissimarum urbium vestigia agnosci vix posse, præsertim in superiori provincia, ubi præter latrones Arabes, qui itinera obsident, nemo penetrat. Certum est multas esse quæ ita penitus interciderunt, ut frustra in hodiernis ruinis quærantur, multo minùs in libris Arabum obscurissimis, in quibus ne leviſſima quidem veteris Geographiæ doctrina est: unde pleraſque etiam celeberrimas in historia civili aut Ecclesiastica, frustra sæpe quærimus, neque ubi aut quales jam sint saltem ex conjectura statuere possumus. Ut tamen hoc in genere nonnihil præstemus, quædam ex Makrizio qui Ægyptum præ cæteris accuratè descripsit, referemus, ex quibus constare poterit, quæ sub Arabibus foret regionis illius certa divisio, quæ urbes præcipuæ, simulque Episcopales, quantùm fieri poterit, notabimus.

Divisio vetus Ægypti Arabibus incognita.

CXXV. Vetustæ quidem divisionis Ægypti in Nomos, memoria prorsus obliterata est, nisi quòd illius vocis vestigium adhuc restat in epistolis encyclicis inter titulos Patriarcharum, dum se appellant *Archiepiscopos Alexandriæ & totius Ægypti, ejusque Nomorum.* Imò nec divisionis in Provincias & urbes, quæ in Notitia Imperii conservatur, nota supereſt. Ait quidem ex communi suorum opinione Makrizius *antiquitus Ægyptum tanto incolarum numero floruisse, ut centum quinquaginta tres regiones contineret: in quarum singulis, præter civitatem principalem, essent trecenti sexaginta quinque pagi, aut loci habitati. Post Nabuchodonosori tempora, octoginta quinque tantùm provincias seu regiones numeratas, imminutamque adhuc fuisse habitatorum multitudinem, usque ad Muhamedanos. Sub quibus in quadraginta provincias vicatim habitatas divisa fuit.*

In Descript. Ægypt. T. 1.

Nova secundùm Arabes.

CXXVI. Deinde alia divisio instituta est in Regionem Maritimam & Australem, ita ut prior mari Mediterraneo ad Septentrionem finiretur: Australis à Misræ seu Cahiræ finibus inciperet, usque ad Æthiopiæ limites, Austrum versùs, quæ viginti sex provincias complecteretur.

Digitized by Google

Eorum hæc ſunt nomina Charkiet, ſive Orientalis. Moznahiet : Dakahliet : Abuaniet : & territorium Damiatenſe : in parte Maritima Kowiſna : Garbiet ſive Occidentalis regio Semnoud : Denjahowa, Menouf, Sirahowa, Fua : Murahmaſin, Geziret bani Naſſer, Behiret, Alexandria & ejus ſuburbana, oraque Domſis. In tractu Auſtrali Gizet, Atfige, Baſour, Fium, Benhſa, Aſchmonin, Menfalout, Oſſiout, Echmim & Kous.

CXXVII. Aliam quoque diviſionem in Regiones ſeu provincias triginta, refert Makrizius, quam referemus, adjunctis quæ ad rerum Eccleſiaſticarum Notitiam attinent, quantùm ea obſervare potuimus. Alia diviſio ex Makriſio.

Fium urbs Epiſcopalis territorii celebris caput, ubi olim trecenti ſexaginta pagi, aut vici numerabantur, quod etiam memorat Ebn Werdi Geographus : tempore Makrizii centum quinquaginta ſex tantùm ſupererant. Sita eſt ſuper fluvium Joſephi dictum, qui in Nilum influit, & à Cahira diſtans tribus diætis, ſeu millibus paſſuum quadraginta octo ad Noto-Zephirum. Ex ea urbe quæ multis ædificiis nobilis fuit, balneis, Meſchitis, Scholis Arabicis, ut ſcribit Abulfeda, originem ducebat Rabbi Juda Gaon celebris apud Judæos autor verſionis Pentateuchi Arabicæ, quæ anno MDLI. Conſtantinopoli edita eſt. Ab autore qui vulgo *Fiumi*, hoc eſt Fiumenſis à patria dictus eſt, ipſa verſio ita appellata.

Menf & *Viſſim* quinquaginta quinque pagos aut vicos continent. *Menf* eſt antiqua Memphis, quod & nominis ratio ſatis demonſtrat: Μεφι ſcribunt Coptitæ, dicuntque eſſe Miſram antiquam, ut Abulfeda, Makrizius & omnes alii : à nova Miſra diſtat unius diei itinere. *Viſſim* celebris Epiſcopatus apud Jacobitas, multos illuſtres doctrinâ Epiſcopos habuit. *Vouchem* Coptitæ appellant.

Charkiet, quæ Orientalis eſt tractus illius maritimæ regionis, etiam *Atfigiet* dicitur ab urbe *Atfige*, quæ etiam Epiſcopalis fuit *Etbeh* à Coptitis appellatur pagos & vicos habet hæc regio ſeptemdecim.

Ahnas, octo tantùm pagos habet, *Hanas* vocant Ægyptii : & ſub regione Atfigiet comprehenditur : etſi duo ejuſdem nominis videntur loci fuiſſe : quorum unus cum aliquot ex eadem regione pagis, ad *Atfige* civitatem referretur, alter caput regionis foret. Namque ſtatim autor eidem tractui

Digitized by Google

Ahnas nonaginta quinque pagos, aut minores habitationes attribuit.

Behnſa, centum & viginti pagos continet: Urbs ſatis celebris in Thebaide, cujus territorium contiguum eſt Stagno, aut Piſcinæ, ut vocant, Fiumenſi. Sita eſt ad ripam Occidentalem Nili: ſecundùm Abulfedam. Chriſtum cum Maria, ea in regione, cùm in Ægyptum venerunt, habitaſſe, vulgarem Chriſtianorum traditionem eſſe, ſcribit Makrizius: quamvis idem de *Aſchmonin* ſcribant alii, inter quos Abuſelah Armenus. De ea multa leguntur quæ non ſunt inſtituti noſtri. Fuit urbs Epiſcopalis, imò & Metropolis; quandoquidem celebris eſt inter Coptitas & Æthiopes memoria S. Cyriaci Metropolitæ Behnſæ, cujus nomine extat Liturgia Æthiopica in Codice Romæ edito.

Kis, cujus territorio continentur pagi triginta ſeptem, quæ etiam urbs Epiſcopalis fuit, vicina erat Behneſæ ſecundum Makrizium, & aliquando ſub iiſdem limitibus comprehenſa, atque adeo in Sahide: inter primas urbes quas in ea provincia Arabes occupaverunt.

Taka totidem pagos complectebatur, habuitque etiam Epiſcopos: huic territorio adjungitur vicinum *Giz Chenouds* dictum, in quo pagi octo: à Senudæ Monaſterio in eo loco, cujus nomine notior apud Chriſtianos fuit, quàm à Kiſo Harethæ filio, ex primis illis zelotis Muhamedanis, qui eam in regionem arma intulit. Alia eſt urbs hujus nominis prope Farma.

Aſchmonin caput regionis, quæ centum triginta tres pagos continet: eſt autem urbs inter Sahidicas antiquitate & multis Arabum de ea narrationibus celebris. Epiſcopalem à multis ſæculis honorem inter Jacobitas habuit, & inter Epiſcopos à doctrina commendatus eſt præcipuè is, cujus teſtimoniis frequentiſſimè uſi ſumus, Severus filius Mocfah, qui aliorum autorum Hiſtorias in unum corpus collegit, quo Patriarcharum Hiſtoriæ prima pars continetur: & qui multa alia opera Theologica ſcripſit, adeo ut habeatur præ reliquis inſignis Theologus. Meminerunt urbis Aſchmonin tan-
Nº. 55. quam antiquiſſimæ in media Thebaide, Abulfeda & alii Geographi: ſitamque fuiſſe teſtantur ad Occidentalem Nili ripam.

Anſna ſequitur, urbs etiam Epiſcopalis, quæ duplicis re-

Digitized by Google

gionis caput fuit; ſuperioris, in qua pagi duodecim: inferioris, in qua undecim cenſebantur. Eam eſſe *Antinooupolim*, Coptitarum veterum opinio eſt, qui vocem *Anſna* reddunt per Ⲁⲛϣ. Eſt autem ſecundùm Abulfedam, in Sahide media, ad Orientalem Nili ripam, è regione Aſchmonin. In ea quoque ſupereſſe dicunt antiquiſſima omnis generis monumenta: ſed ex Arabum imperitia fit, ut neſciatur, an veteris illa ſint Ægyptiacæ ſuperſtitionis, an verò ad Chriſtiana tempora pertineant. Æque enim idola vocant ſacras imagines, & Hieroglyphicas vetuſtas, quæ, ut ex poſtrema Capucinorum relatione conſtat, in illis omnibus regionibus occurrunt paſſim in Obeliſcis, ſphingibus & aliis monumentis. Sunt quoque qui ad eam regionem referant traditionem incertam, ſed ab ipſis Muhamedanis conſervatam, quòd Chriſtus cum Maria matre, dum in Ægypto fuit, illic commoratus eſt, quamvis id alii *Benhſæ*: alii *Aſchmoninæ* tribuant: ex qua urbe profectos, ut redirent in Judæam ſcribit Abuſelah Armenus. Eam eſſe Antinooupolin etiam ex eo probat Golius, quòd latitudo 27. graduum, quam ipſi tribuit Ptolemæus, *Anſnæ* ſeu *Anſinæ* Arabes tribuunt: longitudinis meminiſſe ſupervacaneum eſt, cùm Abulfeda, cujus præ ceteris diligentia commendatur, varias tantùm diverſorum opiniones referat, adeo ut ſæpe uno, duobus, tribus & ampliùs gradibus inter ſe differant.

Kahkowa regio, triginta ſeptem pagos habet, eſtque etiam in Thebaide, de qua nihil ſingulare occurrit.

Echmim ſive *Ichmim*, ſexaginta tres pagos complectitur: urbs magna in Sahide ſuperiori, duabus ab Oſſiouta diætis diſtans, ex Abulfeda. Ibi veterum delubrorum inſignes reliquiæ, ſculpturiſque antiquis & columnis celebres ruinæ. Eam eſſe antiquam *Chemmim* de qua Herodotus & alii, probat Jacobus Golius, quæ eadem fuit cum *Panos*, ſeu *Panopoli*, ut ex loco Diodori Siculi, quem refert, probatur. Ita conſtat Gloſſariorum fides ubi *Echmim* reſpondet voci Πανος. In eo quod edidit Kircherus, ejus vocis loco legitur *Chmim*: & ea ipſa eſt Κμμις: nam, ut exponit Athanaſius Epiſcopus Kus in Grammatica Coptica ſua ſolent Ægyptii χ Græcum frequenter exprimere per literam quæ Arabum Schin ſimilis eſt, & ejuſdem poteſtatis. Neſtorium circa hanc urbem in exilio vitam finiviſſe, oſtendique ejus ſe-

Not. in Alfragr. p. 102. & 103.

Digitized by Google

pulcrum ſcribit Abuſelah. Multas quoque illic Eccleſias fuiſſe, probatur ejuſdem autoris teſtimonio qui uſque ad annum Hegiræ DLII. J. C. MCLVII. ſeptuaginta numeratas fuiſſe ſcribit. Ea urbs Epiſcopum habuit: & patria fuit celeberrimi, & doctiſſimi Canonum Collectoris & interpretis Abulfergii Echmimenſis.

Chaba & *Elwakhat*, ſexaginta tres pagos majores, præter minores continent. Eſt autem regio illa *Elwakhat* arenoſa & latè patens, ex altera Nili parte Occidentali, ſcilicet prope montem *Teilamoun*, qui ad eam ripam extenditur. Ea autem regione ſignificari Makrizius teſtatur, omne terrarum ſpatium à tractu Alexandriæ & Cahiræ, inter Sahid, Nubiam & Æthiopiam: & ejus initium provinciæ aſſignat ad terminos regionis *Aſuan*, Geographia Nubienſis. An Epiſcopi illic fuerint, affirmare non poſſumus.

Hou, viginti pagos continet: fuit hujus urbs Epiſcopalis ejuſque meminerunt Gloſſaria Coptico-Arabica.

Fana, ſeptem tantùm pagos complectebatur: Dendera, viginti. Ea eſt quæ in Nomenclatore Coptico Κερωει appellatur: habuit quoque ſedem Epiſcopalem.

Keft, viginti duos pagos amplectebatur. Eam eſſe *Copton* antiquam oſtenſum eſt in Diſſertatione de Coptitis, & lingua Coptica, in qua retulimus quæ de ea urbe ejuſque antiquitatibus potiora ſunt. Ibi adhuc ſupererant Eccleſiæ & Monaſteria tam virorum quàm mulierum in fine decimi tertii ſæculi, cùm ſcriberet Abuſelah Armenus, qui aliqua enumerat. Ea urbs Epiſcopalis erat, atque inter illius Antiſtites præcipuè commemoratur Vincentius, cujus habemus Profeſſionem fidei ſecundùm Jacobitarum ſententiam, & in ea inſigne teſtimonium de Euchariſtia. Memoria ejus occurrit in Kalendariis Copticis atque Æthiopicis: ſepulcrum prope Kus, in parietinis Eccleſiæ S. Mariæ, ut teſtatur idem Abuſelah.

Akſar, quinque tantùm pagos numerat: in Thebaide quoque memoratur alicubi ejus Epiſcopus.

Aſna, quinque pariter habet pagos: ad partem Nili Occidentalem, inter Aſſowan ſeu Syenem, & Kuſam media: Latonopolis, ut ex Gloſſariis conſtat, quæ eam Λατω appellant. Epiſcopatu inſignis fuit.

§. 48. *Arment*, ſeptem pagos Ερμωντ ſcribunt Coptitæ. Secun-

Digitized by Google

dùm Abulfedam in Nili litore occidentali, in Sahide superiori, duabus diætis ab Aſowana ſeu Syene, & totidem a Kuſa diſtans: *Hermonthis* veterum. Et quod intervallum Ptolemæus inter eam & Latopolin conſtituunt, unius nempe diei iter, idem inter Aſnam & Arment, Ebn-Jounes & alii Orientales ſtatuunt: fuit Epiſcopalis ea urbs.

Aſoüan in ſuperiori quoque Thebaide, ejuſque limes ſeptem quoque pagos continebat: Σύηνη vocatur in Gloſſariis Coptico-Arabicis. Ea *Syene* veterum eſt, non longè à Cataractis Nili, quod de iſta Strabo & alii Geographi Græci aut Latini, de illa Abulfeda, Nubienſis, Kazuinus, Perſa anonymus, & alii tradunt. Fuit olim etiam ibi Epiſcopalis cathedra. Atque his limitibus & urbibus continetur tota ſuperior Ægyptus, ſeu Sahid in qua pagos mille quadraginta tres fuiſſe præter minores, teſtatur Makrizius. In pleriſque autem urbibus, quas notavimus, & quæ illarum provinciarum vel regionum capita cenſebantur, erant Epiſcopi. Attamen plures omnino Epiſcopatus fuerunt in inferiori, quam in ſuperiori Ægypto.

In litore Orientali, cujus primariam urbem Abulfeda ait eſſe *Balbais*, pagi numerantur à Makrizio ſexaginta quinque: in ea autem urbe fuit Jacobita Epiſcopus. *Abulf. n°. 62.*

Athribæ ſubſunt pagi majores præter minores aliquot, centum & octo. Nota urbs ex variis autoribus Ἀθρίβις Græcis dicta.

Tenbia octoginta ſeptem pagos habet.

Nema centum & quinquaginta.

Beſta triginta novem.

Tarabia viginti octo, inter quos celebriores Sedir, Hahma & Phakou.

Farbeit decem & octo pagos, exceptis portubus, hoc eſt mapalibus od oram Maritimam.

Baſa & *Ablil* ſimul complectuntur pagos majores quadraginta ſex: inter quos recenſentur *Senhur*, *Farma*, & *Aricha*, ſeu *Lariſſa*, de quibus ſuperiùs dictum eſt, quæ urbes Epiſcopos habebant, etiam in Eccleſia Jacobitica: erantque in territorio illo quod ſpeciali nomine Eljefar appellatur & quinque urbes continebat *Farma*, *Bekara*, *Wurada*, *Ariſch*, ſive Lariſſam, & *Raſige*, regio arenoſa ſterilis, & viatoribus moleſtiſſima. In toto illo tractu oræ Orientalis

numerabantur pagi quingenti viginti novem.

In continenti regiones *Domſis* & *Menuf* centum & quatuor pagorum: duplex eſt autem *Menuf*, Ναυουφ Coptitis dicta, ſuperior & inferior. Cave autem ne *Memphin* cum Kirchero interpreteris in Nomenclatore: qui in ſupplemento ſe ipſum retexit, & utramque in Thebaide conſtituit, quod æque falſum.

Sakha centum quindecim pagos continet, abſque locis minoribus: in Nomenclatore duæ voces huic Arabicæ reſpondent Ζεος & Σχωϒ.

Baſda & *El-Afrahoun* viginti tres.

Baſcheroud, viginti quatuor: *Charoud* Coptitis, præter minores habitationes.

Auſia & *Bachoum*, ſeu Pacomii, à quodam fortaſſis Monaſterio quadraginta pagos continet.

Tanis & *Damiata* quarum utraque Epiſcopalis eſt tredecim.

In ora Occidentali, *Sa* ſeptuaginta tres pagos continet: *Sabaſch* viginti duos: *Badkoun* quadraginta tres, & ejus vallis decem & novem: *Charak* novem: *Berchout* octo: *Harbata* ſexaginta duos: *Kartaſa* viginti duos: *Meſil* & *Mekidaſch* quadraginta novem: *Achnou* & *Rechid*, ſive *Roſetta* ſeptemdecim: Alexandria Maræotis & vicinæ terræ, cum *Lubia* & *Marakia*, centum viginti quatuor: atque in toto illo tractu numerabantur pagi majores quadringenti quadraginta novem. Omnes porrò illas urbes & quæ ad earum ſitum & originem pertinent explicare, alterius operis foret: ſubjiciemus modò breviorem ex El-Koſſahio notitiam, quam etiam refert Makrizius, in qua uno quaſi conſpectu præcipua urbium & regionum nomina referuntur.

Alia diviſio. CXXVIII. Is Ægyptum dividit aliorum autorum exemplo, in ſuperiorem, ſeu Sahid, & inferiorem. In Sahide eſſe ait regiones viginti octo, quas ita recenſet. Fium: Menf ſeu Memphis: Wiſſim: Charkiet, ſive Orientalis: Dalas, & Abuſir, ſive Buſiridis: Ahnaſch, Kis, Behnſa: Takha, Giz-Chenuda: Boüit: Aſchmonin: cum Ahſna ſuperiori & inferiori: Kous ſeu Kuſſa: Oſſiout: Kahcowa: Echmim & Eldir: Hou: Dendera, Keft, Akſar: Aſna, Arment, Aſoüan: ſunt tantùm viginti ſeptem unde aliquam oportet diviſam in duas intelligi, niſi ſubſit error aliquis in codice.

Inferioris

Inferioris Ægypti regiones numerat vigintiquinque : etsi alii, inquit, plures numerent, nempe triginta tres. Littoris seu Oræ Orientalis : Athrib: Einchemes, sive Heliopolis : Atna & Nema : Besta & Tarabia : Farbeit: Missan : Farma: Arisch : Beten-el-cherif : Bana: Abusir : Semnoud & Bousa : Ausiet & Bachoum : Dakahla : Tanis : Damiata, Gesira, Domsis: Wahada, Tua : Menuf, Saca : Benda El-Amrajoun : Meira. Deïsa: Seroud: Sa : Chabasch: Badkoun, & vallis ejus : Elhis, Charack, Harbata, Kastata : Mesila, & Elmekidasch : Achna : Behira : Rechida : Alexandria, Mareotis : Lubia : Marakia : Ex regione Australi, Regio Montis Sinai : Pharan, Raba, Kolzum, Aila, Modaïn, & quædam aliæ ad Arabiam potiùs quàm ad Ægyptum pertinentes.

Huc usque urbium & regionum sub illis comprehensarum Notitiam qualemcumque dedimus ex Orientalibus Geographis. Eam verò perfectam dare non possemus, etiamsi, ut in quibusdam, suppeterent quæcumque ad eam illustrandam necessaria sunt, nisi prolixiori commentario, quem non pateretur instituti operis ratio. Igitur observationes quæ ad Pontificalis jurisdictionis exercitium spectant, aut ad Ecclesiæ Jacobiticæ amplitudinem paucis expediemus.

CXXIX. Ac primò quidem observabimus omnes illas urbes quas recensuimus, quod caput regionis essent, habuisse plerumque Episcopos : & quantùm ex lectione autorum Orientalium colligere nobis licuit, nulli alii erant in provincia minorum locorum Episcopi, præterquam in una aut altera. Nulli Metropolitæ erant apud Jacobitas, nisi duo postremis temporibus instituti, nempè Damiatensis in inferiori Ægypto, & Behnsæ in superiori. Illi verò suffraganeos habebant nullos, neque aliam videntur honoris prærogativam tulisse super alios Episcopos, nisi quòd, ut videtur, primum in conventibus Ecclesiasticis locum haberent, quamvis id planè incertum videatur. Nam in electionibus Patriarcharum, quorum habemus historiam, ex quo novus Metropolitæ Damiatensis titulus cœpit usurpari, nihil omnino nobis occurrit unde conjectura capi queat, illum reliquis Episcopis præsedisse vel in convocandis Comitiis ad electionem, vel in Ordinatione novi Patriarchæ, vel in suffragiis colligendis. In iis tamen versabatur autoritas Metropolitarum

Pleræque urbes habebant Episcopos.

Digitized by Google

qui alibi, ut dignitate, ita & autoritate in ejuſmodi functionibus anteibant, quod præſertim obſervatum videmus in Eccleſia Jacobitica Antiochena, & in Neſtoriana Modainenſi & Bagdadenſi.

Epiſcopatus novi à Jacobitis Ægyptiis nulli inſtituti.

CXXX. Epiſcopatus ita quibuſdam urbibus adjunctus erat, ut vix aliis, quàm quæ antiquitus Epiſcopos habuiſſent, illa dignitas conferretur; non, ut apud Neſtorianos fieri frequentiſſimè ſolebat, novi ſæpe inſtituerentur. Atque hac in parte diſciplinæ, cauſam quamdam veriſimilem habebant iſti, quòd nulla Orientalium ſectarum plures in remotiſſimis regionibus Eccleſias fundaverit, ubi Epiſcopos etiam conſtituere oportebat. At Jacobitæ Ægyptii in nulla, quòd ſciamus, Alexandrinæ Diœceſeos parte Chriſti fidem primum Barbaris annuntiaverunt, ſed eos tantùm, ſicut erga Nubas & Æthiopes factum eſt, ab Eccleſia Catholica avulſos ad ſuam hæreſin tranſtulerunt. Nullum igitur novum Epiſcopatum à Jacobitis in Ægypto inſtitutum legimus: & ſi quis omnes illas urbes, in quibus Epiſcopos fuiſſe diximus, ſecundùm Geographiæ & Hiſtoriæ monumenta ad ſuas origines vetuſtas referat, illas ipſas eſſe quæ ante ſchiſmata talem Cathedræ honorem habuerint, aut vicinas antiquis fuiſſe ad quas Eccleſiæ tranſlatæ ſint, plerumque agnoſcet.

In inferiori Ægypto plerumque duo Epiſcopi.

CXXXI. In inferiori Ægypto Epiſcopi, ut in plurimis aliis provinciis, duo erant ad urbes ſingulas, Orthodoxus & Jacobita. Ita Alexandriæ duo Patriarchæ fuere; duo quoque Cahiræ ſeu Miſræ Epiſcopi, ſicut toto paſſim Oriente, ubi etiam aliquando tres fuere, ut in multis Meſopotamiæ urbibus, quia præter eos, erant etiam Neſtoriani. In ſuperiori provincia, ſive Thebaide, Jacobitæ ſoli Eccleſias obtinebant, neque ulla prorſus illis in urbibus, quas enumeravimus, Melchitarum ſeu Orthodoxorum veſtigia: quia, ut non uno loco dictum eſt, in longiſſima ſedis Alexandrinæ orbitate, quamdiu Catholicos Epiſcopos non habuit, omnes primi & ſecundi Ordinis Eccleſiaſtici ad eas Eccleſias miſſi, cum ab Hæreticis ordinationem accepiſſent, hæreſi quoque ſua eas infecerunt.

Epiſcoporum ordinatio & deſignatio ad Patriarcham ſpectabat.

CXXXII. Porrò omnium, quos diximus, Epiſcoporum Ordinatio ad ſolum Patriarcham ſpectabat, neque alii comprovinciales Epiſcopi, aut in vacantibus ſedibus eos conſti-

Digitized by Google

tuere, aut illis manus imponere poterant. Insigne istius autoritatis argumentum præbet Historia Patriarchalis in longa illa vacatione, quæ Ordinationem Cyrilli F. Laklaki anteceſſit, factam anno J. C. MCCXXXV. Nam in ejus vita ſcribitur, eum ſtatim ordinaſſe Epiſcopos plus quàm quadraginta, quia ſcilicet per annorum viginti & ampliùs intervallum, nullus ab iis qui ſupererant ordinatus fuerat.

CXXXIII. Plena autem prorſus & nullis Canonibus circumſcripta autoritas Patriarcharum fuit, in illis deſignandis, non primorum ex plebe, non Cleri ſuffragia expetebantur. Unicum ferme occurrit exemplum electionis Epiſcopi Miſræ à civibus factæ, per ſortem Eccleſiaſticam, ad quam tamen non priùs adjecerunt animum, quàm facultatem habuiſſent à Patriarcha Macario LXIX. Hinc ſumma & pernicioſa licentia ortum habuit ordinandi quemcumque liberet: tum etiam nefaria conſuetudo pecunias exigendi, quæ licet variis canonibus & ſynodicis conſtitutionibus ſæpe compreſſa, nunquam tamen omnino aboleri potuit. Cum plena autoritate.

CXXXIV. Poteſtatem quoque in Monaſteria Patriarchæ habebant ampliſſimam, & quamvis ex jure communi nullæ apud Orientales exemptiones Monachorum fuerint, ſed omnes Epiſcopum Diœceſanum ſuperiorem agnoſcerent, tamen Patriarchæ, dum omnem autoritatem ad ſe trahere conarentur, ſæpe Monachorum negocia ad ſuam Cellam evocaverunt, & privilegia quædam ipſis conceſſerunt, eorumque curam Vicariis delegatis commiſerunt. Sed hæc rara exempla fuerunt: communis regula, ut Monachi & Monaſteria in Epiſcoporum poteſtate forent. Attamen ſingulare privilegium fuit Monaſterii S. Macarii, ut ſolus Patriarcha in illud jus haberet. Facilè illud privilegium Patriarchæ ratum habuere, eo quòd plerique ex eo aſceterio ad ſupremam dignitatem aſſumebantur: tum quòd in eodem ſæpe commorabantur, præcipuè per Quadrageſimam, ut orationi & jejunio impenſiùs vacarent: tum quòd ad majus altare à Benjamino Patriarcha dedicatum, Chriſma quotannis Feria V. in Cœnæ Domini conſecrare ſolerent, ut Abulbircat & alii obſervant, conſtatque non paucis exemplis ex Hiſtoria Patriarchali: Ordinationes quoque illic celebrabant. Ex aliquot verò ſæculorum conſuetudine leges factæ ſunt, ad dignitatem iſtius Monaſterii confirmandam, adeo ut jura Autoritas in Monaſteria.

Digitized by Google

propria habuerit, adversùs quæ nihil ipsi Patriarchæ liceret. Ejusmodi fuere prærogativa suffragii ad electionem Patriarcharum, quam habebant Archimandritæ, adeo ut Epistolis systaticis & Psephismatibus subscriberent: quod post Ordinationem Alexandriæ factam, aut saltem Εὐθεγνιομὸν, primam in Ecclesia S. Macarii Liturgiam celebraret, & in ea proclamaretur: tum ut certis solemnitatibus, illic officia divina perageret. Minimum autem erga Monachos illos poterat, quia postmodum *Sigilla*, hoc est Sultanorum literas obtinuerunt, quibus jura & consuetudines suæ servarentur. Erat tantùm antiquitus, atque etiamnum, ut existimamus, supereſt, jus Patriarchæ, ut ex fructibus Monasterii istius & aliorum, ut etiam Christianorum oblationibus, partem quamdam perciperet ad communes pro publica omnium sibi subjectarum Ecclesiarum utilitate impensas tolerandas. Vectigal illud *Diariet* appellatum legimus: & aliquando *Dinariet*: an vitio scriptorum hæc diversitas tribuenda sit, affirmare non possumus. Si primam sequi lectionem placet, idem erit ac *Monasteriale vestigal*, nempe quod ex singulis Monasteriis capiebatur: quo etiam nomine exigebatur, ab Episcopis & Ecclesiis: si secundam sequimur *Denarialem* interpretari licebit, qua Denarius aureus unus capitatim olim à Monachis & plerisque Christianis pendebatur: & sub Principibus non incommodis, committebatur colligendæ pecuniæ cura Episcopis, qui eam ad Patriarcham deferebant, ipse verò fisco repræsentabat. Ea occasione exigebant censum illum suum, avarè sæpius & duriter. Hinc aliquando calumniæ aut accusationes contra Patriarchas variæ, carceres, mulctæ, omnisque tandem disciplinæ eversio.

Vita Gabrielis 57.

Exactio pecuniarum simoniaca.

CXXXV. Ex Episcopatuum fructibus conati sunt nonnulli aliquam partem retinere, quæ quotannis ab Episcopis persolveretur. Verùm obstiterunt alii; atque hæ exactiones magnum sæpe malum avaris illis Patriarchis accersiverunt. Nam pecuniarum pro Ordinationibus acceptio aut exactio, etsi perpetua quædam fuit Ecclesiarum Orientalium à multis sæculis calamitas, quam Arabum tyrannis majorem in modum auxit, & confirmavit, semper tamen Canonibus, Constitutionibusque Synodalibus condemnata est. Mirum tamen quòd tot sæcula hujus culpæ fœcundissima, vix ullum exemplum subministrant vindicatæ per Simoniacorum depositio-

Digitized by Google

nem Ecclesiasticæ disciplinæ. Cyrillus Laklaki filius, de quo mox dictum est, quadraginta, brevi temporis spacio ordinavit Episcopos, omnes acceptâ pecuniâ: graves inde adversùs eum querelæ exarserunt, multis qui in Ecclesia Jacobitica plurimùm poterant ejus depositionem à Sultano postulantibus: neque ipse tamen, neque Simoniaci Episcopi dignitate spoliati sunt.

Translationes Episcoporum nullæ.

CXXXVI. Translationes Episcoporum quod attinet, etsi supremam etiam contra Canones autoritatem sibi attribuunt Orientalium Ecclesiarum Patriarchæ, adeo ut quæcumque ipsi statuunt, jure facta videri velint, rarissima tamen aut ferme nulla earum exempla in historia reperimus. Nempe cùm ex laudanda disciplinæ tenacitate, nunquam Episcopum alterius sedis ad primariam Alexandrinam transtulerint, non committendum duxerunt, ut quòd publicæ utilitatis specie non licebat, ob privata alicujus commoda permitteretur.

Autoritas in Episcopos.

CXXXVII. Autoritas in Episcopos, qualis Patriarchæ jure competat, multis antiquis Canonibus præscriptum est, quos habent Coptitæ in suis Collectionibus integros, & quos sub diversis titulis referunt Collectores & Interpretes Ebnassalus, Echmimensis & alii. Tamen summo disciplinæ ab antiquis Patribus stabilitæ contemtu, nonnulli Patriarchæ, suspensionum, interdictorum, imò excommunicationis sententias, sæpe temerè adversùs Episcopos tulerunt, ut adversùs Sanhutum Episcopum Misræ, Michael Patriarcha LXVIII. quæ tamen, ut ea occasione, plebe intercedente & ad sæcularia judicia provocante, irritæ sæpius fiebant. Postea major fuit cautio adhibita, ne temere Episcopi, aut etiam Laici excommunicarentur, quia nonnulli ex desperatione fidem abnegabant. Unde in diversis Constitutionibus Synodalibus posteriorum Patriarcharum vetitum est, ne quisquam absque causa gravissima excommunicaretur: præsertim verò ob temerariam & impudentem Cyrilli F. Laklaki ambitionem, qui omnia suo arbitratu, quasi legibus Ecclesiasticis solutus turbabat, Episcoposque sibi resistentes anathematis metu coercebat, statutum est, ne Episcopus præterquam ex gravi causa abstineretur, frænataque est per Canonum antiquorum renovationem nefarii hominis protervia. Is cùm etiam translationes Episcoporum moliretur; tum etiam in-

vito Clero & præcipuis Laicis quarumdam urbium reluctantibus, Epiſcopos conſtitueret, definitum eſt, id Patriarchæ non licere, propoſitâ depoſitionis pœnâ, in eos qui abſque ſumma neceſſitate ab una ſede ad aliam transferrentur : aut qui invita plebe loci, Epiſcopatum obtinerent. Hæc fuſiùs à nobis expoſita ſunt in vita Cyrilli & alibi. Cæterùm autoritas deponendorum Epiſcoporum penes Patriarcham erat : neque enim Synodorum ad ejuſmodi judicia requirebatur convocatio, quæ ſub Infidelium regno difficilis erat, multiſque periculis obnoxia. Yuçab ſive Joſeph LII. Epiſcopos Iſaacum Taneos, & Theodorum Miſræ, de multis criminibus accuſatos depoſuit, & alios eorum loco ordinavit, poſt annum J. C. DCCCXXXVII. Sed rariora deinde exempla fuerunt, quia homines audaces & ad omne ſcelus parati, quæ in leges Eccleſiæ peccaverant, autoritate Principum aut excuſare, aut ſaltem impunita eſſe conabantur, aut Patriarchis falſas accuſationes intentabant, qui idcirco moderatiores erant, imò & ſæpe ſegnes ad ea ſcelera vindicanda.

Diſpenſationes. CXXXVIII. Ex eadem autoritate Patriarchali, ſecundùm quam nihil ſibi non licere exiſtimabant, ſummam ſæpe indulgentiam præferebant, circa diſpenſationes quaſdam, præſertim erga eos qui ſacris Ordinibus erant initiandi. Nam cùm ſecundùm Canones, nati ex parentibus non liberis, aut ex ſecundis nuptiis, aut qui ſervitutem ſerviiſſent, aut ſpurii, vel qui aliquâ natalium infamiâ laborarent, ad ſacerdotium non admitterentur, fuerunt tamen inter Patriarchas nonnulli, qui tales homines ordinarent, quaſi ex plenitudine poteſtatis. Illi quidem deponi ab omni Eccleſiaſtico gradu debuiſſent, attamen ſupremæ illius, quam in ſuis Patriarchis ſuſpiciunt, autoritatis ratione habita, proviſum quidem fuiſſe legimus, ne tales deinde Ordinationes fierent, at qui ita ordinati fuerant, in ſacerdotio permanſerunt. In reliquis ſi quid contra Canones fieret, quamvis male factum, valebat apud eos tamen. Aliarum diſpenſationum nulla prorſus exempla reperiuntur, niſi rariſſima, ut cùm nobili cuidam Jacobitæ, duo Epiſcopatus dati ſunt Iſaaco F. Andounæ Viſſim & Miſræ, præter Canones & communem conſuetudinem. In pœnitentia imponenda & relaxanda, quamdiu vetus diſciplina apud Coptitas perſeveravit, nihil Patriarchæ juris fuit, præter Epiſcopi proprii ſententiam.

Digitized by Google

CXXXIX. In alios Patriarchas nullum quoque jus aſſumebat, quamvis reliquos anteiret, de iis loquimur qui erant in eadem ſecta Jacobitica; nempe Antiocheno, & eo qui dicebatur Armenorum. Erat inter eos communio, de qua jam dictum eſt ſuperiùs, ad quam ſignificandam & redintegrandam, novi Patriarchæ communicatorias literas mittebant, Antiocheni Alexandriam, Alexandrini Antiochiam; verùm honoris tantùm gratiâ & fidei conteſtandæ: nam neque Antiochenorum legatos interfuiſſe legimus in Synodis Ægyptiacis, neque Ægyptios in Antiochenis: neque etiamſi inter utramque Eccleſiam eſſet integra conformitas fidei & diſciplinæ, ſi quid adversùs alterutram peccaretur, alterutri emendare ſatagebant. Hinc cùm eſſent apud Antiochenos nonnulla quæ Alexandrinis Jacobitis diſplicebant, & ſuperſtitioſa vel omnino prava videbantur, neutra tamen Eccleſia, jus ea emendandi aſſumebat, ſed aliam errare ſinebat, nec tamen communionem abrumpebat. Inſigne habetur exemplum in vita Chriſtoduli LXVI. ordinati circa annum I. C. MXLVII. Is enim cùm Miſræ Sacra celebraret in Eccleſia S. Mercurii, & Syrus quidam primarius Sultani Archiater, Oblatam pro more ad altare detuliſſet, rejecit eam Chriſtodulus, eo quod juxta Syrorum conſuetudinem, oleo & ſale miſta erat. Scripſit præterea ad Joannem Patriarcham Antiochenum adversùs hunc ritum, qui tamen ejus querimonias inſuper habuit: & quantùm conjicere poſſumus, Apologiam ſuæ Eccleſiæ edidit, repertam à nobis in Colbertino, & aliis Codicibus. Ita nihil ſibi juris alteruter in alium vindicavit, etiam cum de ritu ageretur, quem niſi damnaſſet Chriſtodulus, Syrum à communione non repuliſſet. Aliud majoris momenti occurrit, non ſub uno, ſed ſub aliquot Patriarchis, circa Confeſſionis peccatorum uſum & neceſſitatem. Joannes F. Abugaleb, & Marcus F. Zaraæ, eam negligi à ſuis Coptitis ſiverant, imò Michael Damiatenſis Metropolita, inſulſum de Confeſſione abolenda, commentarium ediderat. Eo ipſo tempore Michael Antiochenus Jacobitarum Patriarcha, opus eximium ſcripſit de præparatione ad Euchariſtiam, in quo paſſim, nec uno loco, diſputat adversùs eos qui peccatorum Confeſſionem omittendam exiſtimabant, & aliquando Coptitas deſignat: neque tamen ipſe Alexandrinos à communione removit, neque Alexandrini de eo con-

Qualiter Alexandrini ſe geſſerint erga alios ſuæ ſectæ Patriarchas.

Digitized by Google

queſti ſunt, aut in Antiochena Eccleſia damnaverunt doctrinam quam in Marco filio Elkonbari anathemate ferierant, ſed ſimulatam communionem ſervabant, cùm in rebus maximi momenti diſſentirent. Unde etiamſi non eſſet manifeſtus earum Eccleſiarum error, vel ex ea diverſitate ſatis convincerentur eas eſſe extra Catholicam unitatem & veram Eccleſiam, cujus, ut ait Irenæus, *prædicatio vera eſt & firma, apud quam una & eadem ſalutis via univerſo mundo oſtenditur, cùm ipſi hæretici, qui ſe plus aliquid præter veritatem invenire putant, multiforme facientes iter, de iiſdem non ſemper eaſdem ſententias habuerint.* Illæ verò non adeo altas radices egiſſent, ſi non ſeparati à reliquis; præſertim verò à Petri ſede, omniumque reliquarum Eccleſiarum communione, ſimul cum unitatis vinculo & Apoſtolicæ ſucceſſionis linea, autoritatem quoque legitimam Patriarchalium ſedium amiſiſſent, quæ ad coercendas novitates, & ad veterem diſciplinam retinendam, ut olim ita & tunc valuiſſet, cùm ſejuncti Patriarchæ à Catholicæ Eccleſiæ corpore nihil omnino præſtare hoc in genere potuerint.

l. 5. c. 19.

Depoſitionis Patriarcharum Alexandrinorum nulla exempla.

CXL. Ea etiam cauſa fuit, cur ſcelerati Patriarchæ, qui publicam Sacerdotii & Epiſcopatuum nundinationem turpiter exercebant, nulla Eccleſiaſtica autoritate coerceri poſſent, atque ita in prava ſua conſuetudine perſeverarent. Sunt apud Neſtorianos exempla depoſitionis aliquorum Patriarcharum, at inter Coptitas nulla ſunt. Ultimus eorum quorum habemus hiſtoriam, Cyrillus Laklaki filius de ſimili ſcelere poſtulatus fuit apud Sultanos Adelum & Camelum ejus filium Yubidas, Salaheddini ſucceſſores, urgentibus Jacobitarum primariis, ut more majorum redigi in ordinem poſſet. Verum cùm juſſi fuerunt edicere, num permitterent leges Chriſtianorum, ut ſupremus eorum Antiſtes ab Epiſcopis dignitate inferioribus deponeretur, negaverunt: atque ita vir nefarius dignitatem ad finem uſque vitæ retinuit. Majorem ſibi aliquando autoritatem ſumſerunt Jacobitæ Antiocheni, dum Iſaacum Harranenſem Epiſcopum, quem Califa Patriarcham eſſe juſſerat, ſuſcipere renuerunt, quia id ſecundùm Canones non licebat, qua de re dictum eſt in Hiſtoria Alexandrina. Depoſitiones quidem Patriarcharum in Eccleſiis Orientalibus jam frequentiſſimæ ſunt, ex quo inſignis & Arabica ſuperior Turcarum dominorum avaritia

Digitized by Google

ritia occaſionem quotidianis propè Antiſtitum, præcipuè Græcorum mutationibus dedit. Cùm enim nemo dignitates illas niſi per largitionem adipiſcatur, qui plus pecuniæ fiſco inferre pollicetur, is non modò competitoribus præferri apud eos ſolet, ſed etiam niſi eadem aut major à jam conſtitutis Patriarchis numeretur, dejici eos conſuetudo eſt. Itaque nihil frequentius, quàm tales depoſitiones, quæ ut plurimum magno Eccleſiarum detrimento in eos cadunt, qui moribus & doctrinâ reliquos antecellunt. Coptitæ, quia Græcis pauperiores, minùs huic calamitati ſubjacent, eam tamen aliquando non effugiunt. Neque enim apud Turcas præfectos, valent magis antiquorum Califarum aut Sultanorum Diplomata, quæ Chriſtianis leges ſuas Eccleſiaſticas confirmabant, adeò ut qui ſecundùm eas electi ad ſupremam dignitatem forent, rata eſſet eorum electio & ſtabilita autoritas: quam ipſæ illæ leges Eccleſiaſticæ, quarum beneficium Chriſtiani non minùs Arabum tyrannide, quàm propriis ſuis peccatis amiſerunt.

CLXI. De reditibus Eccleſiaſticis qui ad Patriarcham ſpectant, dicere inutile eſt: omne enim antiquum Eccleſiæ Alexandrinæ patrimonium, ut & reliqua Eccleſiarum bona Muhamedani devoraverunt. Quaſdam domos, hortos & fundos qui ad Eccleſiam ſancti Marci ſpectabant, Chail II^us. qui inter Patriarchas LVI^us. fuit, ut aureorum viginti millia repræſentaret fiſco, diſtraxit: unde annuam aureorum mille penſionem Alexandrinis ſe & ſucceſſores ſuos ſoluturos promiſit, quæ poſtea ad mediam partem redacta eſt. Ita à multis ſæculis nihil habent Patriarchæ præter oblationes & cenſum illum quem à Chriſtianis ſibi ſubjectis percipiunt: & ſi quæ neceſſitas ingruat, ad ſimoniam deceſſorum ſuorum exemplo confugiunt. Joannes Michael Vanſlebius, qui ante annos aliquot de Coptitarum rebus Commentarios diverſos edidit, in eo qui eſt de ſtatu hodierno rerum Ægypti ex aliquorum relatione, ſcribit Patriarcham percipere ex annuis fructibus viginti circiter Talerorum millia, quod tamen incredibile ſibi videri non diſſimulat, nec immeritò: neque enim cùm florentiſſimæ fuerunt Jacobitarum res, eâ videntur opulentiâ fuiſſe, ut eorum Patriarcha, tantam etiam malis artibus pecuniam colligeret.

Adjungit autor idem, Patriarcham Cahiræ jam dudum habitare, cum Alexandriæ Coptitæ pauciſſimi ſuperſint, eorum-

que habitationes fermè deſtructæ ſint. Domum ejus Cahiræ eſſe in vico dicto Haret Zoüilet, cujus frequens apud autores memoria eſt, prope Eccleſiam B. Mariæ nomine dicatam: aut Miſræ quæ vetus Cahira eſt degere, in vico qui hinc appellatur *Haret-el-Batrak*, hoc eſt vicus Patriarchalis: ubi eſt Eccleſia ſancti Mercurii: aliquando in Monaſterio D. Georgii in Miſræ ſuburbio, aut Gizæ ultra Nilum. Aſſumi eum teſtatur ex Ordine Monaſtico & eum qui anno 1664. in vivis erat, fuiſſe Aſcetam profeſſum ex Monaſterio ſancti Macarii. Cùm autem ait ipſe multorum aliorum exemplo eligi Patriarcham ex Ordine ſancti Antonii, id vulgò à noſtris hominibus ità intelligitur, ac ſi eſſent apud Orientales quemadmodum apud nos, familiæ Monaſticæ regulis inſtitutiſque diſſimiles, quod verum non eſt. Omnes enim ſub una & eadem regula vivunt, dicunturque filii ſancti Antonii, quia fuit ille, ut omnes ſciunt, vitæ Cœnobiticæ pater. Reliqua quæ idem Wanſlebius refert, de eo quem in Ægypto vidit Patriarcha Mathæo, ejus victu, veſtitu & ſumma ſimplicitate, plane conveniunt cum iis quæ huc uſque ex Coptitarum diſciplina retulimus.

De ſequenti Officio Monitum.

ORdinationis Patriarchæ Alexandrini Officium repræſentavit nobis Codex Coptico-Arabicus Seguieriana Bibliothecæ integerrimus, cujus verſionem ſubjicere viſum eſt, quia omnia quæ de Patriarcharum Alexandrinorum Ordinatione paſſim in Hiſtoria illorum, & in præcedenti Diſſertatione obſervata ſunt, egregiè confirmat. Cum verò Codex non videatur annis centum, aut paulo amplius, vetuſtior, formam diſciplinæ quæ apud Coptitas adhuc viget, illo contineri certiſſimum eſt. Inde ſequitur illam ut à nobis deſcriptæ eſt ex variis autoribus, hodiernæ eſſe ſimilem & eamdem eſſe quæ antiquis Coptitis uſurpata eſt; atque ex illa rectius de illorum Ordinationibus judicari, quam ex tot peregrinorum & Autorum qui de hæreſibus ſcripſerunt relationibus. Cum verò typorum defectu textum, ut vocant, originalem exhibere non poſſimus, ea quæ Græcè in hujus Officii ſerie dicuntur inſeruimus.

RITUS ORDINATIONIS ALEXANDRINI JACOBITARUM PATRIARCHÆ.

Eligetur à Synodo Episcoporum & ab universo populo, secundùm voluntatem Spiritus sancti : eritque absque macula : sapiens, castus, mitis, modestus, humilis, non cogitans ea quæ sunt mundi, non amans pecuniam, inculpatus, & absque livore. Erit etiam amator pauperum, perituſque scripturarum, & mysteriorum Dei : bonus, non immiscens se negociis hujus vitæ : solitariæ vitæ addictus, præparatus omnibus operibus bonis, tanquam designatus ad Ordinem Dei excelsi. Erit etiam ætatis mediæ. Clerus & populus testimonium dabunt bonæ ejus conversationis, conficientque ejus causa Psephisma, *sive instrumentum secundùm Canones. Erit Ecclesiasticus, virgo, absque reprehensione, & habebit partem in sacrificiis. Si non est ordinatus Sacerdos ; ordinabitur : postea fiet Hegumenus, & benedicetur eodem die. Si non fuerit Monachus, fiet : recitabunturque super eum omnes orationes Schematis, seu habitus Monastici. Induent eum vestitu omni Angelico : thorace, cuculla, & zona schematis pelliceâ, super renes ejus, & pallio : tum ita relinquetur usque ad diem Dominicam.*

Ante hæc omnia vocabuntur Patres duo, ex tractu Maritimo & Australi, nempè primus Episcoporum tractus Maritimi & primus eorum qui in Australi, neque ullus præter eos manum ipsi imponet. Si unus eorum infirmitate detentus adesse non possit, consentire se cum Synodo manus suæ subscriptione testabitur : & qui eum proxime sequitur, vices ejus supplebit in omnibus.

Similiter convenient omnes Episcopi, & qui adesse non potuerit, subscriptione consensum suum testabitur. Ordinatio ejus fiet die Dominico.

Cum vocatur, constringetur vinculis, & deducetur summo mane ad Ecclesiam Angelii, quæ est Alexandriæ : ibi omnes congregabuntur, dicentque Canonem Psalmodiæ, Doxologiam, Evangelium & Orationes pacis. Deinde incipient Liturgiam & tunc

ſolvent vincula ex pedibus ejus. Poſt lectionem ſcripturarum tempori convenientium, Epiſcopi & Clerus omnis paramentis ſuis induentur. Finita vero Actuum Apoſtolicorum lectione, Archidiaconus alta voce clamabit: O Epiſcopi.

Tum exeunt ex Diaconico, circumeuntes medium Eccleſiæ, & ita procedunt uſque ad altare: proceditque primo ſenior Epiſcopus, & poſt eum reliqui omnes Epiſcopi, unuſquiſque in ordine ſuo: ultimuſque omnium Electus, indutus ſtichario ſolo: & mantile habens circa collum: duoque Sacerdotes tenent eum hinc & inde, caputque inclinatum habet, & eum ſequuntur Sacerdotes omnes juxta ordinem ſuum. Archidiaconus protegit latus ſenioris Epiſcoporum, & præit eos is qui defert Evangelium coram eis: Sacerdoſque incenſat coram omnibus. Diaconi coram eis ferunt cruces & cereos accenſos, & Cherubinorum imagines, ſeu flabella & canunt ordinatim coram Evangelio ſancto dicentes.

Unigenitus Filius & Verbum Dei immortale qui propter noſtram ſalutem ſuſtinuit carnem ſumere, ex ſancta Deipara & ſemper Virgine Maria, ſine ulla mutatione, homo fieri & crucifigi, Chriſte Deus qui morte mortem conculcaſti; qui unus es Trinitatis ſanctæ, conglorificatus cum Patre, & Spiritu ſancto: ſalva nos.

Ὁ μονογενὴς υἱὸς, καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ἀτρέπτως ἐνανθρωπῆσαι, καὶ σταυρωθῆναι, Χριστὲ ὁ Θεὸς, θανάτῳ θάνατον πατήσας· εἷς ὢν τῆς ἁγίας Τριάδος, συνδοξαζόμενος τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς.

Inclinabunt ſe coram altari ſancto.

Senior Epiſcoporum ſedebit ſuper Synthronum & reliqui Epiſcopi ſedebunt circum eum, hinc & inde, juxta ordinem ſuum. Presbyteri & Diaconi omnes ſtabunt inferius: populus omnis ſtabit in ſilentio. Electus ſtabit infra gradum Synthroni facie ad Orientem converſa, & genua flectet, ſimulque duo Presbyteri eum tenentes. Poſtea ſenior Epiſcoporum dabit Pſephiſma ſuum, uni Diaconorum qui legere probe ſciat, quique aſcendens ad ambonem, illud leget. Idem autem eſt quod prius in charta ſcriptum fuerit à Notario Synodi, quodque ſecundùm morem perſcriptum fuerit antequam venirent ad Eccleſiam. Et poſt Pſephiſma lectum pronunciatur hoc elogium.

Digitized by Google

Οἱ ἀπὸ τῆς φιλοχρίστου καὶ μεγαλοπόλεως Αλεξανδρείας καὶ τοῦ νόμου αὐτῆς, λίαν φιλοπάτορες ὄντες, καὶ μὴ δυνάμενοι τῷ τῆς ὀρφανίας πένθει ἐμμεῖναι, ἀλλὰ προθύμως ἐπὶ τὸ αὐτὸ συμβούλιον ποιησάμενοι, τὸν ἐξητῆσαι ἑαυτοῖς πατέρα ἔσπευσαν. Ὅθεν συναχθέντων τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων, καὶ θεοσεβεστάτων πρεσβυτέρων, καὶ θεοφιλεστάτων διακόνων, ἅμα καὶ τῶν εὐλαβεστάτων μοναζόντων, ὀνομάστων ἡγουμένωντε, καὶ πάντος τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ τῆς τῶν Αλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ πάσης τῆς κάτω Αιγύπτου χώρας. Καὶ ὁμοθύμαδον γενόμενοι καὶ σπουδὴν παρ' αὐτοῖς πᾶσαν παρεισενέγχαντες, καὶ πανταχόθεν ἔρευναν ποιησάμενοι, τοῦ εὑρεῖν τὸν ἀξίως ὀφείλοντα ποιμαίνειν ἡμᾶς, καὶ κρατῆσαι ἐν νομῇ ἀγαθῇ καὶ ἐν τόπῳ πίονι. Ὅθεν καὶ ἐκτενῶς ἐπικαλεσαμένων ἡμῶν τὸν παντεπόπτην Θεὸν, τὸν παραστῆσαι ἡμᾶς τὸν ἀξιώματος τοῦτο ὀφείλοντα, ὑπέδειξεν ἡμῖν, ἰδεῖν εἰς τὸν Δ. τὸν θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ εὐλαβέστατον μονάζοντα, τοῦ εὐαγοῦς μοναστηρίου Δ. τοῦτον οὖν τὸν καταστῆσαι αὐτὸν ἀρχιποίμενα, καὶ ἀρχιεπίσκοπον, καὶ προκαθημένον ἐπὶ τῆς διαδοχῆς τὸν εὐαγγελικοῦ θώκου, τὸν θεσπεσίου Μάρκου τὸν θεορρήμονος καὶ Ἀποστόλου,

Cives magnæ urbis Alexandriæ Christum amantis, & ejusdem Nomi, cum Patrum suorum amantissimi sint, & in orbitatis luctu diutius remanere non possent, libenter & ex animi sui sententia consilium inter se habuerunt, & expetere sibi patrem festinarunt. Unde congregatis sanctissimis Episcopis, & religiosissimis Presbyteris, simulque Dei amantissimis Diaconis, piissimisque Monachis, celeberrimisque Hegumenis, omnique Christum amante populo magnæ urbis Alexandrinorum, & omnis regionis Ægypti inferioris, unanimi consensu, magno studio adhibito, quacumque potuerunt, quæsiverunt eum reperire qui digne deberet pascere nos, & tenere in bonis pascuis & in loco uberi. Unde cum intente invocassemus omnia perspicientem Deum, ut exhiberet nobis eum qui huic dignitati esset idoneus, designavit nobis ut oculos conjiceremus in N. religiosissimum Presbyterum & piissimum Monachum, inclyti Monasterii N. utque eum constitueremus summum Pastorem & Archiepiscopum, qui sederet per successionem in throno Evangelico admirandi Marci, divina locuti, &

Apostoli, ad confirmationem, & reformationem sanctarum Dei Ecclesiarum, de quo testimonium habitum est, in locum Abba N. qui in pietate defunctus bonam sui memoriam reliquit, & ad Deum migravit. Super hunc igitur ut videtis per canonicam precem, divinam potestatem invocantes, advenire sancti Spiritus operationem exspectamus. Orate igitur simul omnes qui adestis, ut super eum adveniat donum cœlestis vocationis, & gratia sanctissimi Spiritus. Dicamus omnes. Kyrie eleïson.

εἰς σύστασιν καὶ διόρθωσιν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ὅστις ἐμαρτυρήθη, αὐτὸ Αββα Δ. τῶν ἐν ὁσιότητι τὴν μνήμην ληξάντος, καὶ πρὸς Θεὸν ἐπιδημησάντος. Τοῦτον, οὖν ὡς ὁρᾶτε, διὰ τῆς κεκανονισμένης εὐχῆς, τὴν θείαν δύναμιν ἐπικαλεσάμενοι, τῶν ἐπιφοιτῆσαι ἐπ' αὐτὸν τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνέργειαν ἀπεκδεχόμεθα, Συνεύξασθε οὖν πάντες οἱ συμπάροντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ δωρέα τῆς ἐπάνω κλήσεως, καὶ ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ. Εἴπωμεν πάντες. Κύριε ἐλέησον.

Tunc descendent Episcopi ex Synthrono, & stabunt coram altari, & adducitur qui ordinatur Patriarcha: & genua flectet super gradus altaris. Reliqui stabunt in timore & silentio, corde humili, orabuntque in timore & quiete.

Senior Episcopus dicet Orationem gratiarum actionis: adolebit incensum, & dicet Orationem incensi.

Tum dicet Orationem sequentem facie ad Orientem conversâ.

DOmine Deus virtutum qui adduxisti nos ad sortem ministerii hujus, qui erigis intellectus hominum, & scrutaris corda & renes, exaudi nos per magnam misericordiam tuam: purifica nos ab omni macula carnis & spiritus. Dissipa nubem peccatorum & iniquitatum nostrarum tenebrosam. Imple nos potestate tua divina: & gratia Unigeniti Filii tui, & operatione Spiritus sancti: ut simus idonei ad hoc ministerium novi hujus Testamenti, & possimus digne ferre nomen tuum sanctum, & stare ad ministerium altaris tui divini: neque communicemus peccatis alienis, sed dele peccata nostra: & concede nobis Domine, ut similia non committamus: & da nobis cognitionem, ut possimus loqui sicut oportet, atque ad te accedere. Suscipe ad te Pontificatum servi tui hîc stantis, qui expectat donum tuum cœleste, quia tu es

Digitized by Google

bonus & multum misericors erga omnes qui tibi supplicant, & fortis est potestas tua, cum unigenito Filio tuo & Spiritu sancto, nunc, &c.

Diaconus dicet has postulationes.

Εἴπωμεν πάντες. Δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον. Κύριε ἐλέησον.

Dicamus omnes: precamur te Domine, exaudi. Kyrie eleison.

Ο Λαός. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleison.

Κύριε παντόκρατορ ἐπουράνιε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.

Domine omnipotens cœlestis, Deus Patrum nostrorum, rogamus te, Domine exaudi.

Κύριε ἐλέησον.

Kyrie eleison.

Ὑπὲρ εἰρήνης τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, καὶ σωτηρίας τοῦ περιεστῶτος λαοῦ, δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.

Pro pace sanctæ, solius, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, & salute circumstantis populi rogamus te, Domine exaudi.

Κύριε ἐλέησον.

Kyrie eleison.

Ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, συγχωρήσεως παντοίων πλημμελημάτων ἡμῶν, καὶ τοῦ ῥυσθῆναι, καὶ σωθῆναι ἡμᾶς, ἀπὸ παντὸς θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, ἀνάγκης, παντὸς πειρασμοῦ, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν τε καὶ ἐθνῶν, δεόμεθά σου, Κύριε ἐπάκουσον.

Pro remissione peccatorum, & venia omnium delictorum nostrorum, & ut liberemur & salvemur ab omni oppressione, ira, periculo, necessitate, omni tentatione & insurrectione hostium & populorum, rogamus te Domine, exaudi.

Κύριε ἐλέησον.

Kyrie eleison.

Σῶσον ὁ Θεὸς τὸν λαόν σου, καὶ εὐλόγησον τὴν ἐν παρόδοις κληρονομίαν σου καὶ ἴδε, καὶ ἐπίσκεψαι τὸν κόσμον σου ἐν ἐλέει, καὶ οἰκτιρμοῖς σου. Ὕψωσον κέρας Χριστιανῶν τῇ δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ σου, καὶ κατάπεμψον ἡμῖν καὶ ἐφ' ἡμᾶς, τοὺς ἐλέη σου τοὺς πλουσίους καὶ τὰ ἔργα τῶν

Salvum fac Deus populum tuum & benedic paternæ hæreditati tuæ: vide, & visita mundum tuum in misericordia & miserationibus tuis. Eleva cornu Christianorum per potentiam pretiosæ & vivificæ crucis tuæ: & mitte nobis, & super nos miserationes tuas

divites : atque opera manuum tuarum ne despicias : & averte faciem tuam à peccatis nostris, & dele chirographum iniquitatum nostrarum : suscipe etiam deprecationem & pœnitentiam populi tui, quia tu es amator hominum bonus Domine Deus.

Kyrie eleison.

Per gratiam triduanæ & timendæ resurrectionis ex mortuis. Per intercessionem Deiparæ & semper Virginis Mariæ : sanctique gloriosi Apostoli & Evangelistæ Marci. Deprecamur te omnipotens Domine exaudi nos peccatores rogantes te. Kyrie eleison.

Populus. Kyrie eleison.

Archidiaconus.

Ut remittatur nobis omne delictum voluntarium & involuntarium : & ut suscipiatur deprecatio nostra : utque mittantur misericordiæ Dei, & miserationes ejus super nos omnes, deprecamur te Domine, exaudi. Kyrie eleison.

Et ut mittatur Spiritus sanctus super electum servum Dei N. per orationem super eum factam. Dominum Deum gloriæ supplicemus.

Populus. Kyrie eleison.

Archidiaconus : Deum precemur.

χειρῶν σου μὴ παρίδῃς· καὶ ἀπόστρεψον τὸ πρόσωπόν σου, ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· καὶ ἐξάλειψον τὸ χειρόγραφον τῶν ἀνομιῶν ἡμῶν· καὶ πρόσδεξαι τὴν δέησιν, καὶ μετάνοιαν τοῦ λαοῦ σου, ὅτι σὺ φιλάνθρωπος, ἀγαθὸς Θεὲ κύριε.

Κύριε ἐλέησον.

Τῇ χάριτι τῆς τριημέρου καὶ φοβερᾶς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως.

Τῇ πρεσβείᾳ τῆς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· καὶ τῶν ἁγίου, ἐνδόξου, ἀποστόλου, καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου,

Ἱκετεύομέν σε παντοδύναμε κύριε, ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν δεομένων σου. Κύριε ἐλέησον.

Ο Λαὸς. Κύριε ἐλέησον.

Αρχιδιάκονος.

Ὑπὲρ τῶν συγχωρηθῆναι ἡμῖν πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον, καὶ τῶν προσδεχθῆναι τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ καταπεμφθῆναι τὰ ἐλέη τῶν Θεοῦ, καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ ἐπὶ πάντας ἡμᾶς, δεόμεθά σου· κύριε ἐπάκουσον. Κύριε ἐλέησον.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ καταπεμφθῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ τὸν ἐκλελεγμένον δοῦλον τοῦ Θεοῦ. Δ. τῇ ἐπὶ αὐτὸν ἐντεύξει γενομένῃ, κύριον τὸν Θεὸν τῆς δόξης ἱκετεύσωμεν.

Senior

Senior Episcopus dicet hanc Orationem conversa facie ad Orientem.

DOmine omnipotens dominator omnium, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui custodis pastorem & gregem: tu es suprema causa, & fortitudo quæ nobis auxilio est: tu es auxiliator & medicus, & liberator, murus defensionis, spes nostra & refugium nostrum, gratia, protectio, exspectatio, vita & resurrectio. Apud te est ordo & salus nobis omnibus usque in æternum, tu qui præclare ordinas omnia. Conforta nos, conserva nos, custodi nos, protege nos, quia tu es princeps principum, dominus dominorum: dominus dominantium, & rex regum, qui antiquitus dedisti potestatem ei quem in sede constituisti, & largitus illi es ut ligaret & solveret quidquid vellet. Tu qui dedisti ei sapientiam, tanquam instrumentum, & per autoritatem Ecclesiæ Christi tui, quam custodis, tanquam plantationem bonam: quia tu es Deus omnipotens, & omnia continens tuumque est regnum, potestas & gloria: Pater, Fili, & Spiritus sancte, nunc, &c.

Conversus ad Orientem dicit. Pax omnibus.

Archidiaconus. Adhuc Dominum precemur.

Episcopus senior imponet manum suam dexteram super caput Ordinandi, silens interim dum Archidiaconus dicit.

Η Θεία χάρις, ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ τὰ διεστῶτα συνάπτουσα, ἡ τὴν πρόνοιαν τε ποιουμένη τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, προβάλλει τε δὴ ἡμῖν ἰδεῖν εἰς τὸν Δ. θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ μονάζοντα τῶν εὐαγοῦς μοναστηρίου Δ. εἰς ἀρχιεπίσκοπον φιλοχρίστου πόλεως Αλεξανδρίας, καὶ πάσης κατ' αἰγύπτου χώρας, καὶ τῶν νόμων αὐτῆς, ἄντι Ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι μνήμην λή-

Gratia divina quæ infirma sanat, & deficientia supplet, & disjuncta conjungit, quæ providentiam habet sanctarum suarum Ecclesiarum, providit ut oculos conjiceremus in N. religiosissimum Presbyterum & Monachum præclari Monasterii N. ut esset Archiepiscopus amantis Christum urbis Alexandriæ, totiusque regionis Ægypti, & Nomorum ejus loco Abba N. qui in sanctitate memoriam sui reliquit, & ad Deum mi-

gravit. Orate igitur intente nobiscum vos qui adestis omnes, ad Dominum, ut super illum adveniat gratia sanctissimi Spiritus: dicamus omnes.

ξαυτῷ, καὶ πρὸς θεὸν εὐδημονοῦντα τῷ. Σωθῆναι δεῖ, καὶ ὑμεῖς ἐκτενῶς πρὸς κύριον πάντες οἱ συμπάροντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τ' παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ.

Populus. Kyrie eleison.

Senior Episcopus dicit hanc Orationem manum tenens super caput electi.

ITa Domine fac eum dignum vocatione tua Sacerdotali, ut mereatur digne se gerere juxta amorem erga homines tuum, & serviat nomini tuo & altari tuo. Pascat etiam populum tuum in puritate & sanctitate, & consequatur partem in sorte sanctorum, per miserationes unigeniti Filii tui Jesu Christi Domini nostri per quem, &c.

Pax omnibus.

Archidiaconus. Dicamus omnes, Oramus te Domine miserere. Stemus decenter. Stemus cum timore. Stemus reverenter. Stemus cum timore & tremore & silentio, omnesque oremus.

Εἴπωμεν πάντες, δεόμεθά σου, κύριε ἐλέησον. Στῶμεν καλῶς· στῶμεν μετὰ φόβου· στῶμεν εὐλαβῶς· στῶμεν μετὰ φόβου, καὶ τρόμου, καὶ ἡσυχίας· πάντες δεηθῶμεν.

Pax omnibus.

Congregamini igitur Episcopi; extendite manus vestras.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Συνάχθητε οὖν οἱ ἐπίσκοποι· ἐκτείνατε τὰς χεῖρας.

Episcopi extendunt manus suas in altum: & aliquis eorum tangit humeros Electi, hinc & inde. Tum senior Episcopus imponit manum suam dexteram super caput Electi, & dicit hanc Orationem ordinationis.

DOmine dominator Deus omnipotens, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Pater Domini, Dei, Salvatoris & regis nostrûm omnium Jesu Christi: qui creavit omnia per potentiam & sapientiam suam: quique consilio suo stabilivit fundamenta orbis, qui novit omnia antequam fierent. Qui ornavit coronam eorum quæ ab ipso facta sunt: qui immisit timorem sui creaturis omnibus, ut

Digitized by Google

adorarent gloriam potentiæ ſuæ : qui dedit nobis intellectum ut cognoſceremus Spiritum bonitatis ejus : qui conſtituit Eccleſias unigeniti ſui, ut lucerent ſplendore inenarrabili : qui elegit Abraham dilectum ſuum ad hæreditatem fidei ſuæ, & Enoch ſanctum ſuum tranſtulit in theſauros lucis, quia illi gratus fuit : qui dedit Moyſi humilitatem & Aaroni perfectionem Sacerdotii : qui antiquitus unxit reges, & principes ad judicandum in æquitate populum ſuum : qui non reliquit altare ſuum ſanctum quod in cœlis eſt, abſque miniſtris à conſtitutione mundi. Deinde poſt conſtitutionem mundi, inſtituiſti miniſterium tuum in Eccleſiis, ut perficeretur per Sacerdotes & Levitas qui typus eſſent cœleſtium miniſtrorum, quorum miniſterium conveniret cum eorum miniſterio, qui in terra ſunt, laudarentque & benedicerent nomen tuum ſanctum, Deus vere & unice, cum unigenito Filio tuo & Spiritu ſancto : per quem precamur & rogamus bonitatem tuam, pro hoc ſervo tuo N. quem glorificaſti, deſignaſti, & elegiſti tibi, ut eſſet Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam tuam, eſſetque princeps & dux ſuper populum tuum. Illumina eum Domine, ſplendore vultus tui, ut illuminetur cor ejus radiis gloriæ tuæ, & intelligat ſecundùm veritatem, myſterium abſconditum tuum. Effunde ſuper eum, ſpiritum principalem cognitionis tui, quem accepit ab Eccleſia tua ſancta, ut renovetur ſecundùm beneplacitum tuum in omni generatione : Spiritum ſanctum, Spiritum veritatis, Spiritum perfectum paraclitum, quem dediſti ſanctis tuis Apoſtolis & Prophetis. Da illi Domine virgam virtutis tuæ productam ex radice Jeſſe, ſcilicet ſeptem Spiritus tui, Deus, deſcendant ſuper eum, & producant fructum veritatis : Spiritus ſapientiæ & prudentiæ : Spiritus conſilii & fortitudinis : Spiritus ſcientiæ & pietatis. Imple illum timore tuo Deus, ut judicet populum tuum in æquitate, & retineat fidem rectam abſque defectu. Indue illum podere, ſive ſtola gloriæ tuæ ſanctæ. Impone capiti ejus mitram, & unge illum oleo lætitiæ bonitatis tuæ præ omnibus participibus ſuis. Sit tibi Deus, Pontifex fidelis ſuper domum tuam quæ eſt Eccleſia, ut ſerviat tibi inculpate omnibus diebus vitæ ſuæ, in Pontificali dignitate, nocte ac die inceſſanter per ſacrificia ſancta, & orationes in corde puro, & anima ſplendida : per jejunia & actiones pias, per caritatem & hu-

Digitized by Google

militatem, per fidem absque hypocrisi, per prophetias & elevationes spiritus: & offerat tibi sacrificium purum & sanctum diebus omnibus, cum suffitu incensi, pro ignorantiis populi tui: flens perversitates & insipientias populorum qui sunt grex tuus. Educ eos ex laqueo peccati, ad colendam pietatem. Pacem super pacem concede omni populo tuo, omnibusque ovibus tuis per gloriam tuam. Da illi Domine potestatem Spiritus tui sancti, ut solvat vincula omnia quibus inimicus alligavit eum peccato: & membra Ecclesiæ tuæ divisa, da illi ut in unum reducat. Conserva Sacerdotium ejus inculpatum, usque in finem ut ministret tibi per sacrificium spirituale cunctis diebus secundùm Ordinem summi Pontificis, qui in cœlis est Domini nostri Jesu Christi, qui, &c.

Conversus ad Orientem dicit hanc Orationem.

EXorire Domine super nos, & super ministerium nostrum, & munda nos ab omni macula: mitte quoque desuper, gratiam pontificalem super servum tuum hunc N. ut dignus efficiatur per beneplacitum tuum pascendi plebem tuam inculpate, & erigendi Ecclesiam tuam: quia tu per voluntatem tuam misericors es, & decet ut tibi reddatur ab omnibus honor & adoratio, Pater, Fili & Spiritus sancte.

Conversus ad Occidentem dicit, Pax omnibus: *& signat pollice caput Ordinandi dicens.*

Promotus est in sancta Dei Ecclesia N. Archiepiscopus, in sancta Dei Ecclesia magnæ urbis Alexandriæ N. Archiepiscopus & Patriarcha, in sancta Catholica & Apostolica Dei Ecclesia prædictæ magnæ urbis Orthodoxorum Alexandriæ, in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Προεχειρίσθη ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ. Δ. ἀρχιεπίσκοπος ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ τῆς μεγαλοπόλεως Αλεξανδρίας Δ. ἀρχιεπίσκοπος καὶ πατριάρχης ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία τῆς προονομασθείσης μεγαλοπόλεως τῶν ὀρθοδόξων Αλεξανδρίας, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Αμήν.

Induit eum stichario, & orarium imponit collo ejus, & phelonium dicens. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Postea ascendunt ad Synthronum, & senior Episcopus adoratione facta versus Orientem sedet super Synthronum, sedentque circa

illum reliqui Episcopi, hinc & inde, secundùm ordinem suum. Electus sedebit super scabellum infra, facie ad Orientem conversa.

Tum dabunt Systaticas literas legendas uni Diaconorum, qui legere probe sciat, quique ex Ambone eas recitabit: & post lectionem, Archidiaconus dicet has Orationes.

Ἔτι ἐκτενῶς ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης, ὁμονοίας, καὶ καταστάσεως πασῶν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Iterum intentè Dominum supplicemus pro pace, concordia, & stabilitate omnium sanctarum Ecclesiarum Dei Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς συνελεύσεως ἡμῶν, τοῦ ἀπρόσκοπτον, καὶ εὐχάριστον, καὶ ἐκλέκτην γίνεσθαι τοῦ, κυρίου δεηθῶμεν.

Pro congregatione nostra, ut sit absque offendiculo, laudabilis, electa, Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῶν παρεστώτων ἁγίων ἐπισκόπων, πάντος τοῦ κλήρου καὶ τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ, παρακαλέσωμεν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro præsentibus sanctis Episcopis, omni Clero, & Christum amante populo, oremus: Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς ἐν πνεύματι ἁγίῳ βεβαίας καὶ εὐσεβοῦς αὐτοῦ καταστάσεως· τὴν ἅγιον ἱκετεύωμεν· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro firma ejus & pia in Spiritu sancto constitutione, sanctum supplicemus. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ἐκκλησίας· τοῦ κυρίου δεηθώμεν.

Pro Ecclesia ipsi commissa. Dominum deprecemur,

Ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ κατὰ θεὸν εὐαρεστήσεως· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro eo, ut Deo placeat. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς εὐζωΐας αὐτοῦ καὶ πραότητος, καὶ ἐπιγνώσεως εἰς γνῶσιν εὐθύτητος· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro bona vita ejus, mansuetudine & modestia ad cognitionem rectitudinis. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι ἡμᾶς τοῦ βραβείου τῆς ἄνω κλήσεως. τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Ut digni efficiamur bravio supernæ vocationis. Dominum deprecemur.

Πάντες ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ἀλλήλων ἐκτενέστερον τὸν κύριον ἱκετεύσωμεν.

Omnes pro nobis ipsis, & mutuo intentius Dominũ deprecemur.

Populus. Kyrie eleison, *ter.*

Senior Episcopus dexteram suam imponet super caput ejus dicens.

VOcamus N. electum servum Dei Archiepiscopum & Patriarcham, in Ecclesia defectus experte, sancta Dei invisibilis, & vivi, urbis Christum amantis, Orthodoxæ Alexandriæ, & regionis Ægypti, & finium ejus: ad gloriam & honorem sanctissimæ & consubstantialis Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ad pacem & ædificationem Ecclesiæ sanctæ, quam formavit per Incarnationem suam, & per universam dispensationem suam, per crucifixionem suam, mortem & resurrectionem suam, Deus ex Deo, unigenitus Filius Patris, Dominus noster Jesus Christus: ad demonstrationem judiciorum veritatis, sanctarumque prædictionum; donorumque sacrorum: doctrinarumque illustrium fidelium, & resurrectionem ex mortuis, & pignus immutabile usque in æternum. Amen.

Populus clamat. Dignus, dignus, dignus est Pater N. Archiepiscopus.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ὁ ἁγιώτατος N. ἀρχιεπίσκοπος.

Tum elevant super caput ejus quatuor Evangelia, & dum clamatur, Dignus est, *imponunt ea capiti ejus. Mox ea removent; seniorque Episcopus imponet manum dexteram suam super caput ejus: & clamabit Archidiaconus dicens.*

Divina gratia quæ infirma sanat, & deficientia replet, semperque providentiam gerit sanctarum suarum Ecclesiarum, promovet istum ex presbyterorum ordine in Archiepiscopum magnæ urbis Alexandriæ & regionis Ægypti, Nomorumque ejus. Oremus igitur omnes simul præsentes, ut veniat super eum gratia Spiritus sancti.

Ἡ θεία χάρις ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ πρόνοιαν ἀεὶ ποιουμένη τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, προχειρίζεται ἐκ τοῦ πρεσβυτέρου εἰς ἀρχιεπίσκοπον τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ κατ' Αἰγύπτου χώρας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς. Εὐξόμεθα οὖν πάντες οἱ συμπάροντες ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος.

Populus. Kyrie eleison. *Ter. Tum.* Concede.

Digitized by Google

Συνεύξασθε πάντες οἱ ὅσιοι ὅσιοποτοι. *Archidiaconus.* Orate simul qui adestis sancti Episcopi.

Tunc Episcopi omnes congregati, unus post alterum juxta ordinem suum, imponent manum dexteram suam super caput Electi orabuntque super eum, in hunc modum, dicendo.

IMponimus manus nostras super Electum servum Dei N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ad exaltationem, stabilimentum & confirmationem piæ, unius, indivisibilisque Ecclesiæ, Dei invisibilis & viventis, quam formavit per Incarnationem, universamque dispensationem suam, crucem, mortem, & resurrectionem suam à mortuis, Deus ex Deo, unigenitus Patris, Jesus Christus Dominus noster: ad demonstrationem judiciorum veritatis, sanctarumque prædictionum, donorumque sacrorum: doctrinarumque veracium de Trinitate sancta, immaculata & consubstantiali, per crucem sanctam. Ea enim est armatura fidelium: firmitas Ecclesiarum: securitas Sacerdotum: victoria regum: tranquillitas populi: resurrectio ex mortuis, & pignus incorruptibile usque in æternum. Amen.

Et cum unusquisque eorum finierit, populus altâ voce dicet.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ἀββᾶ Δ. ἀρχιεπίσκοπος. Dignus, dignus, dignus est Abba N. Archiepiscopus.

Post hæc omnia senior Episcopus imponet ei Homophorium, quod est insigne dignitatis, super caput ejus, dependebitque ita ut descendat super pectus ejus: & dicit.

Ad laudem & gloriam Trinitatis sanctæ, Patris, Filii, & Spiritus sancti: ad pacem & ædificationem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Dei: benedictus Deus in sæculum. Amen.

His peractis induetur omni ornatu Archiepiscopali: nempe Cidari, Homophorio & Orario, populusque altâ voce dicet.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ἀββᾶ Δ. ἐτμιτα ἀρχιεπίσκοπος. Dignus, dignus, dignus est Abba N. Archiepiscopatu.

Tunc Archidiaconus dicet altâ voce:

Ἡ θεία χάρις ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀνα- Divina gratia quæ infirma sanat, & deficientia supplet, &

Digitized by Google

disjuncta conjungit, omnemque bonam providentiam gerit sanctarum suarum Ecclesiarum, inthronisat Abba N. sanctissimum Archiepiscopum, magnæ & amantis Christum urbis Alexandrinorum, & universæ regionis Ægypti & ejus Nomorum, in locum Abba N. qui in sanctitate diem suum obiit, & ad Deum migravit. Orate igitur nobiscum intente ad Dominum omnes, ut veniat quoque super illum donum cœlestis vocationis, & descendat gratia sanctissimi Spiritus. Dicamus omnes.

Populus. Kyrie eleison.

πληροῦσα, καὶ τὰ ἐνεστῶτα συνάπτουσα· ἡ πᾶσαν ἀγαθὴν πρόνοιαν ποιοῦσα τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, ἐνθρονίζει Ἀββᾶ Δ. τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς μεγάλης, φιλοχρίστου τῶν Ἀλεξανδρέων πόλεως, καὶ πάσης κατ' αἰγύπτου χώρας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς, ἄντι ἀββᾶ Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι πατρὸς τὴν μνήμην λήξαντος καὶ πρὸς Θεὸν ἐνδημήσαντος. Συνεύξασθε οὖν καὶ ἡμεῖς ἐκτενῶς, πρὸς κύριον πάντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ δωρεὰ τῆς οὐρανίου κλήσεως, καὶ ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ. Εἴπωμεν πάντες κύριε ἐλέησον.

Senior Episcopus dicet hanc Orationem conversus ad Orientem.

GRatias agimus tibi Domine omnipotens pro omnibus & in omnibus, benedicimusque & glorificamus nomen tuum sanctum; quia fecisti nobiscum magnalia, & effudisti donum tuum abundanter super istum servum tuum. Rogamus & obsecramus te Domine, exaudi nos per magnam misericordiam tuam, ut complaceas in ordinatione ista Archiepiscopalis dignitatis, quæ facta est erga servum tuum N. sanctissimum Archiepiscopum, per illapsum Spiritus tui sancti super eum. Conserva etiam vocationem electionis ejus in sanctitate & puritate; & elige nos cum eo ad bonum, ut operemur, & accipiamus talentum cum lucro, utque recipiamus, cum omnibus qui ab initio fecerunt voluntatem tuam, mercedem œconomi prudentis & fidelis, in adventu Domini, Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui, &c.

Tunc senior Episcopus descendet de Synthrono, & secundus ab eo, constituentque Electum in gradu Synthroni: tenebuntque manus ejus, & antiquior dicet hanc exclamationem.

Inthronisamus caput gregis N. divinitus electum Abba N. Archiepiscopum per Psephisma sublime, & communicationem

nem operum mirabilium Spiritus ſancti, ſuper hanc cathedram hujus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ. Orate omnes quicumque hic congregati eſtis, ut Dominus gloriæ conſervet illum annis multis, temporibus tranquillis, abſqũe turbatione, tumultu & ſcandalo. Præſerva eum Domine illæſum, & imperturbatum, perficientem voluntatem tuam, ſecundum honoris amplitudinem, quæ decet nomen tuum ſanctum, ad ſalutem, & gloriam amantis Chriſtum populi.

Archidiaconus. Dicamus omnes intente orantes. Kyrie eleiſon.

Senior Epiſcopus alta voce dicet.

In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis conſubſtantialis & vivificantis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: loco beati Archiepiſcopi N. inthroniſamus ſuper iſtam urbem Chriſti amantem Alexandriam, Abba N. vocatum divinitus per ſuffragium ſanctum, primum Presbyterorum, & Archiepiſcopum: ad laudem & gloriam Trinitatis indiviſæ: ad ædificationem, tranquillitatem & firmitatem fidei: ad pacem & confirmationem hujus cathedræ puræ & ſplendidæ: & ad ſerenitatem imperturbatam venerabilis Eccleſiæ Dei.

Populus clamat. Dignus. Dignus. Dignus.

Tunc collocant eum ſuper thronum, & ter ſurgere faciunt: Epiſcopuſque ſenior, dicit.

Collocamus Abba N. Archiepiſcopum ſuper thronum ſanctum, Apoſtolicum & Evangelicum Patris noſtri ſancti, divina loquentis Marci, in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Populus. Dignus. Dignus. Dignus.

Poſtea collocant eum in throno, ita ut non ſe moveat: ponuntque Evangelium ſecundùm Marcum in ſinu ejus, & omnes Epiſcopi oſculantur eum, ſalutantque Clerus & omnis populus.

Deinde Diaconi dicunt alta voce ſermonem inthroniſationis, ex Ambone: & poſtea Audi, *tono producto.* Multos annos: *& laudes de Hierarchia, & alias quæ dignitati Pontificali conveniunt: deinde Prologum, & Pſalmum. Denique dabitur ei caput* 23. *Evangelii ſecundùm Joannem, cujus hoc eſt initium.*

Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium.

Et quotieſcumque dicet, Ego ſum Paſtor bonus. *Omnis populus clamabit,* Dignus. Dignus. Dignus eſt.

Mox dicent finem Pſalmi 109.

Juravit Dominus & non pœnitebit eum : tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis... Propterea exaltabit caput.

Evangelium ſecundùm Joannem cap. 23.

AMen Amen dico vobis qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Qui vero intrat per oſtium, paſtor eſt ovium : huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & vocat oves ſuas nominatim. Cumque egrediuntur omnes, ipſe ante eas vadit, & oves eum ſequuntur, agnoſcuntque vocem ejus. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo quia non noverunt vocem alieni. Hanc parabolam dixit eis Jeſus, ipſi autem non intellexerunt quid loqueretur eis. Iterum igitur dixit eis Jeſus. Amen, Amen dico vobis, ego ſum oſtium ovium : omnes qui venerunt ante me fures ſunt & latrones ; idcirco non audierunt eos oves. Ego ſum oſtium ovium : omnis qui introierit per illud, ſalvabitur, & ingredietur & egredietur & paſcua inveniet. Fur non venit, niſi ut furetur & mactet & perdat : ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ego ſum Paſtor bonus.

Tunc ſenior Epiſcopus dicit expanſo interea Evangelio ſuper caput Patriarchæ.

Dignus. Dignus. Dignus eſt N. Patriarchatu & Archiepiſcopatu ſuper magnam urbem Alexandriam & univerſam regionem Ægypti, & omnes fines ejus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Populus clamans dicit. Dignus eſt Abba N. Archiepiſcopatu.

Patriarcha reſumit & perficit lectionem capitis Evangelii.

Bonus paſtor dabit animam ſuam pro ovibus ſuis. mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cujuſque non ſunt oves propriæ, ubi videt lupum venientem, fugit & relinquit oves : lupuſque rapit & diſpergit eas : quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego ſum paſtor bonus : cognoſcoque meas & cognoſcunt me meæ.

Hic ſenior Epiſcopus expandit Evangelium ſuper caput Patriarchæ, ſicut prius fecerat.

Sicut novit me Pater & ego cognoſco Patrem & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo quæ non ſunt

Digitized by Google

ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Pastor.

Postea Patriarcha dicet Orationem veli ex Liturgia S. Basilii quæ incipit. Deus qui propter amorem tuum erga homines, *& prosequitur Liturgiam secundùm consuetudinem, distribuetque sancta mysteria, & populo benedicet. Tum post Orationem pacis ultimam, canent coram eo ab altari usque ad Secretarium, sive Sacristiam. Exuent deinde illum vestimentis Liturgicis seniorque Episcoporum induet eum stola nigra, collocabitque eum super Thronum, canentque coram eo Clerus & omnis populus laudes convenientes.*

Cum exibit de Ecclesia Catholica, ut eat ad Patriarchium S. Marci, vehetur jumento suo: similiterque omnes Episcopi: omnisque populus eum sequetur, ferenturque coram eo vexilla quibus cimelia ornantur diebus festis: simulque tres cruces, & imago S. Marci Evangelistæ.

Reliqui omnes ex Clero eum comitabuntur, prosequentes cum honore magno, circuitumque facient per medium urbis; cumque pervenerint ad tetrapylon, consistent; Episcopusque senior dicet hanc Orationem.

Ἐπαμεν πάντες ἐκτενῶς· δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Dicamus omnes intentè; deprecamur te: Domine exaudi. Kyrie eleison.

Κύριε παντόκρατορ ἐπούρανιε, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Domine omnipotens, cœlestis, Deus patrum nostrorum, deprecamur te Domine exaudi. Kyrie eleison.

Ὑπὲρ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας καὶ καταστάσεως τοῦ συμπάντος κόσμου, καὶ ἑνώσεως πασῶν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, δεόμεθά σου κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Pro pace, concordia, & stabilitate totius mundi, & unione omnium sanctarum Dei Ecclesiarum: deprecamur te Domine exaudi: Kyrie eleison.

Ὑπὲρ τοῦ διαφυλαχθῆναι ἡμᾶς, ὑπὸ τὴν ἁγίαν καὶ κράταιαν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, καὶ σκεπασθῆναι ἀπὸ πάντος πονηροῦ, καὶ κατευοδωθῆναι· περὶ δὲ πάντων τῶν προκεκοιμημένων ἡμῶν, κατὰ

Ut conservemur omnes sub sancta & potente manu Dei & protegamur ab omni malo, deducamurque in viam rectam: & pro omnibus qui ex nobis obierunt, secundùm mi-

sericordiam tuam, & secundùm voluntatem Christi Dei: deprecamur te, Domine exaudi nos: Kyrie eleison.

Pro remissione peccatorum nostrorum, & pro venia omnium criminum nostrorum, utque salvemur ab omni oppressione, ira, periculo, necessitate, omni tentatione & insurrectione hostium & gentium: deprecamur te, Domine exaudi: Kyrie eleison.

Pro sancta hac urbe Christi Dei nostri, & pro omni urbe & regione, & pro Orthodoxis fide & pietate conspicuis, qui in illis habitant: ut etiam pro pace & securitate illorum: deprecamur te, Domine exaudi. Kyrie eleison.

Et ut condonetur nobis quodcumque delictum voluntarium aut involuntarium: utque suscipiantur deprecationes nostræ, & mittantur misericordiæ & miserationes Dei super nos omnes, Dominum Deum nostrum suppliciter deprecemur.

Populus. Kyrie eleison.

τὸ ἔλεώς σου, καὶ κατὰ τὸ θέλημα χριστοῦ τοῦ Θεοῦ δεομεθά σου, καὶ κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν ἡμῶν καὶ συγχωρήσεως παντοίων πλημμελημάτων ἡμῶν· καὶ τοῦ ῥυσθῆναι, καὶ σωθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, ἀνάγκης, πάντος πειρασμοῦ, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν, τε καὶ ἐθνῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ τῆς ἁγίας χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πόλεως ταύτης, καὶ πάσης πόλεως, καὶ χώρας, καὶ τῶν ὀρθοδόξων ἐν πίστει καὶ εὐσεβείᾳ οἰκούντων ἐν αὐταῖς, εἰρήνης καὶ ἀσφαλείας αὐτῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι ἡμῖν πᾶν πλημμέλημα, ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον, καὶ τοῦ προσδεχθῆναι τὴν δεήσιν ἡμῶν, καὶ καταπεμφθῆναι τὰ ἐλέη τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ ἐπὶ πάντας ἡμᾶς, κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν ἱκετεύσωμεν.

Patriarcha extendet manus suas dicetque hanc Orationem.

DOmine Deus omnipotens, Pater Domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi, rogamus & obsecramus tuam erga homines caritatem Domine; protege hanc urbem & omnes qui in ea sunt in fide Orthodoxa: libera eos à fame, morte, exilio, terræ motu, submersione & incursu hostium,

Digitized by Google

atque à gladio extraneorum. Visita eos Domine per bonitatem tuam: Discidia & insultus hæreticorum atheorum dissolve: exhibe illos filios lucis: facque illos dignos regno cœlorum; per gratiam, misericordiam & caritatem erga homines unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: gloria sit tibi cum eo, & Spiritu sancto nunc, &c.

Pax omnibus.

Tum dicet alta voce.

Præveniant,& cito anticipent nos misericordiæ tuæ Domine, quia pauperes facti sumus nimis: adjuva nos Deus salvator noster.

Populus. Kyrie eleison.

Patriarcha dicit. Gloria & honor nomini tuo sancto, Pater, Fili & Spiritus sancte; nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Postea psallent coram eo usque dum ascenderint ad Patriarchium: & collocabunt eum in sedili suo, recitabunt coram eo laudis gratia carmina & encomia; illumque prostrati venerabuntur. Celebrabitur quoque per tres dies festum, ad repræsentationem mysterii, ejus qui à mortuis resurrexit tertia die. Prima die inthronisabunt eum in Ecclesia Angelion dicta: die secunda in Ecclesia sancti Michaelis Archangeli Axumitarum: die tertia in Ecclesia sancti Marci in cœmeterio. Ubi compleverit Liturgiam sanctam die tertia, sedebit & accipiet caput sanctum D. Marci Evangelistæ in sinu suo, ut pote qui successor ejus factus est.

Et Deo gloria in æternum. Amen.

Exemplum Psephismatis ad electionem Patriarchæ.

IN nomine Patris,& Filii & Spiritus sancti: Trinitatis sanctæ & indivisæ in una deitate. Is est Deus noster, Christianorum Orthodoxorum: qui est spes nostra ad ultimum usque vitæ spiritum, & cui sursum mittimus laudem & gloriam nos & omnis plenitudo Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Dei, & omnes Orthodoxi congregati, sanctissimi Episcopi, simul cum Presbyteris: Diaconi universusque populus, Christum amantis urbis Alexandriæ & totius regionis Ægypti.

Cum supervenerit nobis calamitas orbitatis, & dolor maximus ex eo quod cursum vitæ hujus complevit beatus Pater noster & sanctissimus Archiepiscopus Abba N. & obiit plenus virtutibus, qui sanctas omnes promissiones percepit,

bonâ ſui relictâ memoriâ, & ad Deum quem amabat migravit, audivitque ab ipſo vocem hanc gaudii plenam. Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Ita nos orphani facti ſumus, & Eccleſiæ ſanctæ Dei viduatæ paternitate ejus, quas doctrinâ ſuâ paſcebat; & idcirco magno ſtudio & ferventi, omnes Deum precati ſumus, ut manifeſtaret nobis, quinam illo ſummo Pontificatu dignus foret, ad paſcendum nos in via Domini noſque dirigendos ad portum Eccleſiæ. Cumque perſpectum haberemus amorem erga patres ſuos, urbis amantis Chriſtum Alexandriæ, piumque affectum civium illius, quodque orphani remanere diutius nollent, ea propter nobis viſum eſt perficere opus Dei. Invocavimus igitur Trinitatem immaculatam, ut nobis deſignaret, quis foret idoneus ad hanc mediationem, ut illum promoveremus ad gradum Ordinis iſtius Pontificalis: & ex ſuperna electione, & operatione Spiritus ſancti conſenſuque omnium noſtrûm, plenaque certitudine, deſignavit nobis Deus ut reſpiceremus ad N. religioſiſſimum Presbyterum & Monachum, celebris Monaſterii N. & elegimus eum Archiepiſcopum ſuper thronum Apoſtolicum admirabilis Marci divinitus locuti & Evangeliſtæ, qui eſt magnæ urbis Alexandriæ, univerſæque regionis Ægypti & finium ejus. Eſt enim vir divino cultui addictus, ornatus prudentia, peregrinorum amans, doctus, temperans, veritatis Evangelii ſtudioſus: & conſtituimus eum paſtorum principem, & Archiepiſcopum, ad confirmationem & directionem & reformationem ſanctarum Dei Eccleſiarum ſalutemque animarum: utque paſcat nos cum omni manſuetudine & benignitate, ut referamus tibi laudes gratiarum actionis, & exaltemus eum qui benefecit nobis ſalvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum in ſæcula. Amen.

Nos vero Epiſcopi congregati hanc electionem, Pſephiſmate contentam, conſenſu & teſtimonio noſtro probavimus, cum omnibus nobiſcum congregatis Deo dilectiſſimis Clericis, & laborioſis monachis, populoque Deum amante, magnæ urbis Alexandriæ: ad laudem & gloriam Patris, Filii & Spiritus ſancti nunc, &c.

Subſcribent Epiſcopi teſtimonium ſuum, juxta ordinem ſuum hoc modo.

N. Epiſcopus, amantis Chriſtum urbis N. conſentio huic Pſephiſmati, ut ſe habet.

Digitized by Google

Post Episcopos, tres Presbyteri Alexandria, & tres Diaconi subscribent in hunc modum.

N. Presbyter aut Diaconus magnæ urbis Alexandriæ testor ea quæ scripta sunt in hoc Psephismate.

Si quis scribere nesciat, ejus loco alius subscribet in hunc modum.

Ego N. rogavi ut scriberetur nomine meo testimonium meum de hoc Psephismate.

Post illos subscribent Hegumenus Scetis, & aliquot viri primarii Alexandriæ & Cahiræ, testimonia sua.

In codice manuscripto subjicitur exemplum ejusdem Psephismatis Græce eodem omnino sensu, nisi quod quædam voces à Coptitis non satis intellectæ fuisse videntur: sententia tamen utraque lingua, adeo similis est ut nova ex Græco versione opus non sit.

Exemplum Systaticæ sive litterarum ad omnes Episcopos Ecclesiasque scriptarum ad significandam electionem Patriarchæ Alexandrini.

NOs Episcopi congregati per gratiam Dei scribimus amantibus Deum Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus: Patribus Monachis, primariis viris & virginitatem perpetuam professis Monialibus, omnibusque fidelibus Orthodoxis populi Christiani, qui est in magna urbe Alexandria Christum amante, & in Fostato seu Cahira Ægypti, omnibusque finibus ejus, ad Austrum & mare, Axumitas, Nubas, Almodiam, Macouriam, Æthiopiæ regiones omnes & earum terminos, dilectis fratribus spiritualibus quos in Domino diligimus, salutem.

Canite tuba in Sion in diebus insignibus solennitatum vestrarum, dilecti nobis, propter altitudinem divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei secundùm opera ejus inscrutabilia, Domini omnium nostrum Christi veri Dei: qui novit omnia antequam fiant: qui scrutatur corda & renes hominum: qui nunquam cessat à consilio cum Patre & Spiritu sancto, judicans secundùm veritatem & æquitatem: apud quem reconditi sunt magni sapientiæ thesauri. Ille igitur nuper tanquam Dominus verus suscepit ad se divitem omnibus bonis Patrem nostrum Patriarcham Abba N. qui obtinuit sortem sanctorum. Visum est igitur nobis prout necessitas exigebat,

Digitized by Google

congregari ſecundùm Canones Apoſtolicos unanimi conſenſu, nos ſcilicet Epiſcopi regionis Ægypti, ſimulque Clerus & populus magnæ urbis Alexandriæ, cum aliquibus ex primariis Ægypti. Habitoque inter nos conſilio Deum obſecravimus ut nobis quod optimum factu eſſet manifeſtaret, ſuſcepimuſque iter ad deſerta remota Scetis, & ad Nitriæ montem, magnoque ſtudio quæſivimus, quinam dignus foret magna illa Pontificali dignitate: qui paſceret nos in via Domini, & dirigeret nos ad portum Eccleſiæ.

Cumque perſpectus nobis eſſet amantis Chriſtum urbis Alexandriæ amor erga patres ſuos, ſinceruſque cordis affectus erga ſuos præſules, ſciremus etiam nolle eos diutius orphanos remanere, idcirco viſum eſt nobis perficere opus Dei, bonitatem ejus deprecantes, oranteſque ardentiſſime, vigilantes per noctes in oratione, ut manifeſtaret nobis quis foret idoneus officio mediatoris, ut eum promoveremus ad gradum illum Ordinis Pontificalis. Ea propter matura deliberatione habita, convenit inter nos ut reſpiceremus ad ſervum Dei, Presbyterum & piiſſimum Monachum, habitantem in præclara Laura ſancti Patris noſtri Abbatis N. aſcetam, qui in eadem educatus eſt, à prima ſua ætate ſub pedibus Patrum noſtrorum ſanctorum: percepitque gratiam ipſorum, ſicut Eliſæus cum Elia Thesbite, per habitum Angelicum: ut ſcriptum eſt in Apoſtolico ſermone: ſcimus quoniam diligentibus Deum, adjuvat ipſe illos ad omne opus bonum, iis qui vocati ſunt ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ: & quos præſcivit, hos & prædeſtinavit: & quos prædeſtinavit, hos vocavit: quos vocavit, hos & juſtificavit: & quos juſtificavit, illos glorificavit. Et iterum ait Apoſtolus: nemo ſolus accipit honorem ex ſe ipſo, ſed qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron: ita omnes qui poſt eum venerunt ſecundùm tempora & generationes, huc uſque & uſque ad conſummationem hujus ſæculi.

Cum autem certam notitiam habeamus illius profectûs juxta teſtimonium omnium ſenum qui ſunt in deſerto, & qui eum ad nos adduxerunt veluti dignum, teſtimoniumque de eo perhibuerunt tanquam idoneo, qui ad hunc dignitatis gradum aſſumeretur. Igitur adjutore Deo autore bonorum omnium qui elegit eum ſecundùm vocationem cœleſtem, promovimus eum ad hunc gradum illuſtrem pontificatus, ut ſit nobis

bis pater & paſtor, ut paſcat nos in paſcuis uberibus doctrinæ veræ. Idcirco elevavimus eum ad ſucceſſionem Evangeliſtæ divinitus loquentis ſancti Marci, & repletus eſt chariſmatibus omnibus ſpiritualibus, & cœleſtibus, ex quo accepit gratiam Paracliti per voces Apoſtolicas, cum eum induimus ſtola pontificali, nutu Dei, & Apoſtolorum ejus: ſanctorum electorumque diſcipulorum: factuſque eſt Pontifex, paſtor & doctor, cum accepit talem poteſtatem à Deo Rege cœli & terræ, ad ligandum & ſolvendum, ordinandos Epiſcopos, conſtituendoſque Clericos ad ejus ſanctuarium, ad conſecranda altaria, & ad Encœnia Eccleſiarum Oratoriorumque celebranda: exercendamque poteſtatem quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus dedit Apoſtolis & diſcipulis ſuis: ut congreget electos myſteriis Eccleſiæ initiatos; ut conſecret Myron myſticum, ſecundùm myſterium venerandum excelſi & cœleſtis conjugii, quo ornata eſt ea quæ vocatur ſponſa Chriſti: ut celebret regenerationem in Spiritu ſancto ſecundùm præceptum Chriſti Dei noſtri, cujus vicarius factus eſt, mediatorque inter eum & nos: ſecundùm ordinem Moyſis viri Dei, qui legem conſtituit: & Aaronis Levitæ, qui præpoſitus eſt miniſterio tabernaculi teſtimonii. Conſtitutus quippe eſt in nomine Domini Jeſu Chriſti; repletuſque Spiritu ſancto, factus eſt homo novus per dignitatem magnam quæ illi à Deo benigne conceſſa eſt, ipſo qui exaltat humiles, ſicut de ſtercore erigit pauperem, ut ſedere eum faciat cum principibus populi ſui. Repleti itaque ſumus gaudio perpetuo & lætitia æterna, quod elegimus eum mediante Jeſu Chriſto Verbo Patris: qui incarnatus eſt ex Virgine, & homo factus eſt, paſſionem ſuſtinuit, & mortuus eſt in carne, & reſurrexit à mortuis tertia die. Et aſcendit in cœlum ſeditque ad dexteram Patris: & miſit Spiritum Paraclitum ſuper Apoſtolos ſuos ſanctos, perfecitque eos, ut ſancti eſſent in ordine cœleſtium. Illi vero ordinaverunt Eccleſiam in quocumque loco in unitate fidei, & congregaverunt eos qui diſperſi erant, elegeruntque eos qui digni erant, providentia laudabili.

Credimus quoque, in Domino noſtro Jeſu Chriſto confidentes, quod illum nobis fecerit patrem dignum, bonum & perfectum. Rogamuſque Deum qui illum nobis elegit, ut concedat ei gratiam ſermonis, aperiendo os ejus ad profe-

ctum animarum noſtrarum : utque nos propter hanc ejus electionem faciat immunes ab omni peccato, & propter vocationem, quam accepit, fiat pax & ſalus populorum omnium Orthodoxorum; nobiſque omnibus largiatur abundantiam miſericordiæ ſuæ : per interceſſiones Dominæ omnium noſtrûm Deiparæ ſanctæ, ſemperque Virginis D. Mariæ : & per orationes Patris noſtri ſancti beatiſſimi Marci Apoſtoli & Evangeliſtæ : patriſque noſtri deiferi, & glorioſiſſimi Severi Patriarchæ, & totius chori ſanctorum acceptorum coram Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unigenitum Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in unitate indiviſa. Illum vere, ut patrem in propria perſona notum, Filium eſſe agnoſcimus : duo enim non ſunt Filii, ſed Filius unus, unigenitus, non per gratiam, aut conjunctionem.

Credimus etiam in Spiritum ſanctum : carnis reſurrectionem, & ſanctam Eccleſiam Catholicam. Deus autem det nobis verbum doctrinæ ad aperiendum ora noſtra, ut vivamus ſecundùm vitam rectam, & in omnibus pietatem coram illo ſervantes, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum : per quem ſit gloria laus & honor Patri ſimulque Spiritui ſancto, nunc, &c.

Epiſtola Syſtatica adjungi ſolita.

HÆc eſt Epiſtola Syſtatica Abba N. ſanctiſſimi Archiepiſcopi magnæ urbis Alexandriæ, Foſtatique Babylonis, regiorumque Ægypti, Mares ſeu Thebaidis & Pentapoleos Africæ; regionumque Æthiopiæ & Nubiæ, Axumitarum & Macureæ, provinciæque ſuperioris. Nos Epiſcopi congregati eam ſubſcriptione firmavimus, celebravimuſque benedictam ejus ordinationem, ejuſque inthroniſationem ſuper cathedram divina loquentis Marci, in Catholica & Apoſtolica Eccleſia Dei, juxta conſuetudinem canonicam : eamque manus noſtræ ſubſcriptionibus confirmavimus, ſecundùm ea quæ in ipſa continentur : ad gloriam Dei. Amen.

Digitized by Google

AD OFFICIUM ORDINATIONIS PATRIARCHÆ ALEXANDRINI OBSERVATIONES.

OFficium Ordinationis Patriarchæ Alexandrini Jacobitarum, nuſquam antea editum, interpretati ſumus ex Codice accurate & eleganter ſcripto Bibliothecæ Seguierianæ Coptico & Arabico. Illud ſuis linguis illis dediſſemus, niſi characteres defeciſſent, quorum ut aliorum omnium Orientalium periit omnis apud nos memoria; cum tamen eos quorum in Editione Bibliorum Polyglottorum Pariſienſium uſus fuit, ſumma præ cæteris fuerit elegantia, nam ad typos inſignis Typographiæ Mediceæ formati fuerant. Quod ſupererat, accuratam ut exiſtimamus, verſionem illius Officii habebunt Orientalis diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi, qui ſane multis ad eam penitius cognoſcendam præſidiis deſtituti huc uſque fuerunt. Nam Vir Clariſſimus, & qui laudabilem in originibus Eccleſiaſticis illuſtrandis operam navavit Joannes Morinus, de Coptitarum Ordinationibus, nihil habuit, præter aliquot Officia quæ ex Leonis Allatii Symmictis tranſlata, Commentario ſuo adjecit, & Codex unde interpretatio facta eſt, integer non erat. Ipſa vero ejuſmodi eſt, ut quemcumque autorem habuerit, eum utriuſque linguæ Copticæ & Arabicæ, tum diſciplinæ imperitiſſimum fuiſſe ſtatim deprehendat, quicumque mediocrem linguarum aut rerum Orientalium notitiam habuerit. Cum vero juſtum de Ordinationibus ſecundùm diſciplinam Orientalem Commentarium paratum habeamus, in quo multa, quæ ad Patriarchæ ordinationem pertinent cum aliis obſervationibus referemus, pauca tantum & neceſſaria notæ ſequentes continebunt. Interea comparari non ſine fructu poterunt cum iſto Officio, quæ Morinus publici juris fecit Græca & Syriaca, inter quæ & Alexandrina, ſimilitudo maxima intercedit; neque id mirum cum omnia ex eodem fonte prodierint. Orientalia enim Officia omnia Græcæ ſunt originis: nec in Euchariſtiæ modò conſecratione ſed in omnibus Sacramentis. Cum autem pleræque cæremoniæ, & orationes quæ ad conſecrandum Patriarcham Alexandrinum uſurpari ſolent, ab illis quæ Ordinationi Epiſcoporum propriæ ſunt non multum differant, ea tantum attingemus quæ ſingularia ſunt, idque quantum poterimus breviſſime. Nam Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum nuper edita, præcedenſque Diſſertatio, Commentarii cujuſdam ad hanc Ordinationem loco eſſe poſſunt, cum nulla re magis diſciplina, quam exemplis confirmetur.

Conditiones quæ requiruntur in eo qui ad Patriarchalem dignitatem eligitur, paucis comprehendit Rubrica initialis: & illæ omnes

Digitized by Google

in Dissertatione exemplis, & autoritatibus confirmatæ sunt. Ex illis manifestum est, majorem prorsus Coptitis quam Græcis disciplinæ in eligendo Patriarcha curam fuisse, cum isti plerumque, non alios quam Constantinopoli missos Patriarchas habuerint, nulla suffragiorum Cleri aut plebis habitâ ratione. Accedit & peccatum illud contra Canones, Græcis dudum familiare, translatio scilicet Episcoporum, adeo ut pauci admodum reperiantur, qui prius alteri Ecclesiæ alligati non fuerint. At nihil simile huc usque apud Coptitas observatum est, laudabili sane exemplo, à quo longius Jacobitæ Antiocheni dudum recesserunt, omnium longissime Nestoriani, ut alibi fusius exposuimus.

Patriarchas Alexandrinos, scriptores plerique semper ex ordine Monastico eligi, tam secure affirmant, ut omnibus id prope persuaserint. Fuerunt tamen ad eam dignitatem promoti nonnulli ex Clero, qui Monasticam vitam professi non fuerant. Verum est tamen, nullum nisi qui Monasticam vitam professus fuerit, ordinari Patriarcham: sed quomodo hæc duo quæ contraria videntur possint conciliari, ex hoc Officio, & autoribus variis discimus. Nempe si Monastici ordinis non est, is qui eligitur, habitus integer quem *Alkim* vocant, à Græca voce Σχῆμα illi statim imponitur, quæ cæremonia integram vitæ Monasticæ professionem ita continet, ut statim omnibus illius regulis teneatur, jejunii præsertim & abstinentiæ. Nullus igitur ordinatur Patriarcha, qui Monachus non sit cum ordinatur, quia vitam religiosam si prius professus non fuerit, ante ordinationem profitetur. Adjicitur Archimandritæ seu Archipresbyteri dignitas, quæ in Ecclesia Coptica eadem est, quia propriam Ordinationem habet: necessariam vero esse judicant Alexandrini Jacobitæ, ut qui Ecclesiasticis omnibus præest, omnes Ordines susceperit.

Quæ de Patriarchæ electione in Dissertatione dicta sunt, ex Pontificali confirmantur, ex quo etiam agnoscitur quæ sint in suffragiis ferendis Episcoporum partes, quæ Cleri inferioris, Monachorum & Laicorum, in qua sane supersunt veteris Ecclesiasticæ disciplinæ veneranda vestigia. Eam vero non ut jam ubique passim ab aliquot sæculis, in solis libris extare, certissimum faciunt exempla ex Historia Patriarchali varia, quibus electionem Patriarcharum secundum illas regulas celebratam fuisse constat. Mirum sane & observatione dignissimum, per annos prope septingentos, nullum favore Principum, etiam sub Muhamedanæ gentis legum omnium contemptricis tyrannide, ad summam illam dignitatem evectum fuisse. Nam Cyrillus Laklaki filius in quo historia desinit, etsi præceptis Yubidarum Sultanorum munitus, magnisque amicorum opibus subnixus prensaret, repulsam tamen per annos circiter viginti passus est, neque eligi potuit, nisi postquam longæ vacationis tædio, in ejus tandem electionem Coptitæ consenserunt. Animadverti etiam potest quæ fuerit Comitiorum Patriarchalium forma, in quibus populus simul cum Clero, proponebat eos quos Pontificatu dignos judicaret: Episcopis tamen plenum servabatur de electi dignitate aut indignitate judicium, quod jus ut exempla multa do-

Digitized by Google

cent, constantissime retinuerunt. In actis igitur & instrumentis electionis loquuntur primo loco Episcopi, & testimonium dant consensus Sacerdotum, totiusque Cleri, Monachorum & Laicorum.

Nec etiam prætereunda singularis observatio circa Hierarchiæ Alexandrinæ Jacobiticæ dispositionem. Nullius enim Metropolitæ mentio est, sed neque Archiepiscopi, cum solus Patriarcha titulum hunc honoris habeat. Itaque duo Episcopi seniores, tractus maritimi, seu inferioris Ægypti, & Australis, sive Ægypti superioris, primum in Ordinatione locum tenent: quod non factum fuisset, si quis Archiepiscopus, aut Metropolita interveniisset, nam illis ex jure communi is honor competebat. Verum omissa quæstione quæ à viris doctissimis tractata est, an ut ab aliquot sæculis in Ecclesia Græca, ita olim Ægyptus Metropolitas habuerit, an solos Episcopos; saltem ex omnibus Ecclesiasticis Coptitarum monumentis constat, nullos apud eos Metropolitas aut Archiepiscopos fuisse, præter Alexandrinum. Observatur tamen sæculo duodecimo Damietæ Metropolitam appellari Michaelem quemdam Marco filio Zaraæ æqualem: & Cyriacus cujus ætas ignoratur, in titulo cujusdam Liturgiæ Æthiopicæ, quæ illi tribuitur, vocatur Archiepiscopus Behnsæ, quæ urbs erat Thebaïdis. At nullo historiæ loco observatur quidquam, unde Damietensem, & Behnsanum, dignitate reliquos Episcopos antecessisse, vel in eos jus aliquod exercuisse, demonstretur. Id si unquam, sane in Comitiis Ecclesiasticis ad electionem & Ordinationem Patriarcharum, locum habuisset: & cum plurium accuratam narrationem habeamus, semper seniores Episcopos duos electioni præfuisse, & Electo manus imposuisse agnoscimus. Imò inter tot Episcopos qui in Historia Patriarchali nominantur, nullos alios tali titulo honestatos reperimus. Fuit igitur simplex, quantum conjicere possumus, honoris prærogativa, cujus rationem ex conjectura nullam dare melius est, quam divinando lectores in errorem inducere. Neque Græcorum Notitiæ ullius ad quæstionem elucidandam momenti sunt, cum recentiores sint, nihilque cum Copticarum Ecclesiarum divisione commune habeant; qua de re quantum opus erat dictum fuit.

Illud quoque singulare & Jacobitis Alexandrinis proprium, ut Africanæ Ecclesiæ veteris exemplo, Episcopi ex ordinationis suæ antiquitate primatum quemdam obtinerent. Unus tamen inter omnes senior Episcoporum dicebatur, quamvis duo, unus Maritimæ provinciæ, alter Australis, sive superioris Ægypti antiquiores Episcopi, primas in electione & Ordinatione Patriarcharum partes haberent. At senior omnium Comitiis Patriarchalibus præsidebat, ut de Mose Episcopo Wissim, & aliis nonnullis narrat historia. Verum jus nullum aliud exercebant, quale Primates Africani, non modo quod Synodos convocare non possent, neque enim id Muhamedani patiebantur, nisi ad eligendum Patriarcham, sed neque Ordinationum Episcopalium suis in Diœcesibus ab illis celebratarum occurrunt exempla. In Psephismatis etiam, quæ statim atque omnium suffragiis electus aliquis fuerat,

conficiebantur, seniores illi Episcopi non suo nomine, sed reliquorum Episcoporum, Cleri, Monachorum & Laicorum loquebantur, & tanquam primi inter pares, absque ulla præ reliquis, honoris amplitudine.

Servavit etiam nobis Seguierianus Codex insigne monumentum Psephismatis ad electionem, tum Systaticarum Epistolarum, tribus linguis Græcâ, Coptiçâ & Arabicâ. Duabus enim ultimis illius lectionem ex Ambone fieri, Ebnassalus, Abulbircat & alii scripserunt, quamvis ex quibusdam exemplis in historia perscriptis, Græcè quoque instrumentum illud lectum fuisse constet. Ita factum ex eodem Codice intelligimus, eo certius, quod integram formam Psephismatis Græcè refert, mire quidem ex imperitia linguæ corruptam, non tamen ita, ut sincera lectio agnosci non possit. Coptica etiam forma longe accuratior illâ est, quam Abulbircat & alii autores repræsentant, qui Græcam formulam videntur ignorasse; non intellexisse saltem certissimum est.

Sequitur in Pontificali, duos seniores illos Episcopos solos, Electo manus imponere, quod non ita accipiendum est quasi tota Ordinationis series ab illis perficeretur. Nam antiqui Canones, quos Orientales omnes & Coptitæ ipsi, in Collectionibus suis habent, & quos religiose observant, tres saltem Episcopos ad alium ordinandum requirunt: & ut ex Historia Patriarchali discimus, traditione quadam, sed non ejusdem autoritatis fulti, duodecim Episcopos necessarios esse volunt ad ordinandum Patriarcham; quod tamen nullum in veteri disciplina fundamentum habet. Ex præjudicata nihilominus hac opinione factum est, ut contra morem majorum, Æthiopibus à multis sæculis plures habere Episcopos non licuerit, per Alexandrinos Jacobitarum Patriarchas; ne si duodecim simul in Æthiopia reperirentur, possent suum sibi Metropolitam ordinare, nec Alexandriam recurrere illis necesse foret. Illa igitur manuum impositio quæ duobus Episcopis senioribus reservatur, ea est quæ cum primis cæremoniis & orationibus conjuncta est, per quam Ordinatio non perficitur; nam ut ex eodem Pontificali manifestum est, omnes tandem Episcopi, Electo manus imponunt, & tunc ordinatus perfecte censetur.

De vinculis Electo injiciendis nihil dicendum occurrit, nisi mimum esse ex sincera quorumdam dignitatem fugientium reluctatione natum, non ex antiqua disciplinâ, quæ tales ludos ignoravit. Sane paucos admodum legimus, quos pedicis constringere opus fuerit: unde quod semel aut iterum seriò factum fuerat, in cæremoniam & ornatum degeneravit.

Observabimus quoque in eo loco, ubi Electus deduci jubetur ad Ecclesiam *Angelii*, ut in versione nostra expressimus, Coptitas affinitate nominis deceptos *Evangelii* scripsisse: *Angil* enim Arabicè loquentes, *Evangelium* vocant. Verum hoc titulo Ecclesia Alexandriæ nulla fuit: antiqua porro, & ad quam deduci novus Patriarcha solebat, *Angelii* dicebatur, ut expositum est in Historia Patriarchali.

Digitized by Google

Neque obiter prætereunda est vetus disciplina Græcæ linguæ in præcipuis orationibus, Psephismate, literisque systaticis conservatæ, apud Christianos, qui eam à multis sæculis prorsus ignorant. Illos enim ignorantia veteris idiomatis non movit, ut vetustam Sacramenta celebrandi more & linguâ majorum consuetudinem abjicerent, sed illam quoque in publicis quæ ad Ecclesiam spectarent, actis & instrumentis constantissime retinuerunt. Nihil magis ad communem Christianorum Coptitarum rem pertinebat, quam ejus designatio, qui omnium Pater & supremus sacrorum interpres, causarumque Ecclesiasticarum judex esse deberet. Illam quoque notam omnibus esse voluerunt, sed veteri disciplinâ servatâ, per interpretationem lingua vulgari, satis utilitati plebis consultum esse judicaverunt.

Quæ superessent observanda, cum non Alexandrinis singularia sint, sed Pontificalibus quibuscumque Ordinationibus communia, prætermittimus, quia suo loco accuratius explicabuntur. De unctione Patriarchæ Alexandrini, nihil in hoc Pontificali præscribitur, & sane illam ignorant Orientales, non minus in Episcoporum quam in Presbyterorum Ordinationibus, ut docuit pridem Joannes Morinus: neque Pontificales libri veteres aut recentiores, Symeon Thessalonicensis aut alii illius meminerunt, eamque usurpatam olim fuisse negat Arcudius. Nam quod dubitare visus est, inductus testimonio Jobii Monachi autoris obscuri, an aliquando usus illius fuerit, nimium illi tribuit, homini imperito, nihil minus quam Theologo, & quem insigniores Theologi aut ignoraverunt aut contemserunt, cum vix nomen ejus in illorum scriptis occurrat. Multo inferior, vel nulla potius habenda est autoritas perditissimi nebulonis Cyrilli Lucaris, qui in Epistola bene longa ad Joannem Utenbogardum, Patriarchas Alexandrinum & Hierosolymitanum Chrismate sive Myro ungi solere testatus est: Illam Epistolam cujus exempla diu inter manus Protestantium jactata sunt, ante multos annos editam, inter alias Illustrium Virorum, tanquam novam, & ex authentico descriptam nuper publicavit Autor, si quis unquam fuit imperitissimus Græcarum rerum Ecclesiasticarum, qui splendido *Monumentorum authenticorum* titulo farraginem suam inscripsit In eadem multa sunt æque falsa, quæ summam Cyrilli ignorantiam satis demonstrant, cujus probationes certissimas dedimus alibi. Cum vero ad Utenbogardum scriberet, Calviniſmum ita leviter degustaverat, ut in multis Ecclesiæ Græcæ fidem tueretur, in illis maxime rebus, quæ Protestantibus graves adeo judicatæ sunt, ut secedendi ab Ecclesia Catholica causam, ut existimabant, sufficientem dederint. Illis in locis lacunæ plures occurrunt, non ab autore aut casu, sed certo consilio interjectæ, quæ malam fidem editorum satis indicant. Cum vero Cyrilli ignorantiam alibi certis argumentis demonstraverimus, maxime in rebus vulgatissimis, ne tali autoritate quisquam in errorem inducatur, non est metuendum.

Lib. 6. c. 1. de sacr. Ordin. Exercit. 6. c. 1.

Digitized by Google

IN LITURGIAM ÆTHIOPICAM PRÆFATIO.

Alexandrinis Liturgiis Copticis & Græcis, quarum versiones edidimus, subjungere visum est Æthiopicam: tum ob argumenti similitudinem, tum quod à multis sæculis, nempe statim post subactam à Muhamedanis Ægyptum, Æthiopes ab Ecclesia Alexandrina Jacobitica fidem, disciplinam, & suas ipsas Liturgias acceperunt. Dudum prima, quæ in præcipuis sacri Officii partibus ex Coptica translata est, Æthiopicè edita fuit Romæ anno MDXLVIII. *simul cum Novo Testamento curante Petro Æthiope, Comos seu Archimandrita, qui aliter* Tesfa-Sion *appellabatur. Anno sequenti Latina versio prima Liturgiæ edita est hoc titulo.* Missa quâ Æthiopes communiter utuntur, quæ etiam Canon universalis appellatur, nunc primum ex lingua Chaldæa, sive Æthiopica, in Latinam conversa. *Illa statim Bibliothecæ Patrum inserta est, & in omnibus quæ deinde repetitæ sunt editionibus inter alias collocata, sed qualis à prima manu prodierat. Breves tantum locis aliquot notas adjecit Margarinus Bigneus, nullius ad illam explicandam utilitatis. Existimavimus olim versionem illam, cum sub oculis Æthiopum facta fuisset, & aliquot eruditi viri inter quos Marianus Victorius eidem operam impendissent, fidelem esse, atque adeò de ea solummodo recudenda, & aliquibus necessariis notis illustranda cogitabamus. Verum statim atque illam cum Æthiopico exemplari comparare cœpimus, tam multa quæ emendatione indigebant occurrerunt, ut novæ interpretationis molestia fuerit cum maximo tædio devoranda. Nam sæpe interpretes quicumque illi fuerint, orationis Æthiopicæ sententiam assecuti non sunt, non pauca mutaverunt, alia transposuerunt, præter insignes aliquot locos, ut in Invocatione Spiritus sancti, quos ab illis certo consilio interpolatos fuisse negari non potest. Hæc omnia quantum in nobis fuit emendare conati sumus. Neque mediocris nova hæc interpretatio laboris fuit, cum præter editum Romæ exemplar nullum haberemus, cujus ope innumera quibus scatet, menda tollere possemus, neque aliud ferme præsidium quam in comparatione istius Liturgiæ cum Coptica Basilii, cui in omnibus prope partibus*

bus respondet. Cum enim Æthiopica Ecclesia simillimos Alexandrinis ritus sequatur, ex istis multa ad illos spectantia intellexi mus, quæ alibi frustra quærerentur, etiam in vastis Ludolfi commentariis. Is enim in Æthiopum rebus Ecclesiasticis ita versatus est, ut eas obscuraverit potius, quam illustraverit, non modo ex Alexandrinæ fidei & disciplinæ ignorantia, sed magis ex suæ sectæ præjudiciis. Itaque sæpius in notis quæ huic versioni subjicientur, eum refellere necesse erit, non contentionis studio, sed amore veritatis, quam læsisse immaniter sæpe deprehendetur, & quæcumque rationes ejus conturbabant, mala fide dissimulasse.

Verum erunt procul dubio quibus intolerandæ temeritas videbitur quemquam hominem, multo magis me, qui mediocrem in lingua Æthiopica operam impenderim, non modo in rebus Æthiopicis, sed in ipsa linguæ interpretatione Ludolfum impugnare, qui hac in parte palmam dudum obtinuit. De ejus opere historico & Commentario nihil dicimus, nisi quantum ad res Liturgicas spectabat, & fidem circa Eucharistiæ sacramentum, quæ quidem ut alia religionis capita, nemo ex solis Æthiopicis libris unquam discere poterit, qui pauciſſimi sunt: & præcipuum qui est Fides Patrum, *Ludolfus non viderat. In lingua Æthiopica non valde peritum esse necesse est, præsertim illum qui aliquos in reliquis Orientalibus progressus fecerit, ad assequendam earum orationum sententiam, quarum primævum exemplar Copticè, Arabicè, & Græcè habetur, & quas omnium Liturgiarum Græcarum consensus sufficienter explicat. In istis quæ sane præcipua sunt, vix existimamus repertum iri in nostra versione quidquam, quod Æthiopico textui contrarium sit. Nempe usi sumus vocibus propriis stili Ecclesiastici, non noviter adinventis quales omnes ferme sunt quas Ludolfus Lexico suo inseruit. Ut rem exemplo perspicuo confirmemus. Vox* Corban, *quæ sæpius usurpatur in Liturgia, idem significat Æthiopicè, quod apud Syros & Arabes Christianos, sacrificium nempe Eucharisticum. Quis igitur Ludolfum audiendum existimet, cum illam singularem significationem ita explicat.* S. Cœnam distribuit Minister: *& mox duo illa verba Æthiopica explicans.* Qui administrant sacram Cœnam, seu qui offerunt communicantibus sacra mysteria. *Rursus cum ea vox* Corban *significet Arabicè Eucharistiam in loco quem citat ex versione Canonum Ancyranorum: Ludolfus,* Vulgo quoque significat panem & vinum benedictum in sacra Cœna. *At interpretationes illæ falsæ sunt. Nam in prima certissime agitur de Obla-*

tione ſacrificii, non de ſacramenti diſtributione. Quis vero niſi apud Lutheranos cœnam diſtribuere dixit? Aut quis tandem is miniſter? In ſecunda error ſimilis, neque enim de Euchariſtia agitur ſed de fidelium oblationibus. In tertia ſciens & volens peccavit, non minus contra ſignificationem Æthiopicam, quam contra Æthiopum, fidem, qui ſacramentum quando communicantibus diſtribuitur, non aliter vocant quam corpus & ſanguinem Chriſti. *Nullam itaque tot abſurdarum interpretationum rationem merito habuimus, non magis quam aliarum quas in notis explicabimus.*

Primam illam cujus verſionem damus, vocant Æthiopes Liturgiam Apoſtolorum, *ut notaverunt qui editionem curaverunt in ejuſdem fine: de quo titulo ut de reliquis, ſufficiunt quæ de hoc argumento diximus in Diſſertatione prævia, nam illa non minus Æthiopicis quam aliis Orientalibus Liturgiis conveniunt. Habentur aliæ præterea novem I. Joannis Evangeliſtæ, II. Patrum Orthodoxorum Nicænorum* CCCXVIII. *III. S. Epiphanii Orthodoxi. IV. Jacobi Serugenſis. V. Joannis Chryſoſtomi. VI. Domini noſtri Jeſu Chriſti quæ edita eſt cum prima, ad finem Novi Teſtamenti. VII. S. Mariæ quam ſcripſit Heriacos, vel Kyriacus Archiepiſcopus Behnſæ ibidem, edita. VIII. S. Gregorii Theologi. IX. Dioſcori quam Æthiopicè & Latinè Wanſlebius edidit Londini* MDCLXI. *Illas habuerat ex Codice Eduardi Pocockii & deſcripſerat, apographumque illarum habetur in Bibliotheca RR. PP. Prædicatorum in hac urbe ad ſanctum Honoratum, ex legato D. Ludovici Piques Doctoris & Socii Sorbonici. Illud exemplum mihi benigne communicavit R. P. Michael Lequien doctrina & editione operum S. Joannis Damaſceni notiſſimus. Cum illarum verſionem huic collectioni adjungere cogitaſſemus, id ex unico nec primævo exemplari fieri vix poſſe agnovimus, & inutili labori ſupersedimus: tota enim Liturgiæ Æthiopicæ diſpoſitio ex prima quantum opus eſt intelligitur.*

Digitized by Google

LITURGIA COMMUNIS
SIVE
CANON UNIVERSALIS ÆTHIOPUM.

Responsorium ante quam Liturgia incipiat.

ALleluia. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam exaudisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.

Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultatione exultabunt.

Asperges me hyssopo & mundabor: lavabis me & super nivem dealbabor.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: & ab alienis parce servo tuo.

Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.

Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.

Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus, hostiam vociferationis.

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus est. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Domine, salva, Domine prosperare.

Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini. Amen.

Salve sancta Ecclesia, cincta pariete variegato gemmis & topazio. Tu es arca auri puri, in qua est manna abscondicum, panis qui descendit de cœlo & dat vitam universo mundo.

Digitized by Google

Ante omnia Sacerdos dicit Orationes ſequentes, pro Eccleſia & pro altari.

DOmine Deus noſter, tu es ſolus ſanctus, & qui dediſti omnibus ſanctitatem, virtute tua inviſibili. Rogamus & deprecamur te Deus, ut mittas Spiritum tuum ſanctum ſuper hanc Eccleſiam, & ſuper hoc altare, & ſuper omnia ejus inſtrumenta. Sanctifica ea, ut perficiatur ſuper ea myſterium tuum glorioſum. Et nunc benedic, ſanctifica & munda nos ab omnibus ſordibus & maculis carnalibus: etiam non remaneat deinceps quidquam immundæ apoſtaſiæ: ſed fac nobis hanc Eccleſiam & hoc altare vas electum & pretioſum, velut argentum purgatum & mundum: præſta etiam ut perficiatur ſuper ea, Euchariſtiæ oblatio, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ante quam ornetur altare, & collocentur in eo vaſa ſancta.

DOmine Deus qui noviſti corda omnium, ſanctus qui in ſanctis requieſcis, qui ſolus potes dare remiſſionem peccatorum. Tu ſcis Domine, me eſſe indignum miniſterio iſto ſancto tuo: neque mihi talis confidentia eſt ut accedam, & aperiam faciem meam coram gratia tua ſancta. Tu igitur per multitudinem miſericordiæ tuæ, parce mihi peccatori, & nequam: da mihi ut inveniam miſericordiam in hac hora: & mitte mihi virtutem tuam deſuper, ut dignus efficiar perficiendi miniſterium tuum ſanctum ſecundum voluntatem tuam, & ſit ad beneplacitum cordis tui incenſum iſtud in odorem ſuavitatis. Tu etiam Domine Jeſu Chriſte, eſto nobiſcum, & benedic nos, quia tu es remiſſor peccatorum noſtrorum: luxque animarum noſtrarum, vita noſtra, virtus noſtra, & reparator noſter; & tibi mittemus ſurſum laudem in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ſuper Patenam.

DOmine Deus noſter Jeſu Chriſte, qui ſuper lignum ſanctæ crucis manus tuas extendiſti, extende nunc manum tuam ſuper hanc patenam, benedic, ſanctifica & purifica illam, ut in ea perficiatur corpus tuum ſanctum, in hac ſancta Eccle-

Digitized by Google

ſia Apoſtolica, quoniam tibi eſt gloria cum Patre tuo & Spiritu tuo ſancto, nunc & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ſuper Calicem.

DEus noſter Jeſu Chriſte, verus verè Deus, qui cum homo factus es, divinitas tua nunquam ſeparata eſt ab humanitate: qui effudiſti ſanguinem tuum voluntarie ſuper Golgotha: extende manum tuam ſuper hunc calicem, eumque benedic, ſanctifica & purifica, ut perficiatur in eo ſanguis tuus ſanctus, in hac ſancta Eccleſia Apoſtolica: quia tua eſt gloria cum Patre tuo, & Spiritu ſancto, &c.

Puritas benedictio & ſuavitas, bibentibus ex ſanguine tuo pretioſo, vero. Amen.

Oratio ſuper cochlear crucis.

DEus, Deus noſter, qui ſervum tuum Iſaiam Prophetam dignum feciſti videndi Seraphim in cujus manu forceps erat, quo accepit carbonem ex altari, quem immiſit ori ejus. Nunc Domine Deus noſter, Pater omnipotens in mundo, extende manum tuam ſuper hoc cochlear crucis, ad adminiſtrandum corpus & ſanguinem, unigeniti Filii tui Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Et nunc benedic, ſanctifica & munda illud, daque illi virtutem & gloriam, qualem dediſti forcipi Seraphim; quia tua eſt gloria, &c.

Oratio ſuper arcam ſive *diſcum majorem.*

DOmine Deus noſter qui dixiſti Moyſi ſervo tuo & Prophetæ, fac mihi vaſa pretioſa, & collocabis ea in tabernaculo ſuper montem Sinaï: nunc Domine Deus noſter omnipotens, extende manum tuam ſuper hanc arcam; & imple illam virtute, fortitudine & gratia Spiritus ſancti, ad gloriam tuam, ut perficiatur in ea corpus unigeniti Filii tui Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in hac ſancta Eccleſia Apoſtolica, quia tibi eſt gloria, &c.

Tum faciens ſignum crucis Sacerdos dicit.

Virtus, benedictio, illuminatio & ſanctificatio Trinitatis ſanctæ ſit huic Eccleſiæ, benedictæ civitatis N. Amen.

Digitized by Google

2. Oratio illationis.

DOmine Deus noſter qui ſuſcepiſti ſacrificium Abel in planitie, Noë in arca, Abrahæ in cacumine montis, Eliæ in monte Carmelo, Davidis in arca Ornan Jebuſæi, & minuta viduæ in ſanctuario: ita ſuſcipias oblationem & ſacrificium ſervorum tuorum, quod intulerunt nomini tuo ſancto, ſitque in remiſſionem peccatorum eorum, & peccatorum populi tui, & retribue illis retributionem bonam, in hoc & venturo ſæculo, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio quando miſcetur aqua cum vino.

CHriſte qui vere es Deus noſter, qui iviſti ad nuptias cum invitaverunt te in Cana Galilææ, benedixiſtique illis & feciſti aquam vinum; ita fac huic vino propoſito coram me, benedic & ſanctifica illud, ut ſit in lætitiam, exultationem, & vitam animabus & corporibus noſtris, ſemperque ſint nobiſcum Pater, Filius & Spiritus ſanctus: neque enim nobis eſt alius Deus præter te. Reple quoque vinum iſtud exultatione & lætitia, ad ſuavitatem, vitam, ſalutem, prudentiam, & conſilium Spiritus ſancti; nunc & ſemper, & in ſæculum. Amen.

Benedictus Dominus Deus Pater omnipotens. Benedictus Filius unigenitus Jeſus Chriſtus, qui natus eſt de Maria Virgine. Benedictus Spiritus Paraclitus Deus noſter, quibus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto vera poteſtas eſt in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea repetet ſupercalicem Orationem. Domine Deus noſter qui ſuſcepiſti, &c. *Ut ſupra in offerendo hoſtiam.*

Dicit Sacerdos cantando & extendendo palmas ſurſum, ita tamen quod caput non excedant.

Unus Pater ſanctus, unus Filius ſanctus, unus eſt Spiritus ſanctus. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Diaconus dicit. Surgite ad Orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Digitized by Google

Iterum Diaconus. Surgite ad orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Domine miſerere noſtri. Cum ſpiritu tuo.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

GRatias agamus benefactori noſtro Domino miſericordi, Patri Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quia protexit nos, juvit, & cuſtodivit, & miſertus eſt noſtri: ad ſe accedere fecit, ſuſcepit nos, roboravit, & multiplicavit nos uſque ad hanc horam: rogemus ergo illum iterum, ut cuſtodiat nos in hac die ſancta, omnibuſque diebus vitæ noſtræ in pace omnipotens Dominus Deus noſter. Orate.

Sacerdos. Domine Domine omnipotens, Pater Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, gratias agimus tibi de omnibus, pro omnibus & in omnibus, quia protexiſti nos, juviſti nos, cuſtodiſti nos, & miſertus es noſtri, ſuſcepiſti, roboraſti & multiplicaſti nos uſque ad hanc horam.

Diaconus. Petite & rogate ut miſereatur noſtri Dominus & parcat nobis: ſuſcipiatque orationem & deprecationem quæ fit pro nobis à ſanctis ſuis, ut benignus erga nos ſemper, efficiat nos dignos, ut ſuſcipiamus, participeſque ſimus communionis myſterii benedicti, & dimittat nobis peccata noſtra.

Dicetque omnis populus ter. Kyrie eleiſon.

Sacerdos. Ut ducamus hunc diem ſanctum & omnes dies vitæ noſtræ in pace cum timore tuo: omnem invidiam, omnem dolum, omnemque operationem ſatanæ, omnem machinationem hominum improborum, inſultationemque inimici ſecretam & manifeſtam, procul fac & depelle à me, & ab omni populo tuo, & ab hoc loco ſancto tuo: quæcumque bona, quæcumque præſtantia, mandato tuo præſta nobis: quia tu es qui dediſti nobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, omnemque virtutem inimici. Et ne nos inducas Domine in tentationem: ſed libera & eripe nos ab omni malo; per gratiam, miſericordiam, & amorem erga homines Filii tui unigeniti, Domini Dei, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti: per quem cum quo, & cum Spiritu tuo ſancto, te decet gloria & imperium, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Oratio pro illis qui attulerunt oblationes.

ITerum deprecemur omnipotentem Deum, Patrem Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, pro illis qui obtulerunt munera, in una, Catholica, Eccleſia ſancta, oblationes, primitias, decimas ad gratiarumactionem & memoriam, ſive multum, ſive paululum, ſive publice, ſive ſecreto: ut etiam pro illis qui voluerunt offerre, & non potuerunt: acceptum ſit votum & deſiderium omnium, in cœlo ſpirituali, gratiamque benedictionis omni operi concedat, cui poteſtas eſt Dominus Deus noſter.

Diaconus. Orate pro illis qui obtulerunt munera.

Sacerdos. Domine Deus omnipotens, rogamus & deprecamur te pro illis qui obtulerunt munera, ad ſanctam, unicam & Catholicam Eccleſiam, ſive multum ſive paululum, ſive publice ſive ſecretò: & pro illis qui voluerunt nec potuerunt; acceptum ſit votum & deſiderium omnium: da illis mercedem, & benedictio duplex illis à te concedatur per unigenitum Filium tuum: per quem & cum quo, & cum ſancto Spiritu tibi eſt gloria & poteſtas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.

4 *Oratio oblationis myſtica.*

PRinceps Jeſu Chriſte, cujus ſubſtantia facta non eſt verbum purum genitoris.... Patri & Spiritui ſancto; tu æqualis es panis vivus qui deſcendit de cœlo, qui prius fuiſti in figura agni immaculati pro vita mundi: nunc rogamus & obſecramus benignitatem tuam, amator hominum: oſtende faciem tuam ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem, quos propoſuimus ſuper hoc altare ſpirituale tuum: benedic, ſanctifica & purifica illos; & tranſmuta hunc panem, ut fiat corpus tuum purum: & quod miſtum eſt in hoc calice ſanguis tuus pretioſus, fiantque nobis omnibus, oblatio ad medelam, & ad ſalutem animæ noſtræ & corporis: quia tu es Rex omnium noſtrûm Chriſte Deus noſter, & mittemus tibi ſurſum, ſanctificationem, gloriam & adorationem, ſimulque Patri tuo bono cœleſti, & Spiritui tuo ſancto vivificanti, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Populus. Coram te Domine adoramus, & glorificamus te,

Sacerdos

Digitized by Google

6 *Sacerdos dicit Orationem Abſolutionis ad Filium.*

DOmine Jeſu Chriſte Fili unigenite, Verbum Dei Patris, qui rupiſti à nobis omnia vincula peccatorum noſtrorum, per paſſionem tuam ſalutarem & vivificantem: qui inſufflaviſti in diſcipulos tuos ſanctos, & Apoſtolos puros, dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum non remiſeritis, retenta erunt: Tu Domine nunc per Apoſtolos tuos puros, gratiam ſacerdotibus dediſti, ut idem facerent in Eccleſia ſancta tua, remitterentque peccata ſuper terram, omni tempore, ligarentque & ſolverent omnia iniquitatis vincula. Igitur etiam nunc, rogamus & obſecramus bonitatem tuam amator hominum, omnibus ſervis tuis, patribus & fratribus meis, mihi quoque ſervo tuo Teſfa Sion, & omnibus qui inclinaverunt colla ſua coram altari tuo ſancto, planam fac viam miſericordiæ tuæ: ſcinde & rumpe omne vinculum peccatorum noſtrorum, quæ commiſimus coram te Domine, ſcienter vel ignoranter: per malitiam cordis, aut imbecillitatem: per ſermonem aut puſillanimitatem, aut per fallaciam: quia tu Deus noſti fragilitatem humanam. O bone amator humani generis, & omnium Domine, concede nobis remiſſionem peccatorum noſtrorum: benedic nobis, ſanctifica nos, munda nos, bonum odorem da nobis, libera nos & fac nos abſolutos.

7 Abſolve Domine Patriarcham noſtrum Abba N. Sanctumque & beatum Metropolitam noſtrum Abba N. Abſolve Domine Regem noſtrum. 8 Memento Domine animarum Patrum noſtrorum ſervorum tuorum: Abba Mathæi & collegarum ejus: Abba Salama, Abba Jacobi: Abba Bartholomæi, Abba Michaelis, Abba Iſaaci, Abba Joannis, Abba Marci.

Memento Domine Regum Æthiopiæ, Abraha & Azbeah, Caleb, Gabra-Maskal, Conſtantini, Freſſennai, Dagna-Michael, Navvi-Chriſtos, Degba-Sion, Hamda-Sion, David, Theodori, Iſaaci, Andreæ, Hamad-Jeſu, Zara-Jacob: Baede-Mariam, Alexandri, Hamda-Sion, Naod, Leban-Dinghil.

Abſolve Domine Patres noſtros, Abba Antonium, & Abba Macarium. Memento Domine animæ Patris noſtri ſervi tui Tekla-Haimanot, cum omnibus ejus filiis. Memento etiam

Domine Patris noſtri Euſtathii & omnium filiorum ejus, totiuſque populi. Memento eorum Domine & perfice in illis timorem nominis tui, noſque dirige ad faciendam voluntatem tuam : quia tibi debetur honor & gloria, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Servi tui qui miniſtrant hodie, Sacerdos, Diaconus, Clerus & populus, & ego pauper ſervus tuus, peccator & nequam, ſint abſoluti per os Trinitatis ſanctæ, Patris, Filii & Spiritus ſancti; & per nomen Mariæ, cœli ſecundi & textrinæ venerandæ: & per os hujus Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ : per os quindecim Prophetarum, & duodecim filiorum illorum : per os duodecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum, quingentorumque ſociorum illorum : etiam per os patris noſtri divina loquentis, Marci Evangeliſtæ, Apoſtoli & Martyris : per os Patriarchæ ſancti Severi, ſancti Athanaſii, ſancti Joannis Chryſoſtomi, ſancti Cyrilli, ſancti Gregorii, ſancti Baſilii, & per os CCCXVIII. Orthodoxorum, qui Nicææ congregati ſunt; ut CL. Conſtantinopoli: & CCL. qui Epheſi : per os Patriarchæ noſtri Abba Gabriel; Metropolitæque noſtri Abba N. tandem per os meum, ſervi tui peccatoris & nequam, ſint abſoluti : per os Trinitatis ſanctæ, Patris, & Filii & Spiritus ſancti, quia plenum majeſtate eſt & gloria nomen tuum, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Sacerdos dicit Orationem incenſi.

Hic imponit Sacerdos incenſum, ſimulque commemorat ortus dierum & noctium ſive novilunia & feſtos dies : facit etiam memoriam vivorum & mortuorum, tum dicit.

Benedictus Pater omnipotens, in ſæculum. Benedictus Filius unigenitus Jeſus Chriſtus, qui homo factus eſt ex Maria ſancta Virgine: & benedictus Spiritus ſanctus Paraclitus Deus noſter; in odorem ſuavem Trinitati ſanctæ Deo noſtro. *Cumque Sacerdos adolebit incenſum ſuper altare dicet.* Alleluia Patri : alleluia Filio : alleluia Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.

Deus noſter in æternum, primus & noviſſimus, abſque initio & abſque fine, magnus in conſiliis ſuis, potens in operibus ſuis, & ſapiens in operatione ſua, qui es ubique. Rogamus & deprecamur te Domine, ut ſis nobiſcum in hac hora : oſtende faciem tuam ſuper nos : eſto nobiſcum & in me-

Digitized by Google

dio noſtri : purifica corda noſtra & ſanctifica animas noſtras, dele nequitiam noſtram, & dimitte peccata noſtra quæ commiſimus voluntarie, aut involuntarie : & præſta nobis ut offeramus tibi oblationem rationalem, ſacrificiumque gratiarum actionis, & ſpirituale, ut introeamus in penetrale ſancti ſanctorum.

Memento Domine unius ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ, quæ eſt à finibus uſque ad fines mundi.

Memento Domine Patriarchæ noſtri Abba N. & ſancti beatique Metropolitæ noſtri Abba N. omniumque Patriarcharum, Metropolitarum, Epiſcoporum, Sacerdotum & Diaconorum.

Memento Domine etiam Regis noſtri N.

Memento Domine patrum & fratrum noſtrorum, qui dormierunt & quieverunt in fide Orthodoxa.

Memento Domine congregationis noſtræ & benedic eos qui in illa ſunt, uſque in finem.

Sacerdos. Adoremus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum in Trinitate : *& dicitur ter.*

Populus idem repetit ter.

Sacerdos. Salve ſancta Eccleſia, habitaculum pacis. Salve Virgo Maria mater Dei : tu es thuribulum aureum quæ carbonem ignitum portaſti. Benedictus qui eum accipit è ſanctuario, eum qui dimittit peccata & delet crimina, qui eſt Dominus Deus, Verbum ex te incarnatum, qui ſe obtulit Patri ſuo in incenſum præcipuum, ſacrificiumque pretioſum. Adoramus te Chriſte, cum Patre tuo, bono & miſericordi : & cum Spiritu tuo ſancto & vivificante, quia tu adveniſti & ſalvaſti nos.

Sacerdos repetit ſemel atque iterum. Salve ſancta Eccleſia dum adolet incenſum.

Coadjutor Sacerdotis dicit antequam legatur Epiſtola Pauli.

DOmine ſapiens & autor ſapientiæ, qui revelaſti nobis ea quæ profundis tenebris abſcondita erant, dediſtique verbum exultationis prædicatoribus, virtute tua magna : Tu per benignitatem tuam multam, vocaſti Paulum qui prius erat perſecutor, feciſtique illum vas electum, & in eo complacuiſti, ut eſſet Apoſtolus, prædicator & annuntiator Evangelii regni tui. Chriſte Deus noſter oramus & deprecamur te, ama-

tor humani generis, concede nobis intelligentiam, cognitionem, & scientiam inamissibilem, ut intelligamus, & perspiciamus scripturas sanctas quæ leguntur coram te: & quemadmodum similis factus est tibi per imitationem, ô autor vitæ, ita fac nos dignos ut eum imitemur, & ambulemus in viis ejus: laudemusque nomen tuum sanctum, & gloriemur in pretiosa cruce tua quocumque tempore: quia te decet imperium, virtus, magnificentia, potestas magna, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

9 *Diaconus antequam legatur Epistola dicit.*

Ex Paulo servo & Apostolo Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, qui vocatus, electus, & segregatus est ad prædicationem Evangelii sancti: lectio Epistolæ N. oratio ejus & benedictio sit nobiscum. Amen.

Et post lectionem Pauli Diaconus dicet.

Gratia Patris, caritas Filii & donum Spiritus sancti, qui descendit super Apostolos benedictos, & puros, in cœnaculo Sion sanctæ, duplicetur super nos, populum Christianum in sæcula sæculorum. Amen.

Sancte Paule Apostole bone minister, sanator infirmorum, accepisti coronam; ora & precare pro nobis, Christum ut salvet animas nostras, per multitudinem clementiæ, nominis sui sancti.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Tunc repetit orationem quæ supra descripta est. Deus noster in æternum, &c.

Sacerdos assistens antequam legatur Apostolus, sive *Epistola ex Catholicis dicet.*

Hæc est lectio ex Epistola N. discipuli & Apostoli Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, oratio ejus & benedictio sit nobiscum. Amen.

Post lectionem Catholicæ Epistolæ, Diaconus dicet.

Fratres mei nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quoniam omnia quæ sunt in mundo, concupiscentia oculorum sunt, concupiscentia carnis, & molestia ex opibus: quæ non ex Patre sed ex mundo sunt: mundus autem transit & concupiscentia ejus: qui vero facit voluntatem Dei, permanebit in æternum.

Populus. Sancta Trinitas, una in substantia tua, custodi confessum nostrum, propter sanctos & electos discipulos tuos:

Digitized by Google

consolare nos per misericordiam tuam, quia sanctum est nomen tuum.

Diaconus. Surgite ad orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Deus noster, qui Apostolis tuis sanctis manifestasti mysterium gloriæ Christi tui, magnaque & innumerabilia dona eis dedisti, quæ gratiam tuam decent, misistique eos ad prædicandum in omnibus finibus mundi, divitias gratiæ tuæ occultæ, & misericordiæ tuæ. Et nos Domine rogamus & deprecamur te; ut nos dignos efficias hæreditate & societate illorum, ut ambulemus in viis eorum, & sequamur vestigia eorum. Concede etiam nobis ut semper illos imitemur, & in amore eorum roboremur, participesque simus laborum eorum, in vero Dei cultu. Custodi etiam Domine Ecclesiam tuam sanctam, quam per illos fundasti, & benedic oves pascuæ tuæ. Multiplica vineam istam, quam plantavit dextera tua sancta, per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem tibi & cum eo, simulque cum Spiritu sancto, est gloria & potestas, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos adolet incensum & dicit. Domine Deus noster qui suscepisti sacrificium Abrahami patris nostri, vice Isaaci filii ejus, & ad eum illius loco agnum demisisti, ita Domine suscipias à me odorem hunc thuris, & mitte desuper ejus vice, divitias gratiæ & misericordiæ tuæ: & præsta nobis, ut simus puri ab omni odore peccati: facque nos dignos ministrandi in sanctuario sancto tuo, cum puritate & justitia, ô amator hominum, omnibus diebus vitæ nostræ in lætitia.

Et iterum dicet. Memento, &c. & Lætare, &c.

Acta ministrorum istius prædicationis, Patrum nostrorum Apostolorum, purorum & gratia plenorum, electorum & justorum, cumulatorum gratiâ Spiritus sancti: orationes & benedictiones eorum custodiant nos omnes Christianos in sæcula sæculorum. Amen.

Et post lectionem Actuum Apostolorum Sacerdos dicit.

Verbum Domini magnum propagatum est in Ecclesia sancta, multiplicatique sunt qui crediderunt in Dominum & salvatorem nostrum Jesum Christum; ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus Pater omnipotens. San-

ctus, Sanctus, Sanctus, Filius unicus, Verbum Patris vivum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Spiritus sanctus, sciens omnia.

Diaconus. Surgite ad orationem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Deus noster Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis sanctis, & Apostolis tuis puris, quoniam multi Prophetæ & justi desideraverunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ audistis & non audierunt: similiterque, beati oculi vestri qui viderunt, & aures vestræ quæ audierunt: nos etiam dignos fac ut audiamus & faciamus verba Evangelii tui sancti, per orationes sanctorum tuorum.

Diaconus. Orate pro Evangelio sancto.

Sacerdos antequam legatur Evangelium dicit. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: in Domino laudabitur anima mea. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Surgite, audite Evangelium sanctum, prædicationis Domini & salvatoris nostri Jesu Christi.

Sacerdos. Memento etiam Domine eorum qui petierunt orationes & deprecationes ad te nostras. Rogamus quoque te Domine, pro illis qui pridem dormitionem acceperunt, ut requiem illis præstes: infirmos etiam sana, quia tu es vita & spes omnium nostrum, resurrectio & protectio: tibique gratiarum actionem referemus usque ad cœli sublimia in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos conversus ad populum dicet. Dominus desuper benedictionem mittat super nos omnes, populum Christianum: & faciat introitum nostrum in hac Ecclesia sancta, una cum Angelis sanctis, qui illi subjecti sunt semper, & glorificant eum omni tempore, in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos ter incensat Evangelium, & tunc annuntiat illud populo dicens. Evangelium sanctum quod prædicavit aut annuntiavit N. verbum Filii Dei.

Populus. Gloria tibi sit semper Christe Domine & Deus noster. Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob: sumite psalmum & date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.

Post lectionem Evangelii, Populus dicit. Cherubim & Seraphim sursum mittunt ei gloriam.

Digitized by Google

Tunc dicent. Sanctus, Sanctus, sanctus omnipotens : pleni sunt cœli & terra sanctitate gloriæ ejus.

Diaconus. Surgite ad orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus. Iterum rogemus omn ipotentem Dominum, patrem Domini Dei & salvatoris n ostri Jesu Christi. Oramus & obsecramus bonitatem tuam, am ator hominum : memento Domine pacis Ecclesiæ sanctæ, unicæ Catholicæ & Apostolicæ.

Diaconus. Orate pro hac Ecclesia sancta, unica, Catholica & Apostolica, Orthodoxa, in Domino.

Populus. Domine Deus noster da nobis pacem : Christe Rex noster miserere nobis.

Sacerdos. Quæ est à finibus usque ad fines mundi ; totius populi & totius gregis, benedicque illis : pacem de cœlis mitte super omnes animas nostras ; pacem vitæ nostræ concede nobis benigne in ea. Benignus esto Domine Regi nostro Claudio, proceribus, judicibus, & exercitibus ejus, & circa nos congregatis, tam intra quam extra. Orna eos omni pace, Rex pacis : pacem da nobis, quia omnia nobis dedisti. Conserva nos Domine, quia præter te alium non novimus : nomen tuum sanctum pronunciamus & invocamus, ut vivat anima nostra in Spiritu sancto, neque prævaleat mors peccati super nos servos tuos, & omnem populum tuum.

Oratio pro Pontificibus.

ITerum deprecamur omnipotentem Deum, Patrem Domini Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi : rogamus, & obsecramus bonitatem tuam amator hominum : memento Domine Patris nostri venerandi Patriarchæ nostri Abba Gabrielis : sanctique & beati Metropolitæ nostri N.

Diaconus. Orate pro Pontificibus, Patriarcha nostro Abba N. Domino Archiepiscopo magnæ urbis Alexandriæ, & Metropolita nostro Abba N. omnibusque Episcopis, Sacerdotibus & Diaconis Orthodoxis.

Sacerdos. Servans conserva eos nobis, annis multis, diebusque tranquillis, in justitia & pace : ut perficiant sacrificium quod illis commisisti, cum ordine sacerdotali, secundùm voluntatem tuam sanctam & beatam : ut judicent in justitia & æquitate, & pascant populum tuum in justitia : omnes etiam Episcopos, Sacerdotes & Diaconos Orthodoxos, omnesque

Digitized by Google

pariter unius ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ : orationeſque quas faciunt pro nobis, & pro omni populo tuo, ſuſcipe ad altare tuum ſupernum, in odorem ſuavitatis : omnes hoſtes & adverſarios eorum, ſubjice & contere ſub pedibus eorum velociter : illos vero nobis conſerva in juſtitia & pace in Eccleſia tua ſancta.

Oratio pro congregatione.

ITerum deprecemur omnipotentem Deum, Patrem Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Rogamus & obſecramus bonitatem tuam, amator hominum : memento Domine congregationis noſtræ, & benedic illis qui in ea ſunt.

Diaconus. Orate pro hac Eccleſia ſancta & congregatione noſtra quæ in ea eſt.

Populus. Benedic congregationi noſtræ, & conſerva eam in pace : *moxque dicunt Symbolum fidei.*

Diaconus. In ſapientia Dei, dicite Symbolum fidei & canite.

10. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium & inviſibilium. Credimus etiam in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Patris unicum : qui erat cum eo antequam crearetur mundus : lumen de lumine, Deum de Deo vero : genitum non factum, æqualem Patri ſecundùm divinitatem ſuam : per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quidquam, in cœlo & in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & ex Maria Virgine ſancta, & homo factus eſt. Crucifixus eſt tempore Pontii Pilati, paſſus, mortuus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit à mortuis tertia die, ſicut ſcriptum erat in ſacris ſcripturis : aſcendit cum gloria in cœlos, ſederque ad dexteram patris ſui ; iterumque venturus eſt cum gloria judicaturus vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus etiam in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit : quem adoramus & glorificamus, cum Patre & Filio : qui locutus eſt per Prophetas. Credimus etiam in unam ſanctam Eccleſiam, Catholicam & Apoſtolicam. Credimus unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum : & expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam venturam in ſæculum. Amen.

Sacerdos. Fac ut congregationes noſtræ ſint nobis abſque impedimento

pedimento & intermissione: fiantque per voluntatem tuam sanctam & beatam, domus orationis, domus puritatis, domus benedictionis. Benigne concede illas nobis servis tuis, & illis qui post nos venturi sunt, usque in sæculum. Exurge Domine Deus noster, & dissipentur inimici tui, & fugiant à facie tua omnes qui oderunt nomen tuum sanctum & benedictum. Plebesque tuæ benedictæ sint benedictionibus millenis & decies millies millenis, ut faciant omnem voluntatem tuam, per gratiam, misericordiam, & amorem erga homines unigeniti Filii tui, Domini, Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi, per quem tibi, & cum eo, & cum Spiritu sancto sit gloria & imperium, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro pace perfecta.

Sacerdos. DEus magne & æterne qui formasti hominem corruptionis expertem, mortem vero quæ antiquitus intravit in mundum per invidiam satanæ, & virtutem ejus destruxisti per adventum unigeniti Filii tui Domini, Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi & impleviſti terram pace tua: unde exercitus cœlestes glorificant te dicentes, gloria Deo in cœlis, & in terra pax, bonaque ejus voluntas hominibus.

Diaconus. Orate pro pace perfecta, & amica salutatione Apostolica. Amplectimini invicem: 11 Qui non communicatis, exite: qui communicatis, amplectimini invicem, in plenitudine cordis vestri: qui communicaturus est custodiat se à malo.

12 *Sacerdos.* Domine per benignitatem tuam imple corda nostra pace tua, & munda nos ab omni macula, & immunditia, ab omni vindictæ studio, ab invidia & injuriarum recordatione lethifera. Domine fac nos omnes dignos, ut amplectamur invicem in osculo sancto, ut percipiamus absque condemnatione donum tuum cœleste & immortale, sicut decet gratiam tuam, qui cum Spiritu sancto, &c.

Populus. Christe Deus noster fac nos dignos salutandi te osculo sancto & cœlesti, ut laudemus te cum Cherubim & Seraphim, & clamemus dicendo: Sanctus, Sanctus, Sanctus omnipotens: pleni sunt cœli & terra gloriâ sanctâ tuâ.

Sacerdos. Dominus sit vobiscum, sanctus in sanctis, sanctus in sanctis, sanctus in sanctis. Gratias agimus tibi Domine,

Digitized by Google

per dilectum Filium tuum unigenitum; Dominum, Deum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, quem ultimis diebus miſiſti nobis: Filium tuum, ſalvatorem, redemptorem, Angelum conſilii tui, qui eſt verbum à te prodiens, & in quo omnia feciſti per voluntatem tuam.

Diaconus. Pro beato & ſancto Patriarcha noſtro Gabriele vel N. & Patre noſtro venerando Metropolita noſtro Abba N. qui orationibus ſuis laudant te & gratias agunt tibi.

Per Stephanum protomartyrem, Zachariam ſacerdotem, & Joannem Baptiſtam: per omnes ſanctos & Martyres qui quietem acceperunt in fide Chriſti: Mathæum, Marcum, Lucam, Joannem, quatuor Evangeliſtas, & per Mariam Dei genitricem exaudi nos. Per Petrum, Andream, Jacobum & Joannem, Philippum & Bartholomæum, Thomam & Matheum, Thadæum & Nathanael, Jacobum filium Alphei, & Mathiam, duodecim Apoſtolos: & Jacobum Apoſtolum fratrem Domini, Epiſcopum ſanctuarii Jeruſalem: Paulum & Timotheum, Silam, Barnabam, Titum, Philemonem & Clementem: ſeptuaginta duos diſcipulos, & ſocios eorum quingentos, trecentoſque decem & octo Orthodoxos: orationes eorum multiplices nobiſcum ſint.

Memento etiam Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ in pace, pretioſo ſanguine Chriſti tui ædificatæ. Memento quoque Patriarcharum, Metropolitarum, Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum, qui rectam doctrinæ veræ viam tenuerunt.

Populus. Miſerere Domine animarum ſervorum tuorum, & ancillarum tuarum, qui comederunt corpus tuum, & biberunt ſanguinem tuum, & quietem acceperunt in fide tua.

Sacerdos. Iterum deprecemur omnipotentem Dominum, Patrem Domini, Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Memento Domine, unius ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, conſervatæ à finibus uſque ad fines mundi.

Memento Domine Patris noſtri Patriarchæ noſtri Abba N. & Beati Metropolitæ noſtri Abba N. conſerva illum nobis annis multis, diebuſque pacificis.

Memento Domine Sacerdotum, Diaconorum & Subdiaconorum Orthodoxorum.

Memento Domine Regis noſtri, Lebna-Dinghil, conſerva eum nobis in pace.

Digitized by Google

Trinitas ſancta, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, benedic populum tuum dilectorum Chriſtianorum, benedictionibus cœleſtibus, & mitte gratiam Spiritus ſancti, & fac portas Eccleſiæ tuæ ſanctæ nobis patere cum miſericordia & ſecuritate, Perfice nobis fidem Trinitatis uſque ad ultimum vitæ ſpiritum. Pontifex Jeſu Chriſte reſpice infirmos populi tui: deduc patres & fratres noſtros qui profecti procul ſunt, & reduc eos ad habitacula eorum in pace & ſanitate: benedic ventis cœli & pluviis, fructibuſque terræ hujus anni, ſecundùm gratiam tuam: præſta gaudium & lætitiam ſuper faciem terræ, & confirma nobis pacem tuam.

Converte cor Regum potentium in bonum erga nos: concede Pontificibus Eccleſiæ ſanctæ,& omnibus ſecundùm cujuſque nomen,gratiam coram Regibus potentibus: principeſque qui illis imperant,faciles & placatos illis redde Domine.

Quietem quoque præſta patribus & fratribus noſtris qui dormitionem acceperunt, & decubuerunt in fide Orthodoxa: benedic illis qui occupantur circa thus, panem oblationis, vinum, oleum, vela, libros qui in Eccleſia leguntur, & vaſa ſanctuarii, ut Chriſtus Deus noſter deducat eos in Jeruſalem cœleſtem, & omnes qui nobiſcum congregati ſunt, & expectant miſericordiam Chriſti Dei noſtri. Miſerere eorum & omnium qui dederunt nobis eleemoſynas coram tribunali tuo timendo, illiſque benignus eſto. Omnes animas anguſtiatas & afflictas, carceratos quoque & captivos,exules & in ſervitutem abductos, & in amaris laboribus detentos, Deus noſter per multitudinem miſericordiæ tuæ,ſalva illos.

Pontifex Jeſu Chriſte omnes qui præceperunt nobis, ut eorum meminiſſemus, Chriſte Deus noſter memento illorum in regno cœleſti. Domine ſalvum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: rege eos & extolle illos uſque in æternum: cuſtodique illos in fide Orthodoxa & in gloria, omnibus diebus vitæ ſuæ: fac etiam eos plenos caritate ex toto corde eorum, omnibuſque ſuperiore: Per preces & deprecationes quas faciet pro nobis Domina omnium ſancta & pura Maria, Mater Dei: & per preces magnorum luminarium, Michael, Gabriel, Raphael & Suriel: quatuorque animalium incorporeorum: & viginti quatuor Sacerdotum cœli: ſancti Joannis Baptiſtæ: Patrum noſtrorum Patriarcharum, Apoſtolorum, ſeptuaginta duorum diſcipulorum,

Digitized by Google

& trium puerorum : ſancti Stephani principis Diaconorum, ſancti Georgii, ſancti Theodori, ſancti Mercurii ſancti Mennæ, ſancti Philothei, ſancti Baſilidis, ſancti Patris Nob, & omnium martyrum : Domini quoque & magni, ſanctique Patris noſtri Abba Antonii : Patrumque noſtrorum ſanctorum trium Macariorum, Patriſque noſtri Abba Bichoi, & Abba Joannis, Abba Cyri, & Patris noſtri Abba Barſomæ : Patris noſtri Abba Salama, Joannis Kemi ; juſtique Patris noſtri Abba Pauli, patrumque ſanctorum Græcorum, Maximi, Demetrii, Moyſis patris ſancti, & quadraginta Martyrum : & Patris noſtri Tecla-Haimanoth, & Patris noſtri venerandi Patriarchæ noſtri N. Regiſque noſtri Claudii, & omnium cruce ſignatorum juſtorum & electorum, & Angeli diei hujus ſanctæ. Orationes eorum, benedictioneſque & interceſſiones eorum, & pax eorum, & caritas Dei ſint nobiſcum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sacerdos. Nobis & omnibus qui quietem acceperunt miſerere, tu qui miſiſti Filium tuum in ſinum Virginis.

Diaconus. Qui ſedetis ſurgite.

Sacerdos. Geſtatus eſt in utero, & caro factus eſt Filius tuus, manifeſtatuſque eſt à Spiritu ſancto.

Diaconus. Ad Orientem aſpicite.

Sacerdos. Coram te ſtant mille millies Angeli & Archangeli ſancti.

Diaconus. Attendamus.

Sacerdos. Veneranda animalia ſex alas habentia, Seraphim & Cherubim, qui duabus faciem ſuam tegunt, duabus pedes ſuos : duabuſque volant à finibus uſque ad fines mundi : & ſicut ſemper te laudant & ſanctificant, ita ſuſcipe has ſanctificationes, quas tibi dicimus : Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Diaconus. Reſpondete.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth. Pleni ſunt cœli & terra ſanctitate gloriæ ejus.

Sacerdos. Vere pleni ſunt cœli & terra ſanctitate gloriæ tuæ, per Dominum, & ſalvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, cum Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. Sanctus Filius tuus, qui venit & natus eſt ex Virgine, ut voluntatem tuam perficeret, populumque ſanctum tibi conſtitueret.

Hîc Sacerdos manus ſuas imponet thuribulo, moxque eas extendet ſuper oblatam.

Digitized by Google

Populus. Secundùm misericordiam tuam Deus, & non secundùm nequitias nostras, *Et dicitur ter.*

Sacerdos. Extendit manus suas ad passionem; passus est, ut passiones solveret, eorum qui sperant in te: qui tradidit se ipsum voluntate propria, ad patiendum, ut mortem destrueret & vincula satanæ dissolveret, infernum calcaret: testamentum suum constitueret, & resurrectionem suam manifestaret. Ea ipsa nocte in qua traditus est, 13 accepit panem in manus suas sanctas, beatas & immaculatas, aspexit in cœlum, ad te Patrem suum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, & dedit discipulis suis dicens: accipite, manducate ex eo vos omnes: Hic panis est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Amen.

Populus. Amen. Amen. Amen. Credimus & certi sumus, laudamus te Domine Deus noster, hoc est vere, & ita credimus, corpus tuum.

Sacerdos. Similiter calicem gratiarum actionis benedixit & sanctificavit & dixit illis: accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, pro redemtione multorum. Amen.

Populus ad Calicem dicet. Amen. Vere est sanguis tuus, credimus.

Sac. Et quotiescumque id feceritis memoriam mei facietis.

Populus. Mortem tuam annuntiamus Domine, & resurrectionem tuam sanctam credimus, ascensionem tuam & adventum tuum secundum: rogamus te Domine Deus noster: hoc vere ita esse credimus.

Sacerdos. Nunc etiam Domine memoriam agentes mortis & resurrectionis tuæ, offerimus tibi hunc panem & hunc calicem: gratias agentes tibi, quod per ea dignos feciſti nos standi coram te, tibique sacerdotale ministerium exhibendi. 14 Rogamus te Domine & deprecamur te, ut mittas sanctum Spiritum, & virtutem super hunc panem, & super hunc calicem, faciatque utrumque corpus & sanguinem Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos. Miscuisti, &c. Da ut omnibus illa sumentibus fiant ad sanctificationem & plenitudinem Spiritus sancti, & ad roborationem fidei, ut te sanctificent, per Dominum & salvatorem nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

Diaconus. Toto corde deprecemur Dominum Deum noſtrum ut benigne nobis concedat, unionem bonam Spiritus ſancti.

Sacerdos. Da nobis ut uniamur in Spiritu tuo ſancto, & ſana nos per hanc oblationem, ut in te vivamus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Benedictum ſit nomen Domini: & benedictus qui venit in nomine Domini: & benedicatur nomen gloriæ ejus: fiat, fiat, fiat. *Populus: idem repetit.*

Sacerdos. Mitte gratiam Spiritus ſancti ſuper nos.

Diaconus. Surgite ad orationem.

15 *Sacerdos dicit Orationem fractionis.*

GRatias humiliter ago tibi Domine Deus meus, totius mundi potens: qui ſedes ſuper thronum Cherubim, qui in excelſis habitas, & in inferioribus glorificaris: qui in lumine ſubſtantiæ tuæ requieſcens in æternum, myſterium abſconditum crucis manifeſtaſti nobis. Quis Deus miſericors & ſanctus ſicut tu, cujus eſt potentia, quæ à nobis elongata non eſt, quando quidem poteſtatem dediſti Apoſtolis, & illis qui ſerviunt tibi ſincero corde, & iis qui offerunt tibi ſacrificia in odorem ſuavitatis, per Dominum & Deum noſtrum Jeſum Chriſtum: tibique, illi & Spiritui ſancto, debetur gratiarum actio, gloria, & laudatio in ſæcula ſæculorum. Amen.

Diaconus. Qui ſtatis humiliate capita veſtra.

Sacerdos. Domine qui ſedes ſuper Cherubim, & aſpicis populum & hæreditatem tuam, benedic ſervis & ancillis tuis, eorumque filiis, & retribue unicuique qui veniet partem acceptarus ex admirabili menſa tua, cum conſcientia pura, remiſſionem peccatorum, quæ cum Spiritu ſancto conjuncta eſt, ad ſalutem animæ & corporis, ad cœleſtis regni conſequendam hæreditatem: per gratiam & voluntatem unigeniti Filii tui, per quem tibi & ſimul cum eo, & cum Spiritu ſancto, eſt gloria & poteſtas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

16 *Subdiaconus ſimul cum populo dicent.* Exercitus Angelorum ſalvatoris mundi ſtant coram eo, & cingunt corpus & ſanguinem Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti: accedamus ante faciem ejus, & cum fide Chriſtum veneremur.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Digitized by Google

17 *Sacerdos dicit Orationem pœnitentiæ.*

DOmine omnipotens, qui ſanas animas & corpora noſtra, qui voce unigeniti Filii tui Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, dixiſti Petro patri noſtro; tu es Petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ad eam concutiendam: tibique dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis: ſervi igitur tui & ancillæ tuæ abſolvantur ore Trinitatis ſanctæ, Patris, Filii & Spiritus ſancti: & ab ore mei peccatoris & nequam ſervi tui. Domine Deus noſter, tu es qui tollis peccata mundi: ſuſcipe pœnitentiam ſervorum tuorum, & ancillarum tuarum: exoriri fac ſuper eos lumen vitæ, & dimitte illis peccata eorum quia benignus & miſericors es, Domine Deus noſter, longanimis & multæ miſericordiæ, juſtuſque vere; ſi peccaverimus tibi Domine, verbis operibus, aut cogitationibus noſtris, remitte, ſolve & obliviſcere, quia tu benignus & amator hominum es, Domine Deus noſter, præſta nos omnes abſolutos eſſe, omnemque ſimul populum abſolve,

Abſolve Domine Patriarcham noſtrum Abba N. ſanctumque & beatum Metropolitam noſtrum N. omneſque Patriarchas, Epiſcopos, Sacerdotes & Diaconos, unumquemque ſuo nomine. Conſerva eos nobis per annos multos & dies tranquillos, cum juſtitia & pace. Abſolve Domine Regem noſtrum ab omni vinculo peccati.

Memento Domine omnium qui dormitionem acceperunt, & quieverunt in fide Chriſti, & congrega animas eorum in ſinu Abraham, Iſaac & Jacob. Libera etiam nos ab omni peccato, & maledicto: ab omni abnegatione, & perjurio: ab omni communione perfidiæ hæreticorum & gentilium. Da nobis cor & intelligentiam ut fugiamus ab omnibus operationibus ſatanæ: da etiam nobis, ut voluntatem tuam faciamus omni tempore, & ſcribe nomina noſtra in regno cœlorum, ſimul cum omnibus juſtis & martyribus: per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem, cum quo, & cum Spiritu ſancto, tibi eſt gloria & poteſtas, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum Amen.

Diaconus. Aſpiciamus. *Sacerdos.* 18 Sancta ſanctis.

Digitized by Google

Populus. 19 Unus Pater ſanctus : unus Filius ſanctus : unus Spiritus ſanctus.

Sacerdos. Dominus vobiſcum.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Sacerdos. Domine Jeſu Chriſte miſerere noſtri : *& ter à populo replicatur.*

Sacerdos, 20 Corpus ſanctum, pretioſum, vivum, & verum Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod datur ad remiſſionem peccatorum, & vitam æternam ſuſcipientibus illud cum fide. Amen. Sanguis ſanctus, pretioſus, vivificans, & verus Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui datur ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam ſuſcipientibus illum cum fide. Amen. Hoc eſt corpus & ſanguis Emmanuelis, in rei veritate. Amen. Credo, credo, credo, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Amen. Hoc eſt corpus & ſanguis Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti quæ accepit ex Domina omnium noſtrûm ſancta & pura Maria Virgine, fecitque illud unum cum divinitate ſua, abſque commiſtione, aut confuſione, diviſione, aut alteratione divinitatis : perhibuitque bonum teſtimonium in diebus Pontii Pilati : & tradidit ſe pro nobis voluntate ſua, ſuper lignum crucis ſanctæ. Amen. Credo, credo, credo, quod diviſa non fuerit, divinitas ejus ab humanitate ejus : ne hora quidem una, aut nictu oculi. Tradidit ſe pro nobis ad ſalutem, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam, ſuſcipientibus illa cum fide. Amen. Credo, credo, credo, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Amen.

21 *Et poſtquam communicaverit Sacerdos corpori Chriſti, populo communionem diſtribuet dicens.* Hic eſt panis vitæ, qui de cœlo deſcendit, vere pretioſum corpus Emmanuel Dei noſtri. Amen.

Et qui recipit, dicet. Amen.

Diaconus præbebit calicem dicens. Hic eſt calix vitæ, qui deſcendit de cœlo, qui eſt pretioſus ſanguis Chriſti.

Et qui recipit dicet. Amen. Amen.

Diaconus. Orate pro nobis & pro omni populo Chriſtiano, & illorum memoriam facite, qui nobis dixerunt, ut eorum recordaremur : laudate & pſallite cum pace & amore Jeſu Chriſti.

Sacerdos. Quos vocaſti, Domine, & ſanctificaſti, da illis partem

partem in vocatione tua : conforta eos in amore tuo, & custodi eos in sanctitate tua, per Christum unigenitum Filium tuum ; per quem tibi & cum eo, & cum Spiritu sancto, est gloria & potestas nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Domine qui æternum lumen vitæ, & fortitudinem servis tuis tribuisti, & custodivisti illos pluribus diebus ac noctibus præteritis in pace, benedic etiam illis hac die,& postea, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem tibi & cum eo, & Spiritu sancto, est gloria & potestas, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus. Gratias agamus Domino cujus sancta susceptimus: ut ea quæ susceptimus, sint nobis ad vitam animæ & ad medelam, rogamus & obsecramus laudantes Dominum Deum nostrum.

Sacerdos. Exaltabo te rex meus & Deus meus, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Populus. Pater noster qui es in cœlis, ne nos inducas in tentationem, cum participes facti fuerimus, corporis sancti & sanguinis pretiosi : gratiasque agimus, quod nos dignos fecerit, communicandi mysterio gloriæ & sanctitatis, quod omnem intelligentiam superat : benedicam tibi & laudabo nomen tuum, in sæculum, & in sæculum sæculi.

Populus. Pater noster.

Sacerdos. Laudem Domini loquetur os meum, & omnis caro benedicet nomen sanctum ejus, in sæculum, & in sæculum sæculi.

Populus. Pater noster.

Sacerdos. Rector animarum, sanctorum director, sanctorum gloria : da nobis Domine oculos intelligentiæ, qui perpetuo te aspiciant ; & aures quæ solummodo te audiant, postquam satiata fuit anima nostra, gratiâ tuâ. Cor mundum crea nobis Domine, ut perpetuo intelligamus bonitatem & amorem erga homines Dei nostri : benignus esto animæ nostræ, mentemque puram & rectam nobis largire, qui corpus tuum & sanguinem percepimus, nos humiles servi tui : quia tuum est regnum Domine, laus & benedictio, Pater, Fili, & Spiritus sancte, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

Oratio benedictionis.

Sacerdos. DOmine Deus noſter, lumen inextinguibile, reſpice ſervos tuos & ancillas tuas, ſereque in cordibus eorum timorem nominis tui, & numera illos, ut fructificent in benedictione, quibus datum eſt corpus tuum & ſanguis tuus: utque habitet ſuper eos qui inclinant capita ſua coram te, populum tuum, viros, mulieres & infantes, & nos etiam illis adjunge, protege, dirige & ſalva, per virtutem Archangelorum tuorum. Ab omni opere malo remove nos: ad omne opus bonum adjunge nos: per Chriſtum unigenitum Filium tuum per quem, &c.

Hic finem habet Liturgia Patrum noſtrorum Apoſtolorum, Orationes eorum & benedictiones eorum nobiſcum ſint. Amen.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Trinitas inexplicabilis: da mihi ut accipiam ad vitam, & abſque condemnatione corpus tuum. Da mihi ut faciam fructum qui tibi placeat, & appaream in gloria tua, & vivam tibi, faciens voluntatem tuam: cum fide invoco te pater, & invoco regnum tuum. Sanctificetur Domine regnum tuum, & tibi ſit gloria in ſæcula ſæculorum.

Diaconus. Inclinate capita veſtra coram Domino Deo vivente, ſub manu ſervi ejus ſacerdotis, ut benedicat vobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedicat nos ſervos ſuos Dominus: in pace ſit remiſſio peccatorum, nobis qui percepimus corpus ejus ſanctum, & ſanguinem ejus pretioſum. Concede nobis per ſpiritum, ut omnes vires inimici conculcemus. Benedictio manus tuæ ſanctæ, plena eſt miſericordia & in ea ſpem omnes habemus: ab omni opere malo remove nos: & ad omne opus bonum adjunge nos. Benedictus qui dedit nobis corpus ſuum ſanctum, & ſanguinem ſuum pretioſum. Gratiam accepimus, & vitam invenimus, per virtutem crucis Jeſu Chriſti. Tibi Domine gratias agimus, quod acceperimus gratiam Spiritus ſancti. Gloria Domino Deo, qui dedit nobis corpus ſuum ſanctum, & ſanguinem pretioſum, laus Mariæ quæ eſt gloria omnium noſtrûm, quæ protulit nobis Euchariſtiam.

Digitized by Google

IN CANONEM GENERALEM SIVE LITURGIAM ÆTHIOPICAM OBSERVATIONES.

OMnium Liturgiarum Orientalium hæc prima, in Europa edita est Æthiopicè, Romæ anno MDXLVIII. & Latinè anno sequenti. Cum enim vastata per Galarum & Granhei Muhamedani Principis incursiones Æthiopia, in maximis angustiis foret, sacerdotes aliquot, quorum præcipuus erat Petrus, aliter dictus *Tesfa-Sion*, Comos sive Archimandrita; Romam venerunt, ut libros Novi Testamenti suâ linguâ excuderent, ne perirent funditus in publica illa calamitate. Adjecerunt Ordinem communem Liturgiæ suæ, qui Latinè conversus est à doctis aliquot Italis, ope eorumdem Æthiopum. Isti vero cum Latinè parum scirent, alteri Æthiopicè non magis, sententiam non semper assecuti sunt. Erat tunc summa Rituum Orientalium, totiusque Ecclesiasticæ disciplinæ veteris ignorantia, per quam factum, ut etiam in versione non prorsus reprehendenda, occurrerent salebræ innumerabiles, superatu difficiles, nisi ex aliarum Ecclesiarum, Alexandrinæ præcipue disciplina, lux afferretur, quod nemo tunc præstare potuisset. Neque enim notæ erant Ægyptiacæ Liturgiæ, quæ istius fontes & originem continebant, sine quibus tamen de Æthiopica recte judicari non poterat. Nihil igitur quod ad illam explicandam pertineret versioni adjunctum est: ipsa aliquibus in locis interpolata est, ne censuram incurreret. Æthiopibus vero licuit illam suam Liturgiam, ut in Codicibus suis extabat, typis excudere, cum leviſſima mutatione, qualis est additio particulæ *Filioque* in Symbolo, & paucis aliis. Edita deinde fuit eadem Latina versio in Bibliotheca Patrum, sed absque ulla mutatione: accesserunt tantummodo notæ aliquot hominum linguæ Æthiopicæ & disciplinæ Orientalis æque imperitorum, unde nullus prope ad Ecclesiam Catholicam fructus, qui tamen non exiguus ex ea Liturgia capi poterat, pervenerit. Criticen in ea suam Rivetus exercuit, prorsus ineptam: Albertinus formam verborum Christi quæ in ea legitur, tanquam argumentum quo Catholici jugularentur, arripuit. Tandem in celebri disputatione de perpetuo Ecclesiæ circa Eucharistiæ fidem consensu, excerpta ex Canone generali & aliis Liturgiis Æthiopicis inserta sunt, de quibus triumphator ille Claudius verbum non fecit. Expectabatur à viro Æthiopicè doctissimo, ejusque linguæ per annos sexaginta & amplius cultore indefesso Jobo Ludolfo, singularis aliqua Liturgiarum illarum notitia: verum nihil ille minus præstitit. Duo enim quæ tamen maxime necessaria erant illi defuerunt; bona fides, & rerum Ecclesiasticarum peritia. Bonam fidem si ha-

Digitized by Google

buiſſet, orationes aliquot, quales ſunt Invocandi Spiritus ſancti, aut gratiarum actionis formulas, maxime Confeſſionem fidei de Euchariſtia non reticuiſſet, ut ambiguas Æthiopis ſui reſponſiones obtruderet. Diſciplinæ Orientalis peritus ſi fuiſſet, abſurda multa, & quæ ex comparatione Rituum Alexandrinorum refelluntur, non propoſuiſſet, ex quibus tamen non modo Æthiopicæ Eccleſiæ, ſed primorum ſæculorum fidem & ritus agnoſci jubet. Voces etiam antiquo uſu omnium Eccleſiarum conſecratas falſis interpretationibus non corrupiſſet; ita ut qui ex ejus Lexicis Liturgias Æthiopicas interpretari aggrediatur, à vero illarum ſenſu abeat longiſſime. Miratus ſit Ludolfus elegantiam linguæ illius, carmina Cafatica, Amharica, & alia Pindaricis prætulerit, non magni refert: ſimiolis, cercopithecis & monſtris ſæpius delicati homines delectantur: Verum in obſcura lingua quam explicabat, novas & inauditas ſignificationes vocum inducere, ut Æthiopes, vel invitos, Lutherani fierent, peſſimo exemplo, & infelici ſucceſſu ab eo tentatum eſſe, certis argumentis demonſtrabimus.

Obſervandum eſt ſtatim Canonis univerſalis titulum quem Latina Liturgiæ verſio præfert, non extare in Æthiopicis exemplaribus. *Kadas* vocant Æthiopes, voce ipſis cum Syris & Arabibus communi, Officium Liturgiæ: quod pariter & frequentius *Anaphora* quoque vocant: & id nomen à Coptitis acceperunt, ut reliqua ferme omnia, nam tres ſuas Liturgias Baſilii, Gregorii Theologi, & Cyrilli non aliter appellant, ut Syri ſuas. Itaque voces illæ ſignificant Miſſam ſive Liturgiam, & ſi aliter, rarius tamen appellantur, ut *Orationes* vel *Oratio Euchariſtica*, ad eumdem ſignificatum referri debent. At mirum, quantopere has voces refugerit Ludolfus in cujus Lexico & Hiſtoria, *ſacra Cœna*, *Participatio ſacræ Cœnæ*, *Arcanum participationis*, aut aliter, nec magis appoſite, vocem *Kadas* & *Anaphora* interpretatur.

Neque fidelius rem ipſam explicavit quam nomina, cum Liturgias, Homilias eſſe dixit, non uno loco: quæ interpretatio ſi vera foret, pro una Chryſoſtomi aut Baſilii Liturgia, totidem haberemus, quot ſermones ad populum habuerunt, cum plerumque pronuntiarentur inter Miſſarum ſolennia. Nihil porro minus Homiliæ ſimile quam Liturgia, in qua non ſolus Sacerdos loquitur: ſed Diaconus, & populus circumſtans. Homilias dramaticas, nemo ante Ludolfum noverat, & eas quæ vere Homiliæ poſſunt appellari, habent Syri, Coptitæ; omneſque Orientales Chriſtiani, eaſque *Tafaſſir* vocant, & ſimiles procul dubio in Æthiopia extiterunt.

Illam porro Liturgiæ communis formam *Canonem univerſalem*, non male appellaverunt, primi illius Interpretes cum omnes ſacri Officii partes contineat, etiam præparatorias, & ex illa peti debeant, quæ omnibus aliis æque conveniunt, de qua diſtinctione dictum eſt ad Baſilii Copticam Liturgiam. Ex ea compoſita eſt, prima illa Æthiopum Liturgia, ut comparanti utramque ſtatim apparet, & in notis probabitur. Talis ſane eſſe debuit, cum ab Alexandrina Eccleſia, præ-

sertim post Benjamini Patriarchæ tempora, Æthiopes quæcumque ad divinum cultum pertinebant, acceperint. Unde si quid difficile videtur, ex archetypo explicandum est, & ad primariam formam revocandum.

Inde sequitur, orationes aliquot præparatorias, quæ in Canone universali primùm occurrunt, non esse proprie Liturgicas. Tales sunt illæ quæ dicuntur super vasa sacra, patenam, calicem, cochlear, arculam. Cum enim Coptitis familiares sint, & iisdem prope verbis legantur in plerisque codicibus, & in Rituali Gabrielis Patriarchæ, omni novitatis aut suppositionis suspicicione carent: non eodem tamen loco assignantur. Quippe sunt benedictiones propriæ, quæ non quotidie inter sacrorum solemnia, sed semel usurpantur ad vasorum, & ornamentorum altaris ministerio destinatorum consecrationem. Illarum formulas ex eodem Gabrielis Patriarchæ libro Rituali transtulimus. Videtur itaque Petrum Æthiopem & ejus socios, cum in Codice suo Liturgico illas reperirent, easdem cum aliis orationibus præparatoriis conjunxisse; ut in similibns Codicibus plures occurrunt quæ cum Officio Eucharistico non cohærent. Existimare enim, Æthiopes ad singulas Liturgias, altare, ornamenta, vestes, vasa sacra benedictionibus multoties repetitis consecrasse, absurdissimum est, ea præcipue ratione, quod non à simplicibus Presbyteris, hæc consecratio fieret, sed ab Episcopis. Paucissimi autem à multis sæculis in Æthiopia Episcopi sunt, & Gregorii Abulfaragii ætate, scilicet decimo tertio sæculo, unus tantum erat, & is *Metropolita*, seu ut vulgo dicitur *Patriarcha*, cujus ordinatio in Ægypto fieri debebat. Unde sæpe absque sacerdotibus fuit Ecclesia Æthiopica, quod plures Episcopos nollent ordinare Alexandrini Patriarchæ, ne ab illorum obsequio recederent. Videnda quæ dicta sunt in Historia Patriarchali.

In Nomocan. Syr. Ms. Syr.

Orationes igitur istæ super patenam, calicem, & cochlear non pertinent ad quotidianum Liturgiæ Officium: & quæ annotata sunt ad eorumdem vasorum sacrorum benedictiones Ritu Alexandrino, istis conveniunt, quapropter illa repetere necesse non est. Benedictio autem *arculæ*, singularis est Æthiopicæ Ecclesiæ, & illam Alexandrina non habet: neque satis intelligi potest quid vox Æthiopica significet. Benedicitur quidem apud Alexandrinos *Tabula*, sive ἀντιμίσον, ut Græci vocant, sine qua celebrare Liturgiam non licet. Fortasse igitur *Arcam* vocaverunt, aut *arculam* ut Latini interpretes, vas majus aliquod, quo discus & calix continerentur: qualis est etiam arca quæ vocatur *Tabout*, sive Arca, de qua ex traditione Æthiopum erit alibi dicendi locus.

2. *Oratio illationis.*

ID proprie significat vox Æthiopica, quæ significatio cæremoniæ quæ eodem tempore observatur accurate convenit. Nempe tunc dona, sive panis & vinum quæ ad sacrificium destinantur, ex *Prothesi* sive ut Rituales nostri hodierni loquuntur *Credentia*, ad altare inferuntur,

P. 585. & seq. eo quo explicavimus modo, in Commentario ad Liturgiam Basilii. Illic observatum fuit, Ritum eum quem Græci vocant μεγάλην εἴσοδον, communem esse omnibus Christianis Orientalibus, ipsis etiam Æthiopibus. Testis oculatus istius cæremoniæ Franciscus Alvarezius, illam in Itinerarii sui historia descripsit, testaturque panem, sive oblatam deferri ex secretario in paropside quadam, quæ patenæ nostræ respondet, & aliorum Orientalium disco, cum pompa, cereis præcedentibus pulsatis simul campanulis. Sed fallitur dum Azymam illam esse scribit, nam præter Armenos, fermentato pane ad Eucharistiam celebrandam, omnes utuntur. In versione Latina dicitur *Sacerdotem offerre hostiam super altare*: quod intelligendum est eo quem diximus modo, non Ritu Latino, quem verba præ se ferunt. Ita quoque intelligi debet oratio quæ sequitur, *quando ponitur vinum & aqua in calice à Diacono*, cum vulgo in Ecclesiis Orientalibus factum id fuerit in Prothesi, aut in Secretario, non ad altare. Uno verbo maxima Rubricarum pars, ut leguntur in Latina versione, addita est ab Interpretibus, non ex fide exemplaris Æthiopici, in quo plerumque desiderantur, sed ex conjectura, cum Ritus Orientales ignorarent, atque ea ratione nullam habent autoritatem.

3. *Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.*

Tom. I. p. 2. & 184. MAle in versione Latina, *Sacerdos in gratiarum actione dicit Orationem sequentem.* Est enim enim hæc oratio, eadem quæ hoc titulo *Gratiarum actionis*, habetur in Liturgia Basilii, quam male Victorius Scialach interpretatus est *Orationem ad cingulum.*

4. *Oratio oblationis mysticæ.*

EA quoque ex Coptica expressa est, de qua fusè dictum est in Commentario: & quæcumque illo loco observata sunt, æque ad Æthiopicam Liturgiam pertinent. Observandum est in versione Latina occurrere ista verba. *Cujus substantia creata non est, sed es purum Verbum: tu es Filius Patris & Spiritus sancti*, absurde prorsus & imperite. Qui hanc Liturgiam in Bibliothecam Patrum cum aliis transtulit Margarinus Bigneus, more suo Lectorem monuit, ut caute hæc legeret, tum ex Theologia nodi solutionem adscripsit. Verum eo loco hiatum, aut mendum à librariis esse certissimum videtur, cum similis locutionis in scriptis Theologorum Orientalium de Trinitate permultis, aut in aliis libris, ne vestigium quidem occurrat. Deest igitur aliquid; nempe verba necessaria ad sententiam quam Oratio in exemplari Coptico repræsentat exprimendam, ubi nihil simile: sed dicitur *Filius consubstantialis Patri, & Spiritui sancto, & utrique coæternus.*

P. 135.

Ibidem, *super hoc altare spirituale tuum.* In vulgata versione, *super hoc altare portatile* Vox Æthiopica, quæ reliquis linguis Orientalibus communis est, nihil minus significat. Vocatur *altare spirituale*, in hac

Digitized by Google

& in multis aliis Liturgiis, quia mysterium in eo celebratum, quamvis vere & reipsa, invisibiliter tamen, sive spiritualiter perficitur. Idcirco celebrationem Eucharistiæ vocant *sacrificium spirituale & incruentum.* Verisimile igitur est, primos illius Liturgiæ Latinos interpretes, cum quid esset, *altare spirituale* non satis perciperent, Æthiopes de forma altarium suorum interrogasse. Illi cum communem omnibus Ecclesiis Orientalibus disciplinam explicassent, circa tabulas ab Episcopis consecratas, sine quibus, etiam in altaribus solidis, Orientales rem sacram non faciunt: tum etiam morem transferendi similes tabulas, cum Rex castra moveret; proclive fuit ut illi interpretes existimarent illas altaribus; quæ portatilia vocantur esse similes. Neque alia ut videtur hujus diversitatis causa quærenda est.

5. *Transmuta hunc panem, &c.*

ORatio hæc ut diximus, translata est ex Coptica Liturgia Basilii, & idcirco haud aliter, quam apud Coptitas intelligitur, accipienda Veram autem mutationem significat vox Æthiopica, *rei* scilicet, *unius in aliam*, ut agnoscit ipse Ludolfus in Lexicis suis: multique scripturæ loci in quibus usurpatur, palam faciunt. Si vel leviſſima de ejus significatione esset dubitatio, vox Coptica cui respondet, & versiones Arabicæ illam plene discuterent.

6. *Sacerdos dicit Orationem Absolutionis ad Filium.*

TItulus ille extat in exemplari Æthiopico, idemque est, atque is quem eadem oratio præfert in Copticis exemplaribus, & de illa dictum est in Commentario. In Latina versione *Coadjutor sacerdos dicit, &c.* Ita vocant, & satis proprie qui ad verbum *semi-Presbyter* vocatur, Æthiopicè, cujus tamen Ordinem velut à Presbyteri Ordine distinctum Ludolfus imaginatur. Vocatur ita Sacerdos *assistens*, ut in Cæremonialibus nostris libris vulgo appellatur; quamvis differat utriusque Officium. Nam in Ecclesiis Orientalibus, præsertimque in Alexandrina Jacobitica, soli Diaconi Sacerdoti celebranti ministrant. Hoc loco quid per *semi-Presbyterum* intelligatur, ex Ecclesiæ Copticæ disciplina certò scimus. In libris quippe Ritualibus, præcipue Gabrielis Patriarchæ, notatur, Orationem Absolutionis de qua nunc agitur, pronuntiari super Sacerdotem celebrantem, etiam Episcopum, ab Hegumeno seu *Komos*, quæ vox non modo Archimandritam, sed Archipresbyterum significat: aut ab alio Sacerdote. Verisimile igitur omnino est eamdem in Æthiopica Ecclesia, ac in Alexandrina ejus matre fuisse disciplinam, circa illius Absolutionis pronuntiationem. Nam si ut alicubi voluit Ludolfus, per *semi-Presbyterum* intelligendus est Diaconus, ut per *semi-Diaconum*, Subdiaconus, sequitur Orationem Absolutionis pronuntiari à Diacono, quod absurdissimum & disciplinæ contrarium est. Quamvis enim hæc oratio, Absolutionis sacramentalis

p. 198.

L. 3. c. 7. Hist.

Digitized by Google

rationem habere non poſſit, non quod deprecatoria eſt, omnes enim Abſolutionum Orientales formulæ tales ſunt, ut plurimum: juriſdictionem tamen ſacerdotalem ſupponit neceſſariò. Inter Sacerdotem porro & Diaconum medius Eccleſiaſticus Ordo nullus eſt: cum *Komos* apud Ægyptios ut Æthiopes, Sacerdotem dignitate & autoritate antecedat.

7. *Abſolve Domine Patriarcham noſtrum, &c.*

INtelligendus eſt Patriarcha Coptitarum Alexandrinus, qui plenam etiam longe ultra Canonum præſcripta, autoritatem habet in Eccleſia Æthiopica, ita ut ab eo ſolo Metropolita eligatur, & ordinetur pleno jure, inconſultis Epiſcopis, cum olim ſeptem eſſent. Sed nulli dudum ſunt ab annis circiter quadringentis, ut de ſuo tempore teſtatur Gregorius Abulfaragius. Videnda ſunt quæ retulimus in Hiſtoria Alexandrina. Metropolita, ſeu Papas, ut vocant illum Æthiopes, eſt illorum ſupremus Antiſtes. Hunc vulgo Patriarcham vocant homines noſtri, quem titulum in Oriente nunquam habuit; ſed aliquando Catholici, in quibuſdam Collectionibus Canonum illorum Nicænorum qui dicuntur Arabici, quamvis improprie. Nam Catholicus dicebatur, is qui Epiſcopos & Metropolitas ordinare poterat; quod non poteſt dudum Æthiopum præſul; ſed diu Epiſcopos tantum ordinavit, neque plures quam ſeptem; poſtea nullos: Metropolitas nunquam, cum in Æthiopia nullus præter eum extiterit. Itaque cum in aliis ejus loci orationibus & in Diptychis poſt Patriarcham, & Metropolitam, memoria fiat Epiſcoporum loci: hîc de illis mentio nulla eſt; nempe quod nullus eſſet præter Metropolitam Epiſcopus.

Hiſt. Patr. Alex. pag. 170. 273. 283. 336. 510. 525. 560.

Can. 42.

8. *Memento Domine animarum ſervorum tuorum, &c.*

CUm hoc loco oratio fiat pro illis quos Eccleſia Æthiopica veneratur tanquam ſanctos, & ad quos preces multæ diriguntur in Synaxariis, excuſari non poſſunt Æthiopes, quod non aliter ſanctorum, quam eorum quorum ſalus incerta eſt, commemorationem faciant. Nefas quidem eſſe orare pro martyre teſtatur Auguſtinus non uno loco: verum quamvis ſancti quorum in hac oratione nomina leguntur, martyres non fuerint, agnita tamen eſt & tot miraculis confirmata illorum ſanctitas, ut in univerſa Eccleſia commendare ſe illorum apud Deum interventionibus fideles ſoliti fuerint, non pro illis orare & abſolutionem petere. Si de nonnullis qui hic nominantur, dubium aliquod foret, at nullum de SS. Antonio & Macario, ut neque de Salama quem eumdem eſſe veriſimile eſt, qui Frumentius à Græcis appellatur, ex quo nomine Æthiopes fecerunt *Fremonatos*. Idem peccatum obſervatur in Officio Generali Syriaco quod à nobis editum eſt, ubi non ſolum pro aliquibus ſanctis oratur, & quies poſtulatur, verum & pro B. Virgine, quo nihil abſurdius. In Liturgia Coptica Baſilii, neque

que in Græca ejusdem tituli Alexandrina simile quidquam occurrit, ut nec in aliis omnibus Liturgiis. Unde suspicari proclive foret, turbata fuisse per imperitos Librarios exemplaria, ex quibus editio Romana facta fuit: idque eo facilius conjicere possumus, quod multa habet suis locis non posita, mendaque infinita. Nam commemorationes mortuorum duas accurate distinctas animadvertimus in Orientali non minus, quam in Occidentali Ecclesia, & in Græca ex qua Officia sacra omnia Syrorum, Coptitarum, Æthiopum, aliorumque, præter Latinos, originem habuerunt. Sanctorum nomina commemorantur, ut Deus per illorum interventionem & orationes, nobis gratiam illorum virtutes & exempla imitandi concedat, & nobiscum misericorditer agat. Altera commemoratio defunctorum eo consilio celebratur, ut Deus ipsis peccata dimittat, requiem illis præstet, & in beatitudinem inducat. Hæc duo tam diversa, & separata in omnibus Liturgiis, in ista confunduntur, errore potius librariorum & imperitia, quam ex ea opinione in quam Græci sequioris ævi lapsi sunt, cum adversus Latinos Theologos acrius & incautius de Purgatorio disputarent. De illa quæstione dictum est alibi & quæ circa illam observavimus repetere non est hujus loci. Nam Æthiopes talem Theologicarum rerum faculratem habuisse, ut in ista se exercerent, nemo facile existimabit; nisi qui Ludolfi cum Æthiope suo dialogos aliquid serium continere judicabit. Introducitur enim adversus Purgatorium disputans, & negans simile quidquam à suis agnosci, vere fortassis, cum ut ex multis locis apparet, ne Catholicus quidem ullus fidem suam tali interprete agnovisset. Sed quid illud tandem erat, cum Æthiopes orare & Liturgiam offerre pro mortuis certissimum sit: quod in Reformatione piaculum judicatur. In ea parte disciplinæ servanda reliquas Ecclesias imitati sunt, & in traditione veteri permanserunt. Cum ad beatos & sanctos pertinere etiam voluerunt hæc pietatis officia, gravissime erraverunt, nec ulla ratione possunt excusari, si quidem ita sensisse eos certum erit.

Perp. T. 5. l. 8. c. 5. & seq.

Verum ut ita de illis existimetur, firmioribus argumentis opus est, quam sunt ea quæ ex ista Oratione ducuntur, in qua describenda facilius est peccasse librarios, quam Æthiopes à communi Alexandrinæ Ecclesiæ disciplina defeciisse, præsertim, cum si ita foret, contradixissent ipsi sibi. Nam eos pro quorum absolutione orare videntur, invocant, ut eorum precibus apud Deum adjuventur: hæc autem sunt ἀσύστατα.

Reges qui illa in oratione commemorantur partim noti, partim ignoti sunt, cum Æthiopicæ historiæ tanta sit obscuritas, ut ne seriem quidem Regum certam exhibeat, & quam parum in ea præstiterit Ludolfus, adhibitâ tamen summâ per annos multos diligentiâ, sciunt eruditi. Abraha & Atzbea antiquissimi videntur, iidemque forsitan fuerunt, quorum apud Athanasium mentio est, quique Axumitarum tyranni appellantur. Nomina tamen plane diversa sunt, quod mirum esse non debet, cum barbara omnia nunquam prope, Græci suis li-

Digitized by Google

teris fideliter expreſſerint, & ſæpiſſime id præſtare non poterant. Conſentiunt autem Æthiopum pauci libri, circa Reges illos ſuos, quod Athanaſio æquales fuerint & Frumentio, quapropter iidem eſſe videntur ad quos ſcripſit Conſtantius. Axumitas quippe vocatos fuiſſe olim Æthiopes certiſſimum eſt, & ea vox ad illos deſignandos adhuc ſupereſt in Actis electionis Patriarcharum Alexandrinorum. Qui de Regibus quorum nomina ſequuntur plura volet, conſulat Baltaſaris Telezii Hiſtoriam ex qua quidquid verum eſt circa illorum ſucceſſionem, habuit Ludolfus. Neque prætereundum eſt, Reges illos, ſi primos duos excipiamus, Jacobitas fuiſſe, non Orthodoxos, ut etiam Tekla-Haimanot qui pater vitæ Cœnobiticæ apud Æthiopes fuit: & pleroſque Metropolitas, quorum nomina in oratione eadem conſignata ſunt: tanta fuit oſcitantia aut ignorantia eorum qui editioni verſionis Latinæ hujus Liturgiæ præfuerunt. Excuſari poterant circa perſonarum ignotiſſimarum nomina, ſed excuſatione omni caret, omiſſio Synodi Calchedonenſis, poſt nominatas Nicænam, Conſtantinopolitanam I. & Epheſinam. Hæc quippe Monophyſitarum hæreſeos certiſſima nota erat, quam cenſores parum perſpicaces non animadverterunt: neque Severi nomen agnoverunt, furioſi ejuſdem defenſoris, quem idcirco Jacobitæ inter cœlites collocant, & hac ipſa in oratione Athanaſio præponunt.

9. *Epiſtolæ Pauli lectio.*

ORientales Chriſtiani Græcorum exemplo, plures ſacræ Scripturæ lectiones in Liturgia celebrant; & in quibuſdam diebus aut ſolemnibus feſtis legunt primò, caput aliquod ex Veteri Teſtamento, & ex Prophetis, Pſalmi ſemper interponuntur, nec in numerum veniunt. Sed in ſingulis Liturgiis fiunt Lectiones ex Epiſtolis Pauli, & ex Canonicis. In iſta Liturgia, primæ vocantur *Paulus*, ſimpliciter; cum ut à Græcis, ita à pleriſque Orientalibus vulgo vocari ſoleant *Apoſtolus*. Unde liber apud Græcos communis *Apoſtolo-Evangelia* dicitur, quod proprias ſecundùm tempora & dies feſtos, Epiſtolarum & Evangeliorum Lectiones contineat. Alteras, Orientales vocant *Catholicon*, quia continent ſectiones ex Catholicis Epiſtolis legi ſolitas. Hîc vocantur *Havari* id eſt *Apoſtolus*. Sunt autem hic multa tranſpoſita in Latina verſione, cùm Codex Æthiopicus magis reſpondeat communi Alexandrinæ Eccleſiæ ordini. Illum accurate expoſuit Codex Bibliothecæ Regiæ, qui Rubricas adjunctas habet, ex Rituali Gabrielis Patriarchæ deſcriptas, quas verſione noſtra expreſſimus. Illæ vero, ut etiam aliæ quæ ad Ritum Syriacum pertinent, huic loco Æthiopicæ Liturgiæ explicando utiles eſſe poſſunt, cum eadem ſit circa ſolennem ſcripturarum lectionem in omnibus Orientalibus Eccleſiis diſciplina. Eamdem apud Æthiopes uſurpari, ſatis multa probant, quæ paſſim Franciſcus Alvarezius Relationi ſuæ inſeruit, aut alibi ſparſa reperiuntur. Sed orationum maxima ſimilitudo, ſimilis quoque diſciplinæ certum argumentum videtur. De illa ſi Æthiopem illum ſuum Ludolfus interro-

Digitized by Google

gasset potius quam de Lutherana Theologia, non minus publicæ utilitati quam famæ suæ consuluisset. Intellexisset enim procul dubio, ci ca Æthiopum fidem multa se divinasse, quæ solâ disciplinæ expositione refelluntur.

In lectione Evangelii quæ mox subjicitur, singulare nihil est, sed disciplina communis omnibus Orientalibus Ecclesiis: si quædam orationes breves, & acclamationes Diaconi aut populi occurrunt in versione Latina, Romæ edita, quas Codex Æthiopicus non habet, non alia ratio est, quam quod ea quæ usu sciuntur, vix Codicibus inseri solent, quod in Liturgiis omnibus cujuscumque linguæ, passim observatur.

Quod in versione Latina statim post recitationem Evangelii legitur. *Exite foras qui non vultis accipere Sacramentum, sive Eucharistiam: ite Catechumeni*, non legitur in editione Æthiopica. Potuit quidem formula vetustis non absimilis, quæ ad expellendos Pœnitentes, Catechumenos, & Audientes spectabat, reperiri in aliis Codicibus, quos habuerit Tesfa-Sion: qui eam interpretibus suggesserit: alios omnino nullos habuimus unde lectionis veritas constare posset. Verumtamen haud temere affirmamus, illam ut Latinè expressa est, stare non posse, cum dudum publice pœnitentes, aut Catechumeni in Ecclesiis Orientalibus nulli sint, illis præsertim in regionibus, quæ Muhamedano Imperio continentur. In Æthiopia quidem vigere potuit hæc disciplina cum Reges Christiani forent: sed cum in Alexandrina Ecclesia penitus obsoleverit à multis sæculis, & ex quo Arabes Ægyptum subegerunt, sacra hæc omnia Æthiopes à Patriarchis Alexandrinis acceperint, ipsamque Monophysitarum hæresin: morem qui apud istos non supererat, Æthiopes retinuisse non est verisimile. Pœnitentiæ quoque publicæ quam hæc denuntiatio Diaconi supponit necessariò, ne leve quidem supersit in Ecclesia Æthiopica vestigium: imo si autoribus fide dignis Arabibus & Lusitanis credimus, ut Alexandriæ aliquando, ita in Æthiopica sublata erat peccatorum apud Sacerdotes Confessio: ut *Canon*, sive agenda ex Canonum præscripto pœnitentia, qua de re dictum est alibi. Potuit tamen ex veteri instituto supersse, pœnitentes & Catechumenos ejiciendi formula ut remansit in Syriacis aliquot Liturgiis, quamvis ex testimonio Jacobi Edessæni qui VII°. vivebat sæculo, res in desuetudinem abiisset, quod etiam de sua ætate, nempe XII°. sæculo testatur Barsalibi.

Verum quamvis ita esset, peccaverunt procul dubio interpretes, cum nulla unquam lege Ecclesiastica pulsi Ecclesiâ fuerint, qui communionem Sacramentorum non accipiebant, nisi per Canones eâ excluderentur. Intelligendum igitur est in textu Æthiopico fuisse *qui ad communicandum Sacramentis accedere non debetis, abite*: qua ratione pœnitentes intelliguntur, quibus ordine proximi erant Catechumeni: neque alia certior videtur hujus loci interpretatio.

Quæ sequuntur, Orationes pro pace, pro Ecclesiâ, expressæ sunt ex illis quæ pariter occurrunt in Liturgiis Alexandrinis.

Digitized by Google

10. *Symbolum Fidei.*

IN Latina Editione, non tam versio Æthiopicè scripti symboli descripta est, quam ea forma secundùm quam in Latina Ecclesia legitur: nostra respondet orationi Æthiopicæ. Abit tamen aliquot locis ab ea quam L. 3. N°. 37. Ludolfus inseruit Commentario suo ad Historiam Æthiopicam. Summa eruditis πλυσλαώτητις temeritas nostra videbitur, hominis in ea lingua tam præclare meriti versionem emendandam suscipere. Verum nisi vehementer fallimur, longe major temeritas fuit, ex regulis Grammaticis, quarum ipse plerumque autor fuit, & quas Æthiopibus ipsis ignorari negare non potuisset, ea in Symbolum fidei introducere, quæ Christianis auribus inaudita huc usque fuerunt. Quis enim unquam audivit inter attributa Dei, illud Ludolfinum, *qui videt omnia & videri non potest*, præsertim cum illud *omnia* in Æthiopico textu non legatur. Erat sane necessaria illa vox, ut sententia Deo conveniret: nam Angelus videt & non videtur: imo anima videt & non videtur. Quanto facilius fuit agnoscere, vel omissam litterulam, quæ passivam significationem designaret, vel primam vocem eadem significatione esse accipiendam. Omissio porro unius litteræ facile in suspicionem venire potuit circa Romanam editionem, quæ mendis typographicis scatet: nam eam solam Ludolfus consuluisse videtur, cum Codicem manuscriptum nullum citet nominatim. Tum in unum Deum, *Optimum maximum* cui bono inseritur.

Et homo factus est à Spiritu sancto. Nemo veterum aut recentiorum ita locutus est. Nam Spiritum sanctum corpus Verbo Dei, ex carne & sanguine B. Virginis formasse, in quo filius naturam humanam assumsit, communis Jacobitarum, omniumque Christianorum Orientalium Theologia est: Deum Verbum, carnem aut hominem factum à Spiritu sancto, nemo dixit, neque ipsi Æthiopes, cum particula magis, *de* quam *à* significet.

Sed illud intolerandum quod sequitur: cùm ex Græco Symbolo, omnibusque versionibus Orientalibus, verba illa, *Et homo factus est*, cum præcedentibus conjungantur, ut necessario fieri debet, cur ea separaverit interpres, causam habere nullam potuit. Sequitur *In virum evasit*, quo nihil absurdius; ita enim loqui possumus, de adolescente qui pubertatem egressus, in viros transcribitur, neque id convenit Incarnationis mysterio. Vocem Æthiopicam ipse Ludolfus in Lexico suo per, *homo factus est*, recte interpretatus est, ut ante illum fecerant qui Symbolum idem Æthiopicè & Latinè ediderunt Nisselius & Petreus. Æthiopes expressèrunt ጸርክዎን & ወሰብእ፡ዘኮነ. Si igitur eamdem Latinam vocem repetere non placebat, nec primam, ut alii, per *Incarnatus est* interpretari, quia id lingua Æthiopica non patiebatur, at novam, nec mysterio convenientem fugere debebat fidus interpres.

In articulo qui de Spiritu Sancto est *Qui ex Patre Filioque processit*, non melius. Nam etsi Æthiopes ut Hebræi & Arabes tempus

præsens, ut Grammatici loquuntur, non habeant : at illud sæpe exprimunt per præteritum, seu primam verbi radicem : & sane sententia eò ducit, ut ita intelligatur. Nemo autem de Spiritu sancto loquens, processionem ad præteritum tempus determinat, aut ulla Ecclesia unquam cecinit : *Qui ex Patre Filioque processit* : processio enim æterna est.

Quod spectat particulam *Filioque*, eam Orientalibus incognitam esse fatemur ultro, Ægyptiis præsertim, à quibus Officia omnia sua Æthiopes acceperunt. Cum vero ea occasione Ludolfus de illius particulæ additione, & Græcorum cum Latinis circa Spiritus sancti processionem controversiâ, judicium suum ita interponit, ut illis potius quam istis favere videatur, quid animo designaverit non satis intelligimus. Protestantes enim Confessionis Augustanæ, & omnes qui Reformati appellantur, Symbolum quale illud in Ecclesia Latina didicerant, retinuerunt; Spiritumque sanctum agnoscunt procedentem à Patre & Filio. Verum abstinuisse debuerat vir eruditus, sed parum Theologus, à tractanda illa controversia, ut etiam à Critica quam Symboli Nicæni occasione adjunxit de Symbolo Apostolico, quod ut alterum habetur omnibus linguis Orientalibus. Sed hæc persequi non est hujus loci.

II. *Qui non communicatis exite.*

DE ista formula jam dictum est, quæ si locum habet in Liturgia Æthiopica, istic potius collocanda est, quam antea. Nam more veteri, cum omnes Eucharistiæ communicarent, quando sacris mysteriis intererant, exire jubebantur, qui non communicabant, hoc est non illi qui Sacramenta eo ipso die non erant percepturi, sed qui ad ea suscipienda jus non habebant, ut Audientes & Catechumeni; vel illud amiserant ut Pœnitentes. Ista vero disciplina, ut jam observavimus, singulariter ad Æthiopes non pertinebat, sed erat toti Ecclesiæ communis. Cum vero Liturgia Æthiopica, qualem illam habemus in Codicibus formam accepit, disciplina illa prorsus obsoleverat. Sed in ista & sequenti oratione, non recte se habere exemplar Æthiopicum certissimum videtur. Versio enim Romana ita se habet. *Ut recipiamus sine judicio, & sine morte, donum tuum cœleste, hoc est gratiam tuam, cum Spiritu sancto.* In textu Æthiopico transposita sunt quædam verba quæ sententiam interturbant. Sed illa certò agnoscitur ex variis Orationum ad Osculum pacis formulis, quæ omnes in eam petitionem consentiunt, ut Christiani dato & accepto pacis Osculo, ab omni odio & injuriarum mortifera recordatione liberi, μὴ μνησικακία θανατηφόρῳ, suscipiant digne, absque condemnationis & reatus metu, mysteria sacra, sive donum cœleste & immortale corporis & sanguinis Christi Domini. Ita enim perspicue habetur in Liturgia Coptica Basilii, & in aliis omnibus. Neque *donum cœleste*, hoc loco gratiam Spiritus sancti significat, verum Eucharistiam. Cum vero in Basilii Coptica Liturgia, plures Osculi pacis orationes reperiantur : Æthiopicæ interpretes,

aut illas in compendium redegerunt, aut Librarii primas tantum voces deſcripſerunt, cum petendæ aliunde forent, & memoria tenerentur: difficile eſt enim, ut qua ratione editæ ſunt in primariis Codicibus, ita ſcriptæ fuerint.

12. *Oratio pro pace, &c.*

IN omnibus prope Codicibus Liturgicis, plures aliquando oratio nes occurrunt pro pace danda, ſeu *Oſculo pacis* Ἀσπασμῷ, ut Græci vocant, quam vocem non Coptitæ ſolum retinuerunt, ſed Arabes aliquando eâdem utuntur. Orationes autem illæ non omnes dicuntur, ſed una ad Sacerdotis arbitrium. Vulgo autem ſtatim atque Oſculum pacis datum eſt, Præfatio incipit, & ut vulgo Rituales loquuntur *Anaphora Oblatio*, ſive *ſacra Actio*. Cum autem Orationes pro pace, pro Eccleſia, & ejus Ordinibus, tum pro aliis perſonis & rebus, proprium alibi, & quidem aliarum Liturgiarum exemplo determinatum locum habeant, eumque duplicem: nempe ante oblationem munerum, & poſt Invocationem Spiritus ſancti, ante communionem; ſingularis eſt hac in parte Æthiopicæ Miſſæ diſpoſitio, cujus idonea ratio nulla occurrit. Ita fit ut non temere ſuſpicari poſſimus, turbatum hic fuiſſe per Librariorum aut editorum incuriam, cujus multa argumenta ſunt.

Eſt quoque obſervanda non levis differentia inter exemplar Æthiopicum, Latinamque Verſionem in ſanctis commemorandis. Nam in illo leguntur nomina infauſta aliquot Jacobitarum, ut inter alios Barſomæ damnati in Calchedonenſi Concilio, & aliquot Monachorum, qui in eadem hæreſi vixerunt. Sed nihil mirum ſi id commiſerint Æthiopes, cum illud idem Barſomæ nomen, ut etiam Philoxeni & aliquot aliorum Monophyſitarum nomina, in Miſſali Maronitarum, qui Canon Orthodoxiæ eſſe debebat, relicta ſint.

13. *Accepit panem, &c. dicens, Hic panis eſt Corpus meum, &c.*

ITa totam hanc partem Canonis in qua conſecratio perficitur, interpretari oportet, ex Codicibus Æthiopicis, edito & manuſcriptis. In verſione Latina quam ipſi Æthiopes ediderunt, forma verborum Chriſti refertur hunc in modum. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum. Amen.* Tum ſubjecerunt verba Æthiopica, diverſa ab illis, quæ Liturgiæ exemplar editum repræſentat, nec Latinis reſpondentia: nam vertendum erat: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, ut habetur in omnibus prope Liturgiis Græcis & Syriacis. In aliquot exemplaribus editionis Latinæ addiderunt Æthiopes monitum iſtud: *Non te moveant candide Lector exemplaria Æthiopica quod in iis ſcriptum ſit* hic panis eſt corpus meum, *quia vetuſtiſſimi & emendatiſſimi Codices Coptitarum, ſive*

Digitized by Google

Ægyptiorum à quibus ut diximus magnam religionis partem majores nostri acceperunt, habent Hoc est Corpus meum. In manuscriptis aliarum Liturgiarum lectio eadem est, ac in vulgato Codice edito, & ita illos quos in Æthiopica viderunt Missionarii verba Christi repræsentasse testatur Baltazar Tellezius : qui adjecit ea occasione dubitasse quosdam Theologos, an illis verbis consecratio perficeretur. Arripuit censuram istam Albertinus cum eam in scholasticorum aliquot libris legisset, nec illam neglexit Ludolfus, quasi verbis illis significaretur etiam consecratione perfecta, panem esse, id quod in altari offertur, atque adeo non esse vere & realiter Corpus Christi. Verum ad comparandam leviſſimo huic argumento autoritatem, ita ut quod Albertinus jactat, possent eo solo fundati Protestantes de consensu omnium Ecclesiarum secum jure gloriari, duo prius probare oportebat. Primo illis verbis. *Hic panis est corpus meum*, significari id quod existimant : scilicet panem verbis Dominicis consecratum, in prima sua natura remanere : tum Æthiopes eadem ita intelligere : quæ si probentur, quod impossibile est, superest ut demonstretur, universam Ecclesiam Orientalem in Æthiopica contineri, & ab ea accepisse formam credendi, legemque supplicandi. Verum id fortasse fuisset, modo Æthiopicam Ecclesiam, qualem illam nobis describit Ludolfus, puræ illi Apostolicæ quam simillimam esse constaret. Id quidem se vidisse putavit, & inculcavit sæpius, verumque erit, cum unius naturæ hæresin, superstitiones Judaicas multas, polygamiam, multaque alia hujusmodi, puritati fidei disciplinæque Apostolicæ inimica non esse, probaverit aliquis ejus discipulus. Demus ita factum, erit adhuc ostendendum, qua ratione Æthiopes Alexandrinam Ecclesiam, à qua dudum pendent, Syriacas quoque tam Jacobiticas, quam Nestorianas fide & moribus suis imbuerint, quo nihil absurdius.

Hist. d'Ethiop.

Præterea in illis verbis, *Hic panis est Corpus meum* : cum pronunciatur prima duo, panem id esse quod erat, ultro agnoscimus : cum tota oratio prolata est, simpliciter intelligimus, id quod panis erat, esse corpus Christi. Non recte feciſſe videntur quicumque additionis verborum *Hic panis*, contra reliquarum Ecclesiarum disciplinam, Alexandrinæ præsertim cui subjecti erant, autores fuerunt : per illam tamen corrumpi penitus vim Christi verborum, effectuque suo illa spoliari, non adeo certum est, ut vocari in dubium nequeat.

Probandum igitur Albertino & Ludolfo fuit : Æthiopes cum in sua Liturgia dicunt, *Hic panis est Corpus meum*, credere, istud quod tenent & vident, panem adhuc esse, non corpus Christi. At illi suam ipsi statim sententiam explicant, cum post pronunciata sacra verba inclamat populus. *Amen, Amen, Amen. Credimus & certi sumus, & laudamus te Domine Deus noster : hoc vere est corpus tuum.* Neque dicunt, *credimus hunc panem esse corpus tuum.* Doceant nos qui Ecclesiam Catholicam impugnant, non quid Ecclesiæ Orientales, & ipsa de qua agimus Æthiopica de Sacramento Eucharistiæ credant, sed cur Albertinus vir infinitæ lectionis, Ludolfusque à quo, ut Lexici autore

Digitized by Google

accurato & diligente quidquid Æthiopicè editum eſt, ſyllabatim lectum fuit, iſtius orationis mentionem nullam fecerint, quæ ambiguitate omni caret? Calumniamne doctoribus ſuis impingi dicent, cum malam ipſis fidem exprobrabimus? Si de hac oratione dubitabant, facile erat eam cum Coptica comparare, atque ex illa comparatione autoritas ejus ſtabiliebatur. Scimus, nec ab ipſis didicimus, aliquam de illius brevis confeſſionis ſignificatu moveri poſſe quæſtionem, & illam in Commentario ad Baſilii Liturgiam Ægyptiacam tractavimus, deque illa in notis ſequentibus quædam adjicientur, ad Æthiopes proprie ſpectantia. Si quid tamen obſcuritatis foret, quantum ſpectat ad Euchariſtiæ fidem, ea tam perſpicue diſcutitur, ex altera quæ pronunciatur paulò ante Communionem, ut dubii ne levis quidem umbra ſupereſſet. At illam Albertinus, Salmaſius, Ludolfus, & omnes tandem æque diſſimulaverunt, & ex illa ſola conſtat Æthiopum vera de Euchariſtia fides: tam ex ipſis verbis, quæ nullam interpretationem admittunt, præter ſimplicem, & quam verba ſtatim offerunt: quàm ex eadem Confeſſione apud Alexandrinos uſurpata, & illis cæremoniis determinata, quæ non niſi cum doctrina realis præſentiæ conſtare poſſunt.

Iſtam vero orationem, ut in notis ad Copticam Liturgiam obſervavimus, ex eadem tranſlatam eſſe manifeſtum eſt: quamvis in textu Coptico, & Græco Alexandrino, videatur illa Confeſſio ad veritatem narrationis Evangelicæ, quam Sacerdos pronuntiavit eſſe potius referenda, quàm ad ſingularem de Euchariſtia Confeſſionem. Verum cùm Evangelica narratio utrumque myſterium complectatur, inſtitutionis Euchariſtiæ, veræque in illa corporis & ſanguinis Chriſti præſentiæ; fidem ſuam de utroque myſterio unâ & eâdem oratione complexos eſſe Æthiopes, nihil vetat. Illis enim verbis concepta eſt, quæ ad agnitionem corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento, referenda ſunt neceſſariò, nec aliter intelligenda. Erunt quibus hæc interpretatio dubia videbitur, quia paulò poſt ſequitur Invocatio Spiritus ſancti, qua poſtulatur ut panis & calix eo ſuperveniente, fiant corpus & ſanguis Chriſti. Multi autem ſuperiori ætate Theologi per ſimilem orationem, vim Chriſti verborum imminui facile nimium exiſtimaverunt, cum de illa explicanda laborarent. Acceſſit Critici noſtratis autoritas, qui ſecundùm Græcos & Orientales ſola Invocatione Spiritus ſancti conſecrationem perfici affirmavit, eamque communem eſſe illorum opinionem: id vero quam à veritate alienum ſit alibi demonſtratum eſt. Suam Invocationi efficaciam, ut precibus omnibus ſacramentalibus conſtare credunt Orientales; neque contra fidem aut diſciplinam peccare ſe exiſtimant, cum orant ſuper dona jam conſecrata, ut Hiſpani veteres Gothicarum Eccleſiarum, Moſarabes, & alii fecerunt. Eodem igitur & omnium Orientalium exemplo Coptitæ, & Æthiopes conſecrationem verbis Chriſti fieri credere potuerunt, & Invocationem Spiritus ſancti pronunciare.

14. *Invocatio*

Digitized by Google

14. *Invocatio Spiritûs sancti.*

ORatio ista in versione Latina non fideliter expressa est, Ita porro se habet. *Nunc autem recordamur mortis tuæ & resurrectionis tuæ, offerimusque tibi hunc panem & hunc calicem, tibique gratias agimus, quod per hoc sacrificium dignos nos feceris stare in conspectu tuo, & sacerdotale officium coram te exequendi. Oramus te Domine & à te instanter petimus, ut mittas Spiritum sanctum, super hunc panem & hunc calicem, videlicet corpus & sanguinem Domini & servatoris nostri in secula seculorum. Amen.* Nempe quod in Syriacis Liturgiis editis in Missali Maronitico fecerunt, qui editioni præfuere, idem inversione interpretes præstiterunt, ut in Copticis transferendis Victorius Scialach: non recte, ut videtur. Quid enim illud erat nisi lectores incautos in errorem inducere, eos præsertim, qui linguas Orientales ignorarent. Nam ita factum est, ut qui tales interpretes secutus de Æthiopum, aut Coptitarum disciplina Eucharistica judicaverit, in maximum errorem lapsus fuerit. Liceat illis qui autoritatem habent emendare quod pravum est: at interpretem privato consilio id facere non licet. Verba igitur Æthiopica, sic transferenda sunt. *Oramus te Domine & deprecamur te ut mittas sanctum Spiritum, & virtutem super hunc panem, & super hunc calicem, & faciat illum corpus & sanguinem Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, in secula seculorum. Amen.* Ita hæc Invocandi Spiritus sancti forma, cum Græcis, Copticis & Syriacis accurate convenit. Iisdem quoque verbis legitur in Liturgia secunda earum quæ Romæ editæ sunt, & fere similiter in aliquot aliis manuscriptis, nisi quod in aliquibus ut in ea quæ dicitur Joannis Evangelistæ, additur vox: nempe *communio*, sive *communicatio* corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi. In alia quæ dicitur CCCXVIII. Patrum Nicænorum. *Et mittatur Spiritus tuus sanctus, ex habitaculo substantiæ ejus, descendat & veniat, & resplendeat super hunc panem, & fiat corpus Christi Dei nostri: mutetur que sapor hujus calicis & fiat sanguis Christi Dei nostri.* Retulit hoc testimonium in Itinerario suo Italico Wanslebius, ex Codice Pocockiano Liturgiarum, quem Londini descripserat anno MDCLX. & cujus apographum habuerat D. Ludovicus Picques Doctor Sorbonicus, à quo cum aliis manuscriptis Orientalibus relictum est Bibliothecæ RR. PP. Dominicanorum ad sanctum Honoratum, in qua servatur, & unde illud habuimus. Pauca ad illud testimonium observabimus. In prima formula ad hæc verba *Spiritum sanctum tuum & virtutem*, cum scriptura Æthiopica id habeat singulare, quod apices ita literis adjunguntur, ut vocales diversas efficiant levi interdum discrimine, facile videtur translatam ab uno ad aliud latere notam fuisse: quæ si dextro apponatur sensus erit, *Spiritum sanctum & virtutem ejus*; ut in plerisque aliis Liturgiis legimus: & ita sensus erit magis perspicuus, quamvis etiam simpliciter virtutem divinam intelligere possimus. Sequitur *& faciat illum corpus, &.*

Digitized by Google

ſanguinem, &c. Verti poteſt *& faciat*, nam characteriſtica litera tertiæ perſonæ futuri temporis in genere fœminino, cujus eſt apud Æthiopes vox *Menfes*, quæ ſpiritum ſignificat, eadem eſt ac ſecundæ perſonæ. Utraque lectio indifferenter occurrit in variis Liturgiis, & ſententia eadem eſt. Deus enim, & ut alii loquuntur, ipſe Chriſtus eſt, qui per Spiritum ſanctum, panem efficit ſuam carnem, & vinum ſuum transfundit in ſanguinem, ut veteres Miſſæ expoſitores tradiderunt.

Verbum autem Æthiopicum quod hoc locò occurrit, *unum ex alio facere*, ipſo Ludolfo teſte ſignificat, ut ſcripſit in prima Lexici Æthiopici ſui editione, quam tamen ſignificationem omiſit in ſecunda. Verum aliam dedit, cum locum ex Homilia Jacobi Serugenſis protuliſſet de mirabili conceptu Jeſu Chriſti in utero Mariæ: *qui format infantes, formabitur in te*, & ſignificationem agnovit, quæ myſterio Euchariſtiæ maxime conveniens eſt, ſecundùm Orientalium Theologiam. Nulla enim in eorum ſcriptis frequentior comparatio occurrit, quam Euchariſtiæ cum Incarnatione, quam ita paucis verbis exprimunt. *Sicut ſuperveniens Spiritus ſanctus in B. Virginem virtute Altiſſimi eam obumbrante, formavit ex ea, & in ea, corpus in quo Filius Dei incarnatus eſt, ita eumdem Spiritum ſanctum ſupervenire & illabi in dona propoſita, & ex illis formare corpus Filii Dei.* Ea igitur oratio ſignificat peti à Deo, ut per Spiritum ſuum ſanctum formet in altari corpus & ſanguinem Chriſti, ſicut in Virgine formatum eſt; non vero *in ſacra Cœna*, hoc eſt ſecundùm Ludolfum in perceptione ſacramenti, quæ non niſi longo intervallo ſequitur. Utque eidem comparationi inſiſtamus, non ex conjectura tamen, ſed ſecundùm ipſa Orientalium Theologorum verba, ut Incarnationis myſterium momento perfectum eſt, ita unico momento panis & calix fiunt corpus & ſanguis Chriſti. Hæc Ludolfus ex ſolis Liturgiis diſcere poterat, in quibus, ſi quid non ſatis explicatum videbatur homini Proteſtanti: aliis enim ſumma ſemper apparebit illarum orationum perſpicuitas, exquirere debebat quæ Alexandrinæ Eccleſiæ fides & doctrina foret, aut quomodo intelligerentur à Patriarchis & Theologis Invocatio Spiritus ſancti, & Confeſſio fidei ante Euchariſtiæ diſtributionem: ſaltem eaſdem orationes Æthiopi ſuo Gregorio proponere, non abſurdas, & ænigmaticas doctrinæ Catholicæ expoſitiones. Verum qui de duabus illis formulis verbum non fecerit, quæ in omnibus Liturgiis repetuntur, illum multa alia quæ in paucis quos vidit libris Æthiopicis occurrebant, diſſimulaſſe, non inanis ſuſpicio eſt.

In ſecundo teſtimonio obſervatur, formam illam ex aliis Liturgiis deſumtam eſſe, ubi frequenter occurrit, & præſertim in Coptica tertia quæ Cyrillo tribuitur. *Reſplendeat*: verbum Æthiopicum adventum Spiritus ſancti divinum & majeſtate plenum, ſignificat, reſpondetque Græcis aut Arabicis vocibus quæ ἐπιφοίτησιν, non ſatis exprimunt. Cum vero Æthiopes ad Jacobiticam ſectam tranſlatos fuiſſe certum ſit ſub Benjamino Patriarcha poſtquam Arabes Ægyptum ſubegerunt, tuncque Græcæ linguæ uſus vigeret, Alexandriæ præſertim, cum ea vox

Digitized by Google

non facile exprimi posset nec plene intelligeretur, interpretata fuit tanquam à θεῖος deducta : nam multa ejus generis παρεμφάτων exempla reperiuntur in linguis Orientalibus. Dicitur deinde, *ut fiat Corpus Christi*, ad verbum, *ut sit*, ex idiotismo communi linguarum Orientalium præcipuarum. Sequitur : *mutaturque sapor*, vel *gustus hujus calicis.* Vox Æthiopibus hoc loco usurpata Hebraicæ originis est, Syrisque & Arabibus æque usurpata, eo significatu *gustus & saporis*; sed cum ad alia multa extendatur, in iisdem linguis, aliquid quoque aliud in Æthiopica illam significare suspicari possumus. Nam in consecratione, gustus aut sapor panis & calicis non mutatur, sed idem permanet : neque locutio similis occurrit in tot quas habemus Liturgiis. Nihil igitur hoc loco aliud intelligendum videtur, quam elementorum transmutatio, qualem Coptitæ Æthiopum magistri, & reliqui Orientales Christiani agnoscunt; panis nempe in corpus, vini & aquæ in sanguinem. Quæ mutatio si non satis in ipsa Liturgia explicatur, qualis in Ecclesia Alexandrina crederetur, dubitare non sinit Gabriel Patriarcha, qui illam substantiæ in substantiam esse docet, ut etiam autor Scientiæ Ecclesiasticæ, Abulbircat & alii. Hæc omnia ignorasse Ludolfus potuit, ut sane ea ignoravit, quamvis summe scitu necessaria scribenti de religione Æthiopum, quos de singularibus contra communem Ecclesiarum de Eucharistia fidem opinionibus nemo insimulavit : nemo præter Ludolfum laudavit, quod Transubstantiationem non crederent. Verum ignotæ illi esse non poterant multiplices Invocationis Spiritus sancti formæ, quarum vocabula in Lexicis suis digerebat, sed ita ut phrases ipsas non referret, ne ex illarum sola inspectione, falsa prorsus & fictitia Theologia Æthiopica sua refelleretur. Reliquæ enim Liturgiæ, tam editæ quam manuscriptæ eamdem Invocationis formam referunt, aut ex prima petendam designant.

Illius orationis partem, ut verba Christi consecratoria, & particulam Confessionis quæ pronuntiatur ante communionem edidit Æthiopicè Kircherus in Prodromo Coptico; sed ita ut præter errata nonnulla typographica, quæ lectorem remorentur, graviora in versione deprehendantur. Ea expendere & emendare inutile est, cum ex totius Liturgiæ constitutione, & ejus cum Coptica, comparatione, vera lectio agnosci facile possit. Copticam quoque illarum particularum formam adjecit, sed ita ut Codicibus melioris notæ non respondeat, ultimaque sui parte detruncata sit : unde usus nullius esse potest, quod Lectores Orientalibus literis non imbutos scire oportebat. Nam fortassis non deerunt, qui Mulleri & aliorum exemplo, Kircherum laudibus cumulabunt, ut ejus autoritate sinceram istarum orationum lectionem impugnent.

Digitized by Google

15. *Oratio fractionis.*

FRagmenti verterunt Interpretes non bene; cum vox Æthiopica ſignificet *fractionem* κλάσιν, ut Rituales Græci loquuntur, quam Arabes Chriſtiani ⲡⲧⲟⲣ vocant: dum ſcilicet panis in corpus Chriſti conſecratus, in plures particulas dividitur, atque ex una calix obſignatur, tum ex eâdem in calice intincta, particulæ quæ in ſacro diſcoſunt, ſignantur pariter eo Ritu, qui explicatur, tam in Rubricis ad Liturgiam Copticam ſancti Baſilii, quam in Rituali Gabrielis, atque aliis quorum teſtimonia relata ſunt in Commentario. Ludolfus *fragmentum* & *fragmen* interpretatur, non recte: ſed verbum eſſe dicit, *cujus uſus eſt in S. Cœna*: & in ſecunda editione Lexici, *Nomen orationis cujus uſus in S. Cœna ad deſignandam fractionem panis*, pejus omnino, & imperitius. Non verbum eſt, ſed nomen à verbo derivatum, cujus uſus, ſi per *S. Cœnam*, Lutheranam ſuam intelligit, nullus eſt, cum in ea nihil omnino fiat, quod fractioni, qualis obſervatur in Eccleſiis Orientalibus reſpondeat. Si Liturgiam intelligit, ut ſemper ad eam ſignificandam ea voce abutitur, non minus ridicule, quam ſi Miſſam ſolennem Romæ à Pontifice celebratam *Cœnam* appellaret, quam hoſpes eſſet in Ritibus Eccleſiaſticis demonſtravit. Neque enim oratio illa dicitur ad deſignandam fractionem panis conſecrati, cum illa vere fiat, dum is in particulas frangitur. Si fractio panis à Chriſto Domino facta deſignatur, quod Ludolfum voluiſſe ſatis apparet, non minus aberrat ab Eccleſiaſticis inſtitutis, & ab Orientalium doctrina. Neque enim fractio panis conſecrati, quem jam non panem eſſe credunt, ſed corpus Chriſti, fractione deſignatur, ſed laceratio, per flagella, crucem, lateris tranſfixionem, & alia quæ Chriſtus in carne pro humani generis ſalute ſuſtinuit, ut alibi ipſis Orientalium verbis expoſitum eſt. Hanc enim fractionem deſignant, quæ in forma verborum ſacramentalium in pleriſque Liturgiis & in Æthiopicis continetur: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*, κλώμενον & δρυπτόμενον, ut Græcæ habent, quod in notis ad alias Liturgias fuſius expoſitum eſt.

16. *Subdiaconus dicit cum populo.* Exercitus Angelorum, &c.

IN illa oratione mirum, cur omiſſa ſint poſtrema verba, & inepta verſio prioris particulæ data eſt. Quid enim ſignificat, *& legunt corpus & ſanguinem Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Scripſerunt, ut videtur, interpretes: *& cingunt:* id enim ſignificat vox Æthiopica, ita ut ſenſus ſit, Angelos in modum coronæ cingere ſacramenta in altari poſita, quod ſæpe occurrit in variis Syrorum ad eumdem Liturgiæ locum orationibus. *Accedamus coram facie ejus cum fide, quod ipſe eſt Chriſtus Rex noſter*; vel *quia ipſe eſt Chriſtus Rex noſter.* Ita

Digitized by Google

codex Æthiopicus nisi quod errato typographico in ultima voce litera una deficit. Insignis locus de vera præsentia corporis Christi in Eucharistia, de cujus interpretatione dubitari non potest, cum Christum in altari immolatum jacere, & in disco collocatum intueri Christianos moneant Severus Episcopus Aschmonin, Homiliæ de circulo anni, omnesque Theologi. Ne hanc orationem, ut alias omnes quæ realem præsentiam significant, citaret aut indicaret Ludolfus diligentissime cavit. Quod Rubrica moneat hæc dici à Subdiacono, cum in Ritu Alexandrino, dicantur à Diaconis, aut erratum est à Librario, aut per *Neska-Diacon* quæ vox vulgo Subdiaconum significat, intelligendus est Diaconus, qui secundas partes agit: etsi vulgo unus tantum ad altare alibi ministrare soleat.

17. *Sacerdos dicit Orationem pœnitentiæ.*

ITa se habet titulus istius orationis in exemplari Æthiopico, minus proprie ut videtur, cum Pœnitentiæ, sive ut accuratius loquamur orationis super pœnitentes, proprius hic locus non sit: tum etiam quia dudum Pœnitentium ordo & statio in Ecclesiis Orientalibus locum non habet, neque disciplinæ erga illos olim observatæ vestigium supereſt in Liturgiis Alexandrinis, sed in solis Syriacis, ut dictum est ad Canonem Generalem. Illam porro disciplinam jam obsoleviſſe testantur autores Syri vetustissimi. In Basilii Coptica Liturgia ex qua ista oratio petita est, titulus est: *Oratio absolutionis ad Patrem.* Nempe forma est absolutionis cujusdam generalis, iisdem prope verbis & sententiis constans, ac illa quæ super ipsum Sacerdotem celebrantem pronuntiatur initio Liturgiæ & ad Filium Dei dirigitur. Ipsa est quam Victorius Scialach pessime ex Arabico perperam lecto appellavit *Orationem glorificationis Filii*: nam vox Ægyptiaca *Metremhe* & Arabica תחליל *Tahlil*, *Absolutionem* significant. Videnda quæ ad eamdem Orationem annotata sunt. In versione, Æthiopes nomen Claudii Regis sui filiæ Lebna Dintghil, inseruerunt: is enim tunc in Æthiopia regnabat: & ab eo scripta est Confessio fidei, quam priori Lexici sui editioni Ludolfus subjunxit, retulitque postea in Commentario ad Historiam suam, cum notis, quas alio loco expendemus.

18. *Sancta sanctis.*

ITa recte qui versioni Latinæ operam dederunt: neque de verborum illorum interpretatione cum inter sacra Officia leguntur, quemquam dubitasse videmus, cum Græce extent in omnibus Liturgiis & in sanctorum Patrum scriptis, in Copticis quoque, Syriacis, omnibus tandem Orientalibus Eucharistiæ consecrandæ Officiis. Primus Ludolfus in quarumdam ex Clementinis Constitutionum versione eadem verba interpretatus est, *Sanctuarium sanctis*, quo nihil absurdius. Nugas enim Grammaticales, si quas obtendere poterat, usus Ecclesiasticus & om-

nium Liturgiarum conſenſus refellebat. Certum enim eſt eo loco idem intelligendum eſſe, quod apud omnes Orientales Chriſtianos, quotidie audiebatur, & quod nullus neſciebat: ſcilicet, monitum omnibus qui ſacris Officiis intererant, per Sacerdotes vel Diaconos ſignificatum, ne quis niſi ſanctus, ſive nullius peccati lethalis ſibi conſcius, ad *ſancta*, hoc eſt ad ſacra myſteria percipienda accedere vellet. Neque quiſquam Chriſtianus ignorabat, quid per τὰ ἅγια eſſet intelligendum. At, *ſanctuarium ſanctis*, formula eſt ab initio Eccleſiæ conſtitutæ ad hæc uſque tempora, omnibus Liturgiis incognita & inaudita, & quæ ſimul falſiſſimam ſententiam inſinuat. Nam *Sancta ſanctis* ſignificavit in veteri Eccleſia, & in Orientali idem ſignificat, ut qui ad myſteria ſuſcipienda rite parati ſunt, ſoli ad eorum participationem accedant; neque hæc denuntiatio ad Eccleſiaſticos ſolos qui in Bema ſeu ſanctuario ſtabant, ſed ad Laicos quoque pertinebat, imò ad mulieres. At neutri ut myſteria ſacra perciperent, ad ſanctuarium accedebant: verum eo ritu diſtribuebantur, quem fusè ex Gabrielis Patriarchæ Rituali & aliis retulimus, in Commentario ad Baſilii Copticam Liturgiam. Ita fit ut abſurditatem inſignem contineat ejuſmodi interpretatio, ſecundùm quam vocantur ad ſanctuarium, qui in illud ingredi non poſſunt. Quid igitur? Cœnam ſuam Lutheranam adeo infixam animo Ludolfus habuit, ut nulla vox Æthiopica, etſi Hebraicæ aut Græcæ originis, & uſu Eccleſiaſtico determinata, aliud ipſi ſignificaret, quam *Cœnam. Liturgiam*, *Miſſam*, *Anaphoram*, in Lexico ſuo locum habere vix voluit. *Korban*, *Kadas*, *Anaphora*, *Cœna* ſunt, *totus Cœnæ actus*: *Orationes ſacræ in Cœna Domini dici ſolitæ*: *Preces Euchariſticæ*, *Homilia*: neque ſolœciſare timet ut Cœnam ſuam ubique inſtruat. Habentur Epiſtolæ quibus vir linguarum Orientalium peritiſſimus Ludovicus Picques Doctor Sorbonicus, putidam illam affectationem, vehementer exprobrat Ludolfo. Is igitur cum particulam hanc *ſancta ſanctis*, Cœnam ſuam evertere ſatis intelligeret: nam ſi ſancta facta ſunt, ante communionem, non exſpectatur uſus Cœnæ Domini, neque ut alibi loquitur *Arcanum participationis Cœnæ Domini*, ridiculam & inauditam interpretationem ſuam, *ſanctuarium ſanctis*, ſubſtituit. Mira ſane confidentia fuit: illum enim exiſtimaſſe oportebat, qui falſas ſuas verſiones confutaret neminem fore: quaſi ex illius dictatis penderet omnium quæ ab Æthiopibus uſurpatæ fuerant vocum intelligentia, quam fruſtra circumvenire nititur, cum ex aliis linguis & Liturgiis perſpicua ſit.

19. *Unus Pater ſanctus*, & ſequentia.

EX comparatione iſtius Liturgiæ cum Alexandrinis ſatis manifeſtum eſt, ex illis Æthiopicam expreſſam fuiſſe: ſed multa deſunt ad rituum intelligentiam in Æthiopico exemplari, ut in verſione, quæ aliunde petenda ſunt, præcipue ex Liturgia Alexandrina Coptica, & Gabriele Patriarcha. Nam Orationes ex illa deſcriptas & eodem loco recitandas,

Digitized by Google

similiq quoque ritu usurpandas esse non potest dubitari. At oratio *Unus Pater sanctus*, &c. quæ confessionem fidei de Trinitate continet, primo à sacerdote pronuntiatur, deinde à populo, quod in exemplari Æthiopico, non notatur, neque in Latina versione.

Quod sequitur *Sacerdos elevans sacramentum dicit alta voce*, Domine Jesu Christe miserere nostri, non præscribitur in Ritu Coptico: & fortasse illa ultima verba à populo dicenda sunt: nempe *Kyrie eleison* ter: quæ est frequentissima populi post sacerdotales orationes acclamatio.

At elevatio Sacramenti hoc est particulæ illius majoris, quæ in Liturgiis Alexandrinis Græcis Πνευματικὸν dicitur hoc est Σῶμα Δεσποτικὸν, *corpus Dominicum*: unde Arabicè scribentes, Coptitæ fecerunt *Isbodicon* sive *Asbadicon*, de qua dictum est ad Basilii Liturgiam; eodem modo fieri debuit atque in Ritu Coptico. Itaque vere dicebat Zagazabo in relatione quam edidit Damianus à Goes *de moribus Æthiopum*, Sacramentum non elevari apud suos, ut in Lusitania videbat fieri: atque ex eo testimonio perperam à multis autoribus scriptum est, elevationem Eucharistiæ apud Æthiopes nullam esse. Inde acutiores alii probari existimaverunt, eamdem ab illis non adorari. Elevatur tamen procul dubio: sed non eodem Liturgiæ loco, quo in Latina Ecclesia: neque hostia simpliciter sacerdotis manibus: verum particula in disco posita, cum eodem attollitur: calix non movetur. Tum aliud quoque in Ritu discrimen est quod, ut in toto Oriente ut apud Græcos elevatio seu ἁγία ἅγιοις, fit paulò ante communionem, cum dictum est *sancta sanctis*; de qua cæremonia fusè dictum est in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam. Quamvis igitur hæc cæremonia non notetur in textu Æthiopico, recte in versione expressa est, monente Tesfa Sion, qui Ritus Ecclesiæ suæ non ignorabat. Neque mirum Rubricam similem non occurrere in Codice Æthiopico, cum in plerisque Liturgiis, ut alibi observatum est, quæ cæremonias spectant adscribi non soleant.

20. *Corpus sanctum*, &c.

UNo tenore subjicitur Confessio fidei de Eucharistia, expressa ex eadem formula quam Alexandrinæ Liturgiæ Græca & Coptica repræsentant, & de qua dictum est in Commentario ad easdem. Nulla in sacris Officiis oratio est, quæ majori apparatu recitetur: tenet enim Sacerdos in disco Eucharistico particulam quam elevavit & populo demonstravit: tuncque pronuntiat illa verba, *Corpus sanctum & sanguis pretiosus*, &c. qua actione, & adjuncta oratione omnes Protestantium rationes evertuntur. Si enim agnoscunt Æthiopes, hoc quod Sacerdos manu tenet, esse corpus Christi Domini, testantur simul factum id jam esse virtute consecrationis, non mox factum iri, quando Sacramentum suscipietur à communicantibus. Neque reponere Protestantes possunt, quidquam quod præjudicatis illorum opinionibus con-

Digitized by Google

veniat. *Medium quo accipitur corpus Christi, vescentibus in Cœna Domini, fidem esse dicunt.* At cum Sacerdos Coptita vel Æthiops pronuntiat Confessionis verba : *Corpus sanctum & sanguis pretiosus*, Sacerdotis aut circumstantium fides, nihil efficere potest, ut sit Corpus & sanguis Christi, quia nondum *vescuntur*, hoc est, *comedunt*. Sequitur itaque falsam esse Confessionem, si idem credunt, quod Protestantes, cum istud quod inter manus Sacerdotis tenetur & demonstratur, panis sit, non corpus Christi. Neque soli Sacerdotes, aut qui communionem mox suscepturi sunt, ita loquuntur, sed omnes qui in Ecclesia sunt. Obscuritas porro, non in verbis est, magis enim perspicua esse nulla possunt, sed in ipso mysterio, & illam agnoscunt Orientales; illud nihilominus credendum esse docent, æque ac multa alia, quæ sensibus & humana ratione superiora sunt. Tandem ne in alienam sententiam detorqueri possit illa Confessio, obstant cæremoniæ, quæ adjunctæ sunt, & quas explicavit accurate Gabriel Patriarcha. Illas vero communes esse Æthiopicæ Ecclesiæ, quæ ab Alexandrina Ecclesia [illegible] quæ ad cultum divinum pertinent, accepit, non est dubitandum.

Cum vero tam simplex & perspicua illa Confessio sit, ut si quis in Romana Ecclesia natus & educatus, fidem de Eucharistia suam explicaret, verbis minus ambiguis id præstare vix posset, & ipsi Canones Tridentini, plura non contineant, nemo à Ludolfo non expectasset doceri nos Pontificios, quomodo Æthiopes, quos Transubstantiationem ignorare tam confidenter affirmat, similem Confessionem intelligant. Illam vero ne nominavit quidem; sed cum de fide Eucharistiæ, quid Æthiopica Ecclesia crederet, paucis proposuit, aliquot testimonia retulit ex benedictionibus Patenæ, Calicis & Cochlearis, tum relatum supra à nobis illud, quod ex Liturgia Patrum Nicænorum Wanslebius produxerat. Ea sola tamen simpliciter *intellecta*, ut sane non aliter ab Ægyptiis & Æthiopibus intelliguntur, omnem Ludolfi & Protestantium Theologiam conturbant. Veràm de illis judicium interponere veritus, statim ad Æthiopem suum provocavit, cui cum exposuisset Transubstantiationem, negavit ille tale quidquam apud suos credi. At illum interrogare debebat an cum illam Confessionem pronuntiabant, existimarent, in disco Eucharistico panem simplicem esse, vinum solum in calice. Negasset id Æthiops procul dubio, ut negavit mihi admodum juveni, ante multos annos, Petrus quidam Æthiops, qui Lutetia transiit, legendo hanc orationem in Missali manuscripto quem secum gestabat. Sed non ex similibus testimoniis, fides Ecclesiæ Æthiopicæ definienda est, cum verbis luce clarioribus per se ipsa loquatur. Ea si notis suis infuscare Ludolfus desperavit, nihil mirum, cum dissimulari facilius, quam ad Lutheranum dogma torqueri queant. Licuerit id Claudio, qui similibus testimoniis cum ex solvere se non posset, ea silentio eludebat. Historiam scribebat Ludolfus, & ita quæ in monumentis Ecclesiæ Æthiopicæ legebantur bona fide referre illum oportebat. Hujus si scintillam habuisset, tot Invocationis Spiritus sancti formulas referre debebat : in primis vero Confessionem de qua

loquimur

loquimur, quam in singulis Liturgiis religiose pronuntiari, non poterat ignorare.

In Versione nostra sententiam textus Æthiopici fideliter reddidimus, eo facilius quod, Copticam, quæ eidem respondet, cum ea comparavimus. In uno loco, qui alicujus momenti est, legitur, Christum corpus assumsisse ex Beata Virgine *sine mistione, aut copula naturali.* Verum hoc non dicunt Æthiopes, neque Coptitæ: sed duarum in Christo naturarum mistionem, confusionem & alterationem excludunt, quibus verbis Eutychis hæresin abominari se testantur.

Circa finem. *Sumentibus eum in veritate*: melius *cum fide*: nec enim remissio peccatorum & vita æterna obtineri, per Eucharistiæ participationem potest, ab eo qui fide caret. Neque tamen existimare quisquam debet, Orientales alligare fidei communicantium veram corporis Christi susceptionem. Fuerunt quibus hæc quæstio tractata est, ut inter alios Dionysius Barsalibi, & Severus Episcopus Aschmonin: num infideles corpus Christi acciperent. Nulla erat obscuritas, si id quod Protestantibus videtur, credidissent, solam fidem medium esse quo Christi corpus percipitur. Verum cum aliud omnino haberent in animo, ad miracula recurrerunt, & multis placuit Deum mirabiliter auferre & subtrahere corpus Christi: ut in communione Judæ Christum fecisse nonnulli existimaverunt: intingendo scilicet buccellam, consecrationem ex ea abstulisse. Sed qui ad fidem suscipientium effectum consecrationis retulerit, nullus reperitur.

21. *Communio & Sacramenti distributio.*

DIversam esse Æthiopum in Sacramenti distributione & perceptione disciplinam, ab ea quæ in Ecclesia Alexandrina usurpata est, ne suspicari quidem licet. Itaque quamvis illa non explicetur in Liturgia, satis intelligitur factum esse idem, quod ubique observabatur. Nempe Sacerdos sumit majorem illam particulam Σπυδικὸν, sive Διακονικὸν dictam, & ex calice bibit. Deinde particulas præbet Sacerdoti ministranti, & aliis Sacerdotibus circumstantibus, quibus etiam præberi calicem, consuetudo omnium Ecclesiarum est, & fuit apud Orientales. Diaconis, vulgo paulum sanguinis datur in cochleari: Laicis & aliis, intinctæ in calice particulæ & madefactæ, eodem modo præbentur. Istius disciplinæ ut omnium quæ ad Alexandrinam Ecclesiam spectabant ignarus Ludolfus, nullam occasionem inculcandi communionem sub utraque specie prætermittit, quasi nesciretur illam toto Oriente obtinere, etiam apud illos qui cum Romana Ecclesia conjuncti sunt: aut communio per intinctam particulam ea esset, quam urgent tantopere Protestantes. Hæc porro à nobis alibi tractata sunt & explicabuntur aliquando uberius, cum non magis ad Æthiopes, quam ad reliquos Orientales pertineant.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, quæ in hoc Volumine continentur.

A

Absolutio initio Liturgiæ. 3. 198. 428. 505. 527.
An valeat ad remittenda peccata. 199.
Absolutio ante Communionem. 22. 80. 262. 352.
Adoratio Eucharistiæ. 265. 285
Æthiopica Liturgia. 499.
Ejus interpretes. 496
Æthiopes confessionem fidei de Eucharistia faciunt post pronunciata Christi verba. 249.
In suis Diptychis multos antiquos Reges nominant. 256
Africa an Patr. Alexandrino subjecta. 438.
Alexandrinus Patriarcha Coptita, successionem habet Ordinationis decessorum in Ecclesia Orthodoxa. 365. 367
Tituli dignitatis ejusdem. 368. 374
Papa appellatus. 369
Archiepiscopus totius Ægypti. 371
Ejus electio 376. 378.
An ex duodecim Presbyteris. 378. 381
Qui ad electionem jus haberent. 383
Electio per Monachos facta 384. 391
Laicis quid juris esset in eligendo Patriarcha. 385. 390
Comitia ad electionem Alexandriæ & Cahiræ alternatim habita. 386
Et ad S. Macarium aliquando. 387
Comitiorum illorum disciplina. 387
Præsidebat senior Episcopus. 388. 391 411.
Electio per sortem & ejus forma. 394
Alibi etiam usurpata. 396
Patriarchæ electi proclamatio. 397
Conditiones in Alexandrino Patriarcha requisitæ. 397. *& seq.*
Vincula injecta. 409.
Ordinatio Patriarchæ. 410. 415. 416.
Salutatio Principis aut Præfecti. 414
Proclamatio Alexandriæ & Cahiræ. 415. 416.
Ad S. Macarium. 427
Fidei professio post ordinationem. 424
Pacta conventa. 424
Nominis mutatio. 431
Cella Patriarchalis. 434
Diœcesis Patr. Alexandrini. 438
Autoritas ad constituendos Episcopos. 458. 461.
In Monasteria. 459
Depositionis Alex. Patriarcharum nulla exempla. 464
Altaria 181. 331. 504. 526
Eorum ornatus. 183
Reconciliatio. 332
Amen dictum post verba Christi in consecratione, quem sensum habeant. 233
Anaphora sive Canon. 13
Anaphora propriè loquendo quid sit. 172. 224.
Angelorum Ordines. 298
Angelorum custodia. 85. 300
Animalia sancta. 300
Antimensia. 182. 331
Antiocheni Jacobitarum Patriarchæ. 278 284.
Eorum successio parum certa. 365
Interrupta. 365
Aqua mistio in calice. 194
Fervens mistio Orientalibus signota. 294
Axumita. 373
Alexandrino Patr. subjecti 442. 446

B

Babylonia Ægypti. 370
Basilii Liturgia Alexandrina græca. 57. 333.
Coptica ejusdem. 1. 169
De Beatitudine Sanctorum quid sentiant Orientales. 296
Benedictio tabulæ altaris. 55
Benedictiones altaris Vasorum & ornamentorum. 153
Bessarionis de Invocatione Spiritus sancti sententia refellitur. 252.

C

Cahira vetus & nova. 371.
Calendarium à Seldeno & Ludolfo publicatum quale sit. 257
Calix Eucharisticus. 54. 192. 327
Calicis confirmatio. 292.
Calices ministeriales. 321. 358
Calices in sacrificio an plures. 292.
Canones Nicæni Arabici. 367
Caput detegere debent communicantes,

Digitized by Google

284. 286.
Catechumenorum expulsio obsoleta apud Orientales. 141. 223. 357
Catholicon seu Epistolæ Catholicæ. 210
Catholicus Nestorianorum. 366. 412
Catholici alii. 376
Cerei prælati cum defertur Eucharistia, 284. 285. 294.
Cerei in Liturgiæ celebratione. 196
Christus sacramentis communicasse dicitur 15. 31. 47. 67. 236. 318
Christus in Eucharistia offert & offertur. 94. 120
Frangit & frangitur. 120. 351
Christus consubstantialis patri secundum divinitatem, nobis secundum humanitatem. 115
Cochlear ad Liturgiam. 54. 501 188 195. 283.
Cœna Protestantium. iv.
Communicantium Sacramentis dispositio interior & exterior. 287
Communionis usus. 19. 282. *& seq.* 520
Syrorum circa eam disciplina. 283
Communio laicorum. 285
Quid Sacerdos dicat communionem distribuendo. 286
Communio infirmorum. 291
Communio infantium. 291
Comos Archipresbyter est, seu Archimandrita. 413
Confessio fidei de Eucharistia. 14. 23. 36. 83. 122. 162. 271. *& seq.* 286. 313. 343 361. 520. 543.
Ab ordinatis in ipsa ordinatione exigi solita. 276. 407
Syrorum confessio fidei ante communionem. 277
Confessio super thuribulum. 264
Confessio peccatorum ante celebrationem Liturgiæ. 176
Consecrationis momentum non determinant Orientales Theologi. 197
Coptica Linguæ usus. 204
Corpus Christi, Carbo vivus 505. 195. 122. 325. 329.
Corpus Christi vere & realiter in Eucharistia. 54. 55. 74. 7 . 104, 118. 125. 329
Vivificum. 276
Cyrilli Liturgia. 38. 315.

D.

Diptycha. 19. 31. 72. 112. 150. 253
Liber vitæ. 255
Commemoratio Patriarcharum in Diptychis. 254
Antiochenorum Alexandriæ, Alexandrinorum Antiochiæ. 254. 335
De Diptychis falsa Scaligeri conjectura. 257
Discus Eucharisticus seu Patena. 53. 195 324.

E.

Εισόδιον. Seu Magnus Introitus. 141, 357.
Εισόδος μικρὸς. Seu Parvus Introitus. 222. 355.
Elevatio Sacramenti. 23. 83. 122. 265. 342.
Elmacinus in prima historiæ parte Eutychium exscripsit. 379
Episcopi Jacobitæ in Ægypto ex ordinationis antiquitate locum tenebant. 411
Episcoporum translationes Coptitis damnatæ. 403
Epistola Lectio. 5. 103
Epistola Synodicæ novi Patriarchæ Alexandrini ad Antiochenum. 432
Evangelii Introitus. 136
Ejus recitatio. 138. 210
Eucharistia ne decidat, aut calix effundatur, cura. 284
Eutychii Alexandrini locus de electione Patriarchæ. 377. 378
Eutychius vindicatus Abrahami Echellensis. 377

F.

Fractio Hostiæ. 19. 20. 21. 35. 49. 73. 114. 162. 358. 542.
Duplex. 259
Oratio Fractionis. 310. 340. 349
Francorum religio Coptitis suspecta. 407

G.

Græcorum opinio de vi verborum Christi ad consecrationem. 246
Ricardi Simonis judicium refellitur. 246
Orientalibus prorsus ignota. 247. 342
Græcis ob Invocationis spiritus sancti recitationem post verba Christi, an objici possit hæresis. 252
Gregorii Coptica Liturgia. 301
Græca ejusdem. 90. 347

H.

Hareth Filius Senan Interpres Arabs Sacræ scripturæ ex Græco Codice. 208.
Hieronymi locus de electione Patr. Alexandrini. 378
Hierosolymitana Diœcesis. 444
Homilia sive Tafsir apud Coptitas usurpatæ. 209

J.

Jacobitæ Ægyptii legitimis principibus infideles. 218

Digitized by Google

Jejunium quadrageſimale. 86
Jejunos accedere oportet ad Communionem. 287
Ignis ſignificat divinitatem apud Orientales. 316
Incarnationis myſterium quomodo exponant Jacobitæ. 115. 279
Introitus ſeu Εἴσοδος, quando oblatio infertur. 185
Obſervatur ab Ægyptiis. 186
Invocationis Spiritus Sancti formulæ 16. 31. 48. 68. 105. 157. 238. 308. 339. 361 517. 539.
Invocatio Spiritus Sancti ſuper res ſacrandas. 196
Invocatio Spiritus ſancti ſola, conſecrationem non perficit. 197
Invocationis Spiritus ſancti ſententia explicata. 240. *& ſeq.* 361
Vera lectio aſſerta. 242. 322
Immutata in Miſſali Chaldaico. 243
Theologorum Orientalium de ea ſententiæ. 244. 246
Simpliciter ab illis intelligitur. 248. 250.
Illius verba non probant conſecrationem non eſſe factam. 248. 306. 361
Variæ ejus interpretationes valde obſcuræ. 251
De illa, quæſtio ad Proteſtantes non pertinet. 252
De additionibus eidem Confeſſioni factis. 274
Joannes à S. Andrea Liturgiæ Marci interpres. 315. 199
Iſhodicon quid. 259

L.

Lingua Coptica etſi plebi ignota ſervatur in omnibus Officiis Eccleſiaſticis. 175. 204
Linguæ ignotæ in ſacris uſus. 207
Liturgia vox quid ſignificet. 169
Anaphoræ proprie vocantur. 169
Earum autoritas. 170. 172
Earum autores creduntur ab Orientalibus, quorum nomina præferunt. 170
Tres vulgo receptæ in Eccleſia Coptica. 170.
Quæ Baſilii dicitur apud Coptitas, Græcæ & Syriacæ non reſpondet. 171
Liturgiarum autoritas non ab autorum nomine, ſed ab Eccleſiæ uſu petenda eſt. 173.
Liturgia Æthiopica. 498. *& ſeq.* 523.
Ejus verſio qualis. 523.
Liturgiæ Copticæ diſpoſitio. 172.
Liturgiæ Copticæ verſiones Arabicæ. 174.
Liturgia D. Marci Græca eadem eſt ac Coptica Cyrilli. 127
Orthodoxorum videtur fuiſſe propria. 128.
Liturgia Præſanctificatorum. 79. 41
Ludolfus refellitur. 523. 532
Ludolfi de Confeſſione fidei ante communicationem ſilentium. 279
De ſanctorum veneratione refellitur. 297.

M.

Marci Græca Liturgia ſimilis Copticæ Cyrilli. 131. 315. 353
Joannes à S. Andrea ejus editor & interpres. 166. 199. 315
Maronita Liturgiarum Copticarum interpres emendatur. 184. 198. 226. 242. 309. 312. 335. 340.
Metropolita Æthiopiæ ab Alexandrino Patriarcha deſignatur & ordinatur. 443
Monachis juris aliquid fuit ad electionem Patr. Alexandrini. 384. 391. 417
Monaſterium S. Macarii. 402. 411
Proclamatio Patriarchæ in eo fieri ſolita. 427
Monaſtica vitæ regula obſervata in Patriarchio. 435
Monaſtici habitus dandi officium. 418

N.

Natus ex nuptiis ſecundis non poterat eligi Patriarcha Alexandrinus. 398.
Neſtoriani Catholicos ſuos, etſi jam Epiſcopos, ordinant. 412
Neſtoriani, ſymboli ſingularem verſionem habent. 219.
Neſtoriani non orant niſi pro Regibus fidelibus. 349.
Succeſſionem certam Antiſtitum ſuorum non habent. 366
Eorum Catholicus. 366. 375. 464.
Patriarchatum veterem nullum habent. 374.
Nili exundatio propria oratione petitur. 213.
Notitia Dioceſeon Patriarchatus Alexandrini à Beveregio *publicata* expenditur. 445. *& ſeq.*
Nubia reges. 441
Nubii Jacobitæ ſunt à multis ſæculis 373. 440.

O.

Oratio ad Virum. 143. 185. 188. 501
Oratio Gratiarum actionis poſt communionem. 24. 37. 51. 84. 163. 295. 346

Digitized by Google

Oratio præparationis Altaris. 2
Veli. 28. 301. 348
Gratiarum actionis. 2. 503. 526
Oblationis sive Prothesis. 3. 502. 504. 525.
Thuris. 4
Ad Epistolas. 5. 6. 506
Ad Evangelium. 7. 510
Orationes pro mortuis. 7. 9. 18. 34. 41. 61. 72. 87. 93. 95. 111. 112. 149. 214
Orationes pro Nili exundatione. 8. 17. 70. 109. 128. 148. 213.
Pro regibus. 9. 41. 58. 87. 133. 146. 149. 216. 334. 349.
Pro pace. 10. 58. 216
Orationes fiunt super dona jam consecrata. 249. 253
Et in aliis sacramentis, pro gratia jam obtenta. 250
Ordinatio die dominica. 415
Ordinatio Patriarchæ Alexandrini. 411.
Officium Ordinationis. 467. *& seq.*
Ordinationis Patr. Alexandrini ritus. 416. 417. *& seq.*
Ordines inferiores collati electo qui eos non susceperat. 412. 418
Ornamenta Patr. Alexandrini. 420
Ornamenta sacerdotalia apud Coptitas. 177
Vestis talaris seu χιτὼν ποδήρης. 178
Zona. 178
Ejus usus apud Christianos Orientales. 179.
Manicæ. 179
Stola. 179.
Casula. 179.
Osculum pacis. 12. 26. 58. 39. 60. 142. 222. 302. 373.

P.

Panis Eucharisticus. 186. 189.
Fermentato Orientales utuntur 190
Huic Syri sal & oleum admiscent. 191.
Panis & vini transmutatio in Liturgia. 106. 114.
Papa sive Patr. Alexandrinus 59. 69. 108. 133. 335. 355.
De eo integra Dissertatio, 353. *& seq.*
Patriarchatuum Orientis divisio. 374
Pœnitentium dimissio ab Ecclesia. 264
Orationes pro illis. 308
Præfationum variæ formulæ. 14. 28. 40. 64. 144. 151. 226.
Præsanctificatorum Liturgia. 78
Profanatio Eucharistiæ. 289
Pœna adversus illius per negligentiam reos. 290
Proœmia quid significent. 185. 188.
Prothesis, & oratio ad eam. 185
Protopapas Ecclesiæ Alexandrinæ. 389
Psephisma ad ordinationem Patriarchæ Alexandrini. 410. 419
Puerorum communio. 291

R.

Reges Orthodoxi pro quibus oratur. 216. 255.
Etiam pro infidelibus oratum. 217. 309
Æthiopiæ & Nubiæ Reges soli apud Jacobitas Orthodoxi. 217
Nominantur aliquot in Diptychis. 256 505.
Reliquiarum Eucharistiæ cura. 294
Ritualis Gabrielis Patr. Alexandrini. 175
Romani Pontificis primatus. 374
Rubricæ desunt in plerisque Liturgiis. 175 66.

S.

Sacramentorum effectus non dependet à bonitate vel malitia Ministri. 319.
Sacrificium in Liturgia incruentum. 9. 12. 26. 40. 57. 61. 63. 89. 90. 94. 95. 145. 302. 317. 336.
Salis & olei admistio ab Ægyptiis improbata in pane Eucharistico. 191
Salmasius refellitur. 306
Mala ejus fides. 308. 312. 313
Sancta Sanctis. 23. ibi. 265. 345. 243
Sanctorum animæ an beatitudine nondum fruantur ex sententia Orientalium. 529
Sanctorum intercessio. 37. 42. 72. 112. 139. 150. 296.
Sanctorum memoria 18. 33. 125. 256. 505. 514. 416.
An pro illis orent Æthiopes. 528
Sanctus. 4. 46. 154. 228
Similis hymnus extat in Judaïcis ritualibus. 229
Secretarius sive Syncellus Patr. Alexandrini. 435
Seldenus refellitur. 377
Servilis conditionis homines ordinibus excludebantur. 398
Severus Alexandrinus. 303
Scripturarum lectio quomodo facta 204 530.
Simonis (Ricardi) sententia de Invocatione Spiritus sancti. 246
Sirleti Cardinalis epistola de Liturgia S. Marci 166
Spiritus sancti illapsus in dona proposita

Digitized by Google

20. 75. 117. 305. 341
Spiritus ſancti divinitas. 320
Ejus operatio ad gratiam inſpirandam. 321.
Σπαικὸν ſive Isbodicon. 342
Symbolum Fidei. 12. 336
Symbolum Nicænum. 219. 407. 522 532.
Singularem verſionem illius habent Neſtoriani. 219
Particula *filioque* non habetur ab Orientalibus. 219
Synaxaria. 258
Synodica. 432
Synodicæ Alexandrinorum & Antiochenorum Epiſtolæ. 254
Syſtatica Epiſtolæ Alexandrinorum. 335
Syſtaticæ ad Ordinationem publicandam. 420

T

Tabula altaris benedictio. 331
Thuris uſus in Eccleſiis Orientalibus. 200
Superſtitio ex thurificatione apud Coptitas. 201
Tranſmutatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti. 3. 197. 234. 305 348. 527.
Triſagium. 136. 229 355
De eo Neſtorianorum traditio. 230
Additio eidem facta, quomodo à Jacobitis intelligatur. 231

V.

Vaſorum Sacrorum benedictiones. 53. 323. 508.
Interpres primus earum emendatur. 524. *& ſeq.*
Quæ occurrunt initio Miſſæ Æthiopum, non dicuntur in Liturgia. 525
Velum calicis. 324
Veli oratio quæ ſit. 215
Verba Chriſti conſecratoria 14. 232
Variæ illorum formæ. 30. 46. 67. 104 155. 232 304. 339. 517.
Deſunt in aliquot Liturgiis Syriacis. 246. 248.
Verba Chriſti neceſſaria ad conſecrationem credunt Orientales. 246. 249
Verſio Scripturæ ſacræ Coptica. 205
Ex Græca LXX. facta. 207
Verſiones ſcripturarum Arabicæ. 208.
Vinum ad Liturgiam quale eſſe debeat. 192.
Ex uvis paſſis. 193
Virginis Mariæ invocatio. 256
Unio ſpecierum duarum ante Communionem. 261.
Unius naturæ confeſſio apud Jacobitas. 261
23. 36. 83. 123. 275. 251.

ERRATA.

PAg. 56. ; *ſcripſi*. punctum transferatur. Pag. 57. ἐπαναχείψη, lege ἐπαναχείψη. Pag. 62. l. 18. ἀς ἀσαδεμ, lege ἀκαταδεσμ. Pag. 65. l. 6. ποιηονς, lege ἐποίησας. Pag. 73. l. 15. ὄνομά (ν. Pag. 75. l. 4. ἡμεῖς pro ἡμᾶς. Pag. 76. ἐλνις pro ς. Pag. 79. ὁ πατὴς. Pag. 81. l. 16. ἰλασμὸν. Pag. l. 24. κάρπως, lege καρπὸς. Pag. 94. l. 17. *ου Mſ.* Pag. 104. l. 15. ἅπαι, lege ἅπαι. Pag. 117. l. 26. ζαχαρίστως. Pag. 121. l. 8. παρὲ, lege παρὰ Pag. 122. πάσας ἡμέρας, lege *omnibus It. Lat.* Pag. 162. l. 1. ἀντιλήψεως. Pag. 26. l. 4. μὲ πάντων. Pag. 169. Ἀναφορὰ, lege ἀναφορὰ Pag. 172. l. 2. βασιλεῖα.

In Præfatione. O. 3. *Petrus Æthiops*, lege *Gregorius*. Pag. vij. l. 5. *compoſitis*. Pag. xxv. l. 10. *fœtum*. l. 21. *ob eam cauſam*. Pag. xliij. l. 34. *adhibuerit*. Pag. lxxviij. l. 28 *veteſtiſſima*. Pag. lxix. l. 34, *horrori*. Pag. lxxvij. l. 4. *ſubſtructionem*.

Pag. 156. l. 21. dele *tuam*. Pag. 172. l. 34. *fuerint*. Pag. 179. in margine, *catula*, lege *caſula*. Pag. 223. *Innoc. III.* lege *I.* Ibid. l. 30. *etiam*. P. 228. *notitiis*. P. 229. *aliis*, lege *alis*. P. 233. *omnes*, bis, dele. Pag. 237. l. 30. D. Thomam 3. p. quæſt. 87. Pag. 247. l. 39. *cum Græci erunt, non Armeni*. Pag. 253. l. 21. *neque tamen, ut de Græcis diximus, ſola invocatione Spiritûs ſancti illam perfici* leg. Pag. 260. *vir clariſſimus*. Pag. 265. *ſcilicet*. Pag. 276. *liceret*, l. 4. *licuit*. Pag. 280. l. 22. *Mario Patriarcha*. Pag. 297. l. 13. *Jacobiticis, ab illis acceperunt*. Pag. 313. l. 32. dele *non*. Pag. 313. *cedant*, lege *proferant*. Pag. 358. l. 18. *prius quam*. Pag. 386. l. 3. *urbis primaria*. Pag. 432. l. 30. *Mawiota*, pro *Machiota*. Pag. 462. l. 1. *elucidanda*. Pag. 521. in tit. pro 512.

Digitized by Google

APPROBATIO

EX mandato Illuſtriſſimi Cancellarii legi diligenter tractatum hunc *de Liturgiis Orientalibus*, in quo nihil deprehendi quod mirum in modum cum fidei Eccleſiæ Romanæ, tum famæ religioſiſſimi doctiſſimique interpretis non conſonet. Datum Lutetiæ Pariſiorum die Martis Martii 16. anno verò 1716.

J. F. P. DE CAUMARTIN.

APPROBATIO

EGo infra ſcriptus Doctor Theologus ſacræ Facultatis Pariſienſis, & Parochiæ ſancti Petri ab Arciſiis in Civitate Paſtor, quâ potui & quidem maximâ diligentiâ Librum evolvi, cujus titulus eſt *Liturgiæ Orientales &c.* In quo Eccleſiæ doctrina adverſus heterodoxos egregie & luculenter propugnatur à ſagaciſſimo Antiquitatis indagatore. Opus illud tantâ curâ, tanto labore adornatum, dignum judico quod prælo mandetur, & publici juris fiat ad Reipublicæ Chriſtianæ decus, & ornamentum. Datum Pariſiis anno ſalutis reparatæ 1716. die verò 14. Martii.

P. DE LA COSTE.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre: A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront, Salut. Le Sieur EUSEBE RENAUDOT, Prieur de Froſſay & de Chaſteaufort, l'un des Quarante de l'Académie Françoiſe, Nous a fait remonſtrer, qu'il a compoſé pluſieurs Ouvrages tirez des Auteurs Orientaux, qui pourroient eſtre utiles au Public, pour eſclaircir differents points de la Religion Catholique, & pour en faire voir la conformité avec l'Egliſe d'Occident; Que la pluſpart de ces Ouvrages ſont dez à preſent en eſtat d'eſtre imprimez, & qu'il travaille actuellement à d'autres Ouvrages ſur de ſemblables matieres, pour l'impreſſion deſquels il Nous a fait ſupplier de luy accorder nos Lettres de Privilege. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Sieur Renaudot, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes, de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choiſir, les Livres qu'il a compoſez, ſoit en Latin ou en François, avec des Notes ou Commentaires, & intitulez *Perpetuité de la Foy de l'Egliſe Catholique touchant l'Euchariſtie, tomes quatre & cinquiéme; Diſſertationes varia de Fide, Moribus & Inſtitutis Eccleſiarum Orientalium; Synopſis Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum à Divo Marco ad annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum; Synopſis Hiſtoria Patriarcharum Eccleſia Neſtoriana ad annum milleſimum trecenteſimum; Liturgia Coptitarum ex Copticis & Arabicis exemplaribus Latinè verſa cum Commentariis; Liturgia Syrorum Latinè verſa cum Commentariis; Tractatus de Eccleſia Æthiopica; Officia varia Sacramentalia Coptitarum, Syrorum &c. Latinè converſa cum Notis; Doſithei Patriarcha Hieroſolymitani Enchiridion Græco-Latinum; Alia Græcorum Opuſcula Latinè verſa; Hiſtoire de Saladin Sultan d'Egypte & de Syrie, tirée d'Auteurs Orientaux; Voyage ancien fait à la Chine*

Digitized by Google

par deux Mahometans, traduit sur un Manuscrit Arabe avec des Notes ; & tels autres Ouvrages qu'il a composez ou qu'il composera ou traduira dans la suite, avec des Notes & Commentaires, soit en Latin, en François, ou autre langue ; & ce conjointement ou séparément en telle forme, marge, caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, & de les faire vendre & debiter par tout nostre Royaume pendant le temps de quinze années consecutives, à compter du jour & date de nos presentes Lettres Patentes seulement. Faisons défenses à toutes personnes, de quelque qualité & condition qu'elles puissent estre, d'en introduire d'impression estrangere dans aucun lieu de nostre obéissance, & à tous Imprimeurs, d'imprimer, faire imprimer, mesme sur des copies imprimées ou manuscrites, vendre, faire vendre ou debiter, ny contrefaire en aucune maniere, en tout ny en partie, sans la permission expresse & & par escrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits & de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hostel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, & de tous despens, dommages & interests; à la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long dans trois mois de leur date sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris ; que l'impression dudit Livre sera faite dans nostre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglements de la Librairie, & qu'il en sera mis deux exemplaires dans nostre Bibliotheque publique, un dans celle de nostre Chasteau du Louvre, & un dans celle de nostre amé & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur PHELYPEAUX Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Presentes ; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant & ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ny empeschement. Voulons que la copie des Presentes qui sera imprimée au commencement ou à la fin desdits Ouvrages, soit tenuë pour deuëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires, foy soit adjoustée comme à l'Original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution des Presentes tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires : Car tel est nostre plaisir. DONNÉ à Versailles le dernier jour de May l'an de grace mil sept cens onze, & de nostre Regne le soixante-neuviéme. Par le Roy en son Conseil, CHAPPUZEAU, avec paraphe, & scellé du grand Sceau de cire jaune,

Le present Privilege registré sur le Registre N. 3. de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, page 178 N. 187. conformément aux Reglements, & notamment à l'Arrest du 13. Aoust 1703. A Paris le 7. Juin 1711.

J'ay cedé au Sieur JEAN BAPTISTE COIGNARD, pour tout le temps porté par le Privilege que j'ay obtenu le dernier May mil sept cens onze, le droit pour l'impression du Livre intitulé, *Liturgiarum Orientalium Collectio, &c.* suivant les conditions dont nous sommes convenus. Fait à Paris le 18. Mars 1716.

E. RENAUDOT.

Et la cession registrée sur le Registre N. 3. de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris page 1043. conformément aux Reglements, & notamment à l'Arrest du Conseil du 13. Aoust 1703. A Paris le 24. Mars 1716.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06850 9036

B 50160 7

Digitized by Google


Digitized by Google